


1) 4. Diss iur. 148 (2)

Hr

2) 4. Diss iur 46 (12)

3) 4 Diss iur 145 (2)

Hr

CHRISTIANI THOMASII,

J Cti, Consil. Elect. Brandenb. in Univers. Frideric. P.P. & dictæ Univers. ac Facult. ibid. Juridicæ Senioris

INSTITUTIONUM JURISPRUDENTIÆ DIVINÆ LIBRI TRES.

In quibus Fundamenta Juris Naturalis secundum Hypotheses Illustris Pufendorffii perspicuè demonstrantur, & ab objectionibus dissentientium, potissimum D. Valentini Alberti, Professoris Lipsiensis, liberantur, fundamenta itidem Juris Divini positivi universalis primùm à Jure Naturali distinctè secernuntur & explicantur.

Editio secunda priori multò auctior,

In qua præter scholia perpetua accesserunt:

Programma Germanicum hypotheses Albertinas expendens, 2. Quæstio de definitione favorabilium & odiosorum cum Clarisſ. Placcio ventilata. 3. Programma, definitionem substantiæ hactenus quæsitam sistens, cum Thesibus excerptis ex his libris, ad disputandum publicè propositis.

HALÆ,

Sumtibus CHRISTOPHORI SALFELDII,

Regiminis Elect. Brandenb. Typogr. 1694.

CHRISTIANI THOMASII
JCti, Consil. Elect. Brandenb. in Univers. Frideric. Pr. & dicta Univers. ac Facult. Jurid. [illegible] Senioris

INSTITUTIONUM
JURISPRUDENTIÆ DIVINÆ
LIBRI TRES

In quibus Fundamenta Juris Naturalis secundum Hypotheses illustris Pufendorfii perspicue demonstrantur, & ab objectionibus dissentientium, potissimum D. Valentini Alberti, Professoris Lipsiensis, liberantur, fundamenta simul Juris Divini positivi universalis [illegible] a jure naturali [illegible] secernuntur & explicantur.

Editio secunda priori auctior & [illegible].

In qua præter scholia perpetua accesserunt: Programma Germanicum Hypotheses Albertianas [illegible] [illegible] Emtione [illegible] [illegible] Programma ad definitionem [illegible] [illegible] Thesibus [illegible] ad disputandum publice propositis.

HALÆ,
Sumtibus CHRISTOPHORI SALFELDII, Regiminis [illegible] Typogr.



DISSERTATIO PROOEMIALIS AD AUDITORES.

§. 1.



MOris est, ut autores librorum, ipsis tractatibus, qvos emittunt, præmittant discursum, in qvo vel commendant opus, vel de aliis qvibuscunqve rebus ad lectores disserunt, de qvorum discursuum utilitate, aut impertinentiâ hôc locô non disqviram, neqve de eorum inscriptione sollicitus sum, utrum rectius procemii, an præfationis, an, qvod non nemini vidi placuisse, antefationis titulo insigniantur, rem privati arbitrii esse arbitratus, & hic maximè valere illud vulgare: *Suum cuiqve pulchrum.*

§. 2. Mihi verò causæ variæ fuerunt dissertationem procemialem præmittere Institutionibus meis, tùm ut de scopo & intentione mea vobis constet distinctius, tùm ut à plagii literarii vitio me liberem, & Autoribus, qvorum operâ ea in re usus fui, suum qvod ipsis debeo tribuam, tum ut qvædam obscurius dicta, qvæ

qvibusdam calumniandi occasionem suppeditarunt, exponam, ac contra objectiones firmem, tùm denìqve ut de emendandis nonnullis locis pauca moneam.

§. 3. Ad Vos verò, AUDITORES svavissimi, verba mea dirigam, non solùm, qvia Vestra potissimùm gratia Institutiones has publici juris feci, adeoqve Vestra maximè interest, ea, qvæ ad intellectum earum pertinent præcognoscere, sed &, qvia meum interesse non parum subesse videbatur, ut meam doctrinam atqve studia Vobis purgarem; Vobis, qvorum salariis & amore per Dei gratiam hactenus vivo, & ad diligentiam atqve veræ Philosophiæ indagationem fui excitatus, omni videlicet occasione destitutus publicis stipendiis vel ad ignaviam vel ad profitendam falsam sapientiam autoritate magis qvàm ratione subnixam abutendi.

§. 4. Ergo uti oleum perdidissem & operam, si eorum gratia, qvi scripta mea, non doctrinæ gratia, sed animo, honestos meos conatus impediendi, & verba captandi insidiosè & anxiè evolvunt, calamum arripuissem, ita nihilominus iis obstrictus vivo, qvi affectibus vacui institutiones meas aut dissertationem præsentem perlustrabunt, eam de me opinionem foventes, qvod & à me qvædam proficisci possint, qvæ, si non semper & directò veritatem detegant, tamen ad eam inqvirendam & inveniendam ansam qvandoqve suppeditent, & reputantes, non videndum esse, qvis dicat, sed qvid dicatur, & qvòd sæpè etiam sit olitor verba opportuna locutus.

§. 3. Post-

§. 5. Poſtqvam igitur ex ſcholis trivialibus Academiam ſalutavi, non ſtatim, qvod commune juventutis vitium eſt, animum applicui ad aliqvam ex ſuperioribus facultatibus, ſed prius in philoſophiæ ſtudium aliqvot annorum ſpatium impendi, ibiq́ve occaſionem nactus audiendi B. Patrem meum HUGONIS GROTII de jure belli & pacis libros exponentem, etſi tum temporis multa non intelligerem, cepit me tamen doctrinæ dignitas & elegantia, ut præ reliqvis ei percipiendæ & in ſuccum, qvod ajunt, & ſangvinem redigendæ, mox ſeriò incumberem. Cumq́ve meminiſſem Patrem meum ſæpè in expoſitionibus ſuis Auditores remiſiſſe modo ad Dominos Theologos, errores Grotii in religione notantes, ſæpè ad JCtos, ut ad qvos potiſſimum opus Grotii pertinet, cùm ipſe in prolegomenis profiteatur, ſe tractationem iſtam ſuccepiſſe, ut Jurisprudentiæ nobiliſſimam partem adjuvaret; neceſſarium duxi, in privata lucubratione lectioni Grotii jungere commentatores ejus duos, unum JCtum, divinarum pariter & humanarum rerum ſcientiâ inſtructiſſimum, & Wittebergenſ. Academiæ decus CASPARUM ZIEGLERUM, alterum Tubingenſium Theologum, ex pluribus ſcriptis notisſimum, JOHANNEM ADAMUM OSIANDRUM, qvorum ille brevibus, ſed ſuccinctis in Grotium obſervationibus, in multis nebulas obſcuritatis diſpellebat, hic pleraqve Ziegleri, etiam cum non nominat, repetens, in iſtis qvidem, memoriam meam confirmabat, in reliqvis cautiones mihi ſuppeditabat, ab heterodoxis Grotii opinio-

nibus, simul verò Scholasticorum philosophiam moralem hinc inde pandebat.

§. 6. Prodibant tum Illustris Viri & omni præconiô meô majoris SAMUELIS PUFENDORFFII libri de Jure Naturæ & Gentium, qvos avidè legebam, non solùm qvia prægustum aliqvem mihi dederant ejusdem Elementa, qvamvis obiter inspecta, sed & qvod me caperet nimium qvantum stylus nitidus & perspicuus. Ac deprehendebam qvidem hic plurima, qvæ Grotius neglexerat, plenè exposita, non pauciora, qvæ ipsum Grotium obscurè loqventem illustrarent, sed non placebant tamen aliqva, qvæ communem doctrinam de lege Dei æternâ, de convenientia cum sanctitate divina, de moralitate divinam voluntatem antecedente, & similibus impugnabant. Qvoniam enim non noveram, qvæstiones Theologicas à Philosophicis discernere, nec aliqvis erat, qvi me ista doceret, & verò in commentatione Osiandrina, ac maximè in alio Viri laudati scripto, qvod inscripsit: *Typum legis naturæ*, istas doctrinas magno conatu defensas cognoveram, putabam, æternæ damnationis reum esse, qvi saltem de earum veritate dubitare auderet, & qvamvis non appareret, qvo pacto objectionibus Pufendorffii posset satisfieri, neqve responsiones eruditorum, cum qvibus datâ occasione eâ de re conferebam, satisfacerent ex asse, prævalebat tamen autoritas tot Virorum Venerandorum, ut stupiditatem potius ingenii mei accusarem, qvàm sinistri aliqvid de doctrina communi suspicarer.

§. 7. Per-

§. 7. Perduxerat me interea amor Juris naturalis, ut consensu Patris ex tribus facultatibus superioribus, Jurisprudentiam eligerem, eâ magis intentione, ut defectum philosophiæ hac parte supplerem, cum præter memorata vel Doctissimi BOECLERI Commentarius in Grotium ostenderet, hærere aqvam iis, qvi Jurisprudentiâ destituti ex sola philosophia, qvæ in Academiis docetur, Jus naturale pro dignitate eruere & explicare aggrediuntur. Jaciebam ergò ejus fundamenta qvædam utcunqve, & cum nullum ductorem haberem, qvi methodum præscriberet, seqvebar tritam viam, & modò hunc modò istum audiendo, comparabam notitiam potius aliqvam confusam & laceram, ac malè cohærentem, qvam prudentiam genuinam, nec melius res succedebat, cùm à meis in Academiam Viadrinam mitterer perficiendi ibi Juris studii causâ, non culpâ qvidem Præceptorum meorum, Virorum optimorum & singulorum sua laude fruentium, sed potius, qvod vulgata discendi methodus, secundum qvam à plurium Doctorum inter se non rarò diffidentium & diversis hypothesibus subnixorum ore simul pendere consvevit juventus, ad solidam doctrinam parum esset apta, qvodqve ut fieri solet, multas horas, qvæ studiis & auscultationi impendendæ fuissent, perderent sodales, & conversatio cum paribus.

§. 8. Sentiebam tamen ista citò, & vulgatum proverbium: *docendo discimus*, expendens, tentabam, an lacunas supplere, & studia sæpius interrupta concatenare valerem. Qvare concessa à superioribus benigni-

ter venia, prælegebam minimum commilitonibus qvibusdam institutiones Justinianæas, aliis verò exponebam Jani Klenckii qvæstiones ad libros Grotii, ut nimirum & in nobilissimo illo studio tentarem, qvid valerent humeri, qvidqve legendo Grotium & Pufendorffium profecissem.

§. 9. Eram adhuc dum industrius miles pro defendendis Moralistarum doctrinis, & qvamvis in reliqvis valdè placeret Pufendorffius, seponebam tamen ista, ut heterodoxa, in qva opinione me maximè firmabat fatalis ille auctoribus suis *novitatum index*, præprimis cum is à non paucis cum applausu exciperetur. Accedebant aliorum scripta, Pufendorffium tanqvam communem hostem oppugnantia. Gaudebam valdè, sperans fore, ut ex horum lectione discerem, qvid reponendum esset rationibus Pufendorffii, & qvanqvam multa deprehenderem, qvæ petebant id, qvod est in principio, aut in circulum resolverentur, seligebam tamen aliqva mihi, qvibus instructus putabam ipse sufficere ictibus pro communi causa & inferendis & avertendis, adeoqve maximas agebam gratias scriptoribus istis, qvod amore orthodoxæ veritatis perciti arma sumpserint, qvin & multitudo syllogismorum prolixorum sæpissimè, & intellectu difficilium, me trahebant simul in eorum admirationem, credebamqve fore, ut istis obrutus Pufendorffius, tanqvam sub gravissimo onere succumberet, & adversus tantos Viros ne hiscere qvidem auderet.

§. 10. Sed

§. 10. Sed fallebat me mea opinio, cum mox ad nos perferretur *Apologia Pufendorffii*, qvam cum perlegerem, sentiebam, arma mea non esse sufficientia, ut ejus impetum sustinerent. Incipiebam ferè eodem tempore dispellere nebulas qvasdam, qvæ hactenus intellectum meum obfuscaverant. Cùm enim hucusqve putassem omnia, qvæ a Theologis communi sententia defenderentur, esse Theologica, & viro bono omnibus modis cavendum esse, ne ulli homini hæreticus aut novator, qvæ tum pro synonymis habebam, audiret; meditatio tamen profundior de differentia Theologiæ & Philosophiæ, tum & diligentior evolutio scriptorum politicorum & Juris publici docuerant, multa à Theologis solere unanimi sententia defendi, qvæ Theologica non essent, sed ad Philosophiam Moralem, aut Jurisprudentiam pertinerent, pro Theologicis verò vulgo haberentur, qvod Philosophi Catalogo undecim virtutum Aristotelico, & JCti Glossatoribus suis contenti, Theologis, Pontificiis primum, tum & nostris ansam dederint nobilem sapientiæ partem neglectam & à Domino vacuam occupandi; tum & potestatem, hæreticum declarandi non pertinere ad privatos, etsi multæ autoritatis Viros, sed ad principem; Deniqve Novatoris convitium non correspondere crimini hæreseos, vel certè ejus æqvè ut Hæretici maximum esse abusum. Videbam autem Pufendorffium easdem sententias demonstrare Adversariis suis, videbam hos in falsis istis hypothesibus non minimam collocare spem victoriæ suæ.

§. 11. Er-

§. II. Ergo incipiebam dubitare de doctrinis moralibus Scholasticorum. Neqve enim unqvam in animo habueram ita præconceptis opinionibus adhærere, ut ab iis divelli non possem, si monstraretur veritas, qvin potius videbam, laudabili exemplo mihi plus unâ vice præivisse Patrem à prioribus suis opinionibus, si veriora ipsum docuisset dies superveniens, recedentem, qvæ verò mihi hactenus in prosecutione veritatis moram injecerant, potissimùm fuerant educatio in philosophia sectaria, & metus vanus atqve injustus malæ famæ, si qvis à communibus doctrinis recederet. Qvare cum insuper deprehenderem, maturescere aliqvatenus judicium, & cogitarem, me tamen esse animal ratione præditum æqvè ac alios homines, animadvertebam simul, peccare me contra benignitatem Creatoris, si ulterius paterer instar pecudis capistro injecto duci me, qvò aliis lubitum esset. Igitur claudebam mentis oculos, ne fulgur autoritatis humanæ illos debilitaret, & non amplius pensitando, qvalis vel qvantus ille sit, qvem legebam, ponderabam solùm rationes utrinqve, & considerabam, qvid hic assereret, ille impugnaret, probaret alter, alter regereret, præprimis verò imprimebam mihi firmiter controversiæ statum, & notabam, qvantum unus ejus tenax esset, alter instar angvillæ se torqveret, ut adversarium eluderet ac seduceret aliunde, donec concludebam multa mihi fore dediscenda, & sentiebam, me nihil scivisse, sed scientiam meam nihil fuisse aliud, qvàm confusum chaos & acervum multarum rerum sine ordine inter se mixtarum.

§. 12. Post-

§. 12. Postqvam verò aliqvot meditationibus chaos istud paulisper in ordinem redegissem, præter intentionem factus eram transfuga, sed qvalis ille est, qvi deserto tyranno libertatem Reipublicæ invadenti, pro libertatis defensione pugnare incipit; vicerant enim rationes perspicuæ contra subtilitates otiosas Philosophiæ moralis Scholasticæ. Adde qvod puderet, eorum vexilla ulterius seqvi, qvi, postqvam hoste absente multa jactassent, & penè classicum primi vel inter primos certè cecinissent, posteà, triariis qvibusdam ipsorum hortatu hostem aggredientibus, ac miserè pereuntibus, cum honestè ad pugnam vocati ac aliqvoties provocati essent, se post signa condebant, & ita vel timoris sui intempestivi, vel injustitiæ causæ dabant indicia. Deniqve horrebat animus, qvod viderem à qvibusdam, ad pascendas oves constitutis, sub schemate Christianæ Benedictionis virulentas injurias tegi, & cum anteà non vocati nec armis decentibus instructi prælio se immiscuissent, ac andabatarum more, qvicqvid in buccam venerat, evomuissent, ferre eos non posse, si vel minimum verbulum ipsis fuisset repositum, qvasi minister Verbi privilegium injuriandi haberet, & qvasi character sanctus immunitatem præstaret contra hostes, sine causa & cum ipsius characteris prostitutione, lacessitos. Veniebat tum in mentem, qvod olim nescio ubi legeram, mendicum aliqvem ab Episcopo iter faciente petiisse eleemosynas majores initio, tum his denegatis minores, & his qvoqve non obtentis minimas. Frustratus omni petitô petiit benedictionem. Dedit Episcopus.

Reddidit ille, causatus, qvod benedictio ipsa non valeret obulum, qvia obulum anteà licet effusis precibus conseqvi ab Episcopo non poterat.

§. 13. Ex isto tempore, excussô jugô philosophiæ sectariæ cavi sedulo, ut libertatem semel obtentam conservarem. Itaqve etsi non indecorum existimavi hactenus, sub Duce Illustri etiam in extremis ordinibus pro veritate militare, semper tamen Ducem agnovi, non Imperatorem, qvamvis bonus Dux ab Imperatore parum differat, qvatenus nempe à veritate rarissimè, & non nisi præter intentionem recedit. Qvid qvod, etsi putassem initio, ordine doctrinæ semel constitutô facilè eum retineri posse in perpetuum, sensi tamen mihi contigisse, qvod regulariter accidere solet, qvi res plures summâ confusione turbatas in aliqvem ordinem redigunt, ut nempe sæpius priorem ordinem corrigere & emendare habeant opus. Etenim pedetentim novos errores inveni emendandos, & adhuc novos subinde detego, qvoniam aliter non sinit humana imbecillitas.

§. 14. Percipiebam intereà fructus uberes excultæ tam nobilis doctrinæ. Etsi enim, qvamprimùm sentiebam, non cohærere, qvæ anteà credideram verius qvàm sciveram, cessarem aliqvo tempore aliis eandem exponere, tamen in patriam rediens, & ibi torpore pristino parumper excusso simul diligentius operam dans Jurisprudentiæ Civili, idqve docendo potissimùm, deprehendebam, me Jurisprudentiæ naturalis ope non ineptum adeò esse ad expediendam sine dedecore Pandecta-

dectarum etiam explicationem, etsi easdem nunqvam anteà integras audiendo percepissem. Etenim, ut alia taceam, cùm fortè leges obstantes occurrerent, tentabam in præparatione ante omnia, an ex regulis bonæ interpretationis ex Grotio & Pufendorffio haustis, ipse medium conciliandi reperire possem, tum consulebam alios, & si ipsos mecum convenientes deprehenderem, confirmabar; si dissentientes, comparabam cum meâ expositione, vel ipsos etiam inter se, iterum easdem interpretationis regulas applicando, & semper præjudicium autoritatis seqvestrando, sic ut nonnunqvam rejicerem conciliationem etsi a Bachovio profectam, & approbarem aliam etsi Manzii.

§. 15. Neqve in theoretica saltem legum interpretatione adjuvabar à jurisprudentia naturali, sed &, cum ad forum transtulissem pedem, ut tentarem jus ad facta singularia applicare, (sine qvo tentamine theoria cadaver est anima destitutum,) majorem adhuc usum ejus esse experiebar, cùm sane tot infinitæ circumstantiarum varietates, qvibus negotia hominum civilia vestiuntur, sæpissimè casum formant & facti speciem, qvi vel plane non legibus civilibus est definitus, vel ubi plures leges diversa disponentes concurrunt, unde si principiis communibus qvis destituatur, & regulis extendendi & restringendi leges latas, maximo sudore, non raró etiam frustrà opus habet tot myriades Consulentium, Respondentium, Decidentium ex Germania, Gallia, Italia, Hispania & toto pene terrarum orbe evolvere, donec casum inveniat, qvod ajunt, in ter-

minis, & periculum tamen subest, si maximè fuerit inventus, an collegium, ad qvod definitio causæ pertinet, eandem cum Decidente isto foveat sententiam, qvo labore plusqvam Herculeo supersedere facilè potest, qvi generalia illa & gentium cordibus inscripta fundamenta benejecit, simul verò periculum istud non difficulter aliis mediis, de qvibus jam disserendi locus non est, evitare.

§. 16. Retraxi tamen pedem post paucorum annorum spatium à strepitu forensi, cum putarem me sufficienter lustrasse doctrinam, Jus Civile ad negotia hominum applicandi,& qvicqvid præterea praxis commodi habet & incommodi. Et qvanqvam nossem, Hominem magis ad vitam civilem esse conditum, qvàm ad vitam solitariam, præprimis autem Juris Cultoribus præmii loco, propositam esse spem, ut legitimo opere perfecto Respublica in partibus ipsis credendis gubernari possit, cujusmodi gubernationis præludium qvasi & palæstra esse forum vulgò creditur; sensi tamen, inter forum & aulam tantam esse differentiam, qvantum distant æra lupinis. Etenim ut infinita taceam, qvæ hujus rei gratiâ in medium possem afferre, oportet esse ingenium ochlocratiæ aptissimum, qvod fori tædia patienter ferre potest; tale verò cum in me non deprehenderem (utpote qvi onera omnia lubentissimè fero, qvæ à principe imponuntur, DEO in his terris, in reliqvis dissimulandis paululum fui impatientior,) otium qværebam iterum in industria domestica, tranqvillitatem, qvam exoptabam, secum ferente, & cum

cùm crederem, ita ordinatas esse cogitationes meas, ut earum communicatio studiosæ juventuti commodum aliqvod afferre posset, & essent, qvi hâc parte operam desiderarent meam, incipiebam, me penè totum, Vobis, Commilitones Svavissimi, tradere.

§. 17. Præprimis autem operam dabam, ut fundamenta juris universi ex jure naturali haurienda & satis diu à Vobis in hac Academia neglecta restaurarem. Neqve, DEO secundante, successu caruit intentio mea. Ante septennium primum prælegebam utilissimam eam doctrinam ex opere Hugonis Grotii. Alacrioremqve me reddebat freqventia Vestra, qvam tum qvidem non expectaveram, sed vix tamen librô primo absoluto, cum præcedente die Corona Vestra circumdatus docueram, subito me solum relinqvebatis cum Grotio. Ita videlicet terror Panicus ingruentis pestis Vos expulerat à Tilietis nostris. Desperaveram ferè, (ita malè fidentes sunt hominum animi erga Divinam Clementiam,) me talem occasionem iterum adepturum esse; sed restituta per Dei benignitatem, patria, cum iterum metu omni vacui ad nos accederetis, telam per biennium interruptam retexebam, Vestro aurium favore & diligentia ad finem continuata adjutus. Conferebam tum cum Grotio præter Pufendorffium, omnes ejus commentatores, judicium meum semper subnectens in controversiis, secundum ductum libertatis philosophandi. Potissimum verò studebam, ut ambiguitatem textus Grotiani tollerem, & ne verbulum præteriret, qvod obscuritati ansam dare posset.

§. 18. Non displicuerat Vobis doctrina mea, qvemadmodum diligentia Vestra mihi non poterat non placere; Ergo absoluto Grotio non deerant, qvi repetitionem desiderarunt. Assurgebam petito, sed loco operis Grotiani proponebam elegantissimum Pufendorffii libellum de officio hominis & civis. Agnoscebatis enim ex parte ipsi, ut alias rationes jam taceam, qvot horæ anteà impensæ fuissent in investigatione mentis Grotianæ, qvod tempus in Autore perspicuo lucrari, & ad utiliora impendere poteramus. Qvoniam tamen de hypothesibus, de qvibus Viro Illustri motæ erant, & adhuc moventur, controversiæ, pleniorem historiam & notitiam scire cupiebatis, præmittebam fusiorem meditationem per aliqvot menses continuatam de iisdem, eamqve doctrinæ causa includebam considerationi jurisprudentiæ in genere. Agebam liberè Vobiscum, & sincerè: proponebam argumenta utriusqve partis, & anteqvam ἐπίκρισιν meam subjungerem, modò ab his, modò ab illis stabam partibus, ut adsvescerem Vos magis ad rationes attendere, qvàm autores sententiarum. Ostendebam fontes & originem vel occasionem doctrinarum, nexumqve conclusionum cum primis principiis, ex diversitate hypothesium variantibus, & incumbebam sedulò, ut in ipsis hypothesibus meis, meæ verò erant, qvibus disciplinam suam superstruxerat Ipse Pufendorffius, assertiones semper probarem per necessarias illationes ex primo principio practico, anteà secundùm regulas analyticas demonstrato. Tum textum Pufendorffii aggressus, &

& ipsius methodum κατὰ πόδα secutus non desinebam, & in controversiis specialibus semper Vobis in mentem revocare hypotheses utriusqve partis, & monstrare nexum conclusionum etiam remotarum cum iisdem, aliqvando etiam, sed rarius, indicabam, qvomodo vel aliâ viâ difficultates adversarum sententiarum evitari possint, vel qvænam major dubitandi ratio impelleret, ut libertate mea usus & communibus hypothesibus innixus, inclinarem in aliam opinionem.

§. 19. Cæterum, qvæ tum differebam, non conjeceram in chartam, sed prout memoria singulis lectionibus præmissæ meditationis alicujus mihi suppeditabat, Vobis communicabam. Et sperebam fore, ut à Vobis repetere possem, unde in posterum qvoqve memoriam meam sublevare valerem, præprimis cum viderem, aliqvot ex vestro ordine discursum meum avidè excipere calamo. Sed vix id perficere licuit; Observabam enim collatis inter se tribus vel qvatuor diligentiæ Vestræ exemplis, paucos ex asse doctrinam meam retinuisse, aliqvos, qvorum conditionem & judicii defectum maximè deplorabam, alienissimas mihi affinxisse sententias, & sæpius in una periodo opiniones contradictorias combinasse. Ergo cogitabam, qvomodo & hunc defectum in posterum emendare, ac ingenio Vestro suppetias ferre possem.

§. 20. Præterea observaveram jam notabili tempore, in divisione vulgata legum divinarum in morales, ceremoniales & forenses, sub legum moralium termino communiter misceri legem divinam naturalem

cum

cum lege divina positiva universali, qvasi lex moralis & jus naturale sint Synonyma, & qvasi nulla alia species legum divinarum positivarum detur, qvàm ceremonialis & forensis, cum tamen sine ope legis cujusdam universalis, qvæ simul positiva sit, necesse esset, orthodoxas sententias de turpitudine polygamiæ, prohibitione incestus &c. vel miserando more contra adversarios earundem prostituere, vel abstinere à decisione gravissimarum atqve utilissimarum controversiarum. Et qvamvis Hugo Grotius distinctionem istam legis divinæ satis perspicuè proposuerit, non solùm tamen in legis positivæ universalis declaratione non paucos errores heterodoxos admiscuit, sed & non semper confusionem istius legis cum lege naturali evitavit. Ex nostris verò, qvantum Dominos Theologos concernit, neminem deprehendi, qvi de distinctione illa inter legem naturalem & positivam universalem ex professo, qvod dicunt, tractaverit, aut legem positivam universalem, qvantum par erat, exposuerit, & qvænam præcepta eò pertineant, explicaverit, etsi plures, ex modernis potissimum, qvi Theologiam Moralem ediderunt, evolverim. Qvod JureConsultos attinet, altum apud eos etiam eâ de re est silentium, nisi qvod Consultissimus Kulpisius in collegio Grotiano, ubi qvæstionem de polygamia resolvit, promiserit, se peculiari tractatu demonstraturum esse, dari ejusmodi legem positivam universalem, qvem avidè qvidem expectabam, multa erudita hanc in partem ex lectione accurati istius Collegii Grotiani à Viro laudato mihi promittens,

tens, qvæ lucem mihi accendere, aut me in meditationibus ſuper illo jure poſitivo multum adjuvare potuiſſent. Qvoniam verò Vir Nobiliſſimus promiſſum expedire urgentibus haud dubiè aliis negotiis differret, putabam, piaculum me neqvaqvam eſſe commiſſurum, ſi ego, etſi nec Theologus nec JureConſultus, legum divinarum tamen & jurisprudentiæ amantiſſimus, in gratiam Veſtram primus legem poſitivam univerſalem ſi non ex tenebris, ex crepuſculo tamen eruere auderem, ſperans fore, ut ſi non omnia accuratiſſimè propoſiturus eſſem, alii tamen æqvi boniqve conatum meum conſulturi & anſam arrepturi ſint materiam difficilem, & Theologis pariter & Jureconſultis digniſſimam accuratius evolvendi.

§. 21. Qvare cum ex Veſtro ordine qvidam præcedente anno à me deſiderarent, ut doctrinam juris naturalis repeterem, & qvæ anteà per diſcurſum de confirmatione hypotheſium Pufendorffianarum, de obſervationibus itidem meis ad libellum de officio hominis & civis aliis tradideram, ipſis per poſitiones in chartam conjectas communicarem, oportunitatem arripiens, cœpi præſentes jurisprudentiæ divinæ inſtitutiones elaborare, qvarum adeò duplex potiſſimum ſcopus fuit, *Primò*, ut præmiſsâ doctrinâ generali controverſias circa hypotheſes Pufendorffianas, methodo, qvam Vobis aptiſſimum eſſe judicabam, exponerem, & iſtas hypotheſes tanqvam & meas defenderem, tum ut concluſionum ſecundum Pufendorffii, raro ſecundum meam ſententiam in ſingulis juris naturalis capitibus

C ne-

nexum cum hypothesibus & primis principiis practicis perspicuè demonstrarem, & ita introductionem qvandam Vobis exhiberem, ad absolutissimum & multa sapientia refertum illustris Viri opus de jure Naturæ & Gentium cum fructu legendum, sic, ut ejus adversarii & eorum scripta circulos vestros turbare amplius non possent. *Secundò*, ut distinctissimè ostenderem differentias juris positivi universalis à jure naturali, ac præcepta illius, qvatenus eorum explicatio ad Jurisprudentiam qvoqve pertinet, in doctrina de conjugio & capite de pœnis illustrarem.

§. 22. Ante omnia verò opus esse mihi videbatur, ut perpetua ratiocinatione hic uterer, & nullos autores præprimis ex modernis in textu allegarem, & ne ipsum qvidem τὸν πάνυ Pufendorffium. Qvoniam enim probè noveram, qvam soleant præconceptæ opiniones impedire consecutionem veritatis, & verò inter eas nulla magis noceat, qvàm autoritatis præjudicium, putabam, Vobis esse utilissimum, si hoc præjudicium removerem, ne si fortè Pufendorffii autoritas in ejus partes jam inclinasset, non attenderetis debitâ diligentiâ ad argumenta adversariorum; aut, si horum illecebræ Vobis placuissent magis, viam præcluderetis ponderibus responsionum, & rationibus ab ipsamet Vestra essentia desumptis. Accedebat, qvod Vestram industriam excitare volebam, ut ipsi magna diligentia perlegeretis opus Pufendorffianum, credens fore, ut si loca non citarem, Vos eo majori cura ipsi perlustraturi idem, & cum meis institutionibus collaturi essetis. Porrò cum sæpius à sententia

com-

communi Virorum magnorum, aut à ſententia etiam peculiari Viri autoritate pollentis mihi recedendum foret, & tamen intentio mea eſſet, ſine reſpectu perſonarum in nudam veritatem inqvirere, & cum ſententiis pugnare, non cum hominibus, nolebam per allegationem eorum, à qvibus diſſentiebam, reverentiæ ipſis debitæ qvicqvam detrahere.

§. 23. Reliqvam methodum qvod concernit, ſcio eqvidem multa in ſcholis diſputari de methodo ſynthetica & analytica, otiosè magis qvàm utiliter, ſiqvidem unam tantum arbitror eſſe methodùm bonam, à facilioribus progredi ad difficiliora, à notioribus ad ignota, reliqva dependere à cujuslibet arbitrio, & hactenus rectè dici, methodum debere eſſe arbitrariam. Deinde nec id videtur diffitendum eſſe, cum omnis eruditio noſtra conſiſtat in notitia demonſtrandi veras propoſitiones & nexum earum inter ſe oſtendendi, propoſitionum autem veritas præſupponat cognitionem terminorum, naturaliſſimam methodum videri, qvæ mathematica dicitur à definitionibus progrediens ad axiomata, & ex his obſervationes colligens, ſecundum qvam etiam elementa ſua olim ordinavit Pufendorffius. Qvoniam verò ad ſingulas propoſitiones ſaltem duo termini pertinent, adeoqve aliqvod tædium parere ſolet, ſi omnium terminorum definitiones continua ſerie tradantur, ac porrò propoſitionum connexio non ita bene videatur oſtendi poſſe, ſi plura axiomata in una linea proponantur, putavi, iſta duo incommoda commodiſſimè me evitare poſſe, ſi definitiones & axiomata miſce-

rem, & ſingulis propoſitionibus ſubjecti & prædicati definitiones præmitterem vel mox ſubjungerem, ipſa autem axiomata perſpicuè connecterem, incipiendo à primo aliqvo principio, ac inde deducendo reliqva per modum concluſionum.

§. 24. In *tres* verò *libros* Inſtitutiones has diviſi, in qvarum PRIMO propoſui definitionem Jurisprudentiæ divinæ & doctrinam de primo principio practico, ut & primum principium Juris naturalis & poſitivi divini univerſalis, cui per modum corollarii qvaſi ſubjunxi demonſtrationem, qvod officium hominis erga Deum ad Jurisprudentiam divinam non pertineat. In SECUNDO libro trado præcepta juris naturalis reſpicientia homines qvoscunqve in qvacunqve ſocietate viventes; In TERTIO verò præcepta illa juris naturalis, qvæ dirigunt officia hominis intuitu ſpecialium ſocietatum, puta conjugalis, paternæ, herilis, civilis, fœderatorum & gentium. *Connexionem capitum* oſtendent fere eorum initia, & in libro ſecundo & tertio maximam partem ſecutus ſum ordinem Puſendorffii in libro de officio hominis & civis. Dico maximam partem, nam qvæ mutaverim qvandoqve, facilè docebit ocularis inſpectio.

§. 25. Uti autem in totis Inſtitutionibus præ oculis habui opus PUFENDORFFII, & ejus ſcripta reliqva pro ejus defenſione edita, ita non mirabimini, ſi ſæpius integras poſitiones, ne verbulo qvidem mutatas, ab ipſo mutuatas, hic deprehenderitis. Reqvirebat enim id inſtituti mei ratio, qvam modò Vobis explicui. Sunt verò & aliqva in his inſtitutionibus MEA, qvæ, cum alienis con-

continuò miſcuerim, neceſſe eſt, ut Vir Incomparabilis citra ſuam voluntatem etiam mecum in communionem inciderit, qvam tamen neſcio, an æqvô animô ſuſcepturus ſit, & annon potius jure ſuo communi dividundo judicium ſit deſideraturus. Sed hoc qvidem ipſi non erit opus, cùm paratus ſim ſine judice, æqvis ex partibus inſtitutiones meas herciſcere, ſic ut ipſi ſoli relinqvam, qvæ bene in iis dicta ſunt, etiamſi mea ſint, qvoniam ejus ſcripta & hypotheſes ad eorum inveſtigationem me duxerunt, qvæ verò inconvenienter & minus aptè poſita ibidem deprehenduntur, ea ſola mihi reſervabo.

§. 26. Non diffiteor tamen, & aliorum Eruditorum cogitationibus me qvandoqve fuiſſe uſum, qvibus & ipſis reſtituendum eſt, qvod illis debetur, & vobis indicandum, qvos hinc inde lectioni inſtitutionum mearum inſuper adjungere debeatis. In *libr. 2. cap. 6. 7. & 8.* evolvi diligenter *Uffelmanni tractatum eruditum de obligatione hominis, qvæ ex ſermone oritur*, ante non ita multos annos in Academia Julia editum, atqve ex eo *in cap 6. de officio paciſcentium* §. 64. tranſtuli argumenta, qvibus ſententiam Pufendorfii de defectu obigationis in pacto cum latrone inito, impugnat, & in ſeqventibus oſtendi, qvàm facilè ad eadem pro ſententia illuſtris Pufendorffii, reſponderi qveat, *in capite 7.* verò *de officio hominis circa ſermonem*, it. *in 8. de officio jurantium*, multa ex dicto Uffelm. libro, libertate tamen aliter diſponendi ac ſentiendi reſervatâ, in horrea mea tranſtuli. In *ejusdem libri capite ultimo de Interpretatione voluntatis divinæ*

& humana multum me adjuvit etiam disputatio accuratè elaborata *de interpretatione juris obscuri, & sub præsidio Consultissimi Rebhahnii in Academia Argentoratensi anno 1671. publicè ventilata. In libro tertio capite secundo de officiis conjugalibus* sæpius ansam multa profundius meditandi suppeditavit lectio *Lamberti Velthuysii de naturali pudore & dignitate hominis, item de principiis justi & decori, qvi tractatus in ejus operibus Roterod. 1680. editis extant*, qviq; potissimum cum iis, qvæ dissero *d. c. 2. §. 153. seqq.* sunt conferendi. *Caput tertium ejusdem libri* mihi natum fuit ex recordatione lectionis controversiarum illustrium per varia variorum scripta circa sensum legis divinæ in officiis conjugalibus agitatarum, de *Polygamia qvidem Sinceri Warenbergii, Theophili Alethæi, Athanasii Vincentii, Daphnæi Arcuarii* pro polygamia militantibus; contra eandem *Musæi, Christiani Vigilis, Slüteri, Feltmanni, Brunsmanni, Diecmanni &c. de Conjugio Eunuchorum; responsorum* variorum, qvæ hanc in rem *Hieronymus Delphinus* ante biennium collegit; de *divortiis; Seldeni de Uxore Hebraica lib. 3. cap. 18. & mult. seqq. & Strauchii in fragmento Inst. Jur. publ. tit. 35. de incestu cum defunctæ uxoris sorore; Havemanni, Taboris, Strauchii, Bucholzii, & Actorum Oettingensium editoris, de incestu comprivignorum; Samuelis Bohlii & ejus adversariorum &c. Cum qvarto capite d. libri tertii §. 14. seqq.* conjungenda est *disputatio B. Patris de potestate patria*, qvoniam ibidem intendi defendere sententiam Patris, societatem paternam ex consensu deduci non posse. *In capite 9. & 10. de officiis erga legatos & mortuos*

con-

conferri debent *Grotii lib. 2 c. 18. & 19. cum commentatoribus, & omnino B. Patris alia disputatio de inviolabilitate legatorum.*

§. 27. Qvamvis autem putabam initio, fore, ut intentio mea optima, qvam Vobis huc usqve exposui, æqvi boniqve consuleretur ab omnibus, qvi studia & bonas literas amant, & inqvisitionem veritatis proseqvuntur, deprehendi tamen, me vivere in seculo, in qvo non pauci deprehenduntur, qvi sui officii esse arbitrantur, libertati philosophandi obviam ire, obices ponere, impedimenta objicere, cancellos circumdare, qvibus effringendis nulla par fuerit humana prudentia, qvoniam videlicet sentiunt probe, libertate ista philosophandi nimium qvantum detrahi autoritati sectariorum, cum olim qvidem cathedræ philosophorum adversus molimina, cum ratione liberè philosophantium, utcunq; munita fuerint autoritate Aristotelis aut similis cujuspiam priscorum sapientum nominis, puta Alberti, Thomæ, Scoti &c. hodie verò istud propugnaculum Aristotelicum penitus expugnatum sit, adeoqve novo aliqvo glaucomate ad defendendam Regiam Veterum Magistrorum doctrinam opus esse videatur. *Vide omninò D. Val. Alb. Epist. præmissam Diss. de Philosophiâ Christ.* Atq; cum rationibus destituantur, qvibus propugnaculum istud exornent, rem non melius procedere posse putant, qvam si sub specie religionis se qvæcunqve faciunt, Deo duce, facere & pro defensione pietatis militare populo persvadeant, adversariosq; suos ut atheos, hæreticos, impios & Novatores traducant, non recordati, videlicet qvod *Apologia Augustana Confessionis ad*

art.

art.4.p.m.286. de Hypocritis profitetur, eos magis sectari impietatem & vitia cujuscunqve generis, qvàm illos, qvos impios esse diffamant.

§. 28. Qvare non adeò miratus sum, cum audirem, eo tempore, qvo liber primus Institutionum harum in publicum prodiret, varias de iis censuras in populum spargi, qvas inter illa, ut nostis, maximam partem divulgabatur, me in iis fundamenti loco ponere principia, qvæ Vobis ad *Atheismum*, *heterodoxiam*, & nescio, qvam *impietatem* viam sternant, qvæqve omnia *Philosophiam* aliqvam *Novaturientem* cum non parvo Reipublicæ damno sapiant, qvæ calumnia tam latè se diffundebat, ut in plurimis fœminarum, puerperas visitantium, conventibus pro more, sermones de ea haberentur. Ego verò generoso contemptu calumniam hanc apertissimam ridebam, & qvamvis aliqvis ex Vobis mihi hinc inde narraret, esse qvosdam, qvi insidias mihi hac parte struerent, tamen in mediis illorum turbis qvietus ego & conscientiâ vitæ pariter & doctrinæ tutus vivebam, probè gnarus, me sub Principe Justo degere, qvi innocentibus securitatem præstare & posset & vellet; ac ne qvidem curiositas me impellebat, ut autorem satis horrendæ istius calumniæ scire cuperem, uti neqve nunc scire aveo, sed potius, qvisqvis sit, omnia fausta atqve felicia ipsi animitus exopto; ita enim me non solum Christianismus facere jubet, sed & studium sanæ philosophiæ aliqvatenus inculcat, atqve exempla aliorum moderatè & absqve impetu philosophantium docent, qvos inter præcipuum nomino *Renatum des*

Car-

Cartes, qvem ipse primarum objectionum adversus Meditationes ejusdem Autor virum ingenii maximi, *summæq; modestiæ* appellat. Et sane qvoties *Gisberti Voetii*, Viri aliàs multæ eruditionis, libros, qvos adversus Cartesium scripsit, evolvo, & iterum *Epistolam Cartesii ad Voetium responsoriam* cum illis confero, toties (de modo tractandi loqvor, non de re) ideam concipio duorum virorum maxime disparium, unam Theologi, sed fastuosissimi & maxime maledici, Politici alteram, sed placidissimi, & maledicta pleraqve generose concoqventis.

§. 29. Uti verò communiter in præfationibus ZOILUS vel MOMUS impugnari consvevit etiam, ubi nullus Momus adest, ita ego egregiam occasionem nactus, possem multam evomere bilem in Zoilos, nisi semper illius fuissem opinionis, ejusmodi invectivas esse indicia animi parum sani, certe impotentis. Accedit, qvod calumnia ista in me jacta mox evanuerit; neqve enim mendacia diu durare possunt, similia globis niveis, volutatione hominum nimium qvantum crescentibus, sed Solis radiis accedentibus facile redactis in nihilum. Deniqve nec opus videbatur invectivâ, cum institutiones meæ prostent, & calumniam istam ipsæ refutent, qvas adeo omnium eruditorum censuræ subjicio, sed verè talium, reliqvorum enim, qvi doctrina sunt vacui, vel ultra scholam & artes liberales non sapiunt, censuram sperno, etsi opinione simulatæ philosophiæ ad ora usqve repleti sint & turgidi.

§. 30. Vestrâ tamen, Auditores, interesse arbitror, ut tanqvam medio inter utrosqve loco positi, sciatis,

tis, qvid in culpationibus istis responderi velim, sicubi contingat eâ de re in conversationibus familiaribus, ut fieri solet, mentionem injici, qvanqvam velim, ut occasiones istas, qvantum possibile est, evitetis, & ipsimet ejusmodi altercationum ansam non suppeditetis, cum nihil sit magis pedanticum, & qvod hominem ad vitam civilem reddat ineptum, qvam si sit animal disputax in qvotidiana conversatione, neqve ferre possit dissentientes, uti ex adverso ejusdem pedantismi vitio laborat, qvi in cathedra publica disputandi gratia erecta ægrè fert objectiones ex lege artis propositas, ad qvas respondere neqvit, & tamen errorem admissum fateri erubescit. Sed qvoniam tamen non semper in nostra potestate est, etiam inter familiares omninò evitare altercationes, vel certè non audire, qvæ forte unus & alter garrit, minimum interesse Vestrum, & ne turbentur circuli vestri in doctrina à me hausta, poscit, ut fusius paulo ea de re disseram.

§. 31. Qvod igitur *atheismi* vitium attinet, nihil aliud vellem reponi, qvàm ocularem inspectionem eorum, qvæ trado *libro primo cap. 3. §. 85. seqq.* ubi ostendo, atheismum repugnare directè principiis à me demonstratis. *Haresin* verò qvod concernit, ut illi qvidem maximè obstrictus vivam, qvi thesin aliqvam mihi demonstrabit ex his institutionibus, qvæ scripturæ sacræ & fidei, qvam profitemur, articulis repugnet; Insuper ad Vos provoco, qvi me qvotidie Jurisprudentiam & Philosophiam exponere auditis, an unqvam aliqvam sententiam professus fuerim, qvæ sacris fidei nostræ

my-

mysteriis adversetur, annon potius in id omnibus incumbam viribus, ut exactè limites, qvæ Sacrosanctam Theologiam & Sapientiam humanam discernunt, custodiantur, Vobisqve ex historia philosophica omnium seculorum demonstrem, qvantas turbas dederit in Ecclesia Philosophiæ cum Theologia commixtio. Sed qvid verbis opus? An putatis Reverendos Acad. nostræ Theologos, vel qvoscunq; alios, qvibus inspectio doctrinarum s. privatarum s. publicarum est commissa, admissuros esse, ut doctrina heterodoxa divulgetur, & animos Vestros corrumpat? Absit. Id tamen non diffiteor, & Vobis sæpius demonstravi, multas qvæstiones & assertiones esse, qvibus Theologi communiter utuntur, qvæ tamen, si exacte mediteris, proprie loqvendo non sint Theologicæ, sed Philosophicæ, vel Juridicæ; qvod verò pro Theologicis communiter habeantur, maximam partem deberi Theologiæ Scholasticæ, qvæ in detrimentum inemendabile philosophiam ita cum Theologia contra monitum Pauli confudit, & rudem inde indigestamqve molem, unô verbô, informe chaos qvoddam effecit, tùm etiam neglectui Philosophorum & JureConsultorum ante reformationem elegantiora studia negligentium, & ita Theologis Pontificiis occasionem dantium occupandi rem derelictam, qvale qvid Jurisprudentiæ naturali contigit, uti subinde in institutionibus ipsis tango, cùm tamen Jurisprudentia naturalis & Gentium ac Theologia omninò differant, qvod probavi *lib. 1. c. 1. §. 163. seqq. & c. 2. §. 137. seqq.* Facit egregie pro illustratione sententiæ meæ, qvod ex Hispaniæ

metropoli nobis retulerunt non ita pridem Novellæ. Man vermuthet / daß der Holländische Extraordinar Envoye satisfaction wider die inqvisition über die vor diesem in seinem Hause verübte Insolentien wegen des Herrn Chares bekommen soll / weil selbige durchgehends von allen hohen Ministern improbiret worden / zumahl der Herr de Lyra selber gesagt hat / daß die inqvisitores Leute wären / welche die Theologie verstünden / aber nicht das Recht der Völcker / und bey sothaner consequence nicht wüsten / was einem publiqven Minister zukömmt. Neqve illud dissimulo, me credere, qvod potestas hæreticum declarandi non competat privatis, neqve ad clerum pertineat, sed sit regale, & pertineat ad jura principis circa sacra, etsi hoc regale à principe Christiano secundum normam verbi divini debeat ordinari. Ita video, observatum esse in primitiva Ecclesia & primis Conciliis Oecumenicis. Ita docent me principia genuina Politices. Credo insuper, qvod ad officium boni civis in Imperio Romano-Germanico pertineat, in religiones, qvæ in eo tolerantur, neqve publice neqve privatim verba contumeliosa jacere, qvia hoc me docuit instrumentum pacis: Credo porro, regulas de officiis boni civis pertinere ad clerum etiam: Credo, illam doctrinam non repugnare Verbo divino: Credo, principem jure suo uti, si refragantes & Zelo aliqvo intempestivo subnixos justis pœnis coerceat: Credo, qvod placida via magis faciat ad convertendos adversarios in Ecclesia, qvam importuna illa, & qvæ injuriis verbalibus est instructa &c. In qvibus omnibus si heterodo-

xum

xum qvid ſubſit, lubentiſſimè feram cenſuram eorum, qvibus hæc poteſtas competit.

§. 32. Pergo ad *impietatem*, cujus notam audio illam circumferri, qvod ſubinde diſſentiam & ſcabiosè qvidem, à patre meo νῦν ἐν ἁγίοις, unde Non nemo iſtam illationem fecit, me non curare leges divinas, ſed velle, ut omnes eæ ex ſacris Bibliis eſſent eradicatæ. Naſutum profectò argumentum, & qvod multis modis impingit in Logicam. Fateor, diſſentio qvandoqve à patre, ſed Catechiſmus qvidem meus me docet, qvod ſalva conſcientia id facere poſſim, & non repugnante 4to præcepto. Qvod ſi id aliqvis eò extendere velit, ac ſi honor & reverentia parentibus debita etiam includeret adulatoriam qvandam veritatis, qvam non autoritas, ſed recta ratio dirigit, abnegationem, is vereor, ne exſibiletur à Catechumenis. Qvod verò ſcabiosè ſentiam de Patre, falſum eſt, & imò mendacium. Provoco ad Vos omnes, an unqvam, qvoties diſſenſum meum doctrinæ gratia Vobis indicavi, verbulum protulerim, qvod in contumeliam Patris Optimi trahi potuerit. Sicubi fieri poteſt illæsâ fidelitate informationis, diſſimulo nomen Patris aut aliorum, qvibus reverentiam debeo, ut ſuprà monui. Verum eſt, me hinc inde non magnificè ſentire de doctrinis qvibusdam Peripateticorum communibus, qvod deprehenderim, eas nulla ratione firma niti; verum eſt etiam, & agnoſco, me nonnunqvam hac parte provocaſſe in diſcurſu ad ſcripta philoſophica Patris tanqvam optimi interpretis, qvem ego qvidem evolvi, philoſophiæ Peripateticæ, ſed tum qvi-

dem controversia mihi cum Patre non magis intercessit, qvam in judicio controversia est inter actorem & procuratorem rei, præprimis cum ipse B. Pater in multis doctrinam communem deseruerit, melioribus rationibus instructus, non solum in scriptis publicè editis, sed & adhuc in MSS. ineditis, ut forte in seqventibus exemplum afferemus, adeoqve hac parte laudabili exemplo mihi præiverit.

§. 33. Restat *Novatoris* convitium, qvod apud veræ sapientiæ asseclas ferè contemnitur, cum gloriæ potius ducendum sit, si qvis non alienis oculis omnia cernere velit, sed ex propria ratione ab aliis prætervisa detegat, ab aliis non rectè dicta emendet. Est hoc proprium Philosophiæ Eclecticæ, qvam seqvor. Hujus autem præstantiam præ philosophia sectaria erudita dissertatione demonstravit *Johannes Christophorus Sturmius, præmissa ipsius tractatui de Philosophia Eclectica, qvi præcedenti anno publicam lucem aspexit*: At hanc nemo Sectariorum, & qvi ex antiqvitate divam faciunt, refutavit, neqve enim possunt, ut alia occasione Vobis demonstravi. Multa igitur nova amplector, multa nova rejicio, multa ipse innovo libertate philosophandi usus & rationem ducem secutus, cui videlicet nec sordent nova, nec inepta videntur antiqva. Qvod si retorsione uti placeret, apposite usurpare possem acutum Epigramma Excellentis apud nos, tam qvoad vitam, qvàm doctrinam Theologi, & elegantissimi pariter Poetæ, qvo non ita pridem publicè disputantes qvosdam honoravit:

Sem-

Errores qvisqvis Patrum cupit ore tueri,
Semper & antiqvum, qvod docet, esse crepat,
Ille Novatorum reliqvos dum nomine carpit
In Veteratorum classe locandus erit.

Scio qvidem, in rebus Theologicis non facilè aliqvid innovandum esse, etiamsi eadem ritè exposita defendi possint, ne ullo modo pax Ecclesiastica turbetur. At hac in significatione me qvicqvam novasse, modò negavi, & institutiones meas publicæ censuræ submisi.

§. 34. Dedit tamen ista calumnia mihi occasionem, cum perspicerem, ex concisa brevitate, qvam in primo libro adhibui, aliqvos ansam arripuisse verba mea in alienum sensum torqvendi, ut non solum in libro secundo & tertio mentem meam prolixiùs, qvam initio constitueram, sed & de iis, qvæ in libro primo posita erant, cum amicis qvibusdam & Viris, qvos ob summum pietatis, virtutis verè Theologicæ, studium, veneror, privatim conferrem, petens, ut, si qvædam ibi deprehenderent, qvæ analogiæ fidei adversa sint, vel, ut talia videri possint, aut ambiguè posita in pravum sensum detorqveri, vel novitatem aliqvam doctrinæ sacræ periculosam foveant, de istis me monerent in tempore, & petito meo iidem plus qvam amice satisfecerunt, objectiones aliqvas adversus ibidem posita placide mecum communicando, qvas, uti debita gratiarum actione suscepi, ita non possum non qvin pro Vestra informatione ea, qvæ inde, ut & ex propriis perlectionibus secundis istius libri primi, mihi venerunt in mentem ad explicationem obscurius ibi dictorum, &

cor-

corroborationem ſententiarum qvarundam dubiarum facientia Vos faciam participes, idqve, qvantum fieri poterit breviſſimis, & ſecundum iſtam normam, ut vel convenienti expoſitione mentis meæ objectionem evitare Vos doceam, vel oſtendam, ſententiam, qvam defendi, ſi forte nova ſit, non eſſe tamen theologicam, aut non novam etiam, ſed autoritatibus Virorum omni exceptione majorum & plerumqve Theologorum noſtratium ſubnixam, etſi non adeò communem.

§. 35. *Cap. 1. §. 3. ſeqq.* trado diviſionem habituum multum emendatam & correctam, *&* §. 22. *ibidem* communem Peripateticorum doctrinam hac parte infinitis ſcatere erroribus aſſero, neqve nunc qvicqvam muto. Sed iſta qvidem doctrina haud dubie Theologica non eſt, imo nec nova. Etſi enim tum temporis arbitrarer, in plerisqve primum me errores iſtos detegiſſe, cùm non niſi iſtum nævum, qvo Metaphyſica Scholaſticorum Sapientiæ titulo ab ipſis inſignitur, cùm tamen nihil ſit aliud, qvàm lexicon terminorum, qvorum multi non ad Sophiam, ſed ad Sophiſticen utiles ſunt, à Patre meo in Hiſtoria Metaph., ipſius qvæſtionibus annexa, ut & aliū, qvod intelligentia referatur inter habitus theoreticos ab eodem in annotationibus ad philoſophiam practicam, obſervatum eſſe recordarer, deprehendi tamen nuperrime aliud agens, elegantem meditationem in MSS. B. Patris, qvæ doceret jam anno 60. eidem fere & reliqva, qvæ in diviſione habituum vulgari obſervaveram, fuiſſe notata, qvo pacto mihi gratulabar de ſimilitudine cogitationum cum Patre.

Pro-

Prolixior pauloiſta meditatio eſt, qvam ut convenienter procemio huic noſtro poſſit inſeri. Illuſtrabitur tamen doctrina mea, ſi mentem ejus in ſummam collectam exhibuero, & qvomodo ipſe in habituum diviſione velit procedere. *Virtutum*, ait, *alia intellectualis eſt, alia voluntaria; intellectualium alia ſimplex, ſcilicet intelligentia, qvæ eſt principiorum Theoreticorum pariter & practicorum, alia compoſita, eaq; vel Theoretica, Sapientia ſcilicet & Scientia; vel Practica, nempe prudentia, directrix Moralium, & ſolertia, directrix Artificialium. Voluntaria eſt vel Moralis, cujus ſubjectum ſecundarium eſt appetitus ſenſitivus concupiſcibilis vel iraſcibilis, vel artificialis ſeu ars, cujus ſubjectum ſecundarium eſt locomotiva animi vel corporis.*

§. 36. Illa tamen obſervatio, qvantum ſcio, mea eſt, qva *eodem cap. 1. §* 23. detego craſſum & Theologiæ Chriſtianæ adverſum errorem de differentia habituum Theoreticorum & practicorum: cui lucem affundet *diſſertatio 5. & 6. Maximi Tyrii Philoſophi Platonici*, qvas pro præſtantia Philoſophiæ Theoreticæ præ Practica conſcripſit, ſiqvidem multas ibi deprehendes rationes, qvæ hypotheſin iſtam ethnicam de eſſentia DEI ſpeculativa & appropinqvatione hominis ad DEUM per Philoſophiam Theoreticam, ſapiunt. Jam recordor eqvidem, inter orationes B. Patris extare aliqvam *21. ordine*, qva & ipſe præſtantiam Theoreticæ vitæ defendit. Sed tantum abeſt, ut à me reipſa diſſentiat, ut potius dicta mea in multis confirmet. Scopus orationis iſtius eſt, ut præſtantiam Theoreticæ vitæ demonſtret ex prærogativa primæ tabulæ Decalogi præ ſecunda. Hanc præ-

rogativam utiqve non negamus, negamus verò, primam tabulam pertinere ad vitam Theoreticam, adeoqve dissentimus in terminis. Cum enim totus Decalogus disponat de officiis humanis, de his verò planè non tractet Philosophia Theoretica sed practica, utiqve & officia hominis erga Deum ad praxin spectabunt, non ad nudam theoriam. Qvæ verò in dicta oratione prolixè præmisit B. pater de opinione philosophorum Ethnicorum, qvoad præstantiam philosophiæ Theoreticæ præ practica, nimium qvantum confirmant ea qvæ posuimus *d. c 1. § 24. seqq.*

§. 37. Id verò explicationis alicujus indiget, qvod dixi *d. §. 24. in fine: falsam esse opinionem Gentilium, statuentium, DEI essentiam consistere in contemplatione*, intellige nuda, & qvæ ne qvidem pro fine habeat actionem aliqvam. Unde cave, ne verba mea cavilleris, inferendo forte, qvod statuam, essentiam DEI consistere in actione externa, ac ita ex Scylla incidas in Charybdin, & istum errorem Gentilium, qvi DEUM ex necessitate qvadam alligarunt ab æterno ad congressum cum materia prima. Nam, ut alia taceam, procederet qvidem hoc argumentum, si DEUS homo esset. Nunc cum DEI essentia infinitis modis excedat, ne qvidẽ inferre posses (si negassem omninò contemplationem de DEO, qvod tamen ut vides, non feci,) à negatione contemplationis ad positionem actionis, qvemadmodum v. g. non poteris inferre, si qvis neget lapidem videre, qvod statuat, lapidem esse cœcum. Uti enim inter videre & cœcum esse scio dari tertium, non videre, qvod de lapide

ob

ob imperfectionem suam prædicari possit; ita sentio, inter contemplationem & actionem humanam in DEO dari posse tertium aliqvod, qvod ob summam ejus perfectionem ignoro. Neqve enim scio, scriptura adjutus, essentiam DEI, sed admiror, & ea, qvæ scriptura hac de re mihi revelavit, sine scientia philosophica credo. Qvod si tamen more humano de infinita DEI essentia loqvi licet, placent omninò verba Patris dicta oratione p. 504. seqq. *Felix Deus est non contemplando tantùm, sed etiam agendo (nihil enim ipsi molestiarum, Numini potentissimo & simplicissimo, creant vel uno momento subeunda negotia infinita.) Suo beneficio DEUS beatus est, non alieno. Nos contrà, qvicqvid habemus boni, DEO debemus, non nobis. Qvid autem sumus? vermiculi, si cum divina Majestate comparemur.*

§. 38. *Eod. c. 1. §. 29.* dum dico: *Legem semper obligare, pactum nunqvam*, non is sensus est; ac si duorum vel plurium consensum non seqvatur obligatio, (qvod ipsum tamen, & qvod promissis obligemur, multoties inculcat scriptura) contrarium enim prolixè declaro *in cap. 7. l. II. de fide servandâ;* sed id volo; obligationem, qvæ pactum seqvitur, non oriri ex ipso consensu, sed ex voluntate legislatoris, servationem promissorum jubentis. Hinc statim subjungo, *legem obligare mediante pacto.* Feci autem istud, ut fortius contradicerem qvibusdam, qvi ultimò vim obligationis ex pacto deducunt, qvos inter, nî fallor, Hobbesius est præcipuus, simul ut contradicerem ex parte Grotio, leges naturales etiam obligaturas fuisse, asserenti, etiamsi ponamus,

 Deum

Deum non esse &c. Qvodsi tamen malis, locô phraseos, *qvod lex obliget aliqvando mediante pacto*, usurpare aliam, *qvod pactum obliget vigore legis*, non repugnabo, qvia inter has duas phrases nullam differentiam interesse opinor, siqvidem utraqve intendit, legem qvidem citra pactum posse obligare, sed pactum non obligare, si tollas legislatorem.

§. 39. *In §. 31. ejusd. cap.* dico, qvod lex æterna sit figmentum Scholasticorum, ubi non respicio rem sub hoc termino denotatam, sive per eam intelligant justitiam divinam seu totum naturæ ordinem divina voluntate & decretô institutum. Qvis enim hæc omnia, nisi sit Atheus crassissimus, asseret esse ἐκ τῶν οὐκ ὄντων? Sed hoc dico, ipsam applicationem legis, qvâ utuntur Scholastici in exponendo conceptu suo, esse impropriissimam, sive: maximam ἀκυρολογίαν in voce legis esse. *Hinc seqvitur, qvod Deus non agat secundum legem.* Qvodsi putes esse duritiem in modo loqvendi, cùm longè differant impropriè dicta à fictis, & figmenta sint, non qvæ verbis impropriis sunt enunciata, sed qvæ extra fingentis aut figmentum suscipientium conceptum non existunt; responderem, separandas esse locutiones improprias. Aliæ enim fiunt eô modô, ut etiam ex intentione loqventium pro impropriis habeantur, aliæ ita comparatæ sunt, ut loqventes prædicatum, qvod non nisi impropriissimè de subjecto prædicatur, jactent propriè de eodem dici. Fateor, priores locutiones improprias fortè satis inconvenienter appellari figmenta, at, qvod posteriores attinet, sunt ea figmenta vera, qvia

qvia prædicatio impropria, dum asseritur esse propria, extra fingentis conceptum, ut propria non existit, sed loqvens eam esse propriam omninò id fingit; ita si qvis hominem pictũ venditaret pro homine vero, aut Herodem vellet esse propriè vulpẽ, aut prata ridere propriè, haud dubiè fingeret ista &c. Constat autem, qvod pleriqve ex Scholasticis eam opinionem defenderint, ac si lex illa æterna sit lex propriè dicta, unde & circa ipsam legis definitionem maximas controversias moverunt, eum in finem, ut legis illa generalis definitio eò melius ad Deum accommodari possit, qvas fusius exponit Dominus Osiand. in *Typo legis naturæ.*

§. 40. Doctrina, qvòd bestiæ sensu careant, haud dubie ad Theologiam non pertinet, qvin imò, si interesse Religionis cum hac controversia misceatur, haud dubie assertio de carentia sensus palmam præripit opinioni contrariæ. Elegantia hanc in rem sunt verba Veri & genuini Critici Petri Bælii *in Excerptis Reipublicæ literariæ mens. Martio 1684. p. m. 26. seqq. On interessa d' abord la Religion dans cette cause, par l' esperance, que les Anti-Cartesiens concûrent de ruiner par là les machines de M. Descartes; mais on ne sçauroit assez dire le bien, qui en est venu aux Sectateurs de ce Philosophe. Car ils croyent avoir montré, qu' en donnant aux bêtes un ame capable de connoissance, on ruine toutes les preuves naturelles de l' immortalitate de nôtre ame. Ils on fait voir que leur sentiment n' avoit point de plus opiniatres ennemis que les impies, & les Epicuriens, & qu' on ne sçauroit faire plus de depit à ces mechans Philosophes, qu' en les desarmant de toutes les fausses raisons, qu' ils*

empruntent de l' ame des betés, pour conclure qu' il n' ya entre elles & nous, que la difference du plus au moins. C' est une chose asseuree, qu' il n' y a point de gens qui affectent plus que les impies, d' approcher les bêtes de la perfection de l' homme. Voila comment la secte de M. Descartes a mis la Religion dans ses intererts. Mais elle ne s' est pas contentée do cette raison. Elle s' est elevee jusques à la nature de Dieu, pour y chercher des argumens invincibles contre la connoissance des bêtes, & on peut dire, qu' elle y en a trouvé d' assez bons &c. Et meretur tota ejus dissertatio eruditissima, qvam occasione tractatus Darmans. *La Bête transformée en Machine ibi à p. 19-34.* proposuit, à Vobis perlegi. Breviter: tota doctrina paucis istis positionibus includi poterit. 1. Concedunt, credo, Peripatetici: *Animam hominis à nobis aliter concipi non posse, qvam per facultatem cogitandi. 2. Concedunt, qvod sensus interni cognoscant. 3. Aut necessariò concedendum est, cognitionem omnem fieri per cogitationem, aut fatendum, eos, qvi cognitionem de sensibus prædicant, ignorare qvid loquantur.* Unde 4. naturali ductu fluit conclusio: *Bestias carere sensu interno, qvia carent ratione.* Ergo aut ratio indulgenda est bestiis, aut cum ratione simul adimenda ipsis est sensio, vel perceptio, vel cognitio, vel qvocunqve vocabulo hic uti velis. Non tamen adeò nova etiam est hæc doctrina, ut demum à temporibus Cartesii derivari debeat. *Primum fuisse Gomesium Pereiram,* verba sunt Sturm. *dissertat. 1. de philos. Eclect. p. m. 54. qvi bestias omni cognitione seu perceptione carere affirmavit, eumq; in nupero hoc seculo κατὰ πόδα secutos esse Cartesium & Digbejum, testatur Willisius de An. bruto-*

brutorum cap. 1. p. m. 6. & Morhofius in dissert. de Paradoxis sensuum, Gometium istum Philosophum ac Medicum Hispanum ait eâ de re operosum, ac triginta annorum librum edidisse Methynæ A. 1554. excusum, & Antoniana Margarita ab utriusqve parentis nomine insignitum. Adde omninò *Balium d. l. p. 20. seqq.* ubi ostendit, extinctam fuisse mox cum Pereira istam opinionem, adeoqve gloriam inventionis istius non denegandam Cartesio. Qvin imo non defuit Anonymus, qvi ipsum Bælium moneret, jam tempore Augustini ea de re disputatum fuisse, eamqve in rem adduceret ipsius Augustini verba *de qvant. an. c. 30. Qvod autem tibi visum est non esse animam in corpore viventis animantis, qvanqvam videatur absurdum, non tamen doctissimi homines, qvibus id placuit, defuerunt, neqve nunc arbitror deesse. Vid. Bal. exc. mens. Aug. 1684. p. m. 12.* & Rondelius *in peculiari Epistola, cujus fragmentum exhibet Balius mens. Octobr. ejusdem anni p. 290.* ipsum admonuit, plusqvam trecentis annis ante Augustinum à Stoicis Cæsarum tempore, ante hos verò iterum plusqvam trecentis annis à Diogene Cynico de anima sensitiva bestiarum fuisse dubitatum, etsi Anonymus iste sententiam suam mox retractaverit, eò qvod in evolutione ipsius Augustini deprehenderit, in verbis ex Augustino allatis neqvaqvam esse qvæstionem de doctrina Pereiræ, unde Doctissimus Bælius suspicatur, forte & loca à Rondelio adducta non disertè probare ejus intentionem, *vid. mens. April. 1685. p. 425.* qvod fortè discutiemus prolixius alibi.

§. 41. Ca-

§. 41. Canones de imputativitate actionum moralium, qvas trado c. 1. §. 66. ferè omnes hausi ex Domini Pufendorffii scriptis *de J. N. & G. lib. 1. cap. 5. & de O. H. lib. 1. cap. 1.* puto tamen circa eos ferè consentire Peripateticos, & communiter eosdem tradi ab ipsismet in libellis eorum Ethicis, maximè illum, qvem affero §. 69. qvod non possint imputari homini, qvæ ut adessent, vel non adessent, penes ipsum non fuit. Has vero omnes regulas intelligo de foro humano, qvia tracto in totis Institutionibus Jurisprudentiam, qvæ pro ultimo fine habet tranqvillitatis humanæ conservationem, per legum executionem & justitiæ administrationem, adeoqve non contradico Dominis Theologis eorumqve doctrinæ de imputatione peccati originalis in foro divino. Cui non obstat, qvod tractatum instituerim de Jurisprudentia divina, unde forte lector ex legibus bonæ methodi generales istas regulas in ea latitudine capiendas esse putare posset, qva non humano sed divino etiam foro conveniant; Nam ex iis, qvæ circa finem c. 1. & 2. dissero, cuilibet apparebit, qvod Jurisprudentia etiam, qvatenus divina dicitur, occupata qvidem sit circa leges divinas, non tamen circa forum divinum, sed hoc totum relinqvat Dominis Theologis. Qvoniam tamen etiam scandala aliorum accepta avertere cupio, declarationem sententiæ meæ hic addere volui.

§. 42. *Cap. 2. §. 2. p. 48.* statuo: qvasdam leges divinas salutem hominis in hac vita intendere, ubi intelligo intentionem immediatam, sic enim verbis expressis me explico *eod. cap. §. 125. & §. 138.* Ergo non nego

omnem

omnem legem divinam, qvæ æternam salutem intendit, simul intendere salutem in hac vita, nego saltem, qvod immediate intendat.

§. 43. *Ibidem* §. 3. dixi, mihi displicere communem divisionem legis divinæ in Moralem, Ceremonialem & Forensem, qvo ipso tamen nefas vel crimen aliqvod in Sacram Theologiam me admisisse nego. Rationes hujus displicentiæ exposui in disputatione publica *de crimine bigamiæ* §. 8. & 20. Qvoniam scilicet multi, qvi eâ divisione utuntur, legem moralem & naturalem inter se convertunt, & decalogum ubiqve præcepta naturalia inculcare asserunt, aut præter Decalogum nulla in SS. literis extare præcepta moralia defendunt, cùm tamen constet, moralem esse latiorem, & sub se comprehendere legem positivam universalem; Decalogum item etiam inculcare leges positivas universales v. g. in præcepto nono & decimo; deniqve, extra Decalogum qvoqve & v. g. Levit. 18. extare præcepta moralia. Primum qvod attinet, consentit mecum Dn. Osiander *Typo legis naturæ p. m.* 117. §. 15. ubi dilucide ait, *disparem esse rationem legis moralis & naturalis.* B. Dorscheus Theolog. Moral. Disputat. 1. §. 10. *Legi naturali superadditam, & generi humano communicatam esse legem divinam positivam; qvæ deinde plenius, & ad regimen populi Israelitici restrictè per Mosen proposita fuit, antiqvior omnium gentium legibus, & qvæ omnibus Legumlatoribus primis sanctionum principium dedit, patet ex gentilium confessione, de qva Euseb. l. 1. præparat. Evangelicæ cap. 9. ex loci notatione, qvæ originem omnium legum ad Ægyptum referunt, qvam ex Josepho Psal. 105. 22.*

 Israe-

Israelitarum veterum religiosorum inhabitationi debet; ex collatione legum, qvam inter Romanas & Ebraeas instituerunt Justus Calvinus in Themide sua Ebraeo-Romana; Guilielmus Velrot in parall. Juris Judaici & Romani; Molinaeus in Coll. LL. Rom. & Ebraearum & alii. Adde Diodorum Siculum L.1. Bibl. cap.5. pag.m.43. Tum subjungit §.11. legem moralem scriptam Mosi traditam ante Mosaica tempora fuisse cognitam, idqve secundum ordinem praeceptorum Decalogi per varia scripturae dicta probat. Deniqve ponit §.13. *Leges Morales ante Mosaica tempora notas non soli lumini naturali adscribendas, sed etiam positivas fuisse, adeoq; ad divinam promulgationem referendas esse, ex illuminatione Patriarcharum & divinis sermonibus Gen.3. 4. 6. &c. constat.* His adde B. Scherzerum *in System. Theol. loc.9. §.9. p.266. Ex qvo fundamento inter legem Moralem naturalem ac positivam distinctio, (qva melior est vulgari inter Jus naturae primaevum & secundarium) nascitur.* De secundo, & qvod praeceptum nonum & decimum concernit, mox fusiùs dicemus. De tertio possunt sufficere ea, qvae modo ex Dorscheo notavimus, cui junge, qvae prolixe disputo in ipsis institutionibus *l.2. cap.3. per integr.*

§. 44. Qvaestionem de imperio conjugali in statu integritatis, qvam tango §.29. *seqq. c.2.* ad proprie Theologicas, qvarum affirmatio aut negatio heterodoxiam inferat, aut scandalum pariat in Ecclesia, non pertinere arbitror. Unde qvemadmodum non praetendo, ut Eruditi opinioni meae assurgant, ita nec hâc parte opus esse puto in commentariis Theologorum nostrorum,

rum, qvi cum mea sententia faciant, inqvirere. Fateor plures, qvos vidi, diversam à me sententiam amplecti. Qvibus tamen omnibus, si autoritate agendum sit, oppono verba Lutheri *ad Genes. cap. 3. f. m. 49. At si Heva in veritate stetisset, non solum non subjecta imperio Viri esset, sed ipsa qvoqve socia gubernationis fuisset, qvæ nunc sola masculorum est;* sin rationibus, provoco ad ea, qvæ latius disserui iterum *lib. 3. cap. 3. §. 35. seqq.* ubi hanc qvæstionem reassumsi.

§. 45. *In cap. 1. §. 51.* pono commune axioma: *Nihil esse in intellectu, qvod non prius fuerit in sensu*, illudq; appello verum & illimitabile. *Cap. vero 2. § 39.* dico, qvod intellectus humanus in statu post lapsum sit instar tab. rasæ varias impressiones recipere aptæ, *& eod. c. §. 66. 67.* statuo, qvod recta ratio adsit homini à nativitate per modum potentiæ aptæ vires suas exerendi, si suppeditantibus sensibus ideæ prius fuerint ab intellectu formatæ, & rejicio doctrinam Scholasticorum, ut nimis subtilem, dum docent, inesse infantibus etiam naturaliter, per modum habitus cujusdam connati qvædam prima principia practica &c. Qvæ omnia ideo hic conjungo, qvoniam unum ex altero fluit. Et primò qvidem, qvod attinet canonem istum: *Nihil esse in intellectu &c.* is ita tritus & vulgatus est, ita in omnium Peripateticorum Physicis extat, ut metuere non possim eum ad assertiones spectare, qvæ Theologiæ non consonant, *vide B. Patris mei Physicam c. 49. qv. 66. seqq. p. 263. seqq. Zeidl. Anal. poster. p. 231. th. 31. & p. 572. §. 8.* Qvod alterum attinet, id paucis monendum, qvod Plato & Aristoteles, qvoad

modum cognoſcendi animæ noſtræ diſſenſerint, ita ut Plato ſtatuerit, eum fieri per reminiſcentiam, Ariſtoteles verò per receptionem ſpecierum à ſenſibus intellectui impreſſarum, unde & Plato intellectum humanum tabulæ raſæ, Ariſtoteles nudæ comparavit, *vid. iterum Zeidler. d. l. p. 391. theſ. 4. & p. 586. theſ. 1.* Non ergo putare debetis, ac ſi, dum tabulæ raſæ mentionem facio, tranſierim hac parte in caſtra Platonis; id enim meam intentionem non eſſe, vel prior iſte canon docet: *Nihil eſt in intellectu &c.* utpote qvi Philoſophiæ Platonicæ ex adverſo opponitur, ut alibi Vobis demonſtrabo. Sed uſus ſui vocabulo *raſæ* ſecundum communem loqvendi modum, qvo *tabula raſa & nuda* ſæpe promiſcuè uſurpantur. Ferre tamen facile poſſum, ut omnis ambiguitatis tollendæ cauſa terminus hic cum altero mutetur. Qvod deniqve concernit tertium, & hic conſentientes habeo Viros eruditos & omni exceptione majores, non aliarum ſolum Academiarum, ſed & noſtræ. Ex Regiomontana iterum nomino Melchiorem Zeidlerum, qvi *in ſæpius citato tractatu l. 2. cap. 3. §. 2. & multis ſeqq.* prolixè demonſtrat, rationem humanam initio nativitatis ſe exerere ſolum ut potentiam, & adeo notitias innatas ipſas eſſe nudas potentias, neqvaqvam verò habitus. Ex Helmſtadienſi provoco ad Conrad. Hornejum, *qvi in Philoſophia morali lib. 4. cap. 2. §. 6. p. m. 559.* ſatis apertè docet, principia prima tàm theoretica qvàm practica præreqvirere cognitionem terminorum, neqve ab infantibus intelligi. Ex Jenenſi produco Johannem Zeiſoldum, qvi *anno 1651. ſeq. qvatuor diſputationibus publicis*

de

de notitiis naturalibus sententiam hanc nostram ex fundamento demonstravit, & adversus objectiones Sperlingii in Academia Wittenbergensi corroboravit. Ex nostra remitto Vos ad doctrinam B. Patris mei, philosophi *ex Pl. Rever. Alberti nostri judicio in orat. parent.* Christiani (qvod prædicatum per totum vitæ spatium ipse qvæsivit, qvatenus de iis id dici solet, qvi philosophando Sacræ Theologiæ non contradicunt, nec adversa qvædam scripturæ, & qvæ religionem turbare possint, defendunt; qvod si verò qvis istud elogium in alienum sensum torqvere velit, ac si Vir Beatus Philosophiam & Theologiam distinctissimas disciplinas confuderit, & vel theses Theologicas ex principiis rationis, vel philosophicas ex hypothesibus revelationis demonstrare allaboraverit, is certè B. Patri meo magnam faceret injuriam, ut qvi de hac confusione ne per somnium qvidem cogitavit unqvam.) Hic igitur perspicuè eadem inculcat, qvæ de notitiis naturalibus docuimus, etiam qvod ipsius Dei notitiam attinet, *qvæst. phys. d. l. qvæst. 68 seq. p. 284. Valet hæc regula: (Nihil est in intellectu &c.) de iis tantum, qvæ sunt in intellectu per modum actus, seu speciei intelligibilis, non semper de iis, qvæ per modum potentiæ seu habitus. A. Declara. B. Insunt intellectui nostro notitiæ qvædam innatæ, primorum puta principiorum, insunt autem per modum potentiæ, licet illas nullus principiorum sensus antecesserit. A. Ego verò existimem, etiam intelligibiles qvasdam species inesse nostro intellectui, qvæ tamen nunqvam sint ingressæ. Annon enim, (ut alia taceam) Deus est in intellectu nostro, qvi tamen sensum omnem effugit? B. Au-*

di ergò hic alteram limitationem: nihil in intellectu, qvin præexstiterit in sensu, puta vel per se, vel per aliud. Per se Deum non cadere sub sensum concedo, ne per aliud qvidem cadere nego.

§. 46. Docere Vos hæc possunt, sententiam meam hâc parte non esse novam, aliqvatenus etiam, non esse heterodoxam, qvia à Viris, in qvos nulla cadit heterodoxiæ suspicio, fuit defensa. Sed urgent tamen dissentientes, & qvi communiter Scholasticorum sententiam defendunt, textum *ad Rom. 2. v. 15.* & qvod lex naturalis sit inscripta cordibus hominum. Qvamobrem etiam *index novitatum n. 19.* Illustri Pufendorffio ut errorem heterodoxum imputavit, qvod negaverit, legem naturalem esse insitum qvendam & connatum habitum. Huic tamen ex asse satisfecit Vir Illustris *in Apologia pag. 46. seqq.* demonstrans genuinè, & ex aliis scripturæ locis parallelis, *per scripturam in corda humana* longè aliud significari, qvàm habitum ejusmodi innatum. Et jam olim Zeisoldus in integra disputatione qvarta id egit, ut defenderet sententiam nostram non repugnare religioni, multisqve Sperlingii argumentis in hunc finem adductis solidè satisfecit, simulqve ostendit, jam suo tempore Jacobum Martini, Philosophum & Theologum ex nostris celeberrimum, illam Scholasticorum doctrinam impugnasse. Unde cum Sperlingius *in Anthropologia l. 1. c. 3. qv. 8. p. 186. seqq.* pro notitiis insitis urgeret allatum Apostoli locum, his verbis: *Ita enim Apostolus: cum gentes, qvæ legem non habent, natura, qvæ legis sunt, fecerint, eæ legem non habentes sibi ipsis sunt lex. Qvi ostendunt*

dunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientia & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus. Hinc argumentum necti potest: Qvicqvid natura cordibus gentilium inscriptum est, id non acqvisitum, sed innatum est. Opus legis natura cordibus gentilium inscriptum est. E. opus legis non acqvisitum, sed innatum est; inter alia proponit responsionem Martini *ex Partit. Metaph. Sect.3. qv.4. p.321. Ad autoritatem Apostoli responsio est expedita: qvod sit distingvendum inter inscriptionem ipsam & modum inscriptionis. Qvod Ethnicis, qvia faciunt ea, qvæ legis Dei sunt, à natura inscripta sit lex Dei, non negatur, negatis notitiis illis naturalibus, sed negatur duntaxat modus, qvem nonnulli urgent, nempe qvod per nativitatem sit inscripta: qvi certè modus ex allegato dicto Paulino nunqvam demonstrabitur. Rectè attendatur scopus Apostoli, & res erit manifesta. Sic ille argumentatur: Aut est eadem Judæorum, qvæ gentilium, in causa justitiæ operum ratio, aut apud DEUM est προσωποληψία: προσωποληψία apud DEUM non est: E. atqvè par est utrorumqve ratio. Minor probatur, vel potius tota continetur versu 11. Non enim est personarum respectus apud DEUM. Majoris & connexionis ejus probatio continetur versibus seqventibus, & tali includitur Syllogismo: Qvicunqve pariter peccarunt, horum, qvoad peccata, non potest diversum esse apud DEUM judicium. Judæi & Gentiles pariter peccarunt, E. &c. Minorem probat Apostolus versu 12. Qvicunqve enim sine lege (Ethnici) peccarunt, sine lege & peribunt: & qvicunqve (Judæi) in lege peccaverunt, per legem damnabuntur. Qvibus ita disputatis, progreditur porro Apostolus versibus 14. & 15. (in qvibus totus nervus datæ objectionis*

resi-

resìdet,) & qvod dixerat, gentiles ἀνόμως peccasse, id non simpliciter atqve absolutè, sed κατά τι accipiendum esse ostendit. Externa qvidem promulgatione divinæ legis (sunt verba Dn. Mylii supra hunc locum) qvalis Israelitis in deserto Sinai facta est, caruerunt gentiles. Hoc est, qvod dicit, illos legem non habuisse. Interim natura fecisse inqvit, qvæ legis sunt, & sic legem sibi ipsis fuisse, id est, habuisse in semet ipsis & in natura tota, unde istum defectum pensare qvadantenus potuerint. Opponitur igitur hic lex, qvatenus revelata est, & qvatenus naturalis. Qvid verò id ad notitias innatas? Ex modernis Dominis Theologis adduco Dn. Osiandrum, qvi *in Typo legis naturæ p. 158.* non solum de natura intellectus humani loqvens, eum vocat *potentiam indifferentem & indeterminatam, juxta Aristotelem, tabulam nudam*, cum tamen *eadem pag.* loci illius Apostolici mentionem injecerit, *sed & p. 129. seqq.* ubi adversus eos disputat, qvi negant, dari legem naturalem & volunt: homines omnes leges sibi ex utilitate sanxisse, primò istam sententiam refutat per eundem textum Paulinum, deinde ex ratione adversus illos disputans & mentionem notitiarum naturalium injiciens, dicit: *Rationem naturæ instructam esse principiis qvibusdam Theoreticis tam evidentibus, ut etiam ab infante probentur, modo exponantur termini, v. g. qvid sit totum, qvid pars &c. atqve sic intelligendum esse, qvod dicantur istæ notitiæ ante ipsorum terminorum notitiam præexistere & menti inesse.* Qvo ipso satis apertè Vir Reverendus asserit, notitias istas ante cognitionem terminorum esse nudas potentias. Deniqve nec obstat opinioni nostræ, qvod infantibus etiam minimis fides tribua-

buatur à Dominis Theologis, fides verò notitiam aliqvam, eamqve actualem præsupponat. Fides enim non est opus naturale: At nos de naturali aliqvo effectu hic sumus solliciti, qvi possit ex lumine rationis demonstrari, non per verba aliqva obscura & nihil significantia exponi. Igitur uti Physicus, qvi negat, qvod virgo pariat hac parte Theologo qvi dicit, Virginem Mariam peperisse, non contradicit, ita nec contradicit Philosophus, negans dari notitias naturales connatas, Theologo asserenti, dari fidem præternaturaliter in infantibus à prima nativitate excitatam. Qvin potius iste Philosophus, si Christianus est, & Scripturam videt docere, qvòd infantes fidem habeant, non sinit se immisceri disqvisitioni Scholasticorum; utrum ista fides sit actus an potentia, an habitus, sed ita ferè cogitat. *Sancte Deus, Tu dixisti in verbo Tuo, qvod mysteria fidei non manifestaveris Sapientibus hujus mundi, sed stultis, & qvi credunt, se per omnem sapientiam suam ne minimum qvidem punctum mysteriorum fidei posse attingere; Tu per Vas Tuum electum admonuisti homines, ut in rebus fidei se decipi non patiantur per philosophiam. Ecce totus penè mundus in eo est, ut Theologiâ qvadam Scholasticâ, qvæ nihil est aliud, qvàm chaos aliqvod rationis & revelationis Tuæ, velit metiri immensurabilia fidei mysteria. Sed da mihi, ut autoritatem Verbi Tui præferam autoritatibus hominum, qvantæ qvantæ sint, & si in rebus ad fidem pertinentibus Verba Tua præ me videam, vel clara omnino, vel ex aliis locis parallelis interpretationem accipientia, da mihi, ut iis simplici assensu credam, etsi modum, qvo prædicatum cum subjecto connectitur, ignorem, neqve tentem, di-*

ſtinctionibus Metaphyſicis aut aliis ejusmodi ſubtilitatibus ineffabilia tua myſteria eloqvi. Igitur ſi Verbum Tuum mihi inculcat, infantes uſu rationis non pollentes credere in Chriſtum, id credam, etiamſi conceptum mihi diſtinctum hac de re formare non poſſim, qvia ſcio, qvod verbum tuum non mentiatur, neſcio verò, qvid rerum ſit ille habitus, qvem Scholaſtici ex Philoſophia ſcripturam exponere intendentes, Verbo Tuo inſeruerunt, qvemqve neqve potentiam neqve actum eſſe volunt, & ita dum perſpicuè intelligi volunt, faciunt, ut nec ipſi, qvid velint, intelligant, nec alii, qvi eos audiunt &c.

§. 47. In eodem c. 2. §. 65. adduco pro demonſtratione, qvod lex divina poſitiva haurienda ſit ex divina revelatione, locum Apoſtoli *Rom. VII. v. 7. Non cognoviſſem, concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex dixiſſet: non concupiſces*, eumqve locum ſic παραφράζω, qvòd Apoſtolus hic profiteatur, ſe *rationi ſuæ relictum* non cognoviſſe, concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex *divina poſitiva* dixiſſet: non concupiſces. Sed poſteà deprehendi ex Dominis Theologis non omnes ejus eſſe opinionis, qvod lex illa: *non concupiſces*, ſit poſitiva, ſed aliqvos habere eam pro naturali, ex qvorum opinione adeo contra meam doctrinam ſic diſputari poſſet: Legem de concupiſcentia ipſa creatione niti, atqve illud à nobis exigere, ut ſimus, qvales creati ſumus, nempe ſine ulla mali concupiſcentia; adeoqve tale hoc præceptum eſſe, ut ſalvâ ſuâ juſtitiâ & veritate non potuerit aliter Deus, qvam exigere, ut homo ſit, qvalem ſancto ſuo conſilio & deſtinaverat & fecerat. Nam legem, qvæ creatione nitatur, eſſe naturalem, non poſitivam. Ex dictis etiam

ſeqvi,

ſeqvi, qvod differentia noſtra, qvam inter legem naturalem & poſitivam qvæſivimus §. 64. non omnes numeros impleat, qvod legis naturalis cognitio ex recta ratione, poſitiva autem ex revelatione, peti debeat. Valere eam utiqve, niſi ipſa ratio noſtra eſſet obſcurata, ut cum extantiora adhuc agnoſcat & deteſtetur vitia, non penetret ad interiora & ſubtiliora, qvæ tamen in natura integra æqvè inſpexiſſet, licet poſitivæ tum etiam nonniſi ex revelatione innotuiſſent. Et ergò ex naturæ corruptione eſſe, qvam ipſe deplorat Apoſtolus, qvod ne qvidem morbum ſuum niſi ex legis nova promulgatione agnoverit &c. Ego verò dum illam periphraſin loci Paulini in Inſtitutionibus meis poſui, id non feci absqve conſultatione Theologorum noſtrorum, & potiſſimum reſpexi ad verba B. SCHERZERI in *Syſtemate Theologiæ, loco 7. §. 9. p. 154. Concupiſcentia Originalis in decalogo prohibita eſt, ergo peccatum eſt, Rom. VII, 7. ubi de concupiſcentia agitur, cujus ἀνομία ex lege naturæ cognoſci neqvit.* Atqve hæc verba B. Scherzeri ſi cum Inſtitutionibus meis aut mea periphraſi jungas, certus ſum, me ab ejus mente ne in minimis qvidem receſſiſſe, adeoqve doctrinam hanc ex illis eſſe, qvæ turbam aliqvam in Eccleſia daturæ non ſint, etſi alii Domini Theol. contrariam foveant ſententiam, cum qvibus uti diſputare nolim, ita videtur tamen iſte diſſenſus non incommodè tolli poſſe, (ut alia jam taceam,) diſtingvendo inter legem naturæ ſtatus primordialis & ſtatus poſt lapſum, ita ut objectio contra ſententiam noſtram de priori loqvatur, nos verò B. Scherzerum ſecuti, loqvamur de po-

ſteriori. Atqve hâc diſtinctione litem melius tolli poſſe arbitror, qvam ſi diſtingvas: aliud eſſe, lege naturali vetari; aliud prohibitionem ſola ratione, qvalis nunc eſt, agnoſci. Nam primò B. Scherzerus non ſolùm dicit, qvod concupiſcentiæ peccatum à ratione cognoſci neqveat, ſed notanter dicit; qvòd neqveat cognoſci *ex lege naturæ*. Deinde vereor, ut hæc diſtinctio non impugnari poſſit ex dicto Paulino *Rom. II. v. 14. 15.* dum Gentium cordibus inſcriptas eſſe leges naturales teſtatur, qvæ locutio ex communi noſtrorum interpretatione id vult, qvod Gentiles etiam legem naturalem poſt lapſum ſine revelatione cognoſcant, & qvod adeò lex naturalis hoc tempore nulla alia ſit, qvam qvæ ab hominibus hodiè etiam ex lumine rationis cognoſci poteſt, ſive per notitias qvasdam connatas, ſive per acqviſitas. Neqve tollet diſtinctionem inter legem naturalem ſtatus integri & corrupti, qvod lex naturalis ſit invariabilis & indiſpenſabilis, ſi modò ſecernas: aliud eſſe variationem ipſius legis, qva propoſitio eſt mentem legislatoris continens, aliud variationem cognitionis unius ejusdemqve legis & in ſtatu integro & in corrupto eandem propoſitionem inculcantis.

§. 48. Rem claram eſſe arbitror. Ne tamen & hic putes, me non Theologum, ineptè inter diſſentientes Theologos, me ipſum feciſſe arbitrum, non poſſum non apponere verba Dn. Oſiandri, qvamvis paululum prolixa, utpote qvæ non ſolum & theſin meam & conciliationem confirmabunt, ſed & à Novitatis in Theologia vitio me abſolvent. Ita verò Vir laudatus *in typo*

legis

legis naturæ p.167. seqq. §.44. 45. Lex naturæ considerata tum in statu integritatis tum in statu corruptionis & naturæ lapsæ maximè distant inter se & diversæ sunt naturæ, conditionis & effectuum &c. Lex enim naturæ in statu primævo dictitat rectitudinem omnium facultatum, cum qva non poterat consistere ulla obliqvitas, spectabat ad imaginem divinam, consistebat in justitia & sanctitate veritatis. Creavit enim Deus hominem rectum, non infantilis imperfectionis, ut vult Josephus, non simplicem tantùm & expertem mali, ut sentiunt Photiniani, sed positivè rectum in Intellectu, Voluntate & Affectibus &c. vide locum Deuteron. 9. v. 5. Hinc Augustinus: hominem dicit factum justum, à Deo bonam institutam Naturam, Serm. de Verit. Apost. c. 2. & 14. At lex naturæ in statu destituto umbra saltem est rectitudinis primævæ, vestigium Imaginis divinæ, litera obtusa nitidissimi Typi, qvæ consistit cum corruptissima omnium facultatum conditione, Intellectus cœcitate, Voluntatis perversitate, Appetitus distorti pravitate, de qvo Eph. 2. vers. 1. 2. 3. Secundò lex naturæ primordialis omnem exclusit concupiscentiam, ostendebat, omne dissidium facultatum esse malum, obligabat non tantùm personam ad activam justitiam, ut sentit Molinæus, sed etiam ipsam naturam ad intrinsecam rectitudinem, prout ipsa creationis ratio nos docet. Videatur locus Gen. 1. vers. 31 & conferantur locus Gen. 2. vers. 25. atq; Gen. 3. v. 6. 7. ut rectè dixerit Augustinus: Creatus est primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio, Serm. 11 de verit. Apost. c 2. At lex Naturæ in statu lapsus non excludit concupiscentiam, neqve ostendit illud malum profundum intimis inhærens animæ fibris, adeò qvidem, ut ipse Apostolus dicat Rom. 7. v. 7. Peccatum non cognovisse

visse se, nisi per legem, scilicet Mosaicam, quæ concupiscentiam prohibet: quanquam enim, ut Pharisæus agnoverit, concupiscentiam exundantem in mala opera esse peccatum, & interiores Motus non fœdo hoc nomine esse gravandos existimarit, quanquam etiam vi luminis & legis naturalis eò usque assurgere potuerit, ut Motus interiores voluntatis concursu effigiatos inter reprobos fœtus numerarit, non tamen ad radicem malam penetrare potuit, & seposita lege divina concupiscentiæ habitualis Malum cognoscere. Hinc ulterius dicit v.14. Scimus, quod lex scilicet divina, spiritualis; at ego carnalis sum, venditus sub peccatum. Decalogus itaque sive lex divina spiritualis est, at homo quantus quantus est sibi relictus etiam cum lege naturæ carnalis: nam, si regenitus sese carnalem vocat, in præcisione ad inhabitantem spiritum, renovantem, dominantem, quantò magis irregenitus, utut illis reliquiis instructus. Tertiò lex Naturæ in primo homine complectebatur Dilectionem DEI & proximi, sinceram & perfectam dicebat facultatem, cujus beneficio producere poterat opera verè bona, & ex asse DEO placentia, imò observata in æternam culminabat beatitudinem. Qui enim fecerit hæc, teste Mose, vivet in illis, Levit.18. v.5. Quapropter etiam Augustinus Adamum beatum conditum esse statuit tanquam dilectorem bonæ voluntatis. Nam hoc gaudium, inquit, quod hujus boni adeptione gignitur, cum tranquillè & quietè & constanter erigit animum, beata vita dicitur: nisi tu putes, aliud esse beatè vivere, nisi veris bonis certisq; gaudere. Videatur l.1. d.l. arbit. c.12.13. & l.14. de civitate Dei c. 20. At lex naturæ in homine corrupto illam dilectionem, quæ est veri Numinis, Patris, Filii & Spiritus Sancti, nescit, illam dilectionem proximi sinceram &

per-

perfectam, qvam DEUS reqvirit, ignorat; non Opera ex se gignit verè bona, sed si ad interiora respicias mala, simulacra tantum virtutum, nec ducit ad beatitudinem æternam, cùm aliàs sine Christo Gentiles solâ honestate externâ constanter observatâ adspirare possent ad scopum præfixum, ad finem ultimum, omnem naturam post casum Protoplasti & naturales vires excedentem, contra disertum Christi oraculum Marc. 16. v. 16. Constat ergo, legem Naturæ in statu integritatis non eandem esse cum lege naturæ in statu destituto, cum sublimius Dominium illa ostenderit, & ad illud obligarit, hæc autem in inferiori Sphæra subsistat, & ne homines in Bestias degenerent, saltem caveat, nec non qvalicunqve modo stimulet ad DEI inqvisitionem & venerationem. Legem naturæ, qvæ Animum Adami exornabat, repetitam fuisse in Decalogo, qvi eidem ex asse respondet, illam perfectionem, qvæ in primo parente reluxit, exigit, atq; Dilectionem DEI & Proximi extensivam, intensivam, protensivam postulat, Christo interprete, Matth. 22. vers. 37.

§. 49. In *§. 125. seqq. d. cap. 2.* posui, leges divinas positivas, qvæ dirigunt officium hominis circa cultum Dei, immediatè intendere beatitudinem æternam, eoqve statim retuli legem ceremonialem. Sensi tamen, posteà esse nonnulla, qvæ mihi hac parte ex Theologia opponi possint. Scilicet: Legem ceremonialem non ita beatitudinem æternam pro fine habuisse, ut medium esset ejus impetrandæ: Sic, uti honor ille morali merito habeatur, qvod qvi perfectè eam servasset, salutem consecuturus fuisset. Ceremonialem etiam legem latam esse homine corrupto, & per legem ullam, ut servare-

tur

tur impote, unde ſapientiæ divinæ non convenerit ferre legem eum in finem, qvi nunqvam obtineri poſſet. Potius illum finem iſtius legis eſſe præcipuum, ut populus Iſraeliticus & eccleſia, ex qva naſciturus erat Meſſias, ab aliis diſtingveretur, & ut lex Pædagogus ad hunc esſet illis, qvi ei ſubjecti erant, & peculiarem iſtam promiſſionem habebant. Ita legem ceremonialem totâ ἀκριβείᾳ ſua ſervare neminem ſalvaſſe, ſcilicet uti lex eſt, non verò, qvatenus fidem in Meſſiam promovebat: Neqve enim negari, qvod Fidem in Chriſtum reſpexerint ſacrificia & aliæ ſanctiones legis ceremonialis, verùm aliud eſſe legem ſive ejus ſanctiones, aliud fidem, cujus exercitium hæ promovebant. Nec ergò ſalutem hominum vel temporalem vel æternam propriè Deum intendiſſe in lege ceremoniali, ut videlicet ex lege obtineretur, ſed cultum præſcripſiſſe, qvi magna ſui parte homines ad fidem & Meſſiam duceret, aut amandaret, hoc autore & illo inſtrumento ſalutem cor[...]cuturos. Nimirum, ſi qvid Deus per legem aliqvam intendat, illud lege ea ſervata obtineri. Qvare potius nulla lege naturæ lapſæ lata, Deum poſſe beatitudinem hominis æternam intendere, qvia ex ipſiusmet ordinatione ſoli gratiæ & fidei ille debeatur honos, qvod homines ſalventur &c. Jam qvid nos ad iſta? Breviter: conſentimus omninò, qvod per obſervationem legis ceremonialis homines non potuerint beatitudinem æternam conſeqvi, ſed negamus, qvod propterea dici neqveat, qvod Deus intenderit in iſta lege beatitudinem hominis æternam: Qvin potius ex dictis inferimus, qvod eo ipſo,

ipſo, qvod Deus in latione legis ceremonialis intenderit pædagogiam ad fidem in Chriſtum, per hanc verò intenderit ſalvare homines, neceſſario dicendum etiam ſit, qvod in ipſa legis ceremonialis latione intenderit ſimul ſalvationem hominis, etſi non immediatè, ſed ultimo, qvatenus ad fidem ducere debebat. Qvare notamus, phraſin, qvod *Deus intendat in lege finem aliqvem*, dupliciter dici: primo, ut ſermo ſit de ejusmodi intentione, qvæ ſimul legem ut medium finis iſtius conſeqvendi ſuppeditat, deinde, ut intelligatur de intentione tali, qvæ ita finem reſpicit, ut lex ipſa medium ipſum non ſuppeditet, ſed ſaltem ad ipſum medium nos ducat. Prior acceptio eſt in objectione, ſed ad poſteriorem nos reſpeximus in inſtitutionibus noſtris. Qvod verò poſterior iſta non ſit inconveniens, declarabo per ſimile. Ita non inconvenienter dico, qvod is, qvi ideo incumbit ſtudio phyſico, ut Medicinæ poſtea operam dare velit, etiam, dum in Phyſica diſcit imperfectiones, qvibus ſubjectum eſt corpus humanum, *intendat curam corporis humani*, etiamſi ipſa cognitio imperfectionum non ſit medium, illam curam conſeqvendi, ſed ducat ſaltem ad aliam diſciplinam curam oſtendentem, nempe ad Medicinam. Poſſum tamen aliqvem facilè excuſatum habere, qvi obiter, vel lectione curſoria inſpectis inſtitutionibus meis iſtam objectionem animo volvat, qvia deprehendo, magnam ad id anſam ſuppeditare locutionem meam, & qvod dixeram, in legibus, qvæ cultum Dei reſpiciunt, qvalis etiam eſt ceremonialis, *immediatè* Deum intendiſſe beatitudinem æternam. Qvomodo

enim Deus salutem illam in lege immediatè intendit, nisi lex ipsa sit medium eam conseqvendi? Qvin imò, dum jam fatemur, legem ceremonialem & ita reliqvas leges omnes in statu post lapsum publicatas, qvæ non credenda, sed facienda inculcant, & circa cultum divinum aliqvid disponunt, saltem ultimò & qvatenus usus earum pædagogicus est ad fidem, respicere ad vitam futuram; annon eo ipso evidentissimè asserimus, qvod eædem *mediatè* respiciant beatitudinem æternam? Qvo pacto profectò una ex præcipuis hypothesibus, qvibus nituntur institutiones nostræ, corrueret. Igitur, ut pariter & hypotheses meas corroborem, & dubio isti non levi satisfaciam, omninò est, ut adhuc aliam ambiguitatem tollam, qvæ est in phrasi: *intendere finem aliqvem immediatè*. Qvippe τὸ *immediatè* sumitur vel absolutè pro negatione omnis medii alterius, vel respectivè pro negatione certi alicujus medii. Si qvis ea, qvæ disseruimus in institutionibus *d. §. 127. seqq.* accuratè perpendere velit, patebit ei, qvod, dum dicimus: *Leges de cultu divino disponentes immediatè intendere beatitudinem æternam*, nostra intentio non sit, qvod negare velimus omne aliud medium, & v. g. fidem, sed qvod negare velimus saltem, qvod non respiciant salutem æternam mediante temporali, aut qvod non respiciant immediate ad temporalem salutem seu tranqvillitatem humani generis, & deinde post hanc demum ad æternam. Declaramus mentem nostram iterum simili. Sic si Physicam cum Ethica comparo, recte dico, certe non inconvenienter, qvod Ethica intendat immediate curam animi,

mi, physica verò immediate curam corporis, etsi si citra hanc comparationem foret, & si physicam compararem cum Medicina, necesse sit, ut physica mediante Medicina curam corporis intendat.

§. 50. In fine c. 2. in eo sum, ut ostendam exactam differentiam inter Jurisprudentiam & Theologiam, & genuinos limites inter has Facultates duas superiores, ubi asserui, ad Jurisprudentiam etiam pertinere expositionem legum divinarum de officiis hominum erga homines disponentium, eamqve doctrinam JCtis cum Theologis esse communem, vid. §. 137. 141. 142. d. c. 2. Sed ne tamen Vobis hac parte ullum dubium remaneat, provocavi probationis loco 1. ad praxin communem in territoriis Principum Protestantium, 2. qvoniam constat, qvod de causis matrimonialibus (atqvi circa has potissimum se exerit efficacia legis divinæ positivæ ad JCtos simul pertinentis) non solùm in dubio, ubi qværitur de prohibitione legis divinæ à Dominis Theologis soleant responsa peti, sed & à Facultatibus Juridicis, ex ea videlicet ratione, qvod doctrina de conjugio pertineat apud Protestantes ad Jurisprudentiam Ecclesiasticam, qvam fusius & integris tractatibus exposuerunt in nostrâ Academiâ Carpzovius, in Viadrinâ Brunnemannus & Excell. Strykius, qvi & hinc inde in dictis tractatibus sententias Facultatum Juridicarum in causis matrimonialibus allegant. Et hinc ex responso ejusmodi Facultatis Juridicæ nata fuit controversia de conjugio cum defunctæ uxoris sorore, inter Bucholzium & Havemannum ac Strauchium, & Bucholzius

varia adduxit testimonia ipsorum Theologorum nostratium, qvod causæ matrimoniales, qvoniã ex nostra hypothesi matrimonium pro Sacramento non habetur, ad causas seculares pertineant, *in responso JCtorum Rintelens. &c. n. 9. & 10. pag. m. 27. seqq.* 2. Idem etiam ostendit observantia Consistoriorum, qvia plerumqve ea dimidiâ parte constant ex Theologis, dimidiâ parte ex JCtis, non aliam ob causam, qvàm, ut ad Theologos primariò spectent negotia spiritualia, salutem æternam concernentia, ad JCtos temporalia, qvæ immediatè attingunt tranqvillitatem temporalem. Et ne gratis id dixisse videar, provoco 3. ad Constitutionem principalem AUGUSTI Elector. Saxon. in Ordination. de Consistor. Lipsiens. & Wittebergens. tit. 1. Nachdem in diesen beyden Consistorien nicht allein Gewissens-Sachen / sondern auch weltliche Händel vorgebracht und verrichtet werden müssen / so die Ehesachen / der Kirchen- und Schuldiener Güter / Unterhaltung / Leben und Wandel der Lehrer und Zuhörer belangen / soll keines alleine mit Theologen oder Politischen Personen / sondern in gleicher Anzahl aus beyden Ständen / nemlich mit zweyen gelehrten und gottfürchtigen / aufrichtigen und erbaren Theologen / desgleichen auch zweyen Politicis bestellet werden / it. tit. 8. Die Sententz und Urtheil aber sollen nach der Heil. Schrifft / auch den gemeinen / und in unsern Landen gebräuchlichen und üblichen Rechten / gefasset und gesprochen werden. Und dieweil in Ehe- und andern dergleichen Sachen etliche vornehme Theologen / Lutherus und Philippus / aus der göttlichen Schrifft etliche opinionen / so sich mit den gemeinen Rechten nicht durchaus vergleichen

gleichen / gezogen / so sollen unsere Consistorialen auch dieselben in guter Acht haben / und darauff / so viel derer in unsern Landen biß anhero gehalten / und durch den Brauch der Consistorien angenommen / die Urtheil und Abschied richten und fassen. Qvare conclusi §. 140. d. c. 2. qvod hac parte privilegium habeat Jurisprudentia præ Medicina & Philosophia, qvod hæ videlicet principia demonstrandi ex Theologia sumere non debeant. De Medicina nullum est dubium; neqve id etiam prætendunt Medici. De Philosophia idem Vobis apodicticè demonstravi non ita pridem alibi. Et huc respexit Reverenda Facultas Theologica Academiæ nostræ *in programm. Dom. 9. post Trinit. hoc anno publ. affix. Neqve enim ulli, in nostra certè Academia, permittendum, ut vel mysteria explicet in scripturis tradita, vel qvid justum injustumq; sit, qvod Moralis Theologiæ officium est, à revelato principio deducat, vel Ecclesiæ Veteris Patres, dogmata, hæreses, ritus, & qvicqvid præterea Historiæ, qvæ dicitur, Ecclesiasticæ studium perseqvitur, recenseat, nisi post decentem profectuum explorationem jus & privilegium hæc talia docendi à nobis impetravit.*

§. 51. *In capite 3. § 56. seqq.* tango Philosophiæ cum Theologiâ mixtionem pessimô more à Scholasticis introductam, eoqve refero §. seq. Pneumaticam. Cæterum ne hæc sententia mea Vobis durior aut nova videatur, reclamante videlicet multorum Virorum, magnæ aliàs autoritatis, autoritate, his qvidem oppono autoritatem Illustr. Seckendorffii im Christen-Staat. *lib. 3. c. 7. §. 2. pag. 514. seqq.* Den Gebrauch der Jüdischen Schulen verwarff unser Heyland nicht / wiese vielmehr män-

niglich darauf/ und nennet sie Moses Stul/ aber den Mißbrauch verwarff er/ daß sie das Wort GOttes mit Menschen-Satzungen und Auslegungen verderbten / und sich in Secten theileten: Denn aus dem Schul-Gezäncke kommen der Phariseer und Sadduceer Rotten her/ von denen im Neuen Testament viel zu lesen. *Item eod. c. 7. §. 4. p. 518 seqq.* Aus Paulo vernimmet man nicht / daß er *Philosophi*sche Art zu reden oder zu *argument*iren nach denen *Terminis* der damahls schon beschriebenen Kunst der *Logica* oder *Topica*, *Metaphysica* oder *Apodictica* geführet hätte / ob er gleich vernünfftige und bündige Schlüsse / auch verblühmte Redens-Arten wohl zubrauchen weiß / welche die Vernunfft und Ubung / auch ohne die Kunst-Bücher und Lehr-Art der Griechen mit sich brachte / und den Heiligen Geist bey Verkündigung des Worts zum Werckzeuge behielte/ als Stücke/die aus dem guten Licht der Natur noch übrig sind/dasselbe auch reinigte und heiligte. Daher als er zu Athen mit den Secten der Epicurer und Stoicker zu *disputiren* bekam/und sich sonst in die Leute wohl schicken konte/ wie er selbst sagt / er sey iederman allerley worden / so braucht er doch der Philosophischen Schul-Weise gar nicht / sondern er verkündiget ihnen bloß hin das Evangelium von JEsu und von der Auferstehung/so ungereimt ihnen auch solches vorkam. Auch da er die öffentliche Rede (*in Areopago*) auf dem Richtplatz hielte/ und statliche Gelegenheit hatte/ zum Exempel *de ente*, oder von dem göttlichen Wesen / oder von der Welt Zustand / wie solche Dinge die *Philosophi* ausgesonnen / und davon spitzfündig wieder einander *disputiren* könten/einen Eingang zu machen/ thäte er es doch nicht / sondern er übergienge alle solche ihre Kunst und Kunst-Wörter / und nahm den Anlaß von einem Punct/

wel-

welcher der allerschlechteste schiene / und sie gantz zu unwissenden Idioten machte: nemlich von dem Altar des unbekanten GOttes. Schritt darauf alsobald zum Grund göttlichen Worts / achtete ihre Theologie und Götzen-Werck nicht werth anzuziehen / oder weitläufftig zu wiederlegen / oder *de natura Deorum*, von GOttes Wesen und Eigenschafft *Metaphysicè* zu *disputiren*, sondern fieng an vom Articul der Schöpffung und daraus folgender rechten Erkäntniß und Ehre GOttes: beschuldigte sie der Abgötterey und Unwissenheit / und mit Hindansetzung aller ihrer unzehliger und subtiler Bücher / brachte er allein ein Zeugniß eines Poeten vor / welches die Schöpffung bekräfftigte / daß nemlich die Menschen göttliches Geschlechts wären / oder von GOtt herkämen: liesse also ihre gantze Philosophie und Subtilität liegen / ermahnete Sie bloß zur Bekehrung mit Fürstellung der Gefahr vom jüngsten Gericht / und der herrlichen Gelegenheit / welche der Weltrichter / (der von Todten erstandene Christus) männiglich mittels des Glaubens fürhielte. Also siehet man hieraus / wie dieser unvergleichliche Apostel oder Send-Bothe GOttes / der unmittelbar im Himmel unterwiesen war / das Christenthum auch unter den allergelehrsten Leuten selbiger Zeit (die in Athen / als der höchstberühmten Schule / zugegen waren) ohne einige Philosophische Kunst gelehret / und darzu keine *adminicula* der damals Landüblichen Wissenschafft gebraucht / als so fern er nur aus einem bekanten Buch etwas gefunden / so den Glaubens-Articul der Schöpffung beystimmig war. Man findet auch nicht allein / wie er hingegen in den Juden-Schulen zu allererst aus dem Alten Testament gelehret / und darnach bewiesen / daß der darinn verheissene Meßias eben der JEsus von Nazareth wäre / sondern auch seine zwey liebsten

und besten *discipulos* und Jünger (daraus herrliche und heilige Bischöffe worden) nemlich den Timotheum und Titum auf die Schrifft/ und dero fleißige Lesung und Wiederholung gewiesen/ wie er sie hingegen von der weltlichen Klügeley und Schul-Gezäncke abgemahnet/dabenebest auch die Christen in gemein davor gewarnet/ massen er mit ausgedruckten Worten an die Colosser thut: Sehet zu/daß euch niemand beraube durch die *Philosophia* und lose Verführung nach der Menschen Lehre und nach der Welt-Satzungen/ und nicht nach Christo ꝛc. *It. cap. 8. §. 1. p. 531.* Es haben hochgelehrte Leute längst angemercket/ daß so bald die *Philosophi*, oder die Gelährten aus denen Heyden das Christenthum angenommen / und ihre Lehr-Sätze und Lehr-Art in die Kirchen gebracht/also fort das Schul-Gezäncke/davor S. Paulus warnet / stärcker angangen / und daraus die meisten Ketzereyen entstanden/ denn dieselben Gelehrten brachten ihre vorgefaste Meinungen mit in die Kirche / und wolten von den Glaubens-Articulen nach denen Reguln und Arthen urtheilen / deren ein ieder gewohnet war. *Et § 2. p. 534 seqq.* Wie aber endlich die alten Bücher der Heydnischen Philosophen etc. unter die Geistlichen/sonderlich die Münche geriethen/da ist die *Theologia Scholastica* herfürgebrochen etc. damit mehr geschadet als genutzet worden. Es kommet mir für / ob haben die guten Münche und Priester/welche die gemeldten Bücher am ersten in die Hand bekommen / eine grosse Curiosität gehabt / und Anfangs ein gewaltiges Geheimniß daraus gemacht/auch sich damit sonderlich wollen sehen lassen / daß sie nun von gar andern Dingen als von der Heiligen Schrifft und *Patribus*, oder von den *Legenden* und Geschichten der Heiligen/womit sie die Leyen/ das ist/ Hohe und Niedere fast allein abspeiseten / reden und schwatzen können.

Christ-

Christlich und wohl hätten Sie gethan / daß Sie lieber die wiedergefundene Heidnische Bücher gleich verbrennet/als nicht besser gebraucht hätten 2c. Denn es scheinet leyder Sie haben Gottes Wort aus solchen Künsten meistern lernen; Sie haben es gemacht als wann man ein Schloß nach einem altväterischen etwan ungefehr gefundenen *modell* eines Bauren-Hauses einrichten wolte / und wann man die Würdigkeit der Heiligen Schrifft gegen die Weltweißheit hält / so haben Sie das Gold mit Kupffer und Bley / den reinen Wein mit trüben Wasser / das Licht mit Finsterniß vermenget / indem Sie die Glaubens-Articul nach den *Philos.* Künsten zumessen und auszuecken angefangen. Da haben sie wissen wollen/wie sichs von Gott/ von Christo/von den H. Sacramenten nach den *prædicamentis* und *prædicabilibus* reden liesse/ da hat sich *substantia, accidens, qualitas, quantitas, actus, potentia, causa moralis, abstractum, concretum*, und alle andere dergleichen *Termini*, und zwar noch viel spitziger als es die Heidnischen *Philosophi* jemahls gethan / und mit selbst ersonnenen barbarischen Wörtern / zu den Geheimnissen des Glaubens schicken / und diese sich darnach ausgrübeln und auswiegen lassen müssen. Da sind unter andern unzehlichen *Terminis* und deren *distinctionen* ersonnen worden / *Alietas, Hacceitas, Identitas, Individuatio, Ly, Quidditas, Suppositum, Ubicatio, Velleitas, Eminenter, Formaliter, Entitativè, Concomitanter, Radicaliter, Intentionaliter, Primo & Secundo, Numericum, Præcisum, Reduplicativum*, und dergleichen vielmehr 2c. Und ist solcher Gestalt / da dieses Wesen fast den gantzen Geistlichen Stand überschwemmet/ nicht mehr müglich gewesen dasselbe zu dämpffen / sondern es ist diese Kunst so nöhtig worden/ als einige andere/ indem man die daraus erwachsende Irthümer/ weil man einmahl über Gottes Wort hinaus geschritten/mit gleicher *subtil*ität wieder legen müssen. Es hat damit gegangen/ wie man bey den Gelährten ein Sprichwort hat / von dem Nord-

Ost-Wind/ den sie *Cacias* nennen/ der pflegt grosse Wellen zusammen zu treiben/ kan sie aber nicht wieder aus einander bringen/ rc. Und ist also die *Theologia Scholastica* ein solches Werck worden/ darinnen niemand auslernen können/ ja es haben sich die Zwistigkeiten/ der Gelährten dermassen vermehret/ und sind mit solchem Schein gegen einander *disputiret* worden/ daß man die wahre und gründliche Meinung fast nicht mehr unterscheiden/ oder doch selten einen gewissen Schluß davon fassen können. Item in *addit. add. c. 7. §. 2. p. 299. D. Joh. Gerhardus* in seinem *Methodo Theologica c. ult.* thut wegen der *Scholasticorum* folgende Erinnerung: Der seel. *Lutherus* habe mit wolbedachten und heilsamen Rath die *Scholastische Theologiam*, welche er *ignorantiam veritatis & inanẽ fallaciam* genennet/ aus unsern Schulen ausgemustert/ und wo man solche wieder einzuführen gedächte/ wäre es eben/ als ob man stat des Brodes wieder Eicheln zur speise brauchen wolte. Deñ es hätten die *Scholastici* was die principia disputandi betrift/ die *Philosophiam* uñ *Theologiam* untereinander verwirret/ daher *Erasmus* die *Scholastische Theologiam*, sonderlich wie sie in dem Sorbonis. *Collegio* zu Pariß getrieben worden/ den *centauris* verglichẽ/ die nach poetischem Gedichte/ halb Menschen uñ halb Pferd sind. Ergo non mirabimini, quod *eod. c. 3. §. 61.* illud *eminenter*, quo utuntur Scholastici in demonstratione attributorum divinorum, rejecerim, quia videtis Illust. Dn. Seckendorffium in locis jam recensitis etiam illũ terminum terminis & distinctionibus barbaris accensuisse.

§. 52. In *cap. 4. §. 35. seq.* ostendi ut puto, per argumenta genuina, quod salva religione Christianâ aliquis possit ea fingere, quæ Deus nobis revelavit aliter. Atque ut non in vanum disputatio institueretur, definivi §. 48. quid per fictionem intelligam, primam videlicet partem propositionis hypotheticæ, neque affirmantem aliquid neque negantem, sed saltem ex fictione inferentem consequen-

ſequentiam ſecundæ partis. Quæ deſcriptio conveniens eſt utique occaſioni, quæ locum dedit iſti controverſiæ. Scilicet Illuſtris Pufendorffius diſciplinam Juris Naturalis traditurus, hypotheſeos loco præſupponit, abſtrahendum eſſe à ſtatu integritatis, & aſſumendum eſſe, ſi quis cum ethnico diſputet, ſtatum hominum præſentem, & ex hoc ipſo, id eſt, ex hypotheſi Ethnici, qui alium ſtatum ignorat, quomodocunque ſibi ortum hominis concipiat, convincendum eſſe Ethnicum de veritate Præceptorum naturalium. Hoc verò nihil aliud eſt, quam ex prima parte propoſitionis hypotheticæ, quam quidem Ethnicus pro verâ habet, Doctor verò Juris Naturalis neque affirmat neque negat, inferre nexum neceſſarium partis ſecundæ ſive præceptorum juris naturalis. Atqui huic Viri Illuſtris doctrinæ inter alia opponi ſolet, quod Chriſtianus non debeat aliquid fingere. Itaque non potui non ſententiæ iſti fortius contradicere, quàm ſi oſtenderem fictionem eô modô definitam non repugnare religioni ac præterea diverſam eſſe à mendacio, utpote cujus definitionem trado *lib. 2. cap. 7.* Quod ſi quis fortè demonſtratione meâ non contentus eſſe velit, eum præprimis rogarem, ut antequam in pugnam mecum deſcenderet, & ipſe definitionem fictionis proponat, & oſtendat, me fictionem non rectè definiviſſe, alias, ſi ipſe fictionis voce aliter utatur ac ego, & tamen mentem ſuam de iſto termino per evidentem deſcriptionem exponere detrectet, vitio mihi vertere nemo poterit, quòd à pugnâ abſtineam tanquam ingloriâ, & quæ andabatas repræſentatura foret, audientibus riſum moturos, ad veritatis vero conſecutionem, qui finis omnis diſputationis eſſe debet, planè ineptos. Nam ſi mihi opponat, hypotheticas propoſitiones contra ipſum afferri non poſſe, & Logicum

v. gr. in iſta tritâ: Si aſinus volat, habet pennas, non fingere aſinum volare aut pennas habere, ſed conſequentiam tantum oſtendere, qua unum ex altero ſequatur, & vel centies iſta repetat; reponam ei tamdiu definitionem fictionis meæ, donec aliam & meliorem mihi ſuppeditaverit. Et profectò nullam rationem aliam meditando aſſequi poſſum, cur quis neget in illa propoſitione partem priorem *ſi aſinus volat*, non eſſe fictionem, niſi quod fictionis vocabulum hic non fuerit adhibitum. At verò doctrina de æquipollentiis apertè docet, unam eandemque eſſe efficaciam, ſive dicas: *ſi aſinus volat, habet pennas*, ſive ita mentem tuam efferas: *Finge: aſinum volare, tunc habebit pennas*; uti rurſus nihil intereſt; ſive dicas: *Finge hominem quocunque modô in hunc mundum eſſe projectum, eſt tamen ſocialis*: ſive: *Si homo quocunque modo in hunc mundum projectus eſt: tamen ſocialis eſt.* Igitur cum argumenta à rerum definitionibus petita aliàs ad apodictica pertineant, & verò definitio fictionis à me allata oſtendat, eam non repugnare religioni, ſive fingatur aliquid, cujus contrarium nobis ſcriptura revelavit aliter, ſive aliud quidpiam, rurſus evidens eſt, quod is qui omisſâ deſtructione definitionis meæ aggreditur exempla fictionum & propoſitionum hypotheticarum, quæ illuſtrationis ſaltem locô adduxi, ac oſtendere vult rationem diſparitatis, quod in iis nihil fingatur, cujus contarium ſcriptura revelaverit aliter, inſigniter peccet contra methodum diſputandi, quia ego nullibi argumento topico à pari uſus ſum, contra quod magnam vim habet alias oſtenſio diſparitatis. Neque enim infero: ſicut procedit fictio: *ſi aſinus volat*, ita valet etiam fictio, quod homo quocunq; modo in mundum ſit projectus, aut quod duplex hominum genus ſit in hoc mundo, quale finxi §.

31. Ne

31. Ne tamen putetis, & hâc parte mihi deesse argumentum topicum à pari: An arbitramini, esse peccatum in religionem orthodoxam, si Arithmericus ita loquatur: *Fingamus, duodecim hydrias fuisse in Cana Galilææ, quarum singulæ receperint tres mensuras, necesse est, ut triginta sex mensuris eæ fuerint repletæ.* At fingitur hic, quod scriptura nobis revelavet aliter, & scilicet: quod sex hydriæ solum ibi fuerunt positæ. Neque credo, quenquam futurum esse qui istam Arithmetici fictionem non procul à mendacio abesse asserturus sit, eo quod aliquid veritati revelatæ contrarium finxerit; aut si maximè aliquis futurus sit, eum ab absurditate assertionis non liberabit, etiamsi maximè probationis locô proferre velit: simplicem esse veritatem imprimis divinam, huic itaque quod adversum sit, mendacium esse. Nam ut taceam, satis crasse hic misceri mendacium Ethicum cum falso logico, quis præsuppositâ & non labefactatâ definitione fictionis nostrâ, statueret, adversam esse fictionem, quæ nec affirmat aliquid, nec negat, veritati? Puto sic Vobis sublatum esse omne dubium, quod fortè remanere poterat circa doctrinam meam & ejus orthodoxiam. Nunc pauca subjungam, de novitate ejusdem, quam quidem non timeo, ut eam mihi quis objecturus sit, quoniam certus sum, quod fictiones ita ab omnium facultatũ, eruditis receptæ sint, ut quavis sponsione certare auderem, nulli ex nostratibus, etiam dormientibus, ubi phantasia alias vagatur latius, illam assertionem venisse in mentem, quod Christiano non fingere liceat, cujus contrarium scriptura revelavit. Quin potius, si quis scripta Dominorum Theologorum diligentius inquirere velit, haud dubiè plurima exempla ejusmodi fictionum colligere poterit. Otium quidem hactenus non habui, id cum curâ facien-

di, sed suppeditabo Vobis unicum, idq; evidentissimum & ab autoritate Theologi sine exceptione Orthodoxi petitum, nostri videlicet Pl. Reverendi D. Alberti. Ita enim lego *in parte 2. Comp. Jur. Nat. orthodoxæ Theol. conformat. cap. 7. §. 21. p. m. 139. Finge per impossibile, extitisse tum* (cum Adamus inter Cainum & Abelem partem bonorum distribueret, ut ille immobilia, agros, hic mobilia, pecora campi, possideret) *tantum hominum numerum, quantus ad possidendum terrarum orbem fuisset requisitus, singulis dominii partem aliquam concedere opus habuisset Protoplastus, quia pro singulis aliquam accepisset.*

§. 53 Eod. *cap.* 4. §. 64. concludo, quod socialitas sit fundamentum Juris Naturalis. Pro demonstratione ejus assertionis nihil novi afferam, sed adducam saltem locum Illustr. Seckendorffii, tanquam ex quo Vobis patere possit, & sententiam hanc nostram jam ante Christi nativitatem floruisse, atque sic antiquiorem esse doctrinâ Scholasticorum ex sanctitate divinâ leges naturales derivantium & novissimâ opinione, eas quærentium in statu integritatis; & ipsum Virum Illustrem socialitatē hanc nostram adstruxisse. Continetur ille in Entwurff oder Versuch von dem allgemeinen oder natürlichen Recht/ *qui annexus est ipsius Orationibus Germanicis p. m. 442 seqq. §. 10. & 11.* Hieraus ist nun auch unschwer zu vernehmen / worinnen der rechte Unterscheid und förmliche Beschaffenheit dieses Rechts bestehe / nemlich daß es des Menschen Natur und Verstand unterweise / und dessen Geselligkeit mit andern Menschen regiere / oder vielmehr *præsupponire.* Denn weil (welches auch die Heyden gemuthmasset/ wir aber aus Gottes Wort wissen) die Menschen alle einen Schöpffer haben / und von einem Menschen herkommen / von Gott auch also an Leib und Seel zugerichtet/ daß ein Mensch des andern nicht entbehren kan/ so gehet des Menschen gantze Natur

dahin/

dahin/sich zu andern Menschen zugesellen / nicht nur in der Zusammenfügung des Mannes und Weibes (denn dieses ist auch den Thieren gemein) auch nicht nur aus einem blossen Antrieb/ wie etliche Heerd-weise sich samlen / sondern mit Vorbedacht und vernünfftigen Schluß; Derohalben muß dieses fest gesetzet werden/ daß nicht nur die Noth / sondern die Natur und Vernunfft des Menschen aus göttl. Ordnung herrührende / die Geselligkeit und also eine Form und rechtmäßige Art sich in solcher Gesellschafft mit einander zu vertragen/ erheische. Dieses erscheinet unter andern daraus / daß wann es aus blosser Noht geschähe / so würde ein Mensch / welcher alles zu seines Lebens Unterhalt und Bequemligkeit hätte/der andern Menschen Gesellschafft nicht begehren/ weil er sie aber / wo er nicht des natürlichen Verstandes beraubet / oder durch lasterhaffte eingewurtzelte Gewonheit oder Aufferziehung verderbet ist/ mit allem Fleiß begehret/so beweiset unter andern der gelehrte Römer *Cicero*, daß solches Verlangen ein angebohrn / allgemein und natürlich Werck sey. Daher sagt er: Die Menschen sind umb der Menschen willen gebohren / damit sie einander nützen und helffen können 1. *Off.* Nechst Gott kan ein Mensch dem andern am allernützlichsten seyn. 2. *Off.* Die Natur erfodert/daß ein Mensch dem andern / er sey wer er wolle / eben und ūm des willen / daß er ein Mensch ist/rathe nnd helffe. 3. *Off.* Die Natur treibet uns an/daß wir gern vielen Leuten helffen wolten / sonderlich daß wir sie lehren und klug machen möchten. Darūm ist nicht leicht jemand zu finden/ der einen andern nicht gern lehrete / was er selbst weiß. Also sind wir nicht allein begierig zu lernen / sondern auch andere zu lehren. 2. *de Finib.* Wir sind vornemlich in diesem Stück von denen Thieren unterschieden / daß wir mit einander reden/ und unsere Meinung zuverstehen geben können: An einem andern Ort giebt er aus einem alten *Philosopho* ein Gleichniß / und sagt: Wann es seyn könte/ daß ein Mensch in den Himmel erhoben würde/ und daselbst die Herligkeiten des Gestirns und andere Schönheit sähe / und hernach wieder auff Erden käme/ würde er an dem allen keine Lust und Freude mehr haben/wann er niemand fände oder anträffe/mit dem er von denen Sachen / die er gesehen und gehöret/reden könte. Daraus ist nun leicht

zu

zu schliessen / daß wenn es ohne die also von Gott geordnete Geselligkeit wäre / die Menschen kein ander Recht in diesem Leben bedürffen/ als wie wir sehen/ daß die Thiere einen Antrieb sich zu erhalten und ihre Lust zu suchen haben. Et quamvis aliqui istam opinionẽ foveant, hoc mediô demonstrandi à socialitate desumpto parum profici apud Ethnicos populos & barbaros; tamen his iterum opponimus verba ejusdem scriptoris Illustris *ibidem p. 440. §. 16.* Daß man aber auch unter uns Christen und unter solchen/ welche ihre besondere ausführliche bürgerliche Rechte und Gesetze haben/ von diesem allgemeinen Göttlichen oder natürlichen Recht rede/ lehre und frage/ hat unter andern vornemlich diese Ursach und Nutzbarkeit / daß wir (1) üm so viel desto mehr unsere Glückseligkeit erkennen/ die wir aus der Offenbahrung des Göttlichen Worts haben / und desto vollkommener von dem Guten und Bösen urtheilen können/ daher wir auch dieses Gesetz Gottes und der Natur für unsern Zuchtmeister/ auff Christum / das ist dafür halten / daß wir nicht allein unsere Gebrechen und Fehler desto ehe befinden / sondern auch desto heiliger und gerechter leben / weil wir mit doppelten ja dreyfachen Banden darzu angehalten werden / denn wir sind zum Recht obligiret durch die Natur und Vernunfft als Menschen und Einwohner der Welt/ durch die Gesetze der Obrigkeit als Bürger und Glieder des Vaterlands / durch Gottes Wort als Gläubige und Christen. (2) Weil Gottes Wort nicht von allen Völckern / noch weniger aber unser Bürgerliches oder Land-Recht von Fremden angenommen wird ; so gelten doch in Menschlichen Dingen die Regeln und gemeine Gründe des natürlichen Rechtens/ nach welchem auch Ungläubige oder außer der Kirchen begriffene/ also auch fremde und zu unserer Policey nicht gehörige Leute/ sich zu richten haben ; sintemahl auch dieselbe nach Anleitung der Natur uñ Vernunfft / Recht nnd Unrecht / sonderlich in Fried- und Krieges-Sachen/ und im Handel und Gewerb unterscheiden / und sich weisen lassen müssen/ ob sie gleich weder die fundamenta unserer Religion/ oder unsere Bürgerliche Gesetze achten oder erkennen. Porrò Bœclerus *in Proleg. ad Grot. de J. B. & P.* monuit, Philosophorum antiquissimos ex fonte socialitatis juris & justitiæ originem produci debere, eamq; sententiam probat Dn. Schilterus *in Philos. Juris. Cap. 3. §. 6. p. 84.* Adde omninò August. *de civit. Dei. lib. 19. c. 5. 13. & 14.*

Chri-

Christian Thomas/

JCtus und Chur-Brandenburgischer Rath/

Eröffnet

Der Studierenden Jugend in Halle/

Ein

Collegium Privatum

Uber seine

INSTITUTIONES JURISPRUDENTIÆ DIVINÆ,

In welchen er eines Theils das Recht der Natur aus des Menschen Neigung zu einer Friedliebenden allgemeinen Gesellschafft / durch klare und deutliche Lehr-Sätze herzuleiten / und die Unzulängligkeiten der gemeinen Lehr-Art / die dasselbe aus dem ewigen Gesetze Göttlicher Heiligkeit / ingleichen einer neueren / die solches aus dem Stand der Unschuld herführen wil / offenbahrlich zu zeigen ; Anders theils aber das bisher auff Universitäten unerörterte allgemeine Göttliche geoffenbahrte Gesetz gründlich zu erklähren / vermittelst Verleihung Göttlicher Hülffe verspricht.

WEnn ich die Veränderung des Zustandes derer Teutschen Hohen Schulen der Protestirenden ein wenig mit Auffmercksamkeit betrachte/ die mich Gott seit dem 1. Januarii Anno 55. dieses Jahrhunderts / da ich zum erstenmahl diese Welt erblicket / erleben lassen / kan ich mich nicht gnugsam eines Theils über den elenden Zustand und die zu bejammernde Knechtschafft der vorigen Zeiten / anders Theils aber über die seit dieser kurtzen Zeit durch Gottes Gnade täglich mehr und mehr zunehmende Befreyung verwundern / und die Göttliche Allmacht / nebst seiner unendlichen Barmhertzigkeit dieserwegen nicht sattsam preisen. Die Hohen Schulen lagen zuvorhero auf seiten der Studirenden gantz im Argen / indem das verteuffelte Pennal-Wesen alle gute Sitten der Lernenden verderbet hatte; und ich entsinne mich noch gleichsam als in einem Traume / was ich bey meiner zarten Jugend für üppiges und bübisches Wesen von dem Penalismo selbst gesehen habe. Nichts destoweniger hat die Göttliche Güte diesen vielköpffigten Drachen endlich von denen Teutschen Hohen Schulen vertilget. Mit Ausbesserung der Mängel der Lehrenden ist es zwar etwas langsamer zugangen / und wir haben noch nicht eben Ursache zu frolocken / daß wir allbereit durchgehends in einen solchen Zustande lebeten / der keiner fernern Ausbesserung vonnöthen hätte. Aber doch ist unser gegenwärtiger Zustand umb ein sehr merckliches besser / als da wir noch unter dem harten Joch menschlicher Autorität / und zwar einer höchst unvernünfftigen Autorität schmachteten / und mit Händen und Füssen in dem Kercker einer unwissenden und betrügerischen Weißheit angefesselt lagen / dergestalt / daß wir uns nicht regen kunten. Die Philosophie hat die Last der Scholastischen und Aristotelischen Bürde von Halß und Schultern geschüttelt / und nachdem viel tapffere und berühm-

berühmte Männer mit grosser Hertzhafftigkeit voran gegangen/ die Irrthümer immer mehr und mehr zu bestreiten fortgefahren: Die Medicin ist durch Hülffe der Anatomie und Chymie sehr hoch gestiegen / und fänget nunmehro mit Gewalt an nicht nur umb Wiederbringung der verlohrnen / sondern auch umb Erhaltung der von Gott verliehenen Gesundheit besorget zu seyn. Die Rechtsgelahrheit beginnet den Jammer der unter denen langwierigen Processen ächzenden Armen zu bejammern / und die Nichtigkeit vieler falschen Lehren / auf die man sich zuvor als auf unbetriegliche Wahrheiten gegründet / zu erkennen. Ja es hebet endlich die bishero untergedrückte Gottesfurcht / oder das wahre und thätige Christenthum/alles Schreyens / Lästerens und Tobens der falschberühmten Kunst unerachtet / ihr Haupt empor / und der HErr HErr stärcket den schwachen Arm derer die auf ihn vertrauen/daß ihre Feinde und Verfolger vergebens wüten / und immer mehr und mehr mit ihren Köpffen anlauffen und zu Schanden werden. Gleichwie aber unsers Vorhabens nicht ist dieses alles jetzo weitläufftiger zu untersuchen oder zu erörtern; Also wollen wir nur ein wenig ausführlicher die Veränderung betrachten / die mit der Sitten-Lehre binnen etwa 20. oder 30. Jahren vorgegangen. Man schlepte sich auff allen Universitäten mit denen Ethicen, die aus des Aristotelis Büchern zusammen gelesen waren / unerachtet der seelige Vater Lutherus öffters sehr harte wider dieselbigen geschrieben / und zanckte sich über der Auslegung der eilff Aristotelischen Tugenden/und der unzulänglichen und denckelen Lehre von dem höchsten Gut des Menschen; das vornehmste Stück der Sitten-Lehre/nemlich die Richtschnur eines Tugendhafften Lebens/und wie man die Laster vom Halse loß werden solte / blieb unberühret. Man hatte wohl aus dem Recht der Natur eine absonderliche Disciplin gemacht / und die Schul-Lehrer bey denen Papisten

schrieben von derselben viele Folianten voll; alleine sie hatten darinnen Schrifft und Natur/ ja so gar auch die menschlichen Gesetze unter einander geworffen / daß es dem allerelendesten Mischmasch viel ehnlicher als einer vernünfftigen Disciplin worden war / und die Zänckereyen/ die sie nur über die Natur und Wesen des Rechts der Natur unter sich erhoben / sind so beschaffen/ daß sie fähig sind einem vernünfftigen Menschen das Haupt zu verwirren. Ich rede nicht auf Rhetorische Weise/ sondern ich beziehe mich auff die Erfahrung. Es lese zum Exempel ein an solide Wissenschafften angewehntes Ingenium nur den Tractat des Herrn Osianders, den er Typum Legis Naturæ nennet/ und worinnen er die Meynungen der Schul-Lehrer in einer Summe vorgestellet / und in etliche Bogen zusammen gezogen / und sehe ob ihm nicht der Kopff davon wehe thun wird. Aber nach dem Grotius diese edle Disciplin ein wenig unter der Banck herfür gezogen / und von dem Schul-Staube zu saubern angefangen / auch diese Bücher des Grotii auf denen Universitäten profitiret / und von denen Professoribus mit Commentariis erkläret und verdunckelt worden/ hat die Sach ein gantz ander Ansehen gewonnen. Zwar ist es nicht zu läugnen/ Grotius brach am ersten die Bahn / und konte dannenhero diese Disciplin nicht alsobald völlig saubern. Derowegen ob er schon guten Theils das Recht der Natur in der Natur des Menschen selbst / wie billig / und in der allgemeinen friedlichen Gesellschafft suchte / so wolte er es doch mit denen Scholasticis und mit der menschlichen Autorität nicht so fort auf einmahl verderben / sondern bedunge sich bald Anfangs/ daß er zuweilen auch der Ubereinstimmung und Beyfalls der alten Heydnischen Philosophen in Herleitung der Lehren des Rechts der Natur / und des Völcker-Rechts sich bedienen wolte; Er lobte die Schul-Lehrer wegen ihrer Modestie im

Dispu-

Disputiren / und versprach / daß er auch sie zuweilen gebrauchen würde / wie er denn auch in seiner Definition des Rechts der Natur der Schul-Lehrer ihre Doctrin, daß die durch das Recht der Natur verbothene Dinge per se & antecedenter ad voluntatem divinam böse wären / mit beybehalten / auch nach ihrer Anleitung geschrieben / daß das Recht der Natur die Menschen verbinden würde / wenn gleich kein Gott seyn oder sich umb die menschlichen Händel nicht bekümmern solte. Und eben deshalben glaube ich / sey es auch geschehen / daß man Grotium noch so auf denen Universitäten hoch gehalten / oder doch passiren lassen / und ihn nicht confisciret / ob er schon in der Theologie fast durchgehends von denen Lehren der Protestirenden Theologen, so wol der Lutherischen als Reformirten anderer Meynung gewesen / die man zwar dann und wann / aber doch lange nicht mit so starcken Eyffer befochten / als wenn Grotius von der allgemeinen Meynung der Schul-Lehrer in denen Lehren / die das Recht der Natur betreffen / abgehet / oder nur die Mediocrität der Aristotelischen Tugend nicht passiren lassen wil. Daß diese meine Meynung nicht so gar unwahrscheinlich sey / kan man auch aus deme abmercken / was man mit dem Herrn von Pufendorff vorgenommen / als dieser die Mängel des Grotii auszubessern und die treffliche Disciplin in ihren rechten Glantz zu versetzen sich angelegen seyn lassen. Als er anfänglich sein Vorhaben Methodo Mathematica in seinen Elementis überhaupt entwurffe / und darinnen die gemeinen Irrthümer nicht offenbahr widerlegte / liesse man ja dieses sein Buch nicht allein unangetastet / sondern man lobte es auch als ein Werck eines ungemeinen Ingenii, ausser daß sich ein damahls berühmter Commentator Grotii verlauten liesse / es mangelte ihm noch / daß er die alten Philosophos nicht wohl studiret und gelesen hätte. Nachdem er aber diese seine Lehre

in dem grössern Werck de Jure Naturæ & Gentium nur in eine andere Forme gegossen/und mit den daselbst häuffig angeführten Exempeln und Zeugnissen aus denen alten Griechischen und Lateinischen Scribenten dieselbe theils ausgezieret / theils das jetztermeldte widrige Judicium realiter refutiret/ hiernechst aber nur gewiesen/daß er ein wenig weiter von denen Scholasticis abgehe als Grotius, und die perseitatem turpitudinis & honestatis actuum jure naturæ prohibitorum & præceptorum, ingleichen die von denen Scholasticis zum Grunde des Rechts der Natur gesetzte convenientiam cum sanctitate divina antecedenter ad voluntatem divinam wiederleget; was hat man nicht auff vielen Universitäten für Streit wider ihn angefangen? wie hat man nicht diese seine wohlgegründete Lehre als Atheistisch / Ketzerisch u. s. w. ausgeschrien/und bis in die 14. Jahre ihm das Leben mit Zanck- und Schimpffsvollen Streit-Schrifften sauer zu machen sich bemühet/bis endlich doch die Wahrheit seiner Lehrsätze die Oberhand behalten/ und seine Widersacher / nachdem sie keinen Vorrath ihn ferner zu attaquiren gefunden / theils stille zu schweigen / theils durch Mittels-Personen Friede mit ihm zu machen gezwungen worden. Dieweil aber dasjenige / was in dieser Sache auff beyden Theilen geschrieben worden / nicht nur sehr weitläufftig zu lesen ist/ sondern auch darinnen viel Dinge enthalten sind/die mehr die Personen derer Disputirenden als die Sache selbst angehen; Als habe ich für ohngefehr 4. Jahren versucht / ob ich nicht in meinen Institutionibus Jurisprudentiæ Divinæ die Hypothesin des Herrn von Pufendorff nebst dem Kern desjenigen/ was man ihm darwider opponiret / und was wider diese Objectiones zu antworten ist/in kurtze Lehr-Sätze zusammen fassen könte; massen ich dann disfalls meine Intention,und was mich noch ferner besagte Institutiones zu schreiben bewogen / in meiner

ner daselbst befindlichen Dissertatione Prooemiali weitläufftig ausgeführet. Nachdem aber diejenigen / die in diesem Stück wider den Herrn von Pufendorff zu schreiben angefangen / zweyerley Absehen gehabt / entweder die gemeine und bisher in Schwang gewesene Lehr-Art der Schul-Lehrer zu vertheidigen / oder aber eine neue und zuvor von niemand vertheydigte Hypothesin zu êtabiliren; als bin ich bemühet gewesen / alle diese beyderley Fundamenta in dem ersten Buch besagter meiner Institutionum zu widerlegen / und die Nichtigkeit derselben mehr mit sattsamen Gründen als stachelichten Worten darzuthun. Alle Scripta Anti-Pufendorffiana zielen dahin / daß die Socialität kein Principium cognoscendi des Rechts der Natur seyn könne. Derowegen habe ich dieselbe wider alle Objectiones durch klare und deutliche Definitiones und Axiomata befestiget. Hiernechst haben die meisten sich angelegen seyn lassen / die ex lege æterna hergeleitete convenientiam cum sanctitate divina antecedenter ad voluntatem divinam, oder die so genandte perseitatem turpitudinis & honestatis in objecto Juris naturæ, die von dem Herrn von Pufendorff von ihren Thron wäre verstossen worden / wider auff denselben zu heben. Ich habe aber gleichfalls gewiesen / daß dieses mit Einwilligung der gesunden Vernunfft / und wenn man nicht offenbahrlich in das præjudicium Autoritatis verfallen wolle / nicht geschehen könne. Endlich hat der berühmte Theologus und Philosophus zu Leipzig / Herr D. Valentin Alberti, am längsten sich bemühet / die Socialität nicht nur zu attaquiren / sondern auf eine neue Art das Recht der Natur aus dem Stande der Unschuld herzuleiten / und diesen Stand zu einer Richtschnur des Zustandes im gegenwärtigen Leben zu machen. Weßwegen ich mich beflissen in besagten ersten Buche (1) etwas genauer zu untersuchen / was für ein Unterscheid zwi-

zwischen dem Stande der Unschuld und dem jetzigen Zustand nach dem Fall sey / welches mich jederzeit sehr gewundert / worumb Herr D. Alberti solches zu thun unterlassen / da er doch seine gantze Hypothesin auff den Stand der Unschuld gründet / und ohne diese Betrachtung einer / der auch seine Hypothesin annehmen wolte / nothwendig wie ein Blinder im finstern herumb tappen muß. Zugeschweigen / daß ihm diese Betrachtung die Nichtigkeit vieler gemeinen Lehren von dem Stand der Unschuld würde gewiesen haben / die er in seinem Compendio aus Unterlassung derselben für wahrhafftig angenommen und præsupponiret z. e. daß die Frau dem Manne auch im Stand der Unschuld wäre unterworffen gewesen / daß die Kinder im Stand der Unschuld der Aufferziehung der Eltern würden von nöthen gehabt / und ihnen haben gehorchen müssen / daß im Stande der Unschuld es würde Respublicas gegeben haben / u. s. w. (2) Nechst diesem habe ich kürtzlich erwiesen / daß der Stand der Unschuld unmöglich die Richtschnur des Rechts der Natur seyn könne / theils weil es ohnmöglich ist durch die Natur den geringsten Grad von der verlohrnen Vollkommenheit zu erlangen; theils weil es auch in besagten Stande der Unschuld Leges positivas gegeben; theils weil im Stand der Unschuld viel Dinge gewesen oder nicht gewesen wären / die heute in gegenwärtigen Stande nicht mehr anzutreffen seyn / oder aus der Hypothesi des verderbten Standes entstanden; zu geschweigen daß das Recht der Natur denen Heyden sol ins Hertze geschrieben seyn / von dem Stand der Unschuld aber die Heyden aus ihrer Vernunfft / nach des Herrn D. Alberti seiner selbst eigenen Geständniß / nichts gewust haben. So habe ich auch (3) gewiesen / daß zu Behauptung dessen / daß etwas wider das Recht der Natur sey / nicht gnug sey / wenn man aus denen Heydnischen Philosophen anführet / daß sie es auch für verbothen geachtet (wie

sich

sich der Herr D. Alberti dieses Beweißthums in seinem Compendio zum öfftern bedienet) weil die Heyden aus der Conversation mit dem Jüdischen Volck/ so wohl auch per traditiones von ihren Vorfahren viel erhalten haben / das nicht zum natürlichen/ sondern zum göttlichen allgemeinen geoffenbahrten Gesetz gehöret. Ich habe zwar den Herrn D. Alberti in besagten meinen Institutionibus nicht geneñet/ weil wir damahln in einer Stadt docireten. Aber er wird nach seiner bekandten Modestie es nicht übel nehmen / daß ich es jetzo thue. Ich könte ja wohl dieserwegen für mich die Academische Freyheit und sein eigenes Exempel anf hren/ indem er in einen am X. Sonntage nach Trinitatis dieses jetztlauffenden Jahres publicirten Programmate, (dessen Titel ist: D. Val. Alberti, SS. Theol. P. P. Extra Ordinarius Disputationes suas Anti-Papisticas & Lectiones Anti-Calvinianas publicè indicit.) sich eben dieser Freyheit wider einen Professorem zu Franckfurt an der Oder bedienet. Aber ich kan ihn wohl versichern / daß es mehr aus Liebe zur Wahrheit geschehen / und weil ich unten sein Compendium zu lesen/ meinen künfftigen Auditoribus recommendiren wil. Vorjetzo wieder zu meinen Zweck zu kommen / so kan ich es nicht anders als dem Glück gegenwärtiger Zeiten zuschreibẽ/ daß man mir meine Freyheit in Lehren/ deren ich mich in besagten Institutionibus bedienet / ungekräncket gelassen / und dieselben bishero in öffentlichen Schrifften nicht angetastet/ ob ich gleich in denenselben nicht allein das jenige / was vor mir andere von dem Recht der Natur geschrieben / wiederholet/ sondern auch noch weiter gegangen als der Herr von Pufendorff, und ohne Prahlerey zu melden der erste gewesen / der das allgemeine Göttliche geoffenbahrte Gesetz von dem Recht der Natur ausführlich entschieden / und viel menschliche Thaten/ sonderlich die zur ehelichen Gesellschafft / und dem Gebrauch der zum Kinderzeugen gewid-

meten Gliedmassen gehören/die Grotius noch selbst nebst dem gemeinen Hauffen der Gelehrten zu dem Recht der Natur gezogẽ/dahin referiret. Denn gewiß/wenn ich zur selben Zeit/da der Herr von Pufendorff zu schreiben anfinge/ meine Institutiones verfertiget/ und die Lehren vertheydiget hätte/die anitzo im andern und dritten Capitel des dritten Buchs anzutreffen sind; ich glaube gäntzlich man würde mich nicht anders als den ärgsten Ketzer tractirt haben/so gar war damahls die gelehrte Welt in den Præjudiciis der alten Lehren ersoffen; massen man denn deßwegen einen so grossen Lermen mit dem Herrn von Pufendorff angefangen/als er nur von der Polygamie vieler Weiber in seinem opere de Jure naturæ pro & contra raisoniret/ und doch den stärckesten Ausschlag gegeben/daß dieselbige dem Recht der Natur nicht gemäß sey. Was würde man erst gethan haben/wenn er/ wie ich/ offenbahrlich behauptet hätte/ daß weder die Polygamie vieler Weiber noch vieler Männer/ingleichen die Blut-Schande in gerader Linie u.s.w. aus dem Recht der Natur könne bestritten werden/ sondern daß die Unzuläßigkeit dieser Laster eintzig und alleine aus der heiligen Schrifft hergeführet werden müsse. Und gleichwol hat die Glückseligkeit unserer Zeiten mir die Ruhe verschafft/ daß diese meine Institutiones nicht alleine cum approbatione & censura, uñ zwar der erste Theil davon selbst zu Leipzig gedruckt worden/ und daß man mich dieserwegen in öffentlichen Schrifften unangefochten gelassen/ sondern auch daß der Herr D. Alberti selbst darzu stille geschwiegen/ der doch sonst nicht leichte etwas unbeantwortet läst. Ich rede dieses nicht aus einer Uberhebung/ ja ich würde mich selbst bescheiden dieses alles so auszudeuten/ daß man meine Lehren für so nichtswürdig gehalten/ daß sich kein Gelehrter die Mühe genommen/ darumb zu bekümmern/ oder sie einer Widerlegung würdig zu achten/ wenn mir nicht der Ausgang meiner Verfolgung gewiesen/ daß man meine Person allerdings in Consideration gezogen/ und daß meine Lehre meine Widrigen nicht wenig wider mich irritiret. So bin ich auch gewiß versichert/ daß alsbald bey Publicirung dieser meiner Institutionum gantze Collegia öffters zusammen komen/ dieses mein Buch Bogenweise/ und da es noch naß von der Presse gewesen/durch examiniret/ und gesuchet/ ob sie etwas das die Confiscation meritirte/ darinnen finden könten. Ich bin auch nicht so ruhmräthig / daß ich frolo-

frolocken solte; ob habe der Herr D. Alberti durch meine Gründe bewogen/ seine Meynung / die ich vor irrig halte / geändert. Ich könte ja wohl mit einem gleichen lusu ingenii und noch vielleicht mit einer grössern Emphasi das aus dem Terentio hergenommene Sprichwort: Erubuit salva res est, dessen sich der Herr D. Alberti in oben allegirten Programmate wider den Professorem zu Franckfurt an der Oder zum öffern bedienet/ auch hier wider ihn gebrauchen. Alleine wenn ich eines theils bedencke/ daß sich solches zu der Controvers die ich mit ihm abhandele: Ob der Stand der Unschuld die Richtschnur unsers jetzigen Thun und Lassens seyn könne? nicht wohl schicke / indem es sehr wahrscheinlich ist/ daß man im Stand der Unschuld wohl den Terentium nicht würde tractiret/ noch die Invention zu einem Programmate daraus hergenommen haben; anders theils auch ihrer viele sich finden dörfften / die diese meine Meditation auff eine Satyrische Weise auslegen möchten/ da ich mir doch gäntzlich fürgenommen die Satyrische Schreib-Art bey seite zu legen / so wil ich es unterwegen lassen; Zumahl mir wohl bekant / daß der Herr D. Alberti dieses sein Compendium für unbetrieglich und infallibel hält / und ich also/ wie erwehnet/ die meinen Institutionibus bisher gegönnete Ruhe niemand anders als der glückseligen Freyheit unserer Zeiten zuzuschreiben habe. Ich habe seit der Publication dieser meiner Institutionum kein Collegium drüber gehalten. Nachdem mich aber allhier etliche Lehrbegierige darumb ersucht / daß ich zwischen Michaëlis und Ostern künfftiges Jahrs ihnen dieselben erklären möchte/ habe ich ihrem ehrlichen Begehren gratificiren/ und Morgen/ geliebtes Gott / nach Mittage umb 2. Uhr (es wäre denn / daß meinen Herren Auditoribus eine andere Stunde belieben solte) hierzu im Namen Gottes den Angfang machen wollen. Ich werde mich befleißigen in diesem Collegio ihnen nicht allein die kurtzgefaßten Theses deutlich zu erklären / sondern auch / weil ich in denen Institutionibus keine Autores allegiret/ ihnen zu desto besserer Nachlesung die Autores, absonderlich wider die ich disputire / zu melden. Für allen Dingen aber wird nöthig seyn/ daß sie sich des Herrn von Pufendorff sein Opus de Jure Naturæ & Gentium anschaffen/ weil fast kein Blat in meinen Institutionibus seyn wird/ das sich nicht darauf beziehen solte. Hiernechst verlange ich von ihnen / daß sie auch des

Herrn

Herrn D. Alberti sein Compendium Juris Naturæ, und sonderlich den ersten Theil/ welcher ohne dem kurtz ist/ mit Fleiß durchlesen/ damit sie die Wahrheit meiner Lehr-Sätze/ und die Unzulängligkeit der Seinigen desto besser begreiffen mögen. Ich würde in Wahrheit dieses nicht prætendiren/wann ich nicht der Güte meiner Sache wohl versichert wäre. Denn es ist ein langhergebrachter Gebrauch unter denen Gelehrten / die keine gute Sache haben/ daß sie ihre Untergebene oder Zuhörer abhalten/diejenigen/so sie widerlegen wollen/ nicht selbsten zu lesen / oder ihnen wol gar solches verbieten / unter dem Schein/als ob in denen Schrifften derer Gegner ein heimliches und gefährliches Gifft fürhanden wäre. Ich versichere hingegentheil meine Zuhörer/ daß des Herrn D. Alberti sein Buch / unerachtet er von mir dissentiret / kein gefährliches Buch sey / und daß sie den geringsten Gifft/der ihnen an Erkäntniß der Wahrheit schaden könte / darinnen nicht antreffen werden / denn ich habe solches aus eigner Erfahrung. Und solcher Gestalt hoffe ich/es werde sich der Herr D. Alberti desto weniger über mich zu beschweren haben/als ob ich irraisonnabel oder anders als einem die Wahrheit suchenden Manne gebühret/ mit ihm verführe. Letzlich wird es auch nicht schaden können/wenn sie sich meine Introductionem ad Philosophiam Aulicam anschaffen/ weil ich darinnen das πρῶτον ψεῦδος, welches den Herrn D. Alberti zu dieser seiner Hypothesi de Jure Naturæ scheinet verleitet zu haben / widerleget/ nemlich die von ihm erdichtete Philosophiam Christianam, oder eine solche Philosophie, welche ihre Lehr-Sätze aus denen Grund-Sätzen der Göttlichen Offenbahrung herleitet / und die solchergestalt besage dessen / was ich in dem ersten Capitel meiner Einleitung zu der Vernunfft-Lehre erwiesen/ die zwey Lichter der Natur und Göttlichen Offenbahrung gantz offenbahrlich mit einander vermischet. Dieses wenige ist es / was ich meinen zukünfftigen Herren Auditoribus zum voraus zu erinnern für nöthig erachtet/ das übrige werde ich zu seiner Zeit in dem Collegio selbst berühren. Gegeben in Halle den XIX. Sonntag nach Trinitatis M DC XCI.

Institut.



INSTITUTIONUM JURISPRUDENTIÆ DIVINÆ LIBER I.

Cap. I.

De Jurisprudentia in genere.

SUMMARIA.

Jurisprudentia resolvitur in duos conceptus, respectu quorum initio consideratur seorsim §. 1. *& quidem quoad terminum* Prudentiæ §. 2. *qui ut rectè intelligatur, repetitur breviter tota doctrina de habitibus & eorum divisione* §. 3. usque ad §. 21. *& ostenditur quam sæpè hîc Peripatetici errent* §. 22, usq; ad 26. *Deinde quoad terminum* Juris §. 27. *qui sumitur vel pro* Lege, *cujus traditur* 1. *definitio* §. 28. usque ad 35. 2. *Objectum personale, Homo, cujus definitio & partes aliter quam vulgò considerantur,* §. 35-52. 3. *Objectum reale, actiones humanæ. Hic exponitur, quænam actiones legi subsint, percurrendo singulas actionum classes.* §. 52-66. *& inde formantur axiomata decem de imputatione actionum humanarum* §. 66-77. 4. *Autor, Deus vel Homo* §. 78. 5. *Contraria, mutatio & dispensatio* §. 79. 80. 81. *Porrò sumitur etiam Jus pro* Attributo personæ. *Hujus exhibentur* 1. *Definitio* §. 82. *ubi ostenditur* a) *quid sit qualitas moralis*

activa & passiva §. 83. b) *Fons omnis juris humani, sc. voluntas superioris* §. 84. 85. c) *quid sit persona, quid status? Quotuplex persona?* §. 86. 87. 88. d) *quid sit τὸ aliquid in definitione* §. 89. e) *Quid societas?* §. 91. 92. *& ejus divisiones in aequalem, inaequalem & mixtam,* §. 93. *divinam & humanam,* §. 94. *naturalem & arbitrariam,* §. 95. *simplicem & compositam,* §. 96-99. 2. *Axiomata ex definitione juris deducta* §. 100-104. 3. *Divisiones in perfectum & imperfectum,* §. 104. 105. (*Hujus divisionis usus,* §. 106. 107. *& notae utriusque juris* §. 106. 107.) *connatum & acquisitum,* §. 114. *Imperium, Libertatem, Dominium, Jus in re, Creditum,* §. 115-121. *Vulgare & eminens,* §. 122-127. *Naturale, Gentium & Civile* §. 128-131. 4. *Attributum: mutabilitas* §. 132. 133. 5. *Correlatum: Obligatio. Haec definitur,* §. 134-137. *& dividitur.* §. 138. *Ostenditur: omnem obligationem esse mutabilem.* §. 139. 140. 141 *Hac occasione etiam exponitur actio, quatenus & haec dicitur justa, atque variae significationes actionis justae, licitae, honestae, & quae his opponuntur, explicantur.* §. 142–153. *Tum consideratur Jurisprudentia* conjunctim, *quod ea & legem & attributum personae pro objecto habeat, maximè tamen legem.* §. 154. 155. *Unde definitur* §. 156. *& dividitur in Legislatoriam, Consultatoriam & Judicialem* §. 157 158. *Non confundenda Jurisprudentia cum ipsâ legum explicatione & applicatione* §. 160. *Partes duae Jurisprudentiae Judicialis.* §. 161. *Jurisprudentia vel divina vel humana* §. 162. *Differentia Jurisprudentiae à Theologia & reliquis Facultatibus,* §. 163–171. *Differentia inter Jurisperitum & JCtum* §. 172.

§. 1.



Urisprudentiae vox duplicem involvit conceptum, unum *Prudentiae*, alterum *Juris*.

2. *Prudentia* qvid sit non melius nosse poterimus, qvam si divisionem *habituum* paulo altius repetierimus.

3. Uti vero per habitum hîc intelligimus conceptum ali-

aliqvem Philosophicum, ita qvæ alii in hâc doctrinâ de *habitibus infusis* a) disserere solent, eoqve v. g. *donum lingvarum in Apostolis* referunt, nos non turbabunt, qvi circulos luminis naturæ & revelationis turbare nolumus.

4. Eadem observatio est, dum *fides, spes, charitas*, ipsa *Theologia* ad classem habituum referuntur ab aliis, qvod nihil aliud est, qvàm mysteria fidei metiri velle modulo inepto rationis.

5. Nos ita procedemus: Habitus est vel *intellectualis*, qvi in intellectu residet & acqviritur actibus intellectus, qvi sunt: affirmare & negare, vel *voluntarius*, qvi residet in voluntate, & acqviritur actibus voluntatis. Per actus autem voluntatis hîc non solum intellige internos, scilicet: appetere, aversari, sed & externos, videlicet actus locomotivæ, qvatenus à prioribus diriguntur.

6. Habitus *intellectualis* vel pro objecto habet *principia* b) tam theoretica qvam practica, & vocatur *intelligentia*, vel *principiata*. c)

7. *Posterior* est vel *Theoreticus*, qvi pro objecto habet

 cogni-

ad §. 3. a) mutavi in hac editione §. 3. & 4. *In præcedenti siquidem editione secutus eram adhuc communem doctrinam libellorum Logicorum in capite de Qualitate, atque adeò distinxeram inter habitus infusos & acquisitos, hos in eos, qui viribus supernaturalibus & naturalibus acquiruntur. Et in posterioribus perrexeram. Sed hîc malui planè istas duas priores divisiones seponere ob rationes in thesibus dictas.*

ad §. 6. b) scilicet complexa seu propositiones.

c) i. e. conclusiones ex istis primis principiis ortas, seu principia incomplexa, seu cognitionem rerum de quibus propositiones formantur.

ad

cognitionem Creatoris & creaturæ, vel *Practicus*, qvi pro objecto habet cognitionem actionum humanarum.

8. *Theoreticus* vel considerat *ens in genere*, qvi dicitur *Ontologia*, d) hodiè vulgariter *Metaphysica*, e) vel certas *entis species*.

9. Et qvidem vel *Creatorem*, qvi vocatur *Sapientia*, f) olim etiam *Methaphysica*, g) hodiè: *prima pars Pneumaticæ*, h) vel *creaturas corporeas*, i) & appellatur *scientia*. l)

10. *Scientia* vero contemplatur creaturas corporeas, vel ratione essentiæ & qvalitatum, qvod facere debet *Physica*, vel ratione qvantitatis, qvod facit *Mathesis*.

11. Seqvitur habitus *Practicus*. Atqvi hic *m*) vel occupatur circa actiones hominum honestas, & appellatur *Prudentia*, vel turpes & dicitur *Astutia*, vel indifferentes, & vocatur *Solertia*.

12. Qvi

ad §. 8. *d) Ita Claubergius scripsit Ontologiam, & ante eum alii.*

e) vide quæ hâc de re eleganter differit B. Pater in Historiâ Metaphysicæ subjunctâ ejus quæstionibus Metaphysicis.

ad §. 9. *f) Unde & sapientiæ imperium tribuitur inter Habitus intellectuales. Qvamvis ineptissimè eundem titulum hodiè multi tribuant Metaphysicæ, quatenus est simplex Ontologia.*

g) Dicebatur autem olim Metaphysica, quod post Physicam tractari debebat, quia cognitio creaturarum ducit ad cognitionem Creatoris. Cartesiani ergo cum methodum inversam sequantur, suam doctrinam de Deo Metaphysicæ nomine insignire non possunt. Et Ontologia Peripateticorum pariter ineptè Metaphysicæ nomen retinet.

h) Nam tractatur in Pneumatica 1. de Deo, 2. de Angelis, 3. de Animâ separatâ. Ignorat vero Pneumaticam philosophia vetus, cum sit novum inventum Scholasticorum, ut ostendit Pater in historiâ Metaphysices.

i) quia spiritus creatos separatim existentes ignorat ratio sibi relicta.

l) Unde Aristotelicis tot sunt scientiæ, quot substantiæ: Sunt autem sub-

12. Qvi vero in his omnibus ingenio caret, *stupidus* & *imprudens* dicitur.

13. Dum vero prudentia versatur circa actiones *honestas* ita circa eas occupata est, ut non excludatur earum *jucunditas* & *utilitas*, sed ut ea honestati subordinetur. Nam honestum vel maximè jucundum est & utile.

14. Qvatenus autem magis ab utilitate & jucunditate abstrahit, & honestatem actionum, seu earum convenientiam cum lege præ oculis habet, eatenus ad differentiam prioris, cum additamento *Jurisprudentia* dicitur latè accepta.

15. Porrò homines, qvorum actiones dirigit prudentia, vivunt vel in *societate civili*, & tum dicitur *Prudentia Politica*, vel in *societate domestica*, & vocatur *Prudentia Oeconomica*.

16. *Utraqve* versatur vel circa actiones *futuras* vel *præteritas*. Illa *Consultatoria* est latè sic dicta, *n*) hæc *Judicialis* in *latissimo* significatu. *o*)

substantiæ tres: Deus, unde Metaphysica, Cœlum, unde Astronomia, & Corpus naturale, unde Physica. Sub se enim in latâ acceptione scientia comprehendit sapientiam.

ad §. 11. m) Varia mutavi à §. 11. ad 20. quæ aliter extant aut ordinata erant in primâ editione, quæ inde provenerant, quod, quia observaveram artem non posse ad habitus intellectuales referri, prudentiam solam in classe habituum practicorum retinueram, eamque feceram synonymum habitus practici.

ad §. 16. n) quia, ut vides, hæc Legislatoriam sub se comprehendit. At communiter Consultatoria strictè dicta Legislatoriæ opponitur, vide §. 19.

o) quatenus hic etiam judicamus, an utilis fuerit actio an jucunda, In stricto significatu, de quo §. 19. judicamus saltem an honestæ fuerint.

17. *Consultatoria* vel occupata est circa actiones *proprias*, vel *alienas*.

18. Et qvidem aut *superiorum*, aut *parium*, aut *inferiorum*.

19. Harum ultima speciali nomine dicitur *Prudentia Legislatoria*, qvæ est pars nobilissima *Jurisprudentiæ latè* acceptæ. Reliqvæ species nomen *Prudentiæ Consultatoriæ* retinent, & illa qvidem, qvæ superiori in legibus ferendis vel actionibus propriis secundum normam legum divinarum instituendis consilia suppeditat, est altera pars *Jurisprudentiæ latè* acceptæ. Qvæ vero in specie circa actiones honestas *aliorum* easqve *præteritas* versatur, est prudentia *Judicialis strictè* dicta, item *Jurisprudentia strictè* dicta, seu tertia pars *Jurisprudentiæ latè* acceptæ.

20. Sumitur ergò, ut vides, Jurisprudentia vel latè vel strictè. Late, ut sub se Legislatoriam & Consultatoriam comprehendat, strictè pro solâ Judiciali.

21. Restat habitus *Voluntarius*. Hic acqviritur actionibus vel lege præceptis, & est *Virtus moralis*, vel lege prohibitis, & dicitur *vitium morale*, vel deniqve lege permissis, & nihil est aliud qvam *Ars*. p) Singuli ergo habitûs voluntarii habent suos directores in intellectualibus Practicis, virtus *Prudentiam*, vitium *Astutiam*, Ars *Solertiam*. q)

22. At-

ad §. 21. p) Poterit hoc probari per instantiam. Nam omnis ars pro fine habet actionem indifferentem, eamque vel jucundam vel utilem. Non obstant ars amandi, bibendi (vitiosè nempe.) Nam hîc est abusus vocis. Cavendum tamen maximè ne vanitas se immisceat artibus, quæ quomodo differat à turpi actione, dixi in dodec. qvæstion. promisc. qv. 4.

q) *confer jam cum hâc distributione habituum quæ disserui* in dissert. proœmiali §. 35.

22. Atqve hæc ideò paulò altius repetenda fuerunt, qvia communis doctrina Peripateticorum de divisione habituum & speciebus Virtutum intellectualium infinitis scatet erroribus, qvos facilè qvis deprehendet, qvi eorum tradita cum hactenus dictis contulerit. *r*)

23. Illum hic non possumus non paulò fusius detegere, qvod communiter inter Habitus intellectuales *Theoreticos* & *Practicos* illam dicant intercedere *differentiam*, qvod hi pro fine habeant etiam actionem, illi autem in contemplatione, tanqvam fine ultimo subsistant.

24. Nam hic error non solum rectæ rationi est adversus, cum omnes habitus theoretici, ut facilè per inductionem probari potest, tendere debeant ad praxin, sed & cum verâ religione pugnat, propullulans videlicet ex falsâ

ad §. 22. *r*) *Vide potissimum, quæ ex mente Peripateticorum tradit B. Pater* in Tab. 29. Philos. Practicæ, & ibi in annotationibus potissimum annot. 127. *Numerabimus hic saltem errores potissimos. 1. Errant, dum Intelligentiam faciunt speciem habituum Theoreticorum, quod inde provenit, quia de principiis practicis parum fuerunt solliciti. 2. Errant, quod Ontologiam confundant cum Metaphysica. 3. Quod doctrinam de Deo ex Metaphysicâ exemerint, & ad separatam disciplinam Pneumaticam retulerint.* 4. *Quod suam hodiernam Metaphysicam jactent pro sapientiâ, cum nihil sit quàm Lexicon terminorum omninò non, vel certè parum utilium. 5. Dum in Pneumaticâ tractant de angelis & animâ separatâ. 6. quod putent, prudentiam versari circa actiones honestas tantùm, cum etiam versetur circa utiles, quod apertè in prudentiâ consultatoriâ fatentur.* Conf. Patr. tab. ult. Phil. Pract. l. 56. seq. 7. *Quod Legislatoriam & Consultatoriam solum ut species diversas consideraverint, cum tamen Legislatoria sit species consultatoria.* 8. *Errant in cæteris differentiis inter prudentiam Legislatoriam, Consultatoriam*

falsâ Gentilium opinione, opinantium, Dei essentiam consistere in contemplatione. s)

25. Spectant eo varia effata Summi, qvem profitentur, Aristotelis. t) *Beatitudinem theoreticam esse nobiliorem Practicâ; comitari eam voluptatem sinceriorem, qvam Practicam; theoreticam magis copulare hominem cum Deo, qvam Practicam*, item: u) *Prudentiam aliqvatenus inservire sapientiæ &c.*

26. Nobis præ his nugis omnium maximè arridet sapientissimus Apostoli discursus, amorem videlicet ex pru-

toriam & Judicialem exponendis, quas exhibet idem Tab. 29. lin. 50. seq. 9. *Dum* Philosophiam Practicam *suam prudentiæ nomine dignantur, cum tamen non solum ex propriâ eorum hypothesi & explicatione trium Prudentiæ partium, quas modo memoravimus, non detur nisi* Jurisprudentia, *sed & revera ipsorum Philosophia Practica nihil aliud sit quàm lexicon terminorum nec Politico, nec JCto, nec Oeconomo multum utilium, reliqvum ipsismet, fatentibus, optima Doctrina Prudentiæ in ipsorùm Prudentiâ deficiat, scilicet doctrinâ Mediorum*, vid. Patr. Tab. ult. lin. 60. seq. 10. *Errant in exponendâ differentiâ inter versutiam, prudentiam & imprudentiam.* Vid. Tab. 29. lin. 62. & in annot. ibid. 11. *Errant, dum artem dicunt esse habitum intellectualem, confundentes videlicet artem cum solertiâ. Errant* 12. *dum habitum moralem vel virtutem moralem faciunt synonymon habitûs voluntarii, omittentes iterum artem.*

ad §. 24. s) *nudâ scilicet, quæ ne quidem pro fine habet actionem. Vide tamen explicationem meam ulterius* in dissert. procem. §. 37. *Nec melius Dei essentiam homo sibi concipere potest, quam per æternum amorem.*

ad §. 25. t) Vid. Tab. 6. Philos. Pract. lin. 15. & 20. junct. annot. 34. n. 2.

u) Vid. Patr. annot. 127. ad Philos. Pract. n. 10.

ad

prudentiâ oriundum omnibus contemplationibus longè præferentis.x)

27. Atqve hæc occasione Prudentiæ. *Juris* vox sumitur multis modis. *y)* Potissimum vel pro *lege*, vel pro *attributo personæ.z)*

28. *Legem* aliter Grotius,*a)* aliter Aristoteles *b)* definiunt, aliter JCti.*c)* Mirè verò ac ineptè pariter hîc sudant Scholastici. *d)* Nos ita: *Lex est jussus imperantis obligans subjectos, ut secundum istum jussum actiones suas instituant.*

29. Differt per hanc definitionem lex tùm à consilio, tùm à pacto, & qvidem variis modis. *e)* Sed hæc communiter inculcari solent. Illud potissimum notes, ut non commune: *Lex semper obligat etiam sine pacto: Pactum nun-*

ad §.26. x) adde declarationem ex dissert. procem. th. 36.

ad §. 27. y) vide hîc potissimùm JCtos ad tit. Inst. & Pand. de Justitiâ & Jure.

z) Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 1. §. 4. & 9. *Nam, quem tertium significatum Grotius* d. l. §. 3. *addit, quod sumatur etiam pro actionis attributo, magis ad justum in concreto, quàm ad jus in abstracto pertinet.*

ad §. 28. a) quod sit regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum est. Vide Grotium d. l. §. 9. Conf. Velthem. ad Grot. p. 42. seq.

b) Aristoteli Lex est oratio à prudentiâ & intelligentiâ profecta, vim habens cogendi. Vide Patris Tab. 25. lin. 6.

c) vid. l. 1. seq. ff. de LL. ibique Dd. & ad Inst. de J. N. G. & C. §. Lex est.

d) De Scholasticorum litigiis circa essentiam Legis vide prolixè Dn. Osiandrum in Typo legis naturæ p. 17. seqq. *Quidam ex illis dicunt legem esse dictamen rectæ rationis, indicans actiones esse bonas vel malas in genere morum.*

ad §. 29. e) Lex proficiscitur à superiore & fertur inferioribus etiam invitis, semperque vim obligan-

nunquam sine lege, etsi lex qvandoqve obliget mediante pacto. Tum igitur pactum est saltem obligationis occasio, ut remotio valvarum occasio est illuminationis in hypocausto. *f*)

30. Autor Legis semper est *imperans*, qva voce malumus uti, qvam cum aliis voce *superioris*. Nam præter *superioritatem imperii*, dantur & aliæ superioritates, *ordinis*, puta, *dignitatis*, addo etiam *beneficii*, qvæ hujus loci non sunt. *g*)

31. Hinc

gandi habet. Consilium datur etiam à pari & inferiori, etiam pari & superiori, nec unquam obligat, etiamsi is, cui datum fuerit, suum præbuerit assensum. Pactum semper est inter pares & requirit consensum duorum.

f) *Communiter dicitur obligationem oriri vel immediatè ex lege, vel mediatè per pactum. Malo tamen asserere sed secundum explicationem* in differt. procem. §. 38. *omnem obligationem oriri ex lege, & pactum veram causam (etiam mediam) obligationis non esse, sed solum medium. Probari sententia mea poterit ex definitione obligationis, quam vide* infrà §. 134. 135. *Malo etiam adhibere vocem* medii *quam* causæ per accidens, *aut etiam* causæ sine qvâ non, *quia nolo me immiscere tricis Scholasticorum de differentia inter causam per accidens & causam sine quâ non, quam nobis peperit iterum studium explicandi scripturam per Metaphysicam, v. g. in quæstione: an Deus sit causa peccati?*

ad §. 30. g) *Imperii oppositum subjectio, & includit hæc superioritas etiam reliquas. Beneficii oppositum reverentia, & includit ferè superioritatem dignitatis & ordinis. Dignitatis oppositum est minor dignitas vel etiam vilitas, & infert præter alia jura etiam præcedentiam seu superioritatem ordinis. Denique superioritas ordinis tantùm in præcedentiâ consistit inter personas ejusdem dignitatis. Distinctio inter superioritatem imperii & beneficii suum usum potissimum exeret infra in doctrinâ de societate paternâ.*

ad

31. Hinc sequitur, qvod Deus non agat secundum legem, & qvod lex æterna sit figmentum Scholasticorum. *h*)

32. Is cui Lex fertur, est *subjectus* seu *parens*. Hic rationem præsupponit, qvæ cum non cadat in bruta, ergo neqve lege eadem obligari poterunt. *i*)

33. Restat itaqve *homo*. Unde Lex communiter appellatur norma actionum humanarum. Actio autem hominis legi attemperata unâ voce dicitur *officium*.

34. Sed actiones hominis sunt variæ, alias enim sibi proprias instituit, aliæ ipsi cum bestiis & plantis communes sunt. Videndum igitur de qvibusnam disponere lex possit. Atqve hic prius de *homine ipso ejusqve essentiâ* distincti erunt formandi conceptus, ac præconceptæ qvædam opiniones removendæ.

35. *Homo* est animal rationale. Sic vulgo homo definitur. Nec aliam definitionem admittit scala prædicamentalis substantiæ in libellis Logicis. Qvamvis neqve sit ad mentem Aristotelis, neqve ad palatum Porphyrii

ad §. 31. h) vide qvæ dixi in disp. de philos. jur. § 26. & adde dissert. prœm. §. 39. *Fortè hæc Scholasticorum doctrina propullulavit ex ignorantiâ primorum principiorum in jure naturæ, & confusione Jurisprudentiæ naturalis cum Theologiâ, aut ex semel præsuppositâ ineptâ legis descriptione quod sit dictamen rectæ rationis. Habet hæc doctrina Scholasticorum aliquid analogi cum doctrinâ gentilium in physicis de materiâ primâ Deo coæternâ, & in moralibus cum doctrinâ de fato.*

ad §. 32. i) Conf. Deusingium de ratione & loqvelâ brutorum dissert. select. p. 187. seqq. *Ad objectiones de intellectu & voluntate brutorum respondetur communiter in Collegiis Ethicis.*

ad

phyrii autoris istius scalæ. *l)* Impugnatur autem eadem variè à Chrysostomo, Cardano, Helmontio, Antonio le Grand, & aliis. *m)* Nos retinebimus, sed cum explicatione debitâ.

36. *Animal* haudqvaqvam arbitramur esse corpus vivum sentiens, sed putamus esse corpus vivum motu præditum. Scilicet ut hactenus ad oculum demonstrarunt acutiores Philosophi, *n) bestiæ sensu carent*, interno nempe, sine qvo sensus externus sensus nomen haud meretur, neqve aliter moventur ac machinæ, *o)* nisi qvod in iis etiam subtiliores auræ particulæ ab extra illa organa, qvæ apud homines sedes sunt sensuum exteriorum, feriendo, contactu harmonico motus interiores qvandoqve cieant.

37. Scio

ad §. 35. l) *Gentiles enim statuebant essentias medias inter Deum & homines, alii dæmonas, alii faunos & satyros. Unde Aristoteles & Porphyrius hominem definiebant: animal rationale mortale.*

m) *ostendam id Deo dante peculiari quæstione:* Qvid est homo?

ad §. 36. n) vide Dissert. procem. §. 40. *Cæterum in hoc abeo à Cartesianis, quod statuam in bestiis esse motorem aliquem internum, non tamen hunc sine fugâ contradictionis sensum appellari posse statuo.*

o) *& cum præcedenti adeò limitatione, quæ hic de machinis dicuntur, erunt intelligenda. Unde comparatio hæc est. Quemadmodum Machinæ moventur à tali aliquo principio interno, quod motus non dijudicat, sic & bestiæ. Igitur facilè respondere possum, si quis urgeat, in motu machinæ, si rotula una laboret, impediri reliquas omnes, non ita in bestiâ. Ratio enim est, quod in bestiis principium motus non proveniat à corpore aliquo crasso, ut est rota, sed à subtiliori, quòd propter subtilitatem suam vocatur spiritus animalis à materiâ distinctus. Si quis urgeat, impossibile esse, ut ejusmodi machina fiat ab homine, regeram, id ideò fieri,* quia

37. Scio non sapere hanc hypothesin illis, qvi veritatem assertionum ex antiqvitate metiuntur, qvibus tamen, si nihil aliud regerere possem, premerem saltem eos, ut si, qvod spero, bestiis rationem adimant, differentiam *o*) mihi ostendant inter sensum communem, phantasiam atqve memoriam, qvam bestiis tribuunt, & rationem hominis. *p*)

38. Itaqve homo, ut *vitam* cum *plantis*, ita cum *bestiis locomotivam* habet communem. Qvod restat, voce *rationalis* includitur. *Ratio* autem hominis nihil est aliud, qvam cogitatio. *q*) Nam sapienter Cartesius: *Homo dum intelligit, cogitat, dum vult, cogitat, dum sentit, cogitat.*

39. Id vero sponte ex dictis seqvitur, duabus *rationis*

quia impossibile est homini efficere ejusmodi spiritum subtilem, eumque includere claustris ejusmodi.

ad §. *37.* o) *Itaque principalis mea assertio est: Bestiæ sensu carent. Secundaria: Moventur ut machinæ. Si modò prius concedas, facilis ero, quocunque nomine principium istud motus in bestiis velis nominare.*

p) *Explicari potest hæc observatio ex iis quæ Pater de sensibus externis recenset* in physicâ cap. 48. q. 35. usqve ad 58. p. 242. seqq. *Quodsi ex* qv. 46. *item v. g. ex actionibus simiarum, ex docilitate animalium velis objicere, bestias cognitione aliquâ & dijudicatione pollere, dabo instantiam: Oscitante uno oscitat & alter. Hoc sæpius fit absque judicio, absque officio sensus communis. Adde v. g. unde evenit, ut Musicus sæpè (dum in aliis profundis meditationibus versatur) canat aliquid, aut instrumento musico harmonicè ludat, quamvis se id facere nec cogitet, nec facere velit? Item: unde evenit, ut difficillimè procedat, si velimus v. g. manum dextrorsum promovere, pedem sinistrorsum? Proveniunt hæc à nullo principio judicante. Dixi latius* in introductione ad Logicam cap. 3.

ad §. 38. q) In dicto cap. 3. *latè etiam dixi quid sit cogitatio.*

ad

nis noſtræ *functionibus*, qvæ communiter recenſentur, *intellectui* puta & *voluntati*, addendam eſſe tertiam, *r*) *ſenſionem* nempe, locomotivæ qvidem contradiſtinctam, ſed appetitum ſenſitivum ſub ſe comprehendentem.

40. *Senſus* communiter in *internos* dividuntur & *externos*. *Viſus*, *Auditus*, *Olfactus*, *Guſtus* & *Tactus* vulgariter externos repræſentant, qvibus alii ut ſextam ſpeciem accenſent *Tactum venereum*, *s*) alii his omnibus ſeptimam & octavam addunt, *exſiccationem* in ore, & *famem* in ſtomacho. *t*) Interni *u*) ad tria genera reducuntur; *ſenſum communem*, *phantaſiam* atqve *memoriam*.

41. Sed ſenſus qvidem *externi* qvotcunqve ſint, paſſiones *x*) ſunt corporis, non functiones animæ. Aſt qvà ſimplex harum rerum apprehenſio fit, demum ſenſio oritur, qvam nomine *ſenſus communis* inſigniri, poſſumus tolerare, ut & qvod *phantaſia* dicatur, qvâ ideas ex his paſſionibus vel occaſione earum ſibi homo format *y*) & denique, quod *memoria* appelletur, qvâ homo iſtius ſen-

ad §. 39. r) *Non tanquam facultatem ſeparatam, ſed quod quà percipit, ad intellectum, quà appetit, ad voluntatem referri poſſit.* Vide theſes ſeqq. & conf. Patr. Phyſ. c. 48. qv. 1. ſeqq. p. 237. ſeqq.

ad §. 40. s) vid. Patr. Phyſ. p. 240. qv. 23. ſeqq.

t) *quod facit Bontekoe* von der menſchlichen Geſundheit.

Dictum hâc occaſione de cauſis multiplicatorum ſenſum externorum.

u) *Faciunt alii plures ſenſus internos, ut Avicenna.* Vid. *Patris Phyſicam* p. 241. qv. 29.

ad §. 41. x) *quod facilè patet per inductionem. Nam & viſus fit receptione.*

y) *quanquam prius phantaſiæ officium referri poſſit ad ſenſum communem, poſterius ad memoriam.* Vide omnino Patris Phyſicam p. 214. qv. 44.

z) non

ſenſionis recordatur, *z)* aut *reminiſcentia*, *a)* ſi recordatio iſta mediante ratiocinatione fiat.

42. Dicunt autem & docent Peripatetici; *ſenſus omnes cognoſcere b)* objecta ſenſibilia, externos qvidem paſſivè, internos activè. Sed uti iſta *cognitio paſſiva* eſt non ens, ſic *activa cognitio* qvomodo absqve cogitatione eſſe qveat, non qvidem percipio, *c)* & ſic vel ipſi qvi hæc docent, neceſſe habent concedere ſenſus internos ab animæ rationalis facultate cognoſcente haud differre, vel qvid doceant, ipſi neſciunt. *d)*

43. Porro uti in ſcholis *e) appetitus ſenſitivus* deſcribitur, nihil aliud eſt, qvam *voluntas* approbans id objectum, qvod corpus delectat, qvi qvidem ſi legi non repugnet, benè eſt, ſin; erit voluntas hominis perverſa. *f)* Non magis tamen ob iſtam perverſitatem poterit voluntas illa ad animam aliqvam ſenſitivam homini cum beſtiis

z) *non quatenus condit.* Conf. iterum Patrem p.245. qvæſt. 54. ſeqq.

a) *De differentiâ inter memoriam & reminiſcentiam* vide Patrem p.249. qv. 69. ſeqq. *Nos utramque referimus ad rationem & dicimus, quod differant tanquam ratio & ratiocinatio.* Conf. th. 45.

ad §. 42. b) vide iterum Patrem p.246. qv. 56. ſeq.

c) Conf. omninò Patrem p. 253. qv. 87.

d) *Dicunt equidem, diſtingvendum eſſe inter ſenſus humanos & beſtiarum, illos cognoſcere, vel in cognoſcendo cogitare, bos non. Sed hic urgendi ſunt, ut ſenſum iſtum definiant vel cognitionem brutorum, vel à terminis iſtis abſtineant, niſi fateri velint, hæc omnia de beſtiis dici æque impropriè, atque rationem & cogitationem, quia diximus jam, ſenſum eſſe ſpeciem cogitationis.*

ad §. 43. e) Vide iterum Patrem p. 251. qv. 76. ſeqq. & maximè p. 253. qv. 92.

f) *Hinc parum ſapida ſunt dicteria*

bestiis communem relegari, qvam ratio perversa. Nam utrobiqve homo dum perverse ratiocinatur & dum perversè appetit, cogitat.

44. Restant itaqve intellectus & voluntas. *Intellectus* missis antiqvorum fabulis de *intellectu* qvodam *agente g)* extra hominem, vel *latè* sumitur, ut memoriam intellectivam sub se comprehendat, vel *strictè*, ut eidem opponatur. *h)* Scilicet intellectus hominis *vel simpliciter apprehendit* objecta sensuum externorũ, propositionem aliqvam de illorum naturâ aut bonitate ex accidentibus eorum organa sensuum ferientibus, ac corpus delectantibus, formando, aut etiam de objectis jam anteà sensu perceptis confuse ideas sibi format, vel de veritate earum propositionum & de objecti bonitate, item de ideis ulterius per discursum meditando *ratiocinatur*.

45. *Prior* facultas *intellectus* nomen retinet, *altera memoriæ intellectivæ* voce communiter insignitur. Nos illam appellabimus *primam intellectus* operationem, hanc *secundam*, qvæ tamen secundum magis & minus infinitis modis variare poterit. Qvod si primam malles *rationem*, secundam autem *ratiocinationem* appellare, nec sic refragabimur.

46. Ita non opus habemus, ut sudemus in vulgatâ controversiâ *de tribus*, aut qvatuor, aut pluribus *mentis operationibus*, i) præprimis cum prima mentis operatio, qvæ

cteria Peripateticorum, quod voluntas succumbat aliquando appetitui sensitivo.

ad §. 44. g) Vide latè Patrem in Physicâ cap. 49. p. 285. qv. 75. seqq. & omninò q. 101. p. 297.

h) Pater d. c. 49. qv. 9. seqq. p. 267.

ad §. 46. i) Vide Patrem d. c. 49. qv. 105. seqq. p. 294. & omninò qv. 111. 112.

ad

qvæ in ſcholis conſtituitur ſit non ens, & noſtra diviſio majorem præbeat uſum, de qvo mox.

47. Igitur ex internis ſenſibus qvi *communis* dicitur, ad primam intellectus operationem pertinet, ad utramqve *phantaſia* & *memoria*. l)

48. Solent eqvidem *intellectum* inſuper & in *Theoreticum* & *Practicum* dividere: *m)* Sed præterqvam, qvod iſta diviſio videatur inventa olim ad oſtendendam differentiam inter rationem brutorum & hominum, & præterea idem hîc, qvem ſuprà *n)* occaſione habituum Theoreticorum & Practicorum deteginius, lateat angvis in herbâ, etiamſi vel maximè intuitu objecti hanc diviſionem toleraremus, neſcio tamen an eadem magnum nobis uſum ſit exhibitura.

49. Uti vero intellectus de rerum naturâ & habilitate ad hominem judicat, ita *voluntas*, qvæ facienda ſint homini, determinat. Et qvidem determinatio iſta ſeqvitur ſtatim vel primam intellectus operationem, vel ſecundam. *Prior* facultas *ſimpliciter* appetit, *poſterior* eligit, *o)* poſſes adeo illam *appetitus*, hanc *electionis* ſeu *voluntatis ſtrictè dicta* nomine inſignire.

50. Primi motus in *appetitu ſenſitivo*, prout vulgo deſcribitur, ſpectant ad appetitum ſimplicem, reliqvi

C mo-

ad §. *47:* l) conf. ſuprà §. 41.

ad §. *48.* m) Pater cap. 38. qv. 27. ſeqq. p. 187.

n) ſuprà §. 23. ſeqq.

ad §. *49.* o) *Prior dicit: vellem. Poſterior: volo. Ita homo eſuriens videns cibum alienum non, impedire ſe poteſt, quin objecto graviter ſtomachum movente, etiamſi juſtus ſit, & etiamſi jam ſtatuerit, quod nolit eo uti, intrinſecè cogitet: vellem, ſi liceret. Nam primi motus ejusmodi toties reiterantur, quoties objecta ſenſus movent.*

ad

motus appetitus sensitivi, ut & integer appetitus rationalis, pertinent ad electionem.

51. Igitur talis est *processus ordinarius ratiocinationis*, & actionum hominis. *p*) Postqvam objecta externa impulerunt sensus externos, seqvitur prima intellectus operatio, hanc excipit appetitus, qvi vel statim imperat locomotivæ, *q*) vel remittit *r*) rem trutinandam secundæ intellectus operationi, ac posteà eligit & locomotivam impellit &c. Ex his patet verum & illimitabile esse axioma: *Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu,* s) item illud: *ignoti nulla cupido.* t)

52. Cum ergo homo vivat, nutriatur, crescat, loco moveatur, sentiat, intelligat, velit, jam videndum *quænam actiones à lege dirigantur?* Summatim istæ, qvæ sunt in

ad §. *51.* p) *loquor de hominibus adultis & provoco ad experientiam.*

q) *tunc non dicit:* vellem, *sed:* volo. *Et tunc voluntas hominis vitio laborat. Unde vero hoc? Non à solà assvefactione esse, sed quod voluntas hominis jam ante intellectum (secundum nostram concipiendi modum) sit infecta, & præjudicia voluntatis inficiant ipsum intellectum, fusius probavi* in Praxi Ethices seu de remedio amoris cap. 1.

r) *tunc dicit:* vellem, *vel: volo sub conditione, si trutinavero, aut si non pecco.*

s) Vide Patrem p. 283. qv. 66. seqq. *ubi tamen non admittimus limitationem* in qv. 68. *Adde elegantem dissertationem Deusingii* de cognitione eorum, qvi surdi nati sunt, in dissert. select. p. 174. seqq. *Confer & quæ disserui* in Introd. ad Logicam passim.

t) *Non obstant exempla eorum, qui amasias in somno visas, nec ante cognitas depereunt. Ex illis tamen & similibus exemplis hoc proverbium & in eo vox:* Ignotum *limitationem accipiet.* Conf. dicta lit. q.

Ad

in hominis arbitrio. *u*) Non sunt autem, qvæ ad *vegetantem* animam communiter referuntur, neqve *passiones sensuum* externorum, *x*) neqve *prima in intellectu operatio*, neqve *primi motus in appetitu*. Remanent itaqve qvæ in arbitrio hominis sint, *remissio voluntatis* ad secundam mentis operationem, ipsa suo modo *y*) *secunda mentis operatio*, eamqve subseqvens *electio*, item regulariter *locomotiva*.

53. Qvod vero statuitur communiter, *appetitum subesse voluntatis imperio*, *z*) de primis ejus motibus non pro-

ad §. *52.* u) *Lex enim est norma. Unde requiritur ut homo viribus naturalibus possit & secundum, & contra legem vivere, qvod facilè patet, si quis corsideret essentiam voluntatis & differentiam ejus à naturâ brutorum. Homo velle potest etiam impossibilia, & ex possibilibus quæ communi naturæ nocent. In prioribus jam adest vinculum naturale: impossibilitas. Posteriorem libertatem coercet vinculum morale, lex.*

x) *observa tamen & hic & in reliquis distinctionem inter v. g. passiones sensuum, vel earum perceptionem, & inter locomotivam sensibus conjunctam, aut eos præcedentem, quæ omninò legi subest. Unde juberi potest filius, ne audiat comœdias, ut attendat horologium, ut memoriter discat carmen, &c. Et ita in reliquis.*

y) *i. e. ut intellectus in veritatem rei inquirat, quæ dicitur locomotiva intellectus. Ut non turbetur in speculationibus, aut ut veritatem consequatur (à voluntate scil. infectus, aut si res talis sit, ut ad certam veritatem deduci nequeat,) in arbitrio non est.*

ad §. *53.* z) Vide Tab. Patris 4. Phil. Pract. lin. 42. *Similiter, quod additur, appetitum posse reluctari, non placet, si de reluctatione totali intelligatur. Nam si bonum jucundum prædominari honesto patitur homo, effectus ipsius voluntatis est. Et adeò ad voluntatem suprà retulimus appetitum sensitivum.*

a) d. l.

procedit, ſicut nec qvod de *locomotivâ* aſſeritur, *a)* eam in univerſum ab hominis arbitrio dependere, nam & hic excipienda eſt locomotiva, quâ homo ad depellendum *b)* imminens corporis malum utitur. *c)*

54. Uti autem pro certo ſtatuendum eſt, in *intellectu* noſtro & præprimis in ejus operatione ſecundâ naturalem ineſſe *rectitudinem*, quæ debitâ attentione adhibitâ nos decipi circa res morales *d)* non patiatur, *e)* ſic *voluntas* ſtrictè dicta in homine eſt omnino *libera*, *f)* & verum axioma: *voluntatem non poſſe cogi*, qvamvis *g)* bonum in genere ſemper appetat, & ſæpè tum intrinſecè à peculiari ingenii diſpoſitione, & humorum temperamento, à cœli ſoliqve genio, ſemine, ætate, victu, valetudine, ſtudiorum ratione &c. provenientibus, à conformatione item organorum corporis, agendi conſvetudine, affectibus, *h)* & morbis qvibusdam, tùm extrinſecis aliorum actionibus valde inclinetur; ab obligatione autem à ſuperiore ipſi impoſitâ ſemper inclinari debeat. *i)*

55. At-

a) d. l. lin. 43. *Ubi dicitur; eam ita ſubeſſe imperio voluntatis, ut non poſſit reluctari.*

b) *aut cavendum*: *v. g.* wenn man einen gefährlichen Sprung thun ſoll: wenn man mit den Augen blinzet / da etwas zu nahe kömt etc.

c) *adde ex ſuprà dictis aliud exemplum. Si velis manum dextrorſum, pedem ſiniſtrorſum movere, locomotiva reluctabitur. Etſi id facere non ſit planè impoſſibile.*

ad §. 54. d) *aliud in naturalibus & ſpiritualibus.*

e) vide Dn. Pufend. de offic. Hom. I. 1. 4. & de Jure Nat. I. 3. 3.

f) Pufend. de J. N. I. 4. 4. *ubi nota quod de Atheis dicit.*

g) *Latius Pufend. de O. H. I. 1.* §. *11. usque ad* §. *16. & de* J. N. I. 4. §. 4. usqve ad 8.

h) *& hîc tamen diſtingvendum inter affectus qui bonum proſeqvuntur, & qui averſantur malum.* Puf. de O. H. d. l. §. 11.

i) *Sed* debeat. *Reverà enim vi-*

55. Atqve ob hanc etiam voluntatis libertatem *imputantur* l) homini actiones, h. e. homo pro earum autore rectè habetur, ac ad reddendam de iis rationem adstringitur, & in ipsum effectus, *m)* qvi ex illis proveniunt, redundant, unde magis arridet sententia Celeberrimi Rachelii, *n) unum* saltem esse *principium actionum* humanarum, *proæresin*, non quatuor, ut vulgo; *o)* Conscientiam, voluntatem strictè dictam, consultationem atqve electionem.

56. Porrò qvemadmodum actiones humanæ in relatione ad legem *morales* appellantur, ita in specie judicium intellectus circa istas actiones cognitione legum imbuti vocatur *conscientia. p)* Hæc vel est *antecedens* actiones humanas, vel *consequens.*

57. *Antecedens* vel rectè judicat & prout lex est lata, vel erroneè. Unde altera divisio conscientiæ in *rectam* & *erroneam.* q)

 58 *Re-*

nitimur in vetitum. In cujus causas inquiritur. Fortè appetitus libertatis naturalis conservandæ, aut etiam diffidentia in superiorem, & imaginatio rei vetitæ sub schemate boni hic impellunt. Conf. tamen Dn. Pufend. de J.N. l.4. 8. in nova edit.

ad §. 55. l) Puf. de J.N. l.3.4.9.

m) *scilicet pœna, præmium, obligatio ad dandum vel faciendum.*

n) peculiari tractatu de principio actionum humanarum.

o) vid. Patris Tab. Ehic. de principiis action. human.

ad §. 56. p) *Debet autem in moralibus ante omnia constare de definitione conscientiæ. Nam multi casus conscientiæ scripserunt, nescientes, quid sit conscientia.*

q) *Communiter ita dicitur: Conscientia est vel recta, vel probabilis, vel dubia, vel scrupulosa, vel erronea. Sed nos maluimus per dichotomiam procedere, ut res evadat clarior.*

ad

58. *Recta* vel judicii sui rationes ex certis ac indubitatis principiis deducere novit, vel saltem argumentis topicis nititur. Hinc recta (nam erronea saltem potest esse probabilis,) subdividitur in *rectam* in specie (nos vocabimus *demonstrativam*,) & *probabilem*. r)

59. Addunt equidem Scholastici & conscientiam *dubiam*, cum judicium intellectus anceps hæret & discernere nequit, bonum aliquid vel malum, adeoque agendum aut omittendum sit. Ast hæc quidem non est judicium, sed judicii suspensio, adeoque nec conscientia.

60. Magis huc referri posset dubiæ affinis conscientia *scrupulosa*, quando anxia formido judicium intellectus comitatur, ne fortè id ipsum malum sit, quod bonum aliquis existimaverit & contrà, quæ sæpius ad errantem referenda erit, quam ad rectam.

61. Quas verò *regulas* s) pro directione harum, quas diximus conscientiarum, Doctores formarunt, vel suâ sponte ex dictis propullulant, vel obscuriores *t*) sunt & dubiæ. *u*)

62. Conscientia *consequens* prout vel benè facta approbat, vel secus commissa damnat, in *tranquillam* & *inquietam* subdividitur, nostro idiomate das gute und böse Gewissen.

63. Vo-

ad §. 58.) r) *Dicendum hic aliquid de Probavilismo Jesuitarum.* Conf. Puf. de J. N. I. 3. 5.

ad §. 61. s) *vide eas ap. Pufend.* de J. N. I. 3. §. 5. 6. 8.

t) *v. g. in rebus magni momenti debemus sequi partem tutiorem* Puf. ibid. *§. 6.*

u) *qualis illa Grotii: In rebus dubiis, ubi necessariò aliquid agendum est, debere eligi id, quod minus est iniquum.* Puf. §. 8.

ad

63. Voluntariis hominis actionibus, quæ etiam *spontaneæ* appellantur, opponuntur *invitæ. x)* Hæ tales sunt partim ob deficientiam *intellectus*, partim ob defectum *voluntatis*.

64. *Intellectui* opponitur *ignorantia* & *error*. Uterque defectus est vel *vincibilis* vel *invincibilis*, item vel *efficax* vel *concomitans*. Quæ omnia ex libellis Ethicis patent.

65. *Voluntati* opponuntur *coactio* & *metus. y)* Metus est vel *justus* vel *injustus*. Desumitur vero hæc metus denominatio partim *à personâ inferente*, utrum scilicet ea potestatem habeat incutiendi metum, an minus, vel *à metum patiente*, utrum sit vir constans an non. *z)*

66. Ex dictis hactenus facilè responderi potest ad quæstiones speciales de imputativitate ac moralitate humanarum actionum, & quatenus esse possint objectum legum. Nam I. Actiones *ab alio patratæ, a)* ut & operationes quarumvis aliarum rerum, *b)* nec non quivis eventus *c)* non possunt alteri imputari, nisi quatenus ille

ad §. *63.* x) vid. Patr. Tab. de spontaneo & invito. Puf. de J. N. l. 3. §. 10. seq. & l. 4. §. 9. 10.

ad §. *65.* y) *Metu inita actio à Peripateticis dicitur mixta, & refertur ad spontaneam.*

z) *Ita v. g. metus mortis à latrone incussus est injustus ex parte inferentis & justus ex parte patientis, &c.*

ad §. *66.* a) Puf. de O. H. l. 1. 18. & de J. N. l. 5. §. 5. 6. & 14.

b) *Naturales etiam, v. g. quod ignis calefaciat, consumat aut urat. Dictum hîc obiter de antiquorum probâ per ignem, de imputatione tempestatis Jonæ factâ, cessantis pluviæ Eliæ, pestis Davidi.*

c) *nisi illos præstare promiserit. Tunc enim non eventus sed promissio imputatur. Aut potius resolvitur promissio alias pura quoad ver-*

ille poteſt & tenetur iſtas moderari, vel quatenus ad iſtas alias concurrit.

67. *Concurrit d)* vero ad *actiones alienas*, qui eas adjuvat, jubet, iis conſentit, receptum agentibus præſtat, aut de eorum lucro participat, qui conſilium dat, laudat, asſentitur, qui non vetat, *e)* non impedit, non diſſvadet, non manifeſtat, cum hæc omnia facere deberet.

68. His ſingulis igitur aliena actio imputari poterit, quamvis *aliis primariò*, aliis *ſecundariò*, de quo ſuo loco. *f)*

69. II. Quæ in quolibet homine ſunt vel non ſunt, *quæ penes ipſum non fuit*, ut adeſſent, vel non adeſſent, *g)* non poſſunt ipſi imputari, niſi quatenus debitam diligentiam in ejiciendis defectibus, & introducendis perfectionibus non adhibuit.

70. III. Cui *occaſio agendi* citra ſuam culpam deeſt, illi non imputatur, quod non egerit. *h)*

71. IV. Quæ per *ignorantiam* aut *errorem* invincibilem & efficacem perpetrantur, non imputantur. *i)* Ubi

verba in conditionalem ſub conditione caſuali, v. g. ſusceptio caſuum in locatione &c.

ad §. *67.* d) Puf. de J. N. d. §. 14. & de O. H. I. 1. ult.

e) *Exemplum ex Tacito* ap. Puf. de J. N. p. 74.

ad §. *68.* f) *vide interim* Puf. d. §. 14. & d. §. ult. *Procedit autem & uſum habet hæc diſtinctio non tàm in obligatione ad pœnam, quàm ad reſtitutionem damni.*

ad §. *69.* g) *Vitia corporis, animi, ſanitatis &c.* Puf. d. J. N. I. 5. 7. d. O. H. I. 1. 19. *ſed adde declarationem* in diſſert. proœm. §. 41.

ad §. *70.* h) *Includit autem occaſio objectum, locum, tempus, vires.* Pufend. de O. H. I. 1. 21. de J. N. I. 5. 5.

i) Ubi vero ignorantia vel error ſaltem eſt concomitans aut vincibilis, quorſum pertinet *ignorantia legum* ritè publicatarum, ibi actio imputatur. *l)*

72. V. *Error tertii* ſive vincibilis ſit, ſive invincibilis, non poterit alteri, qui non eſt in culpa, cur tertius aberraverit, imputari, ſed in ejusmodi concurſu æquius eſt, ut imputetur erranti. *m)*

73. VI. Quæ ſunt *ultra vires* alicujus, non imputantur, niſi quatenus in cauſa eſt, *n)* ut ea impoſſibilia ſint facta. Huc ſpectat regula: *Ad impoſſibile nemo obligatur. o)*

74. VII. Quæ quis *coactè* patitur, non imputantur. *p)*

75. VIII. Quæ quis gravi *metu* inductus agit, ſive actio aliàs contrà leges ſit, ſive licita, uti promiſſio, modò imputabuntur, modò non imputabuntur, prout ex illis, quæ in capite de officiis hominis intuitu ſui ipſius, & in

D capite

ad §. 71. i) *Unde propriè pœna non eſt, cum infantes tenelli, parentes verberantes, vapulant, non magis ac ſi canis v.g. vapulat.*

l) Puf. de O.H. I. 1. 20. 21. & de J. N. I. 5. 10. *Ubi nota exemplum de nautis vitulum immolantibus, item de muliere philtrum propinante. In quorum tamen ultimo quædam addenda ſunt ejus deciſioni.*

ad §. 72. m) *Hoc axioma non habet Dn. Puſendorffius. Sed addendum fuit ob ea, quæ ipſe habet in materiâ contractuum, ubi diſſentiemus, quando putat, à contractu me poſſe reſilire ſi v.g. falſum nuntium acceperim, equos meos domi periisſe, & novos emam, poſtmodum autem nondum dato pretio deprehendam, falſum fuiſſe nuntium.*

ad §. 73. n) *Exemplo hominis lapſi, bancoruptoris &c.*

o) Puf. de J.N.I. 5. 8. & de O. H.I. 1. 23.

ad §. 74. p) Puf. de O. H. I. 1. 24. de J.N.I. 5. 9.

ad

capite de officiis circa promissa fusius differemus, apparebit. *q)*

76. IX. Actiones hominum *usu rationis* carentium ipsis non imputantur. *r)*

77. X. In foro humano rarissimè imputari possunt, quæ perpetrantur *in somno & somniis. s)*

78. *Autor Legis* vel *Deus* est vel *Homo*. Ille imperium exercet *t)* jure creationis citra consensum hominis. Homo imperium vel immediatè ex concessione divina nanciscitur, vel intercedente consensu alterius hominis. Hinc prima divisio *legis* in *divinam* & *humanam*.

79. *Contraria* legum sunt *mutatio*, cum ipse jussus vel ex toto vel ex parte tollitur, *u)* & *dispensatio*, cum inferio-

ad §. 75. q) *Ita hæc posueram in prima editione: Quæ quis metu inductus agit, siquidem metus intuitu inferentis justus, intuitu patientis injustus fuerit, semper, si actio contra leges sit, imputantur. Quod si contra inferens injustè metum incutiat, patiens justum metum sentiat, tum demum actio ex metu inita imputabitur, si lex non habeat tacitam exceptionem necessitatis, de quâ suo loco, ut & de imputatione metus in pactis. Respiciebam autem tum maximè ad ea quæ habet Dn. Pufend.* dd. ll. *Sed cum ibi quædam afferat exempla v. g. de jusso homicidio, item de jusso sub metu mortis incestu & stupro, contra quæ multa opponi possint aut moneri (ut de simili quod habet à gladio vel securi desumto,) nisi prius quæstio de exceptione necessitatis ex fundamento fuerit soluta, (quod facio infra* lib. 2. c. 1.) *placuit, ea in hunc modum mutari.*

ad §. 76. r) *vide quæ modo notavi* lit. i. Puf. de O. H. I. 1. 25. & de J. N. I. 5. 10.

ad §. 77. s) *v. g. incestus, juramentum in somno commissum.* Puf. de O. H. I. 1. 26. de J. N. I. 5. 11.

ad §. 78. t) *de quo* cap. . §. 70. seq.

ad §. 79. u) *Hujus mutationis varia ab aliis species cuduntur, videlicet*

feriorum unus & alter jussu in reliquis salvo manente à lege aliàs ad ipsum pertinente & ejus obligatione eximitur. *x)*

80. Hinc errant nonnulli, qui *dispensationem* cum *interpretatione restrictivâ* confundunt. *y)*

81. *Mutare legem & dispensare is saltem potest, qui potest legem ferre.*

82. Jus pro *attributo personæ* sumtum est qualitas moralis *activa ex concessione superioris* personæ competens, ad aliquid *ab altero homine, cum quo in societate vivit,* justè habendum vel agendum. *z)*

83. Qualitas moralis *a) activa* hîc illa dicitur, quæ hominis libertatem extendit, etsi quandoque per eam connotetur passio physica, e.g. jus pauperis percipiendi eleemosynam, & opponitur qualitati morali *passivæ*, quæ libertatem hominis coarctat, quod facit *obligatio*, etsi ista coarctatio sæpè connotet actionem physicam, e.g. obligatio divitis ad dandam eleemosynam.

84. In exponendo *juris fonte* Doctores vel silent vel mirè variant; alii *naturam*, alii *legem*, alii *Dominium*,

delicet ut aliud sit derogatio, aliud abrogatio, aliud obrogatio &c. subtiliter magis quàm utiliter. Vid. Placcii Institutiones concinnatas p. m. 29.

x) Osiander in typo legis nat. p. m. 9, th 52.

ad §. 80. y) Vid. Dn. Becman. Medit. Polit. differt. 1, th. 12. in fine, item differt, 12. th. 8. & in Polit. Parall. differt. 1. th. 10.

ad §. 82. z) *Definitio hæc ex Grotio desumta est, nisi quod certis de causis verba aliis typis hîc impressa sint à nobis adjuncta.*

ad §. 83. a) *Dictum cur hæc qualitas dicatur moralis, & de insufficientia prædicamentorum vulgarium.*

Consensum alii, horum alterutrum jus producere asserunt. *b*)

85. Nobis ante omnia secernendum videtur *jus Dei* & *Hominum*, *Illud* analogicè tale est, & ab hominum jure multum discrepans. Habet enim istud Deus à se ipso mediante creatione. At *jus hominis* ultimò à *voluntate Dei*, & in genere à *voluntate superioris* est deducendum, quæ quatenus libertatem laxat, jus producit, quatenus coarctat, *lex* dicitur & obligationis origo est. *Consensus* aliquando saltem utrobique *c*) est causa occasionalis. *Natura* ut ens physicum huc non quadrat, uti nec *Dominium*, utpote juris species.

86. Jus personæ competit. *Persona d*) hic denotat hominem consideratum cum suo statu. *Status* est qvalitas

ad §. 84. b) *Hobbesius dicit, jus esse libertatem, libertati verò contrariari legem*, de cive cap. 14. §. 13. item c. 1. §. 7. Conf. Leviath. c. 14. *unde ex ejus mente nec libertas nec lex fontes juris esse possunt. Videtur verò* Naturam *fecisse juris fontem, quam cum æqualitate hominibus dedisse jus in omnia demonstrare conatur alibi*, de cive c. 1. & in Leviath. c. 13. *Georgius Felo* de jure agendi moraliter §. 10. p. 6. *causas juris duas esse asserit*, Legem & Dominium, *libertatemque rejicit. Dominus Pufendorffius utrum* Naturam, an Legem, *vel* Consensum, *vel ex his quædam conjunctim pro fontibus juris agnoscat, definire difficile erit varia ejus loca adspicientibus*, de J. N. I. 6. 3. III. 5. 3. item III. 4. 3. *Pro* Lege *tamen apertè pugnant Franciscus Julius Chopius* l. 1. de potestate & obligatione c. 3. § 17. p. 66. §. 18. p. 67. §. 27. p 75. & c. 4. §. ult. p. 85. seqq. & *David Mevius* in prodrom. jurisprud. commun. inspect. 1. §. ult. p. 43.

ad §. 85. c) *i. e. intuitu quà juris, quà obligationis.*

ad §. 86. d) *Exposita homonymia personæ.*

ad

litas hominem afficiens ſecundum quam ipſius jus variat.

87. *Perſona* eſt vel *ſimplex*, ſcilicet unicum individuum humanum, quamvis gaudeat pluribus ſtatibus, vel *compoſita* ex pluribus individuis certo ſtatu unitis, *e)* & dicitur *Collegium, Societas, Univerſitas*, &c.

88. Hinc excluditur *Jus Dei* & *Angelorum*, cujus tractatio huc non ſpectat. *f)*

89. Per τὸ *aliquid* in definitione juris intelligo creaturam corpoream *g)* in genere, ſive homo ſit, ſive homini inferior, ſive ſubſtantia, ſive accidens, *h)* ſive res in commercio, ſive extra commercium. *i)* Unde iterum huc non ſpectant nec Deus nec Angeli.

90. Poſtulatur hoc jus ab altero homine, cum quo quis in ſocietate vivit. Nam *ſolus homo eſt immediatum & primarium juris objectum.* l)

ad §. 87. e) *Ubi unio deficit, ibi non eſt perſona compoſita, etſi adſit idem ſtatus. Ita v.g. minores, ruſtici, ſtudioſi &c. absque unione faciunt plures quidem perſonas ſimplices, non verò unam compoſitam. Unio illa eſt voluntatum plurium ad finem communem, declarata per vota unanimia vel plura.*

ad §. 88. f) *quia Deus & Angeli non ſunt homines. E. nec perſonæ.*

ad §. 89. g) *unde non datur actio ad ſpiritus acquirendos.*

h) *Voce creaturæ hîc latè utor. Nam alias notum eſt, quod ſolæ ſubſtantiæ dicantur creaturæ, accidentia concreata.*

i) *Nam diſtinctio hæc rerum in eas quæ ſunt in commercio & extrà commercium, magis uſum habet in jure privato, quamvis & hîc res extrà commercium petantur per actiones præjudiciales.*

ad §. 90. l) *mediata & ſecundaria ſunt creaturæ reliquæ corporeæ præter hominem.*

91. Est vero *societas* unio *m)* plurium personarum ad certum finem.

92. Sumitur tamen etiam vox societatis tam *latè*, ut analogicam societatem, quæ est inter Deum & Homines, sub se comprehendat. *n)*

93. In hoc lato significatu *Societatem* divido in *inæqualem*, quæ est inter personas diversæ essentiæ, quarum una alteri imperat, *æqualem*, ubi hæc duo diverse se habent, & *mixtam*, quæ est inter personas ejusdem essentiæ, quarum una imperat alteri.

94. *Inæqualis* sola est societas inter *Deum & Hominem.* o) *Humanæ* vel *æquales* sunt vel certè *mixtæ.* p)

95. Societas *humana* est vel *naturalis*, ad quam ineundam homo ex jussu divino *q)* aut ex studio utilitatis *r)* toti humano generi communis instigatur, vel *arbitraria*, quam homines ex utilitate particulari ineunt.

96. Quæ utilitates particulares cum varient infinitis modis, hinc & societates *arbitrariæ* sunt *infinitæ*. *Naturales* vero dividuntur in *simplices*, quæ sunt: *nuptialis*, *herilis* ac *paterna*, & *compositas*.

97. Ex

ad §. *91.* m) *Solent aliàs ita definire, quod sit status personarum consistens in unione seu ordine earum.* Vid. Patr. Tab. 33. Phil. Pract. *Nos malumus abstinere à vocabulo* ordinis, *quia ferè sub hac voce quidam includunt* imperium, *quod ad essentiam societatis non pertinet.*

ad §. *92.* n) *In hoc lato significatu Deus etiam persona dicitur. Et jam facilè definiri poterit societas latè accepta.*

ad §. *94.* o) *De societate inter Deum & homines plura dixi in disp. de Philosophia juris.*

p) *exemplo vel societatis civilis.*

ad §. *95.* q) *ut nuptialis & paterna.*

r) *ut herilis & civilis.*

ad

97. Ex simplicibus societatibus immediatè componitur *domus* vel *familia*. Ex pluribus familiis componitur modo *vicus*, seu *pagus*, seu *municipium*, modo respublica. *s*) Quæ ex pluribus vicis constat, modo *respublica* dicitur, modo *provincia*. Demum ex pluribus rebuspublicis quæ componitur, est *societas gentium*.

98. Quæ ultima inter naturales in statu post lapsum sola est *æqualis*. Inter arbitrarias plures dantur & *æquales* & *mixtæ*. *t*)

99. Hæc notanda fuerunt ob dissensum varium. Alii enim divisionem societatis *priorem* planè *negligunt*; *u*) Alii *inæqualem* cum *mixtis* confundunt, *x*) Alii societatem *divinam* vel pro *æquali* habent, *y*) vel ad *vitam civilem spectare* negant. *z*) Pro *inæqualibus* omnes societates habent alii, *a*) alii pro *æqualibus*. *b*) Sic & *altera* societatis divisio à quibusdam *omittitur*, *c*) à quibusdam *naturalis* vel reji-

ad §. *97.* s) *Exemplo Reipublicæ Romanæ sub Romulo.*

ad §. *98.* t) *Cape exempla ex societatibus mercatoriis, inter tutorem & pupillum, præceptorem & discipulum &c.*

ad §. *99.*) u) *ut Peripatetici communiter.*

x) *Ita Grotius* l. 1. 2. *ubi societatis inæqualis species etiam facit illas, quas nos mixtas diximus.*

y) *Sic Cicero paradoxa stoicorum secutus, sapientem suum Deo exæquantium, videtur eam pro æquali habuisse aut certè pro mixtâ. Dixi* in philos. juris §. 8. & 9.

z) vid. Patr. annot. 157. ad Philos. Pract. in fine.

a) *ut videntur facere Rachelius* instit. Jurisprud. l. 1. tit. 15. th. 8. p. 55. & tit. 31. th. 5. p. 116. *Strimesius* in praxiol. apodict. c. 3. §. 11.

b) vid. Dn. Becman. medit. Polit. dissert. 4. th. 10.

c) *ut fit communiter.*

d) *ut*

rejicitur, d) vel haud rectè *describitur*. e) Alii denique *compositionem vici & reipublicæ* aliter efferunt, f) aut de *societate gentium* aliena docent. g)

100. Redeo ad juris definitionem & sequentia formo axiomata. I. *Extra societatem jus non est.* h)

101. II. *In omni societate est jus.* i)

102. III. *In societate inæquali jus saltem penes superiorem est. In æquali & mixtâ jus est mutuum.* l)

103. Per *habere* & *agere* in definitione juris respicitur ad divisionem juris in perfectum & imperfectum, etsi alii aliter. m)

104. Nimirum *Jus* I. dividitur in *perfectum*, quod Grotio *facultas* dicitur, & *imperfectum*, seu *aptitudinem* secun-

d) *ut Becman.* d. differt. 4. th. 3. & 4.

e) *Dn. Rachel.* d. l. l. 1. tit. 12. th. 2. p. 40. *referens videlicet eò solùm naturalem necessitatem exclusâ utilitate.*

f) vid. Patr. Tabb. 38. & 39.

g) *Vide an huc faciat, quando Dominus Pufendorffius statum naturalem opponit sociali, & gentes in statu naturali collocat. Hic verò ante omnia præsuppone, ad id, ut cum aliquo in societate vivam, nequaquam requiri, ut ipsum noverim aut commercia cum eo exerceam.*

ad §. *100.* h) *Ergo Adamus ante Evam jus non habebat. Nec homo jus habet in seipsum.*

ad §. *101.* i) *Ergo inter hominem & bestiam societas non est.*

ad §. *102.* l) *Unde errant, qui dicunt: in omni societate jus debere esse mutuum: vel societatem definiunt unionem mutui juris gratia.*

ad §. *103.* m) *Alii enim statuunt Grotium his verbis respexisse per* τὸ *habere ad jus ad rem, per* τὸ *agere ad jus in re. Alii:* τὸ *agere pertinere ad dominium internum hominis in seipsum & suas actiones,* τὸ *habere vero ad dominium externum, quod homo habet in alias creaturas.* V. D. Val. Alb. Comp. Juris nat. P. I. c. 2. §. 7. & 8. *Nobis utraque hæc expositio parum commoda visa fuit.* *ad*

secundum eundem. *Illud* eſt, cujus vi alterum, qui obligationi ſuæ non vult ſatisfacere, cogere poſſum *n)* ad implendum debitum. *Hoc* contra ſe habet & illius qui obligationem huic juri reſpondentem poſſidet, pudori ac conſcientiæ ſaltem relinquitur ejus adimpletio.

105. *Remedium* iſtud *coactivum* inter eos, qui in ſtatu naturali vivunt, *bellum* vocatur, inter eos autem qui in ſtatu civili degunt, vel *pœna*, vel *actio*. o)

106. *Uſum* hujus diviſionis Grotius *p)* in eo quærit, quaſi *facultatem* reſpiciat juſtitia *expletrix*, *aptitudinem* Juſtitia *attributrix*. Sed quemadmodum ὁ μέγας expletricem ſuã pro *commutativâ*, attributricem pro *diſtributivâ* Ariſtotelis falſo venditat, *q)* ita etſi diviſionem juſtitiæ Grotianam tolerare poſſimus, commodius tamen eâdem, cum nobis non novum, qui non jam dum in juris diviſione lateat, uſum ſit præbitura, commodisſimè autem diviſione juſtitiæ Ariſtotelicâ, ad id magis, ut ingenia torqueantur quàm ut excolantur, aptâ, caremus. *r)*

107. Nos potius *uſum* egregium juris perfecti & imperfecti, in quæſtione *ex quâ juris læſione actio in civitate ſit*

E con-

ad §. *104*. n) *Deſumta eſt deſcriptio hæc juris perfecti potiſſimum ex dictis à Zieglero* ad Grot. I. 1. 4. ſeq. *ita tamen ut remedium coactivum in genere hîc nominaverimus, non in ſpecie actionem, uti Zieglerus facit, propterea notatus à Pufendorffio* in Elementis *nî fallor.*

ad §. *105*. o) *Illâ utitur ſuperior, hâc par.*

ad §. *106*. p) Grotius I. 1. 8.

q) *quia obligatio ſubditi erga principem pertinet ad expletricem, non ad commutativam; erogatio eleemoſynarum ad attributricem, ſed non ad juſtitiam diſtributivam, eſt enim actus liberalitatis.*

r) *Nullus enim uſus in jure nobis poterit nominari, quem non etiam ſine eâ æquè benè poſſimus obtinere.*

ad

concedenda, & omnium maximè in controversiâ: *Cujus juris intuitu bellum adversus se lædentem princeps usurpare valeat*, *s*) quærimus.

108. Igitur paucis exponendum, quænam sint notæ utriusque juris, nam & has omisit Grotius. *t*) Variant illæ pro societatum diversitate. I. *In societate inæquali solus superior* seu Deus *jus habet* in hominem, idque in universum est *perfectum*. *u*)

109. II. *In societate æquali* viventium jus, quod libertatem naturalem comitatur, quodque ex pactis oritur, & in genere *omne jus, excepto eo, quod ad officia humanitatis tendit, perfectum est*.

110. III. *In societate mixta jus superioris in inferiores semper perfectum est*, etiam respectu præstandorum officiorum humanitatis. *x*)

111. IV. Contrà vero *jus inferiorum in superiores quà tales*, etiamsi ex pactis ortum sit, regulariter est *imperfectum*. *y*)

112. Dixi: *quà tales*, ne quis mihi opponat, dari quandoque uxori, liberis & servis, actionem adversus patremfamilias. *z*)

113. Dixi:

ad §. 107. s) *In quâ utinam Grotius semper distinctionem suam adhibuisset, ut maximè in quæstione de transitu. Vide quæ dicemus* in cap. de officiis humanitatis.

ad §. 108. t) *Omisit & Dn. Pufendorffius.*

u) *Potest enim ob quævis peccata punire homines.*

ad §. 110. x) *Poterit enim & horum respectu subditos punire Princeps.*

ad §. 111. y) *quod notandum contrà Monarchomachos.*

ad §. 112. z) *Datur enim tùm actio adversus illos, quà sunt æquales, h. e. quatenus subsunt eidem principi. Nam & princeps tum quasi, concedendo actionem, tollit inæqualitatem.*

ad

113. Dixi: *regulariter*. Nam extra ordinem princeps subditis concedit actionem etiam adversus se. Quamvis & hæ actiones sint impropriè tales: Certè non sunt remedia coactiva. *a)*

114. Porrò intuitu fontis, unde *jus* oritur II. dividi poterit in *connatum*, *b)* quod homo habet immediatè à Deo, absque consensu ejus qui obligatur, e. g. *potestas parentum*, & *acquisitum*, quod eidem competit mediante pacto alterius, e. g. *majestas*. *c)*

115. III. *Juris* divisio, vel potius *facultatis* in specie ab objecto desumitur. Sunt enim *juris objectum*, vel aliorum *actiones*, *d)* vel *res* aliorum. *Actiones* hactenus ut vel ipsas *dirigam*, *e)* & vocatur *imperium*, vel *ut me non turbent*.

116. *Ut me non turbent*, inquam, vel in *actionibus meis* merè *f)* personalibus, quod dicitur *libertas*, vel in usu & dispositione circa *res meas corporales*, & vocatur *dominium*.

117. *Res aliorum* vel ita sunt objectum juris, ut *principaliter* consideretur *res*, secundariò persona alterius, *g)* vel ut *principaliter* consideretur *persona*, secundariò res. *h)* Prius vocabimus *Jus in re*, posterius, *Creditum*.

ad §. 113. a) *quia deficit executio.*

ad §. 114. b) *Non turbet terminus juris* connati. *Hic enim retentus ideo, quia obligatio huic correspondens commodissimè dicitur connata.*

c) *in singulis exemplis latent controversiæ suo loco expediendæ.*

ad §. 115. d) *Per actiones aliorum intelligo quæ ab ipsorum locomotivâ dependent, sine respectu ad bona.*

e) *Directionem hîc intelligo, quæ, si opus sit, etiam cogere possit.*

ad §. 116. f) *Vide modo dicta* lit. d.

ad §. 117. g) *ut jus servitutis & pignoris.*

h) *ut jus ex contractibus & delictis ortum.*

118. *Principalem* considerationem *rei* appello, cum persona quæcunque sit, certum rei individuũ possidens, mihi obligatur, & *principalem personæ* considerationem, cum certum personæ individuum mihi ad rem aliquam præstandam, seu illam possideat, seu minus, tenetur. *i)*

119. Supponuntur aliàs voces *Imperii, libertatis* &c. aliis etiam modis. Nam *imperii* vox etiam *latè* usurpatur, ut prædicetur de dominio. Ita Grotius *imperiũ in mare* concedit Reipublicæ. Ita dicimus *imperiũ in territoriũ*.

120. Sic & *Libertas* sumitur pro *potentiâ* hominum *naturali* faciendi id, quod viribus naturæ possunt absque relatione ad alios homines. Et tunc non est juris species, sed res à jure planè diversa & aliquando ei opposita. *l)*

121. De *Dominii,* m) *juris in re,* n) & *crediti* o) homonymiis commodior in Jurisprudentiâ Romanâ disserendi se offeret occasio.

122. IV.

ad §. *118.* i) *res patet ex exemplis paragraphi præcedentis.*

ad §. *120.* l) *Ita nunc emendo. In primâ editione dixeram :* sed ejus oppositum. *Cape exempla. Ita Adamus ante creatam Evam non habebat jus sed libertatem naturalem. Ita homo habet libertatem naturalem scortandi, furandi &c.*

ad §. *121.* m) *Sumitur* 1. *latissimè ut &* libertatem *&* imperium *comprehendat. Ita quilibet dicitur esse actionum suarum* Dominus. *Ita* Dominatus *est species Reip. Ita* Dominium *in servos non mancipia;* 2. *latè ut &* Creditum *comprehendat. Ita dicitur* Dominium *obligationis,* 3. *strictè pro solo* Jure in re. *Ita dicitur* Dominium *servitutis, pignoris &c.* 4. *strictissimè pro* Dominio *rerum corporalium.*

n) *Sumitur vel strictissimè pro servitute, vel latè pro jure actiones reales producente, vel latissimè pro jure v.g. retentionis.*

o) *vel latissimè quatenus opponitur*

122. IV. *Facultas* in societate civili viventium dispescitur in *Vulgarem* & *Eminentem*. *Vulgaris* est penes subditos, *Eminens* penes eum, qui τὸ κύριον gerit in Rep. intuitu rerum & personarum in illâ Rep. *p*)

123. Poterit hæc divisio applicari præcedenti. Nam *Libertas* est vel *Eminens*, quæ alias etiam nomine *libertatis civilis* indigitatur, & cum *majestate q*) convenit, nisi dicere velis libertatem magis dici in relatione principis juxta se, majestatem in relatione infrà se; vel *vulgaris*, alio nomine *personalis*.

124. De distinctione *Imperii* in *Eminens* & *Vulgare*, quale est patrumfamilias, non puto subesse dubium.

125. De *Dominio* vero *Eminente* lites fuerunt ortæ. *r*) Nos causam sufficientem non videmus, cur divisionem dominii in Eminens & Vulgare debeamus respuere. *s*)

 126. Simi-

nitur debito in genere, & tunc est synonymon juris in genere vel strictè ut nos, vel strictissimè ut apud Romanos in titulo de rebus creditis pro mutuo.

ad §. *122.* p) *nam in respectu ad extrà jus verbi gratiâ ex fœderibus ortum nec vulgare nec eminens est.*

ad §. *123.* q) *Nota distinctio inter libertatem personalem & civilem. Dat quidem nonnemo instantiam: Adamum habuisse summam libertatem, sed non majestatem. Verum confundit libertatem, summam & libertatem civilem.*

ad §. *125.* r) *Nota lis Wittebergensium cum J. F. Hornio. Scripta Polemica conjunctim edita sunt Witteberga* 1673. *sub titulo:* Wilhelmi Leiseri pro Imperio contrà Dominium eminens. *Bœclerus, pro more, fluctuat* in dissert. de Dominio eminente, quæ inserta est ipsius comment. ad Grotii cap. 1.

s) *Potissima Witebergensium argumenta sunt: Principes omnia facere vi imperii: & Dominium emi-*

126. Similiter se res habet cum *Jure* in *Re* & *Credito. t)*

127. *Usus* hujus distinctionis est in sequenti regula. *Jus Vulgare quoties concurrit cum Eminenti, huic semper cedere debet.* Res patet ex dictis de jure perfecto & imperfecto, *u*) & per inductionem de Libertate, *x*) Imperio &c. facilè poterit demonstrari.

128. Adderemus ultimò & illam juris divisionem, quod *Jus* sit vel *naturale* vel *gentium* vel *civile*. Sed reverà hæc eadem est cum divisione juris in connatum & acquisitum, nisi quod hæc trimembris sit.

129. Nam quod à voluntate Dei immediatè ortum trahit, appellari solet *jus Naturæ*. Quod mediante pacto gentium inter se producitur, dicitur *jus Gentium*. Qvod deniqve ex voluntate majestatis humanæ descendit, *jus Civile* nominatur.

130. Sic *libertas y*) est juris naturalis. Sic *dominium, contractus, servitus*, sunt juris Gentium. Sic *stipulatio*, sic suo modo *Patria potestas* dicuntur juris Civilis. *z*)

131. Id

eminens dare occasionem tyrannidi. Ad quæ facilis est responsio.

ad §. *126.* t) *Ita fundi privatorum & servitutes quasi debent Reip. & pignori quoque eidem cum aliis rebus sunt obligati. Ac in genere ad usus publicos quemque Reip. magis quam creditori esse obligatum constat.*

ad §. *127.* u) vid. suprà §. 110. 111.

x) *si modo in Libertate possit deprehendi casus concurrentis libertatis civilis & personalis.*

ad §. *130.* y) *Scilicet Libertas naturalis. Datur enim & libertas Juris gentium, & Libertas juris civilis, quæ non confundenda cum libertate civili.*

z) *Nam Patria potestas partim juris naturalis est, partim juris civilis.*

ad

131. Id tamen maximè cavendum, ne has juris denominationes *confundamus cum divisione legis* in naturalem, gentium & civilem, præprimis cum hæc confusio & JCtis & Scriptoribus moralibus non adeò sit infreqvens. *a)*

132. Uti vero hæc observatio usum habebit in qvæstionibus infinitis suo loco notandis, ita præcipua ratio confusionis evitandæ est, qvod *jus hominum pro facultate acceptum omne sit à superiore mutabile, etiam naturale & gentium, b)* cujus contrarium de lege naturali & gentium observabimus infra. *c)*

133. Analoga huic observationi est regula vulgatissima: *Quilibet juri suo renunciare potest.* Cui tamen necessariò puto addendam esse limitationem: *nisi jus illud sit medium inseparabile exeqvendæ obligationis*, & obligatio quoad modum cognoscendi prior sit quam jus. *d)*

134. *Correlatum* juris est *obligatio. Obligatio* est qualitas moralis passiva, personæ à lege injecta, ejusque libertatem restringens ad dandum aliquid vel faciendum ei, cum qvo qvis in societate vivit.

135. Poterit hæc definitio maximam partem exponi ex iis, qvæ de jure diximus. Id tamen notandum: *Restri-*

ad §. 131. a) *Potissimùm in quæstione de mutabilitate. Ut quando in quæstione de mutabilitate Juris Gentium dant exemplum de mutabilitate servitutis.*

ad §. 132. b) *Ratio, quia jus est laxatio libertatis, Princeps autem & quivis superior habet potestatem, libertatem restringendi.*

c) cap. 2. §. 98. 99.

ad §. 133. d) *ut in patre respectu patriæ potestatis. Aliud, si jus sit prius quam obligatio. Ut in principe.*

ad

strictionem e) istam *libertatis*, in qvâ formalis ratio obligationis consistit, nihil esse aliud, qvam ratiocinationem, qvæ ex cognitione legis à superiore præscriptæ homini indicat iram superioris & pœnam, si contrà fecerit. *f)*

136. Hinc patet, *obligationem non esse posse, si tollatur superior*, & omnium minimè, si tollatur *Deus*. *g)* Unde iterum seqvitur, *non oriri propriè obligationem ex pactis*. *h)*

137. *Dare* & *Facere* sic differunt. Dare est dominium transferre. Facere reliqva facta omnia & imo non facta etiam comprehendit. *i)*

138. Tot sunt *divisiones* obligationis, qvot fuere divisiones juris. *l)*

139. Nam correlatorum eadem est ratio. Igitur & necesse est, ut *omnis obligatio homini debita* m) *sit mutabilis*, sive naturalis, sive Gentium, sive civilis.

140. *Mutatur* vero partim *voluntate superioris*, si is Jus

ad §. 135. e) *Ergo laxatio libertatis est ratiocinatio à cognitione voluntatis superioris orta, indicans, superiorem nec irasci, nec me punire velle, sive actum committam, sive omittam.*

f) *Dictum etiam de dicto :* Oderunt peccare boni &c. *Nam & in his ultimò resolvitur obligatio in metum, etsi agant secundum legem absque intentione metus.*

ad §. 136. g) *Nam sine Deo superiorum reliquorum leges tamdiu saltem metum incutient, quamdiu potentes sunt.*

h) *quia pacta sunt inter pares.*

ad §. 137. i) *Oritur inde divisio contractuum innominatorum.*

ad §. 138. l) *Applica igitur huc divisiones juris* suprà §. 104. seqq. *expositas.*

ad §. 139. m) *Aliud in obligatione Deo debita. Nam Deus nunquam jus suum mutat ipse, aut ei renunciat, quia in Deum nulla cadit mutatio. Neque Deus habet superiorem qui ei jus auferre possit.*

ad

jus tollat in altero, cui obligatio debetur, *n)* partim *hujus* spontanea juris *renunciatione.* o)

141. Cave tamen hic confundas legem *obligantem*, cum *obligatione* ex lege ortâ. Etsi enim hæc sit mutabilis, poterit tamen lex esse immutabilis. *p)*

142. Duobus his juris significatibus, de quibus hactenus, Grotius addit tertium, qvasi scilicet etiam sumatur pro *attributo actionis.* Sed magis hic significatus pertinet ad justum in concreto. *q)*

143. Est autem *actio justa* in genere, qvæ vel à lege præcipitur, vel propter jus personæ competens, aut propter pœnæ intermissionem licita est. *r)*

144. Est enim actio *justa* vel *honesta*, stylo Grotii justa in sensu *ajente*, qvæ nimirum à Legibus præcipitur, vel *licita*, seu justa in sensu *negante*, qvoniam videlicet à Legibus non est prohibita.

145. *Licita* est vel *perfectè, plene, ethicè* & *internè* talis, qvæ scilicet oritur ex facultate personæ competente, vel *imperfectè, minus plenè, politicè* & *externè* licita, qvæ cum lege qvidem pugnat, sed in foro humano non punitur.

F 146. Po-

ad §. 140. n) *v. g. si princeps in pœnam jus exigendi debitum auferat creditori, aut cum Deus jus in vasa argentea abstulit Ægyptiis.*

o) *si v. g. debitor donet debitum.*

ad §. 141. p) *Quia lex est propositio universalis, quæ non mutatur, etsi obligatio unius individui extingvatur. v. g. Manet præceptum: non furtum facies, etsi jus Ægyptiorum fuerit extinctum. Manet item lex: solve debitum, etsi post donationem principis non sit amplius debitum.*

ad §. 142. q) *Non enim dico: actio est jus. Sed actio est justa.*

ad §. 143. r) *Cape exempla. Obedientia parentibus debita; Executio potestatis herilis; Interfectio adulteri à privato facta.*

ad

146. Poterunt hæ actiones justæ inter se comparari tum intuitu legis: Honesta *secundum*, minus plene licita *contra*, plenè licita *non contra* legem est; tum intuitu legislatoris. *Respectu Dei nulla actio minus plenè licita est*, sed saltem respectu principis.

147. *Convenit* hæc actionis justæ significatio cum præcedentibus duabus significationibus juris, qvod utramqve *s*) illarum sub se comprehendat. *Differt* tamen, qvod ibi jus prædicetur in *abstracto* & in *casu recto*, hic vero vel in *concreto*, *t*) vel in *casu obliquo*, tùm, qvod actionis justæ significatus sit *laxior*, includens videlicet actionem minus plenè licitam, qvæ nec ad legem pertinet, nec ad facultatem.

148. Uti vero actionis *justæ* vox tripliciter supponitur, sic & actionis *honestæ* vocabulum nonnunqvam de actione plenè licita prædicatur, qvin & actionis *licitæ* vox sæpius extenditur ad actionem honestam. *u*)

149. Porrò etsi actio *licita* & *permissa* ferè synonymice prædicentur, laxior tamen est permissionis, qvam licentiæ ambitus, siqvidem *permissio* est vel *facti*, qvæ nimirum solam impedimenti remotionem notat, nullum vero juris effectum operatur nec licentiam producit, vel *juris*, qvæ vel securitatem in conscientiâ, vel liberationem saltem à pœnâ, hoc est, vel licentiam plenam, vel minus plenam affert.

150. Op-

ad §. 147. s) *sc. & legem & attributum personæ.*

t) *vide modò dicta* lit. q.

ad §. 148. u) *Ita in vulgari: Non omne quod licet, honestum est, vel is sensus est: Non omne quod licet (minus plenè,) honestum i. e. plenè licitum est. Vel is: Non omne quod licet (plenè,) honestum (seu præceptum) est.*

ad

150. Oppositum justæ actionis actio *injusta*, vel *latè* sumitur pro omni, qvæ contra legem est, ut sub se comprehendat actionem minus plenè licitam, vel *strictè* prout & huic opponitur. *x*) Vocatur aliàs *inhonesta* seu *turpis*, item *illicita*. Qvanqvam vocabula actionum inhonestarum *y*) & illicitarum *z*) iisdem homonymiis sint obnoxia, qvas de actionibus honestis & licitis indicavimus.

151. Venit etiam *injuriæ* nomine actio injusta, sed *injusta* magis dicitur intuitu legislatoris, *injuria* intuitu læsi, unde regula: *Volenti non fit injuria*. *a*) Et poterit adeò injusta actio esse, ubi injuria non est.

152. Alias *injuriæ b*) vox vel *latissimè* sumitur pro eo, quod non jure fit, etiam ab iis qvi intentionem lædendi non habent, vel *latè* c) pro denegatione juris cujuscunqve tàm perfecti, qvàm inperfecti, vel *strictè* d) pro denegatione tantùm juris perfecti, vel *strictissimè* pro contumeliâ. *e*)

 153. De-

ad §. 150. x) *Quia actio minus plenè licita saltem certo sensu justa est. Ergo tunc erit injusta, quatenus pœnæ est obnoxia in foro humano.*

y) *Inhonesta vel ea dicitur, quæ legibus est prohibita, & punitur, vel ea, quæ pœna caret, & tamen est contra legem.*

z) *Illicita, vel quæ prohibita, vel quæ non habet primum licentiæ gradum, vel quæ nec secundum.*

ad §. 151. a) *v. g. si quis virginem volentem stupret, si quis in duello alterum interficiat.*

ad §. 152. b) *Sic sub damno injuriâ dato etiam comprehenditur, quod datur à furioso, quasi quod fiat ab eo, qui jus faciendi non habet.*

c) *Sic dives etiam facit injuriam non dando eleemosynam.*

d) *Ut in dicto evangelico: Amice non facio tibi injuriam.*

e) *Unde oritur actio injuriarum.* ad

153. Deniqve non saltem actio, sed & *homo justus* dicitur atqve *injustus*. Verum actio justa vel injusta dicitur, qvatenus externi motus hominis conveniunt cum lege. Homo autem ex intentione internâ justus vel injustus prædicatur.

154. Ex tot *Juris* significatibus, qvis jam ad *Jurisprudentiam* pertinet? Suo modo omnes. Qvippe non solum docet, qvomodo *Leges* sint ferendæ, explicandæ, & applicandæ, sed & exponit naturam *Facultatis* cuilibet jure competentis, & suppeditat remedia eandem tuendi & conservandi. Qvid qvod insuper & consulit, qvomodo *Actiones* secundum legem sint instituendæ, ut evadant *justæ*, & de institutis, an *justæ* sint vel minus, judicat, & hæc omnia qvidem eâ intentione, ut *homines* evadant *justi*. f)

155. Simul verò ex dictis patet, principale objectum Jurisprudentiæ esse *Leges*, reliqvos autem significatus ad eam spectare secundariò, & occasione vel intuitu legum.

156. Igitur *Jurisprudentia* in latissimo suo ambitu nihil aliud est, qvam *prudentia legum*.

157. Qvatenus autem leges sunt ferendæ, aut actiones secundum easdem instituendæ, dicitur in specie *Jurisprudentia legislatoria* vel *consultatoria*. Qvatenus verò leges sunt applicandæ ad actiones præteritas, dici solet *Judicialis*. Et consultatio qvidem de actionibus secundum

ad §. 154. f) Vide hîc omninò Apologiam Augustanæ Conf. ad artic. 4. *Intendit quidem ista princeps, & si hanc intentionem non semper consequatur. Posses adeò appellare finem externum.*

Ad

dum leges dirigendis ac judicium de actionibus perpetratis præsupponunt legum *interpretationem* & *intellectum*.

158. *Legislatoria* Jurisprudentia ad nostrum institutum non pertinet. *Consultatoria* à nostro scopo non est plane aliena, sed potissimum tamen agemus de *Jurisprudentia Judiciali*, qvippe qvam & Consultatoria præsupponit. *g*)

159. *Hæc* adeò est prudentia leges salutem hominis in hâc vitâ concernentes exponendi, easqve ad actiones Hominum applicandi.

160. Qvæ definitio ex dictis est perspicua, modo illud notes, *Jurisprudentiam*, quæ est habitus intellectualis, non esse confundendam cum ipsâ *legum expositione* & *applicatione*, *h*) utpote qvæ, si ex prudentiâ proveniant, spectant ad classem habituum voluntariorum, & qvidem diverso respectu partim ad artes, *i*) partim ad virtutes morales. *l*) Qvin & vitiis accenseri poterunt, qvatenus per eas alteri nocetur. *m*)

 161. Sunt

ad §. 158. g) *Qui non potest judicare de aliorum factis, non potest sibi consulere. Et ex aliorum factis discimus, quomodo nostras actiones prudenter debeamus instituere.*

ad §. 160. h) *Qui prudentiâ pollet, dicitur bonus Theoreticus, qui arte, bonus Practicus. Hic ergo terminus Theoretici & Practici aliter usurpatur ac in distinctione habituum. Theoria potest esse perfecta absque exercitio. Sed exercitium imperfectum est absque Theoriâ, & inde quis Rabula dicitur, non Advocatus.*

i) *quatenus exercetur liberè, h. e. quatenus nec legibus præcepta sunt, nec prohibita.*

l) *quatenus legibus sunt præcepta, ut in Professoribus, advocatis ad certum negotium à magistratu constitutis.*

m) *aut quatenus exercentur ab iis, quibus id est prohibitum.*

ad

161. Sunt itaqve *partes* duæ Jurisprudentiæ Judicialis; *Leges interpretandi*, qvam posses distinctionis gratia dicere Jurisprudentiam *Doctorum* & *Professorum*, & *Leges applicandi*, qvæ est Jurisprudentia *Advocatorum* & *Judicum*. Utramqve hic intendimus. *n*) Primario tamen illam in his institutionibus. Hanc subinde in discursu, definiendo controversias ex Historiâ veteri & modernâ desumtas immiscebimus &c.

162. Tot verò haud dubiè erunt *Species* Jurisprudentiæ, qvot sunt species legum. *o*) Unde rectissimè dividemus Jurisprudentiam in *divinam* & *humanam*. Illa leges divinas exponere & applicare docet, hæc humanas.

163. Ne tamen falcem hic immittamus in campum Venerandæ Theologiæ, addita fuit in definitione Jurisprudentiæ limitatio, qvod ea pertineat saltem ad *leges salutem hominis temporalem concernentes*. Res paulò altius erit repetenda.

164. Præsuppono Academias nostras hodie *in quatuor facultates* solere distingui: Theologicam, Juridicam, Medicam & Philosophicam, etsi alibi qvinta aut sexta etiam facultas fuerit addita. *p*)

165. Præsuppono ulterius, vocem *Philosophiæ* dum hodie separatam facultatem constituit, longè *arctius* sup-

ad §. 161. n) *Quoniam interpretatio tendere debet ad applicationem tanquam ad finem.*

ad §. 162. o) *Fluit id ex definitione Jurisprudentiæ §. 156.*

ad §. 164. p) *Ita in quibusdam Academiis Europæ est separata Facultas Pœtica. Alibi separata facultas Juris Canonici.*

ad

ſupponi, ac *olim* apud Græcos & Romanos, ubi nimirum erat divinarum & humanarum rerum notitia, *q*) hoc eſt, contemplatio eorum omnium, qvæ ex dictamine rationis deduci poſſunt, unde & prudentiam Medicam, *r*) & Juridicam, & magnam partem Theologiæ Gentilis ſuo ambitu ſuo complectebatur.

166. *Uſus* hujus obſervationis potiſſimum ille eſt, ut ne confundamus prædicata Philoſophiæ illius antiqvæ, qvæ ad inſtar Reginæ ſe gerebat, cum Philoſophia hodierna, cui honeſta miniſterii gloria eſt relicta; qvale eſt vulgatum iſtud Platonis: Tum demum beatas fore reſpublicas &c. *s*)

167. Igitur commodiſſimè iſtarum qvatuor facultatum diſtinctio ſic videtur efferri poſſe. Facultates ſunt vel *inſtrumentales*, puta *Philoſophica*, t) vel *Principales*, tres reliqvæ.

168. *Principales* vel pro objecto habent *corpus* hominis, ejusqve *ſanitatem* intendunt, qvod facit *Medicina*, vel *animum humanum* ejusqve *beatitudinem* procurare allaborant.

169. *Temporalem* ſcilicet, qvam intendit *Jurisprudentia*, & *æternam*, qvam *Theologia*.

170. Cum vero, vel ipſis Philoſophis communiter

ad §. 165. q) Vide Patris Schediaſma Hiſtoricum *ubi hanc definitionem prolixius exponit.*

r) *Dico prudentiam. Aliud de arte Medicâ, ſeu exercitio ſanandi.*

ad §. 166. s) *Procedit enim hoc de regina, non de ancilla. At olim erat regina.*

ad §. 167. t) *Debebat hæc inſtrumenta præparare. Nunc quando ſæpè ſuppeditat inepta, neceſſè eſt, ut ipſi formemus aptiora.*

ad

ter fatentibus, potiſſima media obtinendi beatitudinem humanam ſint Leges, *u)* hinc patet *legum expoſitionem* pro diverſitate beatitudinis, cui ſubordinantur, modo ad *JurisConſultum* pertinere, modo ad *Theologum*. Res diſtinctius proponetur in capite ſeqventi. *x)*

171. Fluit ſimul ex dictis *ordo*, & præcedentia *quatuor Facultatum y)* apud nos recepta pariter ac publicis Reſcriptis defenſa. Ac facilè adeò poterit iis reſponderi, qvi Jurisprudentiæ hac parte controverſiam moverunt.

172. Qvi Jurisprudentiâ pollent, dicuntur *Jurisprudentes*, item *JureConſulti*, qvos inter & *Jurisperitos* an differentia ſit, acriter qvidem diſputatum fuit, *z)* ſed diſceptatio illa tanti nobis non videtur, ut curſum noſtrum ſiſtat.

ad §. 170. u) Vid. Patris Tab. ult. Philoſ. Pract.

x) *Ubi oſtendetur etiam, quænam ex legibus divinis pertineat ad JCtum.*

ad §. 171. y) *Quamvis cum JCtis hâc de re certaverint ex Medicis nonnulli, ſed fruſtrà. Pro JCtis ni fallor, differunt Tiraquellus* de nobilitate. *Pro Medicis vide omnium fuſiſſimè Gaſparem à Reyes* in Campo Elyſio jucundarum quæſtionum. qv. 20. *Adde & Philipp.* in Eclog. ad Inſtit.

z) Vid. Eckolt. ad ff. de orig. juris §. 5.



CAPUT

CAPUT II.

De Jurisprudentia divinâ.

SUMMARIA.

J*Urisprudentia divina definitur.* §. 1. *Ad cujus definitionis intellectum inquiritur in divisionem legis divinæ* §. 2. *& loco divisionis consvetæ in moralem, ceremonialem & forensem* §. 3. *substituitur illa in legem naturalem & positivam* §. 4. *Quæstio præjudicialis, quomodo hæ duæ leges conveniant & differant?* §. 5. I. *Conveniunt naturalis & positiva, quod utriusque origo sit voluntas divina* §. 6. *non sanctitas divina antecedenter ad ejus voluntatem* §. 7. 8. 9. II. *Conveniunt, quod utraque obliget hominem in utroque statu, integritatis, & corrupto* §. 10. *Digressio de comparatione status integri & lapsi* §. 11. *Consideratio status integri pertinet etiam ad JCtum* §. 12. *non quod Gentilibus iste status fuerit cognitus* §. 13. 14. *non quod hîc plus liceat Jurisprudentiæ Christianæ præ aliis disciplinis* §. 15. 16. *sed quod liceat JCto ex Historiâ mutuari quasdam Doctrinas ad quas principia sua applicet* §. 17. 18. 19. *Erat status integritatis* §. 20. *perfectus. Recensentur perfectiones ejus quoad corpus hominis* §. 21. 22. 23. *quoad intellectũ* §. 24. 25. *& voluntatem* §. 26. *quoad societatem cum Deo* §. 27. *cum uxore* §. 28. *(Hîc Eva non fuit sub imperio mariti* §. 29. 30. 31.*) Porro quoad societatem paternam, si homo talis mansisset* §. 32. 33. 34. 35. *quoad herilem item* §. 36. *& civilem* §. 37. *quarum duarum neutra fuisset in statu integro* § 38. *Mutatio & imperfectiones in statu post lapsum quoad corpus & animam* §. 39. *quas homini impossibile est corrigere in hâc vitâ* §. 40. 41. *Reliquiæ bonæ in intellectu & voluntate* §. 42. *Mutatio quoad societatem* §. 43. *Homonymia status corrupti, qui sæpe ut synonymum status post lapsum usurpatur* §. 44. 45. 46. *Similis homonymia status naturalis* §. 47-60. *In statu integritatis etiam obtinuit & lex naturalis & lex positiva* §. 61. *Ad nostrum Scopum magis pertinet status post lapsum* §. 62. *Differentia communis legis naturalis & positivæ, quod positi-*

va obliget saltem populum Judaicum, seponitur tanquam spuria §. 63 Differunt I. ratione principii cognoscendi. Legis naturalis principium est ratio, positiva revelatio §. 64 65. Recta ratio quid? ubi contrà principia connata §. 66. 67. 68. 69. Non valet argumentatio: Cujus actus moralitas etiam à Gentilibus fuit agnita, ille est Jure naturæ præceptus vel prohibitus. §. 70. II. Differunt, quod jus naturæ pro objecto habeat actiones cum naturâ rationali necessario convenientes &c. positivum intermedias §. 71. 72. 73. Ostenditur contrà Scholasticos non dari actus per se ac suâ naturâ, item antecedenter ad voluntatem divinam honestas vel turpes, item: in jure naturæ obligationem ex objecto se diffundere in præceptum §. 74--87. sed omnes actiones esse suâ naturâ indifferentes §. 88--96. Definitio Legis naturalis §. 97. Ejus immutabilitas & indispensabilitas §. 98. 99. 100. Dividitur in Jus Gentium & Jus Naturæ strictè dictum §. 101. 102. Homonymia Juris Gentium §. 103. Jus Gentium non est species Juris voluntarii §. 104--109. Contrà Scholasticos dicentes: Præcepta affirmativa obligare semper, negativa semper & ad semper, disputatur §. 110-116. Lex divina positiva definitur §. 117. Est mutabilis & dispensabilis, sed saltem à Deo §. 118. Dividitur in universalem & particularem §. 119. 120. Utraque definitur §. 121. Existentia legis positivæ universalis §. 122. 123. 124. Ejus divisio §. 125. Particularis est vel ceremonialis vel forensis §. 126. quarum utraque hodiè cessat §. 127. 128. Quis sit adhuc hodiè utriusque usus? contrà Grotium §. 129. 130. 131. 132. Ad Jurisprudentiam divinam spectant leges naturales & quædam ex positivis universalibus. §. 133. 134. 135. Unde poterit hæc Jurisprudentia suo modo Christiana appellari §. 136. Differentia ejus à Theologiâ. §. 137. 138. 139. præprimis morali §. 140. Jurisprudentia divina vel naturalis, vel positiva universalis seu divina simpliciter. §. 141.

§. 1.

JUrisprudentia divina est prudentia leges divinas, salutem hominis in hâc vitâ concernentes explicandi & applicandi ad actiones hominum.

§. 2.

2. Omnia hic plana, *a)* ſi modo explicuerimus qvænam leges divinæ ſalutem hominis in hâc vitâ intendant, Id verò patebit ex *legis divinæ diviſione*.

3. Communiter inculcatur, qvod Lex divina ſit vel *moralis* vel *ceremonialis* vel *forenſis*. Hæc diviſio cur nobis diſpliceat, diximus alibi. *b)*

4. Nos ita: Lex *divina* eſt vel *naturalis*, vel *poſitiva*. Ita qvidem & alii: Reverà tamen non ita. *c)*

5. Eſt enim præjudicialis qvæſtio, qvomodo hæ duæ legis divinæ ſpecies *conveniant* aut *differant?* Mentem noſtram declarabunt poſitiones ſeqventes.

6. I. *Convenit* lex divina poſitiva cum naturali, qvod *utriusqve autor Deus ſit*, vel ſi preſſius rem exponere, & ἀνθρωποπαθῶς *d)* de DEO loqvi volumus; *voluntas divina*.

7. Nec iſtam admittimus differentiam, *e)* ac ſi Jus naturæ à ſanctitate DEI *antecedenter* ad ejus voluntatem ortum trahat, poſitivum non ita. Nam qvæ in Deo ſunt, *ſimul* ſunt.

8. Non autem licet homini vel conceptum ſaltem

 ejus-

ad §. 2. a) *Sunt enim expoſita* cap. præced. §. 154. ſeqq.

ad §. 3. *b)* In diſput. de crimine bigamiæ §. 8. & §. 20. *Potiſſimum quia aſſeritur: Legem naturalem, moralem, & decalogum eſſe ſynonyma.*

ad §. 4. c) *Id eſt, adhibent quidem eosdem terminos diviſionis ſed non eodem modo nobiſcum exponunt, quod maximè oſtendunt controverſiæ in hoc capite ventilatæ.*

ad §. 6. d) *Nam Deus propriè non habet voluntatem.*

ad §. 7. e) *Quam communiter adhibent Theologi noſtrates in quæſtionibus juris naturæ. Dictum hîc de quæſtione, quatenus liceat ſtudioſo juris, vel in genere homini Chriſtiano diſſentire à Theologis?* *Sci-*

ejusmodi de Deo sibi formare, qvoniam conceptus iste involvit imperfectionem. *f*)

9. Qvodsi maximè ob imperfectionem nostram aliter speculari de Deo non possimus, *g*) non licebit tamen hunc conceptum nostrum de Deo habere pro vero, aut eum pro fundamento agnoscere, cui innitantur conclusiones in disciplinâ maximè reali, qvalis est Jurisprudentia.

10. II. Conveniunt lex naturalis & divina positiva intuitu *status humani*, qvem dirigunt. Nam utraque lex obligat hominem & in statu integro & in corrupto viventem.

11. Nimirum prima *divisio* h) *status* humani ea est, qvod alius sit *hominis integri, alius lapsi*. Utrumqve paulo curatius hic considerare non erit frustraneum, cum usus hujus meditationis mox *i*) sit appariturus.

12. Incipiemus autem de *statu integritatis* l) tanqvam ordine & præstantiâ priore, *si modo licebit*. Fortè enim cavendum, ne falcem mittamus in messem suspicien-

Scilicet quatenus illi in rebus Philosophicis abeant à rectâ ratione, in rebus spiritualibus à sacrâ scripturâ.

ad §. 8. f) *Hac observatione ideò opus, ut occurram objectioni, quasi sanctitas Dei hîc sit saltem antecedenter consideranda in signo rationis.*

ad §. 9. g) *quia videlicet intellectus noster ita est comparatus ut duas res perfectè simul cognoscere nequeat, & quia Deum sibi concipit ad instar hominis cujus voluntas movetur ferè per aliud quid.*

ad §. 11. h) *Definitionem status repete ex cap. 1. §. 86.*

i) *In controversiâ de fundamentali propositione juis naturalis* cap. 4. §. 40.

ad §. 12. l) *De statu integritatis non confundendæ sunt quæstiones distin-*

ciendæ Theologiæ. Tractamus Jurisprudentiam, habitum, ut suprà definivimus, viribus naturalibus acqvirendum. At qvicqvid de statu integritatis novimus, novimus ex Scriptura sacra.

13. Ergo hic vel sistendus erit cursus, vel curandum, ut laqveum hîc positum evadamus. Qvid si dicamus *gentilibus etiam fuisse cognitum* istum perfectionis statum? sanè infinita Philosophorum ac Poetarum Græcorum pariter atqve Latinorum testimonia id evincunt, *m*)

14. Vereor tamen, ut ita simus evasuri. Sciverunt

distinctæ. Una: An possit ex lumine naturæ cognosci & demonstrari? Negat Alberti in Compend. Affirmat Strimesius peculiari dissertatione, cui respondit pro Alberto Seligmannus. Nos hîc §. 14. *facimus pro negativâ, pro quâ & militat Dn. Pufendorffius in suis scriptis passim. Altera: An consideratio status integri ex lumine revelationis haurienda pertineat ad Jurisprudentiam naturalem? Negat Dn. Pufendorffius & Strimesius. Affirmat Alberti. Ego distingvo* §. 17. *Origo controversiæ ista fuit: Dominus Pufendorffius in jure naturæ considerat hominem in statu corrupto. Contra hoc institutum disputarunt uterque & Alberti & Strimesius, sed ex diversis fontibus. Hic, quasi gentibus etiam fuerit cognitus status integer. Ille, quod quidem Gentilibus non fuerit cognitus, sed quod hâc parte in ipsorum gratiam non sit condescendendum, si ipsi nolint scripturam sacram agnoscere. Unde simul Alberti & Strimesius fuerunt collisi. Dictum hîc obiter de duritie sententiæ Albertinæ, quod non debeamus condescendere in gratiam gentilium. Æquius consilium Pauli, qui omnibus omnia factus est, ut multos lucretur.*

ad §. 13. m) *Hæc est summa sententiæ Strimesii.*

Gentiles, sed confuse. Sciverunt, sed non ex dictamine rationis, verum ex conversatione cum Judæis. *n*)

15. Igitur aliâ viâ eundum. Fortè privilegium habemus nos Christiani præ Gentilibus. Illis non licitum fuit μεταβαίνειν, qvia docuerunt saltem Jurisprudentiam. At nos plus ultrà. Qvam enim nos docemus, Christiana Jurisprudentia est. *o*)

16. Sed & hic finium suorum custodes Theologi, monebunt ut pedem retrotrahamus, nec sepem, disciplinæ nostræ campum à Theologicô separantem conculcemus. Suspectum erit ipsis vocabulum Christianæ Jurisprudentiæ, qvoniam si per id talem disciplinam exprimimus, qvæ principia demonstrandi ex Theologia mutuatur, *p*) saltum nostrum præprimis qvoad Jurisprudentiam naturalem frustrà terminorum involucris tegere nitemur, *q*) sin objectum demonstrandi saltem ex Theologiâ præsupponimus, non magis propterea Jurisprudentia nostra Christianæ nomen mereri videbitur, ac v. g. Arithmetica, ex cujus principiis demonstrandum foret,

ad §. *14.* n) *Hæc est summa responsionis Albertinæ. Adde* apolog. A. C. ad artic. 2. *ubi asseritur ignorasse gentiles peccatum originis.*

ad §. *15.* o) *Sapiunt hæc sententiam Albertinam, ubi contrà Dn. Pufendorffium & Strimesium disputat, qui urgent non committendam esse metabasin ex Philosophiâ in Theologiam. Nisi qvod ille loco Jurisprudentiæ adhibeat vocem Philosophiæ & distingvat inter Philosophiam Gentilem & Christianam.*

ad §. *16.* p) *Est hæc iterum sententia Albertina, quod scilicet Philosophia Christiana mutuetur principia demonstrandi ex Theologia.*

q) *Nam hoc ipsum est metabasis, quando quis mutuatur principia demonstrandi ex aliâ disciplinâ,* quæ

foret, qvot vini menſuræ impleverint hydrias Cananæas. *r*)

17. Igitur retrahamus pedem, præprimis cum ſimul via evadendi fuerit monſtrata. Qvemadmodum enim Arithmetica v.g. non μεταβαίνει, etſi principia domeſtica ad exempla Hiſtoriæ ſacræ applicet, ſic neqve nos peccabimus, ſi applicuerimus principia noſtra ad ſtatum integrum. *s*) Aliud videlicet eſt principia demonſtrationum ex aliâ diſciplinâ mutuari, aliud objectum, cui demonſtratio applicari debeat, aliunde petere.

18. Et maximè ex Hiſtoriâ, qvæ ſive ſacra ſit ſive profana, inſtrumentum eſt commune qvatuor facultatum. *t*)

19. Ergo ſi libet ſtatum hominis integrum ſpeculari, licet. *u*) Licet autem ex hiſtoriâ ſacrâ ſaltem, nam Gen-

quæ diverſa fundamenta agnoſcit. Et pluribus eâ de re dixi in Introductione ad Philoſophiam Aulicam, & in Introd. ad Logicam.

r) *Urgeri etiam ſolet contra Albertum, confundi ab eo Philoſophum Chriſtianum cum Philoſophia. Etſi enim Philoſophus Chriſtianus eſſe poſſit, tamen propterea non magis Philoſophiam evadere Chriſtianam, atque artem ſutoriam aut calceum, quorum utrumque abſurdè Chriſtiani Epitheton ſibi ſumeret, etſi ſutor ſit Chriſtianus.*

ad §. 17. s) *Hîc latet nervus ſententiæ meæ, in quâ recedo ab Alberto & aliquo modo à Dn. Pufendorffio.*

ad §. 18. t) *Declaratum hoc fuit exemplis hiſtoricis ad omnes quatuor facultates aptatis. Confer* dicta in Introd. ad Logicam cap. 1.

ad §. 19. u) *Nec ſolùm licet, ſed maximè utile eſt hîc de ſtatu integritatis diſſerere, ne diſputemus more andabatarum contrà ſententiam Albertinam* in cap. 4. *qui adeò officium boni Diſputatoris non obſervavit, dum Jus naturæ ex ſtatu integro deducere voluit, & tamen ſuper-*

Gentilium *x*) aut Rabbinorum *y*) hâc parte traditiones vel nugæ ſunt, vel maximis dubiis obnoxiæ, & obſcurisſimæ. *z*)

20. Erat *ſtatus* iſte *perfectus*, cum in eo homo ad imaginem Dei fuerit conditus. Unde *miſeriæ*, qvæ hodiè *ſtatum corruptum* comitantur, abfuiſſent. *a*)

21. Igitur qvà *corpus* homo haud dubiè iisdem præditus fuit *membris*, qvibus hodiè gaudet homo perfectus, eademqve in eo fuit *ſexus diſtinctio*, qvin & membra corporis, qvatenus ſunt *organa animæ* ſtatim uti à primâ creatione fuerunt in Adamo, ſic & à primâ nativitate in ejus liberis fuiſſent apta ad ſuſcipiendas animæ functiones. *b*) De *qvantitate molis* *c*) parum ſumus ſolliciti, cum ea directè ad perfectionem humanam nihil faciat. *d*)

22. Porrò qvà vitam homo non fuiſſet mortuus nec ægrotaſſet. Cibus & potus perpetuò affuiſſet ſaluber-

perficiariè maximè ipſum ſtatum integritatis & differentiam ejus à ſtatu poſt lapſum conſideravit.

x) *ut Ovidii de ſeculo aureo.*

y) *ut de Adamo Androgyno, Gigante &c.*

z) *Dictum hîc obiter de infinitis quæſtionibus controverſis tum circa opera creationis in genere, tùm circa ſtatum hominis in ſpecie, circa Paradiſum &c. Dictum etiam de quæſtionibus quibusdam curioſis magis quàm utilibus. Utrum beſtiæ venenatæ fuiſſent in ſtatu integro? Utrum excrementa fœtuisſent? Utrum carnes comediſſent?*

ad §. 20. a) *Hæc eſt quaſi generalis propoſitio in quâ reliquæ theſes ſe fundant.*

ad §. 21. b) *Nam quod hodiè aliter ſit, pertinet ad miſerias ſtatus corrupti.*

c) *i.e. an gigas fuerit Adamus, an hodiernâ hominum ſtaturâ conſpicuus?*

d) *Ita pumiliones, etiam minimi, magnam prudentiam ſæpè oſtendunt.*

ad

berrimus. Concoctio ventriculi fuisset optima. Venenum non nocuisset. An vero *carnes comedisset?* curiosa magis est qvæstio, qvàm proficua. *e)* Potuisset credo, sed vereor, ut voluisset. *f)*

23. *Organa sensuum* erant, qvantum concipi possunt, perfectissima. Adfuisset *delectatio sensuum*, sed legibus subjecta. Itaqve & delectatio ex tactu, qvà ex causis physicis & principiis anatomicis deduci potest, non qvà hominem extrà se rapit & libido dicitur. *g)* *Locomotiva* statim à primo vitæ momento vires suas exercuisset, neqve turbata fuisset aut impedita *h)*

24. Qvà *intellectum* homo non saltem ita fuisset in *naturalibus* perspicax, ut primo qvasi intuitu, *i)* naturas, virtutes ac formas rerum creatarum, qvæ hodie vel nos latent vel laboriosissimâ meditatione vix ac ne vix qvidem percipiuntur, cognovisset, sed & in *moralibus* summam possedisset prudentiam intelligendi legem ejusqve in actiones suas efficaciam. Hinc reprobrandum do-

H gma,

ad §. 22. e) *Qui affirmant, utuntur argumento à Dominio in bestias. Qui negant, afferunt, quod Deus jusserit, ut comedat de omni arbore. Neutrum stringit. Sed pro affirmativâ facit, quod Adamo non fuerit prohibitum.*

f) *Et si voluisset, magis probabile est, eum comedisse carnes crudas quàm coctas.*

ad §. 23. g) *Hæc enim videtur esse consequens status corrupti.*

h) *per morbos.*

ad §. 24. i) *In statu integritatis ergo non opus fuisset tàm longâ ratiocinatione & experientiâ ut hodiè. Unde & cognitio Adami à Theologis, ni fallor, dicitur intuitiva. Deus naturas rerum declaravit per signa rebus impressa. Ideas has signorum homo ferè in statu post lapsum perdidit.*

l) *Æqui-*

gma, qvod cum aliis defendit Grotius, *l*) simplices fuisse Protoplastos & magis ignorantia vitiorum, qvàm virtutis scientia præditos, qvod simul in Deum est injurium.

25. Nec de *infantibus* cur aliter sentiam, causam video. Potuissent nimirum statim à nativitate cum parentibus suis sapienter de rebus qvibuscunque ratiocinari, & saltem brevissimo temporis spatio *m*) habuissent opus, ut de sensu vocabulorum, ex liberâ hominis impositione, non ex rei naturâ significantium, fuissent informati. *n*)

26 *Voluntas* magno gaudebat libertatis gradu. Poterat eqvidem peccare homo & non peccare, sed magis inclinabat ad non peccandum.

27. Ulterius ne ad momentum qvidem homo in statu integro absqve *societate* fuit, sed statim *cum Deo* societate, inæqvali illâ qvidem, verum in qvâ major amor & fiducia deprehendebatur, qvam hodiè in ullâ societate paternâ existere potest, fuit junctus.

28. Cum vero homo naturâ appetat sui simile, *o*) istam verò similitudinem in Deo ob nimiam divinæ perfectio-

l) *Æquiparat enim Grotius protoplastos cum barbaris populis in India. Certo respectu tamen fuit ignorantia vitiorum in primis parentibus, videlicet in actu exercito, non in actu signato. Aut clarius: Fuit in iis ignorantia factorum, non ignorantia juris.*

ad §. *25.* m) *& quantum ferè ad enarrationem & recensionem nominum fuisset opus.*

n) *Potuissent ipsi quidem nomina indere. Indita nomina non potuissent divinare. Nisi & anima facultate divinandi in statu integritatis fuisset prædita, quod statuit Dominus Becmannus* in lin. doctr. moralis c. 2. §. 8. *sed rationibus non concludentibus. Rem ipsam in medio relinquo.*

ad §. *28.* o) *Ita hodiè etiam amicitia cum æquali jucundior est, quàm*

fectionis & essentiæ distantiam non deprehenderet, *non erat bonum, eum esse solum, p)* ac propterea Adamo benignissimus Creator prospexit de sociâ, Evâ nimirum, qvam ex costâ ejus creavit, (qvæ tamen non fuit in Adamo superflua, nec exemptio illius corpus ejus reddidit mutilum, *q)* & Adamo dedit *in matrimonium*.

29. Fuit ista societas in statu integro *summe æqvalis*, cum imperium marito demum post lapsum in pœnam uxoris à Deo fuerit traditum, & ante lapsum communis subjectionis causa, imperfectio, Evæ tribui neqveat. *r)*

30. Qvamvis autem Apostolus *s)* doceat non convenire uxoribus ut imperent maritis, & in eâ doctrinâ istâ etiam utatur ratione, qvod Adam prius creatus fuerit qvam Eva, nulla tamen procedit illatio: Eva non potuit in statu integro imperare Adamo, ergo Adamus Evæ imperavit.

31. Qvod verò ab aliis *t)* dicitur, maritum uxore esse superiorem dignitate & potestate, etiam ex intentione

quàm cum principe benignissimo. At quid Princeps etiam summus in respectu ad Deum? Unde & in vitâ æternâ habebimus societatem & Dei & hominum.

p) *Ergo hoc dictum non tantùm pertinet ad societatem nuptialem in specie, sed & ad societatem in genere.* Conf. Perer. in Genesin.

q) *Superfluum voco, quod nullum usum habet. Mutilum est, quod parte necessariâ est privatum. Ita in florum fasciculo non est superfluum, si florem fasciculo addam, nec fasciculus fit mutilus, si florem demam.*

ad §. 29. r) *Creavit Deus hominem ad imaginem suam. Masculum & fœminam creavit eos.* Confer dissert. procem. §. 44.

ad §. 30. s) 1. Cor. XI. vers. 8. 1. Tim. II. c. 13.

ad §. 31. t) Vid. Alb. in Comp. P. 2. c. 10. §. 21.

u) *Nam*

Dei creantis uxorem in subsidium mariti, nec viceversâ, id prioritatem qvidem ordinis adstruit, non vero superioritatem dignitatis aut potestatis, ut facilè exemplo societatis mercatoriæ *u)* declarari potest.

32. In hâc societate substitit status integer; an & substitisset, si homo integritatem suam non amisisset? Sic putarunt aliqvi, negantes videlicet, *societatem paternam* in statu integro *fuisse extituram*. Ita noviter disseruerunt ex Anglis ingenio suo abusus Thomas Hobbes, *x*) & ex Belgis horrendus scriptor Adrianus Beverland. *y)*

33. Qvos non solum divinæ benedictionis verbis: *Crescite & multiplicamini, z)* prosternimus, sed & ostensâ figurâ membrisqve corporis ad procreandum destinatis in fugam agimus. *a)*

34. Putamus tamen & hanc societatem *aeqvalem* fuisse futuram, in eo vero à conjugali differentem, qvod liberi Parentibus non tam ob prioritatem ordinis, qvam ob exhibitum beneficium generationis, *b)* reverentiam exhibere debuissent.

35. Uti enim reverentiæ debitum eam imperfectio-

u) *Nam & hîc sæpè mercator alterum sumit sibi in subsidium absque imperio.*

ad §. *32.* x) in Leviathane.

y) in scripto de peccato originis. Conf. Philos. juris §. 31. *Dictum de scripto Beverlandi & de refutatore ejus Ryssenio.*

ad §. *33.* z) *Dictum quomodo ad ea respondeat Beverlandus ex hypothesi Simonis* in Criticâ veteris testamenti, *de quo dictum.*

a) *vide locum Ciceronis* in Philos. Juris §. 31.

ad §. *34.* b) *N. O. quod parentes obligati sint ad generandum. Nam ita in genere quilibet alteri ad beneficium est obstrictus; & tamen beneficii exhibitio parit eam superioritatem.*

ad

ctionis notam, qvam ſubjectio c) infert, hautqvaqvam præſupponit; ita & cauſa imperii paterni ſuo loco demonſtranda abfuiſſet in ſtatu integro. d)

36. At *herilis ſocietas* exulaſſet haud dubiè in ſtatu integro. Exulaſſet enim indigentia, qvæ apud nos tam ex parte Domini, qvam ſervi e) ſocietatem iſtam introduxit, ut de dominiorum diſtinctione f) jam nihil dicam.

37. An & *Reſpublica?* Res patebit, ſi & hic ſtructuram Reipublicæ conſideremus. Conſtat illa ex imperio ad tranqvillitatem publicam & omnium rerum ſuf-

ad §. 35. c) *Dictum hîc de differentia inter reverentiam & ſubjectionem ſeu obſequium, ſecundum ductum eorum quæ docentur* infrà in capite de officiis parentum & liberorum.

d) *At imò dicis: Omne beneficium in altero præſupponit imperfectionem aliquam, indigentiam nempe beneficii. Reſpondeo 1. Aliqualis imperfectio fuiſſet etiam in ſtatu integro; ſcilicet, quod infantes v.g. vitam non habuiſſent à ſeipſis, quod deſideraverint homines ad vitam ſocialem, (ſi modò hæ imperfectiones dicendæ ſunt.) Verum ſufficit, quod reverentia non præſupponat tantam imperfectionem, quantam imperium. Imperium præſupponit imperfectionem præſentem. Ad reverentiam ſufficit præterita. 2. Poſſes etiam diſtingvere inter imperfectionem interiorem & exteriorem. Illam præſupponit imperium. Hæc ſufficit ad reverentiam.*

ad §. 36. e) *Non obſtat quod Ariſtoteles dicat, alium ſervum eſſe naturâ, alium lege. Nam hæc tota diſtinctio reſpicit ſtatum poſt lapſum.*

f) *Nulla enim fuiſſet dominiorum diſtinctio in ſtatu integro, ut ſuo loco declarabimus in capite de Dominio. Ergo non opus habuiſſet Dominus operis ſervi ad augendas & conſervandas res familiares, non opus habuiſſet ſervus ſuſtentatione Domini.*

ficientiam directo. Imperium g) non admittere statum integrum jam ostendimus. Nec Rep. opus fuisset ad obtinendam tranqvillitatem, h) cum nullus ibi fuisset metus; nec ad sufficientiam, i) cum nulla fuisset indigentia.

38. Qvi autem asserunt l) Rempublicam statûs integri, ferè uno ore fatentur, se non intelligere societatem cum imperio propriè dicto. Unde qvidam distingvunt inter imperium directivum & coactivum. At hocipso fatentur, non extituram, qvoniam imperium directivum est ignis frigidus. m)

39. Seqvitur *status hominis lapsi*. Hic multa fuerunt muta-

ad §. 37. g) *ergo defuisset forma Reipublicæ.*

h) *ergo exulasset tùm finis primarius Reipubl.*

i) *ergo nec locum habuisset Reip. finis secundarius. Jam computa quid de Republicâ reliqvum sit, quod in statu integritatis existere potuisset.*

ad §. 38. l) *ut post alios communiter Bœclerus* ad Grotium l. 1. c. 3. p. 200. *D. Val. Albert.* Part. II. Comp. Jur. Nat. cap. 14. p. 209.

m) *Adde quod imperium directivum præsupponat etiam imperfectionem in directo, ut directore opus habeat. Loquimur autem de imperio humano, unde frustrà instantia datur de imperio Dei in angelos bonos à Boeclero* d. l. *Quod vero Alberti cum Aristotele suo, (cum quo in Oratione promotoria Magisteriali ante paucos annos publicè testatus est se mori velle,) urgeat perfectissimam societatem esse Rempublicam, & exinde inferat, ergo etiam fuisse in statu perfectissimo, dupliciter falsum est. Infra enim* lib. 3. *ostendemus societates gentium fœderatorum esse perfectiores. Et insuper connexio nulla est. An putat etiam Alberti perfectissimum chirurgum aut coqvum fuisse futurum in statu integritatis? An putat Rempublicam (veram) futuram esse in vitâ æternâ?*

ad

mutata. Organa corporis non parum temporis *n*) reqvirunt, ut ad exercendam locomotivam & recipiendas animi functiones fiant apta. Mors intravit in mundum; hanc præcedunt ac procurant morbi varii; concoctio sæpe pessima, & venenum homini metuendum, cibiqve variis artificiis, ne noceant, præparandi; sensus hominis sæpius fallunt; acumen intellectûs multum remisit; in infantibus est instar tabulæ rasæ *o*) varias impressiones recipere apræ. Voluntas *p*) hominis multum de libertate suâ amisit, ita ut in hoc statu ferè tota ad malum inclinet, qvoniam affectus freqventissimè exorbitant, & hominem qvasi extrà se ponunt, certè perpetuò frenum mordent.

40. Has mutationes in homine tantas esse opinamur, ut absolutè *impossibile sit homini mediis naturalibus in hâc vitâ imperfectiones istas corrigere.* q)

41. Qvod si enim posset, in ipsius potestate esset vel

ad §. *39.* n) *Et tempus quidem variat. Alii citius vires corporis experiuntur, alii vires animi.*

o) vide dissert. Procem. §. 45. 46.

p) *Dictum de dicterio communi: Hominem in statu integro* potuisse non *peccare, in statu post lapsũ* non posse non *peccare; si mansisset in statu integro, confirmandum fuisse ut* non potuisset *peccare.*

ad §. *40.* q) *Hæc observatio omninò notanda, quia impugnat fundamenta Albertina. Si enim non possum ne minimo quidem gradu perfectionem status integri recuperare, ruit fundamentum, quod status integer sit norma juris in statu corrupto. Frustranea enim est norma, ad quam applicari nullo modo normatum potest. Simul verò corruit effugium Alberti, quod debeamus studere ut recuperemus perfectionem status integri, si non in totum, saltem in tantum. Ita si quis ex prandio splendido reliquias habeat,*

vel abjicere peccatum originale, *r*) vel ſubtrahere collum jugo pœnæ divinæ. *s*) Utrumqve autem eſt abſurdum.

42. *Manſit* tamen qvoad *intellectum* illa perfectio, ut poſſit homo cognoſcere regulas communes & præcepta, potiſſimum naturalia *t*) qvoad *voluntatem*, qvod inclinet qvidem ad malum, ſic tamen, ut minimum qvoad actus exteriores libertatem efficaciter renitendi retinuerit. *u*)

43. Porro *intuitu ſocietatum* in ſocietate divinâ ceſſat hodie converſatio cum Deo de facie ad faciem, nec ſolum amatur hodiè Deus ut pater benignus, verum etiam

habeat, fruſtrà ipſi inculcarem, quod debeat intendere, ut per reliquias has recuperet id, quod in prandio jam fuit conſumtum. Retinendæ ſunt reliquiæ, & tentandum ut illas non amittamus, aut ſi ex reliquiis jam quædam amiſimus, ut has recuperemus. Ita comparari poteſt homo integer cum homine qui 100000. poſſidet, homo lapſus cum eo qui ab iſta ſummâ perdidit maximam partem, eaque mari abſumpta ſit, retinuerit vero 100. Hic debet operam dare ut non minus 100. poſſideat, non autem ut plus. Cape aliud exemplum perſpicuum de homine, qui à natura imbecillem ſanitatem & imbecillia membra corporis habet, comparato cum ruſtico robuſtiſſimo. Hinc falſiſſima eſt aſſertio Albertina part. 1. comp. cap. 2. §. 4. *quod adminiculo reliquiarum quædam ex ſtatu integro recuperare poſſimus. Confer quæ ad alias ejus exceptiones regeſſi* in Præfat. ad Introd. ad Philoſ. Aulicam.

ad §. 41. r) *quod conſiſtit potiſſimum in inclinatione voluntatis ad malum.*

s) *quæ conſiſtit in imperfectionibus corporis & intellectus.*

ad §. 42. t) *aliàs non obligaretur legibus.*

u) *Nam ſi nec has poſſit retinere, fruſtrà puniret homo hominem. Confer ſuprà* c. 1. §. 54.

ad

etiam timetur ut judex justus. Societas Conjugalis ex æqvali facta fuit mixta in pœnam lapsus. Sed in paternam introductum fuit imperium propter necessitatem educationis. Terræ maledictio & secuta dominiorum distinctio invexit societatem herilem; qvin & civitates atqve respublicas introduxit metus à vi externâ.

44. Vocatur aliàs *status integer* etiam *status naturæ rectæ*, & *status post lapsum, naturæ corruptæ* seu corruptus. Sed hic cavendum, *x)* ne per corruptionem hîc intelligamus corruptionem moralem qvoad actiones exteriores, cum hæc denominatio pertineat vel ad corruptionem hominis physicam, vel certè ad corruptionem moralem actuum internorum inclinantium valdè ad peccandum contrà leges.

45. Itaqve *status* hic *post* lapsum suo modo adhuc *rectus* est, & peccata actionum exteriorum non sunt vitia statûs, sed hominum in isto statu viventium.

46. Unde & notare poteris homonymum, qvod *status corruptus* vel opponatur *integritatis statui*, vel opponatur *statui post lapsum suo modo recto*, & tunc denotat verbi gratia statum latronum &c.

47. Plures verò significationes latent in voce *status naturalis*. Sic nota est distinctio status humani in *naturalem* & *legalem*, qvæ uti à variis variè, ita & freqventer in eum modum explicari solet, *y)* ut status naturalis sit hominis in

I inte-

ad §. 44. x) Cavillantur enim adversarii Pufendorffii, ut, ni fallor, Strimesius, quod jus naturale ex statu corrupto deduxerit.

ad §. 47. y) vide B. Patris Disput. de statu naturali & legali qv. 10. §. 20. seqq.

z) v.g.

integritate suâ florentis, legalis autem idem qvem diximus, naturæ corruptæ. Et applicari qvidem solet ista distinctio non solum ad homines singulos, sed & ad societates humanas, maximê ad civilem, & præterea ejusdem usus in definiendis pluribus controversiis politicis z) inculcatur.

48. Id & à nobis factum alibi. a) Nunc verò sententiam mutamus, partim b) qvod status naturalis præsupponat civitatem fuisse extituram in statu integro, cujus contrarium modo demonstravimus; partim qvod istæ controversiæ si non melius, æqve benè tamen definiri possint, si modo oculos dirigamus ad statum legalem. c)

49. Qvantum hactenus à Politicis vapulaverit *Hobbesii status naturalis*, qvem vult esse bellum omnium contra omnes, eiqve *statum socialem* opponit, ferè tironibus notum est; Et merentur hâc parte legi qvæ subinde adversus hunc belluinum statum scripsit Illustris Pufendorffius. d)

50. Qvot modis autem ipse status hominis post lapsum

z) *v. g. de usucapione, de numerandis votis, non ponderandis, de optimâ Reip. formâ, de præstantiâ regni electivi vel successivi.* vid. d. Disput.

ad §. 48. a) *in disputatione de philosophiâ juris.*

b) *aliam rationem vide infrà* c. 4. §. 44. 45.

c) *Nam ad doctrinam principaliter facit demonstrare rem prout est, secundariò & illustrationis gratiâ, prout esse possit. Sic v. g. qvid juvat medicum consideratio corporis humani, prout omnibus morbis caret? Aut, si pharmacum sit dandum homini debili, quid juvat consideratio rustici?*

ad §. 49. d) *potissimum* de jure

lapsum naturalis vocem induere qveat, ex seqventibus divisionibus patebit. e) Scilicet *status naturalis initio* denotat conditionem omnibus hominibus communem, qvatenus id præ bestiis habent peculiare, etiam post lapsum, ut ratiocinari valeant, ac legislatorem summum agnoscere & actiones suas exteriores secundum ejus præcepta dirigere, & opponitur vel vitæ & *conditioni brutorum*, *f*) vel vitæ hominum conditione istâ abutentium & dictata rationis corruptæ ex asse seqventium.

51. Status hic naturalis *secundò* commode dispesci potest in statum *naturalem*, hoc est conditionem illam hominum, qvalis futura esset, si jam post lapsum homo à nativitate sibi soli relictus foret sine ullo adminiculo ab aliis hominibus accedente, & *socialem* seu conditionem hominum qvatenus vitam per industriam aliorum excultam vivunt.

re Nat. l. 2. c. 2. §. 5. seq. *contrà quem frustrà disputat Dn. Becmannus* in Meditat. Polit.

ad §. 50. e) *Quadruplicem divisionem & acceptionem status naturalis hausimus ex Pufend.* de J. N. II. 2. & de O. H. II. 1. *Mutavimus tamen quædam. Dn. Pufendorffius ita:*

Status
- *Naturalis. Atq; hic opponitur vel bestiali, vel sociali, vel civili.*
- *Adventitius.*

Nos ita: Status vel
- *Naturalis. Hic vel*
  - *Naturalis.*
  - *Socialis. Hic*
    - *Naturalis.*
    - *Civilis. Hic*
      - *Naturalis.*
      - *Adventitius.*
- *Belluinus.*

Nos igitur divisionem arctissimam ac specialissimam facimus eam, quam ipse fecerat latissimam & generalissimam.

f) *Posses etiam hunc statum bestialem*

52. Atqve hi ſtatus, naturalis & ſocialis, non confundendi ſunt cum ſtatu naturali & ſociali Hobbeſii. *g*) Etſi enim hic eosdem deprehendas terminos, res tamen eſt diverſiſſima. Nam in ſuo ſtatu naturali Hobbeſius hominem cōſiderat in relatione ad alios homines, eumqve vult eſſe bellum omnium contrà omnes, qvorum neutrum ad noſtrum ſtatum naturalem qvadrat.

53. Status ſocialis *tertio* eſt vel *naturalis*, hoc eſt conditio hominum in ſocietate æqvali viventium, qvi neqve communem habent dominum, & qvorum unus alteri non eſt ſubjectus, vel *civilis* eorum, qvi vivunt in ſocietate civili & reliqvis ſocietatibus minoribus ſub civili comprehenſis.

54. Neqve hujus ſignificatûs ſtatus naturalis cum Hobbeſiano eſt confundendus. Hobbeſii ſtatus eſt bellicus, & ſociali oppoſitus, noſter & pacificus & ſocialis ſpecies.

55. Deniqve *qvartò* civilis ſtatus eſt vel *naturalis*, ſcilicet ea conditio, qvam homo habet à naturâ absqve facto hominis v. g. qvod ſit mas, qvod ſit infans &c. vel *adventitius*, qvò ſpectat conditio, qvam homo habet ex impoſitione humana v. g. qvod ſit conſul, nobilis, ruſticus, &c.

56. Rectè autem putamus in ſingulis his ſignificationibus terminum ſtatûs *naturalis* poſſe adhiberi. *h*) In *primo* denominatio deſumta eſt ab *eſſentiâ* hominis, in ſecun-

ſtialem appellare contranaturalem.

ad §. 52. g) *Faciunt enim hoc per calumniam adverſarii quidam Pufendorffii.*

ad §. 56. h) *Hoc iterum notandum*

secundo à miseriâ *naturam* hominis sibi relicti post lapsum comitante, in *tertio* à libertate & æqvalitate hominum *naturali*, in *qvarto* ab accidentibus potissimum physicis, qvæ homini à *naturâ* insunt.

57. Qvod si tamen qvis statum naturalem *primi* generis velit appellare statum *humanitatis; secundi* statum *vitæ solitariæ*, *tertii* statum *æqvalitatis*, nos qvidem recordati, qvod in terminis debeamus esse faciles, non adeò refragabimur.

58. Comparari etiam hi qvadruplices status naturales inter se possunt ratione *existentiæ*. *Primus* existit vel certè existere debet in *omnibus* hominibus. *Secundus* i) non existit freqventer, *existere tamen potest*, v. g. si homo unicus ex naufragio restans in insulam desertam projiciatur; & existit sane v. g. in infantibus à parentibus neqvam expositis. *Tertius freqventer existit*, v. g. inter gentes ad se relatas. De existentiâ autem *qvarti* nullum dubium.

59. Unde errant, qvi putant, statum naturalem secundi generis esse statum fictum, aut fictam esse miseriam, qvam statum illum comitari diximus. l)

60. Sed nec frustrà istam qvadruplicem status natura-

dum adversus Anti-Pufendorffianos. Criminantur quoad secundum & tertium significatum, quod ejusmodi statum naturalem vocet, qui sit miserrimus, qui sit æqualis, cum tamen homo naturâ inclinet ad beatitudinem & quidem civilem.

ad §. 58. i) *Et hoc adversus Anti-Pufendorffianos, qui criminantur, secundum potissimum esse non ens.*

ad §. 59. l) *quod facit, si rectè recordor, Alberti,*

ad

turalis significationem apposuimus. *Primus* enim utilitatem suam præbebit in deducendis *officiis hominis erga Deum* m) & in præcepto *de custodiendâ æqvalitate. Secundus* in demonstranda necessitate *societatis*, n) *Tertius* in comparatione *diversorum præceptorum juris naturalis*, o) tùm & aliàs. *Qvartus* ad Jurisprudentiam potissimum *humanam* pertinet. *p*)

61. Jam in viam. Diximus in utroqve statu hominis & integro pariter & lapsus statu utramqve legem divinam, & naturalem & positivam viguisse. De naturali fortè non est dubium. *q*) Positiva in statu integritatis fuit illa, qvæ prohibuit comestionem ab arbore vetitâ, tum v. g. prohibitio polygamiæ & divortii in institutione conjugii primævâ facta. In statu post lapsum variæ sunt leges positivæ, de qvibus suo loco.

62. Pu-

ad §. 60. m) *vide caput sequens.*

n) *in cap. 4.*

o) *potissimum in capite de officiis humanitatis.*

p) *quia est jus species status Civilis.*

ad §. 61. q) *Non videram cum ista scriberem* dissertationem G. V. M. (*Gvilielmi* van der Muelen) de origine Juris Naturalis *publicatam Ultrajecti 1684. in qvâ statuit: In statu integro nullas leges naturales obtinuisse. Cui anno 1686.* Simon Henricus Musæus Vindicias Juris Naturalis Paradisei *opposuit. Contrà has vindicias* defensionem suæ dissertationis *anno 87. paravit Autor, cui an ulterius quædam regesserit Musæus, nescio. Mallem autem Musæus controversiam hanc magis modestè & animo affectu vacuo tractasset. Jam, dum* p. 37 vindiciarũ *apertè profitetur, se ad instantiam Clerici de periculositate sententiæ istius multa pro more Hæreticum differentis, opus suscepisse, & toto opere in eo est, ut adversus bonam fidem ex autore hæreticũ Semi-Antinomũ faciat, & quantum damnũ per ejus sententiam patiatur Respublica clamet, parum se lectori à stu-*

62. Puto autem esse evidens: ad nostrum scopum, dum leges divinas, qvantum ad Jurisprudentiam pertinent, sumus explicaturi, spectare primariò leges illas, quæ statum post lapsum dirigunt. Utiqve enim Jurisprudentia illas leges debet exponere, qvæ posteà ad actiones hominum applicandæ sunt. Judicamus autem, ut puto, & patrocinium præstamus, aut etiam consulimus, non protoplastis, aut de eorum actionibus, sed omninò hominibus hujus seculi reliqvias saltem pristinæ felicitatis possidentibus, quas si conservent modò, ad tranqvillitatem hujus vitæ sat est.

63. Vi-

à studio hæretificandi alieno, & vestigia Salvatoris prementi probat. Mihi sic videtur. Statuit autor p.16. dissert. §.14. *Nullum jus in statu integro, nullasque leges naturales obtinuisse, verum ex puro naturali impulsu nullisque vitiis & illibatâ inclinatione vetustissimos mortalium nullâ obligatione, quæ ab ipsis tanquam obligatio fuisset considerata*, ea, quæ in hoc nostro corrupto statu leges naturales vocamus, observasse *& implevisse, & p.24. asserit, ipsorum statum propterea multo feliciorem fuisse statu hodierno, neque hodiernam justitiæ & injustitiæ notitiam habendam fuisse pro tanta felicitate. P.59. vero expressè Pelagii sententiam rejicit. Ex dictis autem patet, non tam litigare Autorem de re quam de nomine, an nimirum id quod homo tum ex instinctu sanctissimo faciebat, legis nomine appellari possit? Notum alias est, Jus naturæ in statu integritatis longè aliam faciem habuisse quàm in statu post lapsum.* Vide qvæ differit Osiander suprà in excerpt. dissert. prooem. §.48. *Nec diffitendum, hominem quamdiu in puncto integritatis manebat, & spontissimè, ut ita loquar, bona faciebat, de obligatione non cogitasse. Interim tamen legi naturali subjectus erat & obligatio aderat, se exerens cum ab ista integritate deficeret. Si enim homo non fuisset sub lege, non potuisset etiam peccare, nec puniri. Nec est quod autor fortè regerat-*

Pec:

63. Videamus jam utriusqve legis *differentias*. Has communiter & in eo qværunt, *r)* qvod lex *naturalis* obliget *omnes* homines, lex *positiva* populum *Judaicum*. Sed hanc differentiam non esse adæqvatam infrà patebit.

64. Differunt itaqve *s)* initio I. lex naturalis & divina positiva *Principio cognoscendi*, quod in lege naturali est recta ratio, in divinâ autem positivâ revelatio divina.

65. Dependet hujus differentiæ demonstratio à dif-

Peccasse hominem contrà legem positivam, non contra legem naturalem. Nam non poterat lex positiva violari, ut non simul violaretur jussum naturale, facienda ea esse, quæ Deus jubet. Porro tota autoris dissertatio in eo est ut ostendat, in statu integritatis nullam fuisse legem. Vide maximè §. 32. ubi inter alia dicit: Ad supprimendam & coercendam malitiam hominum leges fuere latæ, ubi verò nulla scelera aut vitia vel flagitia perpetrantur, ibi nullâ lege, nullo præcepto aut pœnarum metu opus est, &c. *At* in defensione *tamen* p. 136. 199. *concedit, legem positivam in paradiso fuisse. Ita putamus absque impacto hæreseos crimine autori errorem ostendi posse. Videtur vero autor ad istam sententiam perductus, quod nimis strictè statum integritatis in hâc quidem materiâ caperet. Dum enim jus naturæ paradisiacum à jure naturæ post lapsum secernimus, statum integritatis tam latè accipimus, ut etiam lapsum ipsum sub se comprehendat, & jus alterum* post *lapsum demum incipiamus. At ipse solum integritatem lapsui contradistinctam in mente habuit, quo pacto, cum fortè legeret:* justo non esse legem positam, *incautè in illam sententiam paradoxam prolapsus est.*

ad §. 63. r) *Illi scilicet, qui pro synonymis habent legem naturalem & moralem.*

ad §. 64. s) *Confer quoad hunc §. & seqq.* disp. de bigamia §. 9. seqq.

ad

differentiâ ſecundâ. *t*) Agnovit eandem exactè Apoſtolus, *u*) partim dum Gentes, qvæ legem poſitivam non habent, naturâ ea facere dixit, qvæ legis naturalis ſunt, partim, dum profitetur, *x*) ſe rationi ſuæ relictum non cognoviſſe, concupiſcentiam *y*) eſſe peccatum, niſi lex divina poſitiva dixiſſet; non concupiſces.

66. Per *rectam rationem* hic intelligo facultatem naturalem ratiocinandi, ſeu veras concluſiones ex veris primis principiis deducendi. Adeſt autem homini, ut cuivis conſtat, facultas iſta à nativitate per modum *potentiæ*, aptæ vires ſuas exerendi, ſi ſuppeditantibus ſenſibus ideæ prius fuerint ab intellectu formatæ, eademqve poſtea in ſocietate humanâ fuerit culta.

67. Igitur non poſſumus non ridere nimium ſubtiles Scholaſticorum meditationes, docentium, ineſſe infantibus etiam naturaliter, per modum habitus cujusdam connati, *z*) ſtatim qvædam prima principia practica, inculcantia, qvæ jure naturæ ſint facienda aut omittenda.

68. Omne enim principium practicum propoſitio

 eſt.

ad §. 65. t) *quia objectum Legis naturalis ſunt res cum naturâ hominis rationali convenientes.*

u) Rom. II. v. 14. 15. *Adde quoad expoſitionem horum verſiculorum Oſiandrum in typo legis naturæ Parte II.*

x) Rom. VII. 7. Conf. diſſert. proœm. §. 47. 48.

y) *hoc eſt, motus ſecundò primos. Nam motus primò primi, ut ſuprà eos definivimus* cap. I. §. 50. & 51. *nondum ſunt peccatum.*

ad §. 67. z) vide Hornejum l. 4. Inſtit. Ethic. c. 2. §. 6. Conf. Zentgrafium de origine Juris Nat. artic. 6. §. 3. p. 153. Dn. Pufendorf. in Spicileg. controv. p. 47.

ad

eſt. *a*) Propoſitio omnis convenientiam aliqvam prædicati cum ſubjecto aut diſconvenientiam innuit. At infantes terminorum præprimis moralium cognitione deſtituuntur, *b*) qvippe in qvorum expoſitione homines maximè adulti, iiqve eruditi vix conveniunt. Qvis ergo putet, infantes v. g. cognitum habere, qvod homicidium ſit fugiendum & pacta ſervanda, cum neſciant, qvid ſit pactum, qvid homicidium &c.

69. Accedit qvod ipſimet Scholaſtici *c*) hæſitent: habitus iſte connatus infantibus an per modum nudæ potentiæ, an & per modum actus inſit? Qvid qvod eò nonnulli pervenerunt, ut aſſererent, neutrum horum eſſe habitum iſtum connatum, ſed aliqvid inter actum & potentiam intermedium. *d*) Ergo, qvod felix fauſtumqve ſit, dabitur ens aliqvod, qvod nec eſt, nec eſſe poteſt. *e*)

70. Etſi

ad §. 68. a) *Dictum hîc de ordine cognitionis, quatenus ſe exerit in infantibus.*

b) *Huc pertinent ex ſcripturis, cum Deus dicit ad Jonam:* daß in *Ninive* ſind viel 1000. Seelen die nicht wiſſen was linck und recht iſt/ *ubi loquitur de infantibus. Item apud Prophetam:* Butter und Honig wird er eſſen/ daß er wiſſe böſes zu verwerffen und gutes zu erwehlen.

ad §. 69. c) vide Oſiandri typum legis naturæ & Zentgraf. de Orig. Jur. nat. & in reſponſ. ad Spicil. Pufendorffii.

d) *Ortum videtur ſumſiſſe hæc inepta doctrina, ex eo, quod terminos Metaphyſicos quæſiverint Scholaſtici, quibus explicarent doctrinam de fide infantum.*

e) *Quid Scholaſticus diceret, ſi quis eum verbo contumelioſo appellaret, & ſe excuſaret, quod quidem id nec intelligat actualiter nec potentialiter, ſed ſaltem habitualiter?*

ad

70. Etsi autem *lex positiva ex revelatione* divinâ dependeat, non tamen argumentari licebit: *f*) Hic actus in sacris literis præceptus aut prohibitus etiam à Gentilibus fuit pro honesto vel turpi agnitus, ergo ejus determinatio à Lege naturali provenit. *g*) Nam Gentiles isti aut Græci sunt, aut Romani. Romani leges suas à Græcis acceperunt; Græcorum Philosophi multa à Mose mutuati sunt. Solon item multas leges ex Ægypto Athenas transportavit; Ægyptii autem rudimenta suarum legum acceperunt ab Hebræis.

71. II. Differunt leges istæ, qvod naturalis pro *objecto* habeat actiones cum communi naturâ hominis rationali necessario convenientes, aut eidem repugnantes, positiva actiones intermedias.

72. Cum enim ex lumine naturæ appareat, Deum voluisse hominem esse rationalem, & præterea actiones suas normæ alicui esse subjiciendas, sequitur necessario ob fugam contradictionis, Deum illas actiones præcipere voluisse, qvæ naturam rationalem necessariò promovent, & vetare qvæ eidem repugnant. At cum multæ dentur actiones, qvibus positis aut omissis hominis essentia neqve turbetur neqve per se promoveatur, non poterit etiam homo ratiocinando ipsarum determina-

ad §. *70.* f) conf. disp. de crim. bigamiæ §. 12.

g) *Hoc maximè notandum contra Doct. Valent. Alberti, qui in Compendio suo Orthodoxo sæpius quando probandum est, aliquid Jure naturæ esse præceptum vel prohibitum, se officio suo satisfecisse arbitratur, si ex Gentilium aliquo Philosopho testimonium adducat.*

tionem cognoſcere, ſed promulgatione aliqva hic omninò fuit opus.

73. Voco autem *neceſſariam* actionis cum ratione *convenientiam*, qvoties actio promovet per ſe pacem humani generis & tranqvillitatem; *repugnantiam* vero, qvoties actio iſtam tranqvillitatem & pacem turbat.

74. Differentia iſta aliter effertur à Scholaſticis & variè qvidem. *h*) Modo enim dicunt, ad jus naturale pertinere actus *per ſe ac ſuâ naturâ, item antecedenter ad voluntatem divinam honeſtas vel turpes*, ad jus poſitivum autem, actiones indifferentes.

75. Mo-

ad §. 74. h) *Defendit potiſſimum has Scholaſticorum locutiones Oſiander* in typo legis naturæ, *& Zentgrafius* de origine Juris Naturæ, *item Valentinus Velthem* duabus diſputationibus contrà Pufendorffium. *Origo earum apud Pontificios inde eſſe videtur, quod præſuppoſuerunt, Deum habere legem æternam, & hanc legem æternam eſſe ſcriptam in cordibus hominum, & eſſe typum legis naturæ, cognoſcique ab homine per reliquias imaginis divinæ. Vel potius ſic: quia legerunt hominem eſſe conditum ad imaginem Dei, & in ſtatu integro etiam legi fuiſſe ſubjectum, putarunt, Deo etiam quandam legem competere debere, quoniam Deus quaſi ſit typus hominis. Non ergo cogitarunt, omne ſimile eſſe etiam diſſimile; omnem imaginem eſſe diverſæ eſſentiæ ab ipsâ re, cujus eſt imago. Quærentes ergo, quam legem Deo accommodarent, cum Deo ſuperiorem non invenirent, abſtraxerunt, & diviſerunt quaſi attributa Dei, voluntatem & ſanctitatem, dicendo, normam voluntatis Dei eſſe ſanctitatem, & hanc eſſe quaſi legem æternam. Hanc igitur legem æternam eſſe typum voluntatis humanæ &c. Ita vides, quomodo ex uno abſurdo ſecuta fuerint plura, quod ſenſum imaginis divinæ non perceperint. In hoc enim potiſſimum inter Deum & ejus imaginem differentia conſiſtit, quod Deus ſit independens & ex lex, imago verò dependens*

75. Modo: *Obligationem in jure naturali ex objecto se diffundere in praeceptum*, in poſitivo ex præcepto ſe diffundere in objectum.

76. Sed nihil horum ſatis commodè. Poſſes eqvidem actiones lege naturali determinatas dicere *per ſe* honeſtas aut turpes intuitu immutabilitatis. Jam verò ipſi *τὸ per ſe* antecedenter ad legis naturalis determinationem uſurpant.

77. Id verò cum contradictione dicunt, actus qvosdam *ſuâ naturâ* eſſe *honeſtos* vel *turpes*. Scilicet in actione humanâ vel natura ejus conſiderari poteſt, vel moralitas ſeu reſpectus ad legem. Natura qvatenus abſtrahitur à circumſtantiis moralibus; Moralitas, qvatenus ad circumſtantias morales reflexio habetur.

78. Includuntur vulgo circumſtantiæ morales conſveto verſiculo: *Qvis, qvid, ubi, &c.*

79. Sed cave putes, ubi una vel altera harum circumſtantiarum adeſt, ibi ſtatim adeſſe circumſtantiam moralem.

80. Seqveretur enim alias id abſurdum, qvod nulla actio poſſit in ſuâ naturâ conſiderari, cum omnis actio vel unam certè ex his circumſtantiam involvat. *i)*

pendens & legibus ſubjecta. Noſtrates autem Theologi iſtam ſententiam vel ideò retinuerunt, ut eo fortius contradicere poſſint quibusdam ex Reformatis ſtatuentibus, Jus Naturale eſſe mutabile, v. g. Rhetorforti, Szydlovio &c. Vide Oſiandrum & Zentgrafium dd. ll. *ſed & id ſine causâ, quia autoribus iſtis, etiam absque his ineptiis ſatisfieri poteſt.*

ad §. 80. i) *Hinc, ni fallor etiam à Scholaſticis quæſtio movetur, an exiſtat actio citrà abſtractionem absque circumſtantiis moralibus? & ni fallor, qvidam dicunt: non exiſtere*

81. Igitur circumſtantiæ iſtæ tum demum morales dicuntur, qvatenus propter iſtas lex aliqvam actionem vel præcepit vel prohibuit.

82. Qvi itaqve actiones qvasdam ſuâ naturâ honeſtas vel turpes dicit, ille qvasdam actiones ſuâ naturâ morales dicit. At qvi hoc dicit, revera dicit, qvasdam actiones abſtractas à circumſtantiis moralibus, qva abſtractionem iſtam involvere circumſtantias morales.

83. Porro honeſta actio eſt, qvæ à lege præcipitur, turpis, qvæ à lege vetatur. Lex autem eſt voluntas legislatoris, & legum omnium fons eſt voluntas divina.

84. Rurſus igitur, qvi qvosdam actus volunt *antecedenter ad voluntatem divinam* eſſe *honeſtos* vel *turpes*, volunt etiam actus qvosdam ante legem eſſe à lege præceptos aut prohibitos.

85. Scio eqvidem diſtingui inter actiones honeſtas materialiter & formaliter conſideratas; *l)* A nobis materialiter volunt eſſe deſcriptas, formaliter vero actiones honeſtas vel turpes eſſe eas, qvæ conveniunt cum dictamine rectæ rationis.

86. Sed ſcio etiam, diſtinctionem inter materiale & formale rebus moralibus applicatam, vel obſcuram eſſe vel ſuperfluam, plerumqve ineptam; *m)* ſcio confundi hâc

iſtere, ſed abſtrahi ſaltem poſſe. Stultè, ita enim ex ipſorum mente nullum dari poſſet exemplum actionis indifferentis.

ad §. *85.* l) *Facit hoc* Valent. Velthem paſſim.

ad §. *86.* m) *vide ſis Velthemii Uſum Metaphyſices, ubi plures ſignificationes* & Formaliter *in ſcenam producit, & confer quæ contrà has ineptias diſſerui* in præfatione ad notas meas in Diſſert. Strauchii.

n) vi-

hâc parte bonum qva utile eſt cum bono honeſto; *n*) ſcio eos legem per dictamen rectæ rationis definire, *o*) adeoqve in eâdem contradictione manere, *p*) ſcio deniqve, Apoſtolum *q*) non ignoraſſe formale actionis turpis, qvi peccatum definit, qvod ſit aberratio à lege.

87. Deniqve qvomodo ſine contradictione poterit *obligatio ſe ex objecto diffundere in præceptum*, cum obligationis omnis efficacia conſiſtat in reverentiâ & metu legislatoris. *r*)

88. Ergone omnes actiones ſunt ſuâ naturâ indifferentes? *s*) ſunt utiqve, hoc eſt omnes actiones phyſicæ à circumſtantiis moralibus abſtractæ, nec præceptæ ſunt nec prohibitæ.

89. Non erunt tamen, inqvies, ſuâ naturâ indifferentes, v.g. blaſphemia & furtum. Non ſunt, inqvam ego, *t*) iſti termini actionum ſuâ naturâ conſideratarum. Involvit enim blaſphemia conceptum proæreſeos, qvod qvis verba qvædam in contumeliam divinam protulerit; Involvit furtum conceptum contrectationis frau-

n) vide §. 92. & 93. hîc.

o) *Hoc enim faciunt Scholaſtici communiter. Vide Oſiandri* Typum legis naturæ.

p) *Si enim dantur actus antecedenter ad legem honeſtæ, dabuntur actus convenientes cum dictamine rectæ rationis antecedenter ad hoc dictamen.*

q) *Johannem, qui peccatum definit*: Peccatum eſt qvicqvid eſt contra legem Dei. *Didicimus in compendio Hutteri.*

ad §. 87. r) Ergo ſi obligatio ſe diffundit in præceptum ex objecto, erit reverentia & metus legis ante legem.

ad §. 88. s) *uti ſtatuebant videlicet Rhetorfortis & Szydlovius.*

t) *Ergo Rhetorfortis & Szydlovius ſtatuunt etiam actiones morales ſuâ naturâ eſſe in-*

fraudulentæ. Atqvi ob has circumſtantias blaſphemia & furtum jam à lege æterna ſunt prohibita.

90. Abſtrahe ab iſtis circumſtantiis, non erunt amplius actiones iſtæ turpes; ſed nec erunt amplius iſtæ actiones blaſphemia & furtum. Phyſica actio in blaſphemiâ eſt prolatio verborum etiam blaſphemorum; nam teſtis v. g. dum ea refert, blaſphemiam non committit. Ita in furto phyſica actio eſt extenſio manus ad rem etiam alienam &c. *u*)

91. Ut itaqve paucis me expediam: confundunt Scholaſtici *actionem ſuâ naturâ* id eſt phyſicè conſideratam, cum *actione morali qvoad ſuam naturam*, id eſt, moraliter conſideratâ.

92. Sed fortè ipſi dum alios refutamus, ſævimus in propria viſcera. Annon perinde eſt, ſive dicas, objectum legis naturæ eſſe actus ſuâ naturâ vel antecedenter ad voluntatem divinam honeſtos vel turpes, ſive dicas, eſſe actus neceſſariam connexionem aut repugnantiam cum natura hominis rationali habentes? Nam ſi ſtatuimus, Deum ob convenientiam & repugnantiam illam actus illos præcepiſſe aut prohibuiſſe, annon reipſa concedimus, actus iſtos ante voluntatem divinam eſſe honeſtos vel turpes: Annon fatemur, obligationem ex objecto venire in præceptum?

93. Sed

indifferentes, quod abſurdum. vid. §. 91.

ad §. 90. u) *exemplo ejus, qui juſſu magiſtratus exequitur Jus ſuum, vel qui ceſſantibus judiciis jus ſibi dicit.*

ad §. 91. x) *Nam blaſphemia eſt actio moralis ſuâ naturâ (id eſt, quà moralis) illicita.*

ad

93. Sed salva res est. Id ex assertione nostrâ qvidem inferri potest, actus, qvi juris naturalis objectum sunt, suâ naturâ esse *bonos vel malos, y)* honestos esse & turpes, non potest inferri. Damnum promovent, aut utilitatem humani generis actus isti, etiamsi à voluntate divinâ abstrahas, at qvamdiu in abstractione illâ manes, non sunt lege præcepti aut prohibiti, non, inqvam, humanum genus ad qvicqvam obligant.

94. Ita certum est, medicamenta qvædam ægrotis esse maximè utilia, cibos contrà aliqvos ipsis esse summè noxios. Medicamenta tamen ipsa vel cibi ægrotum ad nihil obligant, si à voluntate legislatoris abstrahas. Tolle legislatorem, & absqve exceptione verum erit, qvemlibet liberrimum suæ utilitatis esse moderatorem aut dispensatorem.

95. Eia, occines, lupum teneo auribus: dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Ergo secundum tuam opinionem: *Est ipsa utilitas justi prope mater & æqvi; nec natura potest justo secernere iniqvum. z)*
Atqvi hoc ipsum Carneades statuit, hoc Epicuri de grege porci inculcarunt, recoxit maximam partem Epicureus Hobbesius. Ergo jus naturale nullum est, nulla justitia, aut si est aliqva, summa erit stultitia, qvoniam alienis commodis consulens, suis utilitatibus nocebit. Qvid est, atheismi venenum insidiosè propinare, si hoc non est.

96. Non putamus autem eò impudentiæ aliqvem

L pro-

ad §. 93. y) *Sunt ergo bona utilia & mala inutilia, non sunt bona & mala moralia.*

ad §. 95. z) *Horum hominum sententiam proponit Grotius in prolegomenis.*

ad

processurum, ut nobis in ostendendâ ipsius juris & justitiæ naturalis existentiâ, & à reliquis juribus diversitate strenuè occupatis talia occinat. Præprimis cum diversissima sit *utilitas singulorum hominum*, qvam præfati Philosophi fontem fecerunt juris universi, ab *utilitate totius humani generis*. Ut igitur pulcherrimè in republica utilitas publica norma est utilitatis privatæ, sic non minus convenienter in societate totius humani generis utilitas communis norma est utilitatis peculiaris. Paucis. Non omne qvidem qvod utile est, *a*) honestum est, omne tamen honestum est utile. *b*)

97. Itaqve *lex naturalis est lex divina* c) *cordibus omnium hominum inscripta*, d) *obligans eosdem, ut ea, qvæ necessariò conveniunt naturæ hominis rationali, faciant, ea verò, qvæ eidem repugnant, omittant*. e)

98. Uti vero de hâc convenientiâ cum natura hominis rationali prolixius dispiciemus in seqventibus, *f*) ita sua sponte fluit ex definitione nostra *Juris naturalis* præcipua affectio, *immutabilitas*, & *indispensabilitas*, *g*) qvia nempe rationalitas hominis immutabilis est & indispensabilis, *h*)

99. No-

ad §. 96. a) *scilicet privatis.*
b) *communi humano generi.*
ad §. 97. c) vide suprà §. 4.
d) vide §. 64. seqq.
e) vide §. 71. seqq.
ad §. 98. f) cap. videl. 4.
g) *Valet ergo hæc propositio: Quicquid est Juris naturalis, id est indispensabile. Non vero: Quicquid non est dispensatum, id est juris Naturæ. Tetigi hanc falsam propositionem occasione polygamiæ muliebris* in disput. de crim. bigam.
h) *Item quia socialitas. Im enim exponemus rationalitatem* capite 4.

ad

99. Notæ qvidem ſunt in vulgus variæ objectiones, potiſſimum intuitu diſpenſabilitatis, de ablatione vaſorum argenteorum Ægyptiacorum à Deo Iſraelitis præceptâ, de occiſione Iſaaci, de mendacio obſtetricum Ægyptiacarum &c. *i*) ad qvas tollendas JCti *l*) varias & infinitas ferè excogitarunt diſtinctiones, qvibus omnibus opus non eſt, cum planè nulla diſpenſatio ibi interceſſerit, ſed actus iſti à Deo præcepti vel commendati non fuerint furtum, homicidium, mendacium, à Jure Naturali prohibita, adeoqve confunditur à diſſentientibus mutatio objecti cum mutatione legis.

100. Qvodſi verò urgere velis, eo ipſo qvod iſti actûs non ſint furtum, homicidium &c. diſpenſaſſe Deum circa jus naturæ, cum diſpenſatio ſit declaratio ſuperioris, qvod actus ad legem non pertineat, *m*) reſponderem: miſceri ita interpretationem reſtrictivam cum diſpenſatione qvod ſuprà præcavimus.

101. Poterit *lex Naturalis* non incommodè *dividi* intuitu ſocietatum humanarum naturalium. Nam alia præcepta ejus dirigunt *ſocietatem communem omnium hominum* viventium inter ſe in ſtatu naturali, ſeu ut ſuprà diximus, in ſtatu æqvalitatis, qvæ hodiè introductis rebuspublicis dicitur ſocietas Gentium, alia dirigunt offi-

ad §. 99. i) *de idololatriâ Naamanis, de ſcortatione Prophetæ generando filios ſcortationis, adde de polygamiâ, divortio, inceſtu &c.*
l) vide Hahn. ad Weſenb. de Iuſt. & Jure. Frantzk. in Exercit.

ad §. 100. m) *ita ſtatuit Dn. Becmannus.* Vide ſuprà cap. I. §. 79. 80.

ad

cia hominum viventium *in civitate* & societatibus sub civitate comprehensis, puta domesticis.

102. *Illud* communiter appellari solet *Jus Gentium*. Posses adeò *hoc* distinctionis gratia nominare *Jus Naturale strictè dictum*.

103. Supponitur alias *Juris Gentium* vox modis variis; vel 1. pro attributo personæ seu *facultate*, qvam gentes naturâ permittente exercent, 2. pro *moribus n*) plurium gentium, qvando nempe jure suo unanimiter & eodem modo uti solent. Ita dominia, bella, servitutes, contractus &c. dicuntur juris Gentium. 3. pro *lege*, *o*) & qvidem vel pro lege *naturali* in genere, qvoniam nimirum id obligat omnes gentes, vel 4. pro jure *Civili* multarum Gentium, *p*) (huc spectant privatorum modi acqvirendi, qvi juris Gentium dicuntur,) vel 5. *jure Gentium propriè dicto*, qvà denotat legem officia Gentium inter se qvà sunt Gentes, concernentem. *q*)

104. Facile autem patet, in controversiâ: *Utrum jus Gentium sit species Juris divini, an humani?* ultimum significatum attendi debere. Qvod si observaveris, facilè poteris respondere iis, qvi cum Grotio *Jus Gentium speciem juris voluntarii* & qvidem *humani* faciunt. Illi enim vel mores Gentium, vel jus pro attributo personæ sumtum inculcant. 105. Sum-

ad §. *103.* n) *Ita Imperator dicit: Dominia, bella, servitutes, contractus esse Juris Gentium. Nam spectant hæc exempla ad utramque significationem.*

o) *Ita Imperator* §. 1. de J. N. G. & C.

p) *ut Jus Justinianeum in ditionibus Europæis.*

q) *v. g. huc pertinet Jus legationum seu potius inviolabilitas legati.*

ad

105. Summa eò redit: Gentes inter se pares sunt, nec inter homines superiorem agnoscunt. Ergo lege humanâ obligari neqveunt.

106. At, inqvis, *r*) obligantur lege pacti, obligantur voluntate propriâ. Sed regero: *s*) Pactum non est lex, neqve pactum obligat, sed qvandoqve lex intercedente pacto. Diximus jam suprà.

107. Qvinimò Gentes (omnes) inter se nec pacto obligantur. Ubi enim & qvando pactum ejusmodi fuit conditum?

108. Neqve poteris in subsidium vocare pactum tacitum, qvasi gentes ex imitatione & continuato ac propagato usu actionum à paucis initio susceptarum se tacite obligaverint. Nam ejusmodi universalem & continuatam imitationem nego. Nego solam imitationem inferre pactum tacitum. *t*)

109. Sed fortè mores utentium illo jure facient, ut Jus Gentium sit jus non scriptum. Fortè verò id non producent. Jus non scriptum extrà civitatem non est. Consvetudo enim jus est ob tacitam principis approbationem, qvæ si deficiat, consvetudo dicitur facti. Ast tacita principis approbatio inter Gentes ubi?

 110. Di-

ad §. 106. r) Hæc & sequentia disputantur contrà Rachelium in disp. de Jure Gentium. Vide nostram disput. de crimin. bigamiæ.

s) Addo: Quicunque ex pacto obligatur, jure naturali vel civili obligatur, prout pactum à jure naturali vel civili est corroboratum.

ad §. 108. t) Quodsi ad pactum præsumtum velis recurrere, nego pactum præsumtum esse pactum propriè dictum. Vide infrà caput de officio paciscentium §. 24. seqq.

ad

110. Dividunt ulterius Scholastici præcepta *juris naturalis* in *affirmativa* & *negativa*. Res intellectu facilis, & in omni lege procedit, sed usus hujus distinctionis est exiguus.

111. Sed, inqvit Scholasticus, usus se exerit haud contemnendus. Præcepta affirmativa obligant *semper, negativa semper & ad semper*. u)

112. Ego vero: Rebare te fari scio, sed fabare nescio. Loqvamur ut unus intelligat alterum.

113. Utraqve præcepta *semper* obligant, id est sunt æternæ veritatis. Sed affirmativa non obligant *ad semper*, id est non obligant omnes homines, nec omni momento v. g. cole parentes da eleemosynas, &c. Negativa vero omnes & omni tempore obligant, e. g. neminem læde.

114. Annon itaqve præceptum: *superiori pare, honestè vive, suum cuique tribue* obligant omnes & omni momento? An lex: *non committe crimen læsæ majestatis* omnes homines & v. g. ipsos principes obligat?

115. Vides effectus istos ab affirmatione vel negatione non dependere, sed aliunde esse arcessendos, scilicet leges naturales vel inculcant officia hominum in qvacunqve societate viventium, vel ad officia pertinent singularum societatum peculiaria. x) Item: homo uno eodemqve momento potest vel mille actus diversissimos

---

ad §. 111. u) Conf. Ziegl. ad Grot. II. 16. 29. p. m. 395.

ad §. 115. x) *Illa sive sint affirmantia sive negantia, omnes homines obligant, hæc illos saltem, ad quorum statum pertinent.*

y) *Un-*

mos omittere, actus diversos eosqve speciales uno plures commode agere neqvit. *y*)

116. Hæ sunt istæ subtilitates, qvas qvis sine dictis elegantiarum flosculis capere potest. Præterea in eo putamus adæqvatum hujus distinctionis esse usum; qvod præcepta specialia Juris divini *affirmativa* semper *exceptionem summæ necessitatis* habeant, *negativa non ita*. Res patebit ex dicendis suo loco. *z*)

117. *Lex divina positiva est lex divina, hominibus per revelationem divinam publicata, ea quæ necessariam connexionem cum hominis natura rationali non habent, determinans.*

118. Hinc patet, qvod lex hæc divina & *mutabilis* sit & *dispensabilis*, sed à Deo saltem, non à Papa, *a*) nec qvocunqve Principe. Propterea tamen voluntas Dei haud est mutabilis. *b*)

119. Dividitur lex positiva in *universalem* & *particularem*. De posteriori non est dubium, prioris tamen *existentiam* sunt qvi negant, sunt qvi affirmant. *c*) Nos, si cum

y) *Unde non omnia præcepta affirmativa specialia obligant omni momento, sed generalia saltem.*

ad §. *116.* z) in capite de officiis hominis erga seipsum §. 143. seq.

ad §. *118.* a) *quod & ex Pontificiis nonnulli agnoscunt, præsertim Galli.*

b) *Deus enim ab æterno hanc mutationem voluit.*

ad §. *119.* c) Vide omnino disput. de crimine bigamiæ §. 16. *Novissimè, non dari jus divinum positivum universale, defendere voluit Hieron. Brucknerus* in Procem. ad decis. Jur. matrim. controversi n. 38. seqq. *Sed cum iste autor saltem contrà Huberum pugnet, & rationes nostras planè non tangat, præterea etiam* in d. procem. n. 7. (*ubi jus naturale propriè dictum definit*, qvod sit dictamen rectæ rationis de naturâ justis agen-

si cum pace Scholasticorum fieri poterit, putamus qvæstioni *an*? præmittendam esse qvæstionem *quid* sit? *d*)

120. Legem *universalem* dicimus intuitu totius humani generis, *particularem* in respectu ad certum populum. Dupliciter tamen denominatio ista supponi potest, vel in relatione ad *publicationem*, vel in relatione ad *obligationem*. Uterqve significatus eqvidem hûc spectat, primariò tamen publicatio.

121. Ergo *Lex divina positiva universalis est, qvæ publicata fuit omnibus hominibus, vel certè personis totum genus humanum repræsentantibus. Particularis est, qvæ lata fuit populo Judaico.*

122. Universalem hanc confidentius nimis Adamo & Noacho datam esse, non solum affirmant Judæi, sed & determinant planè, *e*) falsa pro more miscentes veris,

agendis, & naturâ injustis vitandis) *perspicuè ostendat, quod perspicuum & distinctum conceptum juris naturæ non habuerit, sine quo tamen quæstio præsens eruditè resolvi non potest; ac denique in toto tractatu sine ullo genuino fundamento posito, (quod absque contumeliâ viri jam defuncti dictum sit) infinitas assertiones falsissimas & variantes, ut & in disputatione præsente contrà Huberum defendere voluerit, non opus videtur in ejus refutatione nos detinere, cum non possimus disputare adversus eum, qui certum aliquod & distinctum disputationis suæ fundamentum nullum habet.*

d) *Distingve inter res & cogitationes de rebus. Si de illis agatur, præmittenda est quæstio an sit? si de his, quæstio quid sit?*

ad §. *122.* e) *Sex Adamo datas volunt, 1. de cavendâ Idololatriâ, 2. de cultu Dei, 3. de effusione sanguinis, 4. de non revelandâ turpitudine, 5. de rapinâ, 6. de judiciis, quibus superadditam Noacho dicunt 7mam de membro animalis vivi non comedendo.* Vide iterum disput. de crim. bigam. §. 18.

f) de

veris, jusqve naturale positivo cumulantes ex traditionibus potissimum Rabbinorum suorum, qvorum sententiam fusius peculiari opere exposuit honos Britanniæ Seldenus. *f*)

123. Nos traditionibus istis sepositis solam scripturam intuentes, mediâqve adeò incedentes viâ, negare non possumus dari ejusmodi leges. Nam non solum Adamo præceptum de arbore vetita datum fuit, & de polygamiâ ac divortio vitandis in primævâ conjugii institutione, sed & Noacho inculcatum fuit de puniendo capitaliter homicida, & vitando esu sanguinis &c.

124. Pertinere autem istas leges ad positivas exinde constat, qvia illi actus non habent necessariam connexionem cum naturâ hominis rationali.

125. *Species* hujus legis positivæ recensebimus suo loco. Id saltem prænotetur. Leges has positivas vel dirigere officium hominis *circa cultum Dei*, vel *circa alios homines*. Illæ immediate *g*) intendunt beatitudinem æternam. Hæ immediatè temporalem.

126. *Lex divina particularis* est vel *ceremonialis* vel *forensis*. *Illa* respicit ordinationes circa cultum divinum, *hæc* in specie decisiones causarum forensium inter Judæos. In Lege forensi Deus intendit peculiarem utilita-

 tem

f) de J. N. & G. secundum disciplinam Hebræorum, *de quo opere & collatione ejus cum Grotii libris de J. B. & P. dictum. ad §. 125.* g) *Nota: aliud est immediatè, aliud primariò. Non hîc quærimus, utrum Deus in legibus circa alios homines primario respiciat beatitudinem æternam, sed an Immediate?* Conf. §. 134. & dissert. proœm. §. 49.

ad

tem temporalem populi Judaici, in ceremoniali beatitudinem æternam totius generis humani.

127. Lex *Forensis* extincta fuit extinctâ Republicâ Judaicâ & dispersis Judæis per totum terrarum orbem. *Ceremonialis* expiravit adventu Christi, qvi adeò impletâ prius lege, nova sacramenta novumqve cultum religiosum vel ipse vel per Apostolos introduxit, æqvè *h*) obligantem omnes homines, ac olim lex Judaica, ut diximus, intendebat, de qvo eo minus est dubium, qvò magis hîc Apostoli fuerunt jussi, ut prædicarent Evangelium universis populis.

128. Non tamen propterea dicendus est Christus novus legislator, *i*) qvoniam, qvi hâc phrasi utuntur, intelligunt, ac si Christus etiam in illis præceptis, qvæ officia hominum inter se concernunt, aliqvid immutaverit, & perfectiorem obedientiam à Christianis in novo testamento exegerit, qvod uti apertè satis infinitam Dei Patris sapientiam impugnat; ita latius refutatur à Dominis Theologis. *l*)

129. An ergo *legis Mosaicæ* particularis & potissimum forensis hodiè nullus restat *usus? Triplicem* eum facit Grotius. *Unum:* Ostendi ea, qvæ a legibus istis præcepta

ad §. 127. h) *Imò etiam magis. Nam olim non omnes Proselyti obligati erant, ut observarent leges ceremoniales, vel certè non omnes. At hodiè omnes homines religionis Christianæ capita omnia debent observare.*

ad §. 128. i) *qui error Grotio cum Socinianis non est infrequens.*

l) *Recensita interim responsio consueta ad objectiones ex Matthæo: Audivistis dictum esse &c. Ego autem dico vobis &c.*

ad

cepta sunt, non esse contra jus Naturæ: *Alterum:* Licere nunc Magistratibus Christianis ejus sensus leges ferre, cujus sunt Leges per Mosen datæ; nisi fortè sint Ceremoniales, aut Christus contrarium disposuerit: *Tertium;* qvicqvid ad eas virtutes pertinens, qvas Christus à suis discipulis exigit, lege Mosis præceptum est, id nunc etiam, si non & amplius à Christianis præstandum.

130. Hîc primum usum admittimus. Qvæ verò in secundo & tertio usu à Grotio de Christo novo legislatore admiscentur, jam rejecimus. Præter id negamus etiam in reliqvis universaliter procedere secundum usum Grotii qvoad leges forenses. Nam in iis Deus utilitatem Reip. Judaicæ respexit. At Magistratuum Christianorum singuli suarum rerumpublicarum utilitatem præ oculis habere debent, qvæ ab utilitate Reip. Judaicæ poterit esse diversa.

131. E. g. Lex Forensis furtum restitutione dupli vel qvadrupli punit. Sufficiebat hoc ad coercenda furta in populo Judaico. *m*) Ergo & si in aliqvâ Rep. hæ pœnæ sint sufficientes, benè facit princeps, si illas usurpet; qvod si finem suum neqvaqvam obtineant, sed nihilominus furta multiplicentur, peccat princeps, si crescentibus delictis non simul pœnas crescere procuret. *n*)

132. Illi verò planè falluntur, qvi putant legem divinam forensem normam præscribere principibus, secundum qvam & ipsi Leges in Rebuspublicis suis formare debeant, ita ut peccent, si præter aut contrà illas aliqvid

 dispo-

ad §. 131. m) *Non enim ibi erant pauperes & otiosi.*

n) *Nam pœna imitatur medicinam.*

disponant, & ex istâ hypothesi v. g. suspendium furum impugnant. *o*)

133. Patet jam ex divisione legum divinarum, qvod *Jurisprudentia divina* pro objecto habeat *legem naturalem*, & ex *divinis positivis universalibus illas, qvæ officia hominum erga alios homines* concernunt.

134. Nam hæ leges, ut & lex naturalis salutem hominis & *tranqvillitatem temporalem*, non dicam principaliter, sed immediatè tamen intendunt.

135. Conformem arbitramur hanc doctrinam praxi communi *p*) in territoriis Principum protestantium, ut & apud nos observationi Consistoriorum, & Constitutionibus principalibus desuper editis.

136. Poterit adeò & hoc legum positivarum respectu *Jurisprudentia* nostra *Christiana* appellari, qvoniam non saltem objectum demonstrationis hîc ex scripturâ sacrâ præsupponitur, sed & primum demonstrationis principium *q*) ex revelatione desumitur, qvod reliqvæ Jurisprudentiæ partes, Medicina item & Philosophia non faciunt.

137. Unde & *Jurisprudentia* à *Theologia* ex parte qvidem objecto, adæqvatè tamen *fine* differt. Scilicet *leges humanas* sola sibi vindicat *Jurisprudentia*, qvia hæ in salute hominis temporali acqviescunt. *Præcepta religionis* pertinent

ad §. 132. o) *Dictum & de alterâ objectione, quod suspendium non habeat proportionem ad res ablatas.*

ad §. 135. p) *exposui dicta hujus* §. *latius* in differt. Procem. §. 50.

ad §. 136. q) conf. suprà §. 15. 16. seq.

tinent ad Dominos *Theologos, r*) & doctrina, qvæ hæc inculcat, *Theologiæ strictè dictæ* nomine venit, qvæ *credenda* explicat.

138. *Leges verò divinæ de officiis hominum erga homines disponentes Theologis & JCtis sunt communes*; illis; qvatenus & ipsæ ex intentione *s*) Legislatoris subordinantur saluti æternæ, aut, qvatenus sine lege Evangelium *t*) non poterit commodè explicari; his; qvatenus in iis Deus immediate respexit tranqvillitatem & decorum ordinem hujus vitæ.

139. Atqve hinc est etiam, qvod Domini Theologi, dum hæc præcepta seorsim exponunt, tractatus suos non Theologiæ, sed in specie *Theologiæ moralis*, qvæ *facienda* explicat, nomine insigniunt.

140. Inter qvam & *Jurisprudentiam divinam* posses etiam istam ponere differentiam. *Theologia moralis* Legem moralem omnes homines obligantem sine distinctione legis naturalis & positivæ universalis inculcat, *u*) & fundamentum adeò demonstrationis suæ utrobiqve ponit scripturam sacram, unde & communiter Theologi morales legem moralem & naturalem synonymice usurpant. Sed *Jurisprudentia divina* legem naturalem à divina separat, illam qvidem secundum doctrinam Apostolo-

ad §. 137. r) *Ita tamen, ut & hìc imspectio non quidem JCtis sed Principibus tamen sit relinquenda.*

ad §. 138. s) *Aliud in executione, quoniam per observationem legis non possumus consequi salutem æternam.*

t) *tollit enim Evangelium vim legis.*

ad §. 140. u) *Fit hoc communiter.*

x) *e.g.*

postoli ex dictamine rectæ rationis demonstrans, hanc vero ex solâ revelatione petens; qvæ distinctio infinitum usum præbet in difficillimis aliàs controversiis, de obligatione principis intuitu ejusmodi præceptorum, & potestate ejus dispensandi aut legislatoria &c *x*)

141. Recte igitur *Jurisprudentia divina* dividetur in *naturalem* & *divinam positivam universalem officia hominum inter se inculcantem*, qvam posteriorem in posterum compendii gratiâ *divinam* absolutè, & leges, circa qvas occupata est, divinas simpliciter appellabimus. Dabimus vero operam, ut, qvod hactenus non fuit præstitum, *y*) duas istas species, non qvidem seorsim consideremus, sed in singulis tamen capitibus accuratè secernamus.

---

x) *e.g. an princeps possit viduam fratris sui ducere, circa polygamiam, pœnam homicidii &c. dispensare, aliam pœnam homicidio, adulterio dictare quam capitalem? Ubi semper confusè procedunt illi, qui legem moralem & naturalem habent pro Synonymis.*

y) *Nam ex Scholasticis nemo id fecit. Grotius quidem autor est hujus distinctionis, sed tamen non ubique observat, fortè quia discrimen juris naturalis & positivi universalis, seu prima utriusque principia non benè inquisivit. Nec ipse Dn. Pufendorffius hæc distingvit semper, sed multa quæ lege positivâ probibita sunt, defendit Jure naturali probibita esse, fortè ne ita graviter crabrones irritaret.*

CAP.

CAPUT III.

De Interpretatione legum divinarum in genere, & de principiis practicis.

SUMMARIA.

Connexio §. 1. 2. Interpretatio definitur §. 3. dividitur intuitu objecti §. 4. 5. Omnis interpretatio nititur primis principiis §. 6. Quid sint prima principia? §. 7. 8. Sunt vel Theoretica vel Practica. §. 9. Practica communiter neglecta §. 10. 11. Sex Præsupposita in hac doctrinâ §. 12-17. Primum principium Theoreticum §. 18 Fontes primi principii Practici §. 19-22. quod subordinatur Theoretico & ex eo debet demonstrari §. 23-33. Est hoc primum principium Practicum: Imperanti pare *§. 34-39. & est objectum Jurisprudentiæ in genere. §. 40. Jurisprudentiæ divinæ primum principium est:* Deo pare *§. 41-46. Probatur esse Deum §. 47. 48. Ignoramus quid sit Deus? §. 49-53. Scholasticorum viæ perfectionis & negationis non magni momenti §. 54-65. ut nec eorum Pnevmatica §. 66. 67. 68. Licet tamen ex naturâ cognoscere, quod Deus imperet homini §. 69-77. ubi monstratur, Animal rationale non posse esse sine lege §. 78-86. Qui hoc principium negant, sunt Athei, quorum varia genera §. 87-92.*

§. 1.

QVævis Jurisprudentia leges interpretari docet & applicare. Hæc enim sunt media, ad tranqvillitatem communem introducendam facientia. Unde si doctrinam mediorum omitteret Jurisprudentia, & in dictis subsisteret, prudentiæ nomen non mereretur. *a*)

2. Por-

ad §. 1. a) *Exemplo Philosophiæ Practicæ Aristotelicorum, quæ doctrinam mediorum negligit.* Vid. B. Patris Tab. ult. Phil. Pract. *ad*

2. Porro interpretatio applicationem ordine doctrinæ debet præcedere. *b*)

3. Eſt vero *interpretatio expoſitio voluntatis* c) *alienæ* d) *dubiæ*. Nam interpretatio qvæ *Authentica* dicitur, propriè interpretatio non eſt, ſed vel nova lex, vel novum pactum. *e*) Certe ea huc non ſpectat. *f*)

4. *Voluntas* autem illa eſt vel *ſuperioris* vel *paris*. Unde interpretatio eſt vel *legum* vel *pactorum*, item teſtamentorum, meditationum, &c. *g*)

5. *Leges* vero vel ſunt *cordibus hominum inſcriptæ*, vel per *revelationem publicatæ*. Ibi interpretatio *demonſtrationibus* utitur. Hic *conjecturis* ſeu argumentis probabilibus.

6. Utraqve interpretatio *h*) nititur *i*) certis regulis & axiomatis à primis principiis dependentibus.

7. Sunt

ad §. 2. b) *Non enim poſſum legem applicare quam non intelligo.*

ad §. 3. c) *Unde differt à ſcientiâ & doctrinâ in genere, quæ naturas rerum exponit.*

d) *Si hæc vox omittatur, comprehendit ſub ſe interpretationem authenticam.*

e) *Dicitur tamen grammaticè interpretatio, quia priorem voluntatem dubiam declarat.*

f) *Nam ſi maximè interpretationem authenticam ad ſpecies interpretationis referre velis, non tamen pertinet ad Jurisprudentiam judicialem quam nos conſideramus, ſed legislatoriam.*

ad §. 4. g) *Priores tres pertinent ad JCtos, ultima ad Criticos. Et quidem legum & pactorum etiam ad Jurisprudentiam divinam, teſtamentorũ ad humanam, quamvis ex iisdem dependeant principiis.*

ad §. 6. h) *Etiam conjecturales. Nam etſi conjecturæ ſaltem probabiliter inferant, præſupponunt tamen demonſtrativa axiomata, v. g. Quicquid Deus vult, eſt faciendum.*

i) *non quaſi ſemper deducatur per modum confuſionis ex præmiſ-*

ſis

7. Sunt autem *prima principia* propoſitiones ab intellectu formatæ, ultra qvas intellectus aſcendere in demonſtrationibus non poteſt.

8. Cum enim intellectus hominis ſit finitus, non poteſt in demonſtrationibus adſcendere in infinitum, ſed neceſſe eſt, ut aliqvando ſubſiſtat. *l*)

9. Pro diverſitate autem habituum intellectualium Theoreticorum & Practicorum *Principia prima* diviſa ſunt in *Theoretica* & *Practica*.

10. De Theoreticis multi ſcripſere multa. *m*) Practica vel planè fuerunt neglecta, vel confuſe tradita, *n*) vel magna contentione adhuc dum excutiuntur. *o*)

11. Nos, qvorum poſt gloriam Dei ſolum veritatis ſtudium ſcopus eſt, ſepoſitis affectibus & autoritatibus, rem nude, ut eſt, ſpeculabimur, nullius affectantes gratiam, qvoniam nullius veſtigia *p*) preſſo pede ſumus calcaturi, nullius etiám odium timentes, qvia eos, á qvi-

ſis demonſtrativis. Nam ſi præmiſſæ certæ ſunt, concluſio etiam eſt certa, ſed ſufficit hîc, ſi modo major ſit certa: Ita in Legis poſitivæ interpretatione ita v. g. proceditur: Quicquid Deus jubet, id eſt faciendum. (Hæc propoſitio eſt certa.) Atqui Deus jubet abſtinere à polygamia, (Hîc conjecturis opus eſt) E.

ad §. 8. l) *Cauſa finita non poteſt producere effectum infinitum.*

ad §. 9. m) *potiſſimum illi, qui intelligentiam ſeu noologiam ſcripſerunt, ut Calovius, cujus liber prolixus nil niſi ineptias Scholaſticorum continet.*

n) *Calovius, ni fallor, ultrà decem principia practica refert, ut de Velthemio jam nihil dicam.*

o) *Dum nempe controverſia eſt de fundamentali propoſitione Juris naturæ.*

ad §. 11. p) *Ac ne quidem ipſius Dn. Pufendorffii, cujus hypotheſin de ſocialitate quamvis defendam, in eo tamen abeo, quod præſupponam aliud*

bus hic diſſentiemus,tacebimus,neqve aculeis pugnabimus,ſed rationibus.

12. Res vero paulo altius eſt repetenda. Præſuppono I. *Intellectum*, qvocunqve modo *q)* eum definias, *eſſe ens unum*, intellectumqve Theoreticum & Practicum non realiter differre. *r)*

13. II. Intellectus noſter vel contemplatur *rerum eſſentiam*, ſeu naturam, ſeu habitudinem, ſeu accidentia, ſeu qvocunqve modo id efferre velis, in genere, vel contemplatur in ſpecie *actiones proprias. s)*

14. III. Res omnes à ſe qvidem *diſtinctæ* ſunt, ſed cum tanta harmonia, ut nullum ens ſit, qvod non cum altero *conveniat* in aliqvo tertio. *t)*

15. IV. Ergo intellectus, dum rerum naturam contemplatur, vel contemplatur earum *convenientiam* cum aliis, vel *differentiam. u)*

16. V.

aliud Principium practicum prius: Quamvis huc ipſe Dn. Puſendorffius inclinaverit, ubi reſpondet ad objectiones, quod officia hominis erga Deum ex ſocialitate deduci nequeant. Certè rem diſtinctiùs ut puto, & methodo magis perſpicuâ propoſui.

ad §. 12. q) *ſeu per actum, ſeu per facultatem.*

r) *Unde infrà deducemus unum dari principium primò primum, non duo.*

ad §. 13. s) *Poſterior contemplatio etiam continetur ſub priori. Hæc obſervatio eſt fundamentum diſtinctionis in intellectum Theoreticum & Practicum. Theoreticus contemplatur rerum omnium eſſentias. Practicus in ſpecie eſſentiam legis & actionum humanarum, harumque ad ſe habitudinem.*

ad §. 14. t) *Ratio hujus fortè in eo eſt, quod una res ex alterâ facta. Chaos erat initio. Inde facta cœlum & terra. Ex terrâ plantæ, animalia, homo, ex aquâ piſces &c.*

ad §. 15. u) *Unde & omnis definitio hunc duplicem conceptum involvit, convenientiæ in genere,*

diſcon-

16. V. Qvi convenientias rerum elicere aptus est, *ingenio* pollere dicitur, qvi autem differentias accurate discernit, *judicio* gaudet. *x*)

17. VI. Porro intellectus essentiam rerum & naturam contemplando, vel ita concipit, prout revera sunt, vel eas inter se componit fictione aliqvâ, ut non sunt. *y*) Atqve hic actus intellectus phantasia dicitur.

18. Hæc omnia, qvæ hactenus recensuimus, inter se comparando, *z*) summa propositio & prima ipsi nascitur h. e. ad qvam reliqvæ omnes possunt referri, ipsa autem est indemonstrabilis. *Quodlibet est vel non est: a*) seu:

disconvenientiæ in differentiâ specificâ.

ad §. 16. x) *Judicium melius est ingenio. Mulieres ferè magis pollent ingenio, mares judicio.*

ad §. 17. y) *e. g. formandi chimæram. Videtur tamen addendum;* esse tamen possunt. *Nam quando componit res qua esse non possunt, reverà nihil concipit, v. g. homo irrationalis, ferreum lignum. Unde puto, ens rationis impossibile, quod vocant Scholastici, non esse ens rationis sed ens stultitiæ. Porrò videtur exinde sequi, quod formatio entis rationis consequatur cognitionem entis realis, quia componitur ex abstractionibus ab ente reali formatis.*

ad §. 18. z) *Si existentiam respicias, fluit hoc ex §. 17. Quodlibet enim vel existit vel non existit. Si habitudinem & differentiam unius rei ad aliam: Quodlibet est (v. g. rationale) vel non est. (rationale) Hic respicitur habitudo ad hominem & ita in reliquis omnibus. In primâ expositione supponitur* est *secundi, in secundâ* est *tertii adjecti. In primâ comparatur ens cum ente rationis, in secundâ ens cum alio ente.*

a) *In introductione Germanicâ ad Logicam primum principium theoreticum aliter explicui. Hoc potius postulatum, quam principium est. Ex eo enim non tam veritates eliciuntur & subsumuntur sub eo, quam falsitates ad id colliduntur.*

b) *Quo-*

Impossibile est idem simul esse & non esse; seu deniq; *b*) *Contradictoria non possunt simul esse vera.* Hæc enim omnia eodem recidunt. Atqve hoc communiter appellari solet *primum principium theoreticum.*

19. Deprehendit autem homo inter res contemplabiles etiam seipsum, atqve dum suam naturam contemplatur, videt se non speculandi saltem sed & agendi gratiâ esse creatum. *c*)

20. Dum vero actiones suas cum essentiâ suâ confert, videt, quod sua natura non admittat, ut sit exlex *d*) & actiones suas sine normâ qvâdam instituat.

21. Unde nascitur ipsi definitio legis. *e*) Simul vero conceptus Imperantis, *f*) conceptus obligationis, *g*) utpote qvi in definitione legis involvuntur.

22. Leges autem cum deprehendit varias, & has inter se comparat, ac earum differentias qværit. *h*) Summa igitur harum contemplationum, seu qvænam sit prima lex, & ad qvam reliqvæ omnes referri debeant, vocatur *primum principium Practicum.* *i*)

23. Ex

b) *Quocunque enim modo hoc principium explices secundum ductum lit. z) poteris applicare duplicem hanc expositionem.*

ad §. 19. c) *Monstrat hoc corpus animæ junctum. Si enim homo speculationis gratiâ, quid opus membris corporis. Membra externa potissimum concessa est ab locomotivam. Actiones exteriores autem in locomotivâ consistunt. Ergo. Deus enim & natura nihil faciunt frustra.*

ad §. 20. d) *Demonstro hoc* infrà §. 78. seq.

ad §. 21. e) Suprâ cap. 1. §. 28.

f) adde cap. 1. §. 115.

g) supra cap. 1. §. 134. seq.

ad §. 22. h) per §. 15.

i) *& rectè ob modo dicta, quia est summa legum. Puta autem* Scho-

23. Ex dictis patet: *primum principium Practicum* non esse absolutè primum, sed *subordinari primo principio theoretico.*

24. Theoreticum enim est summa contemplationum omnium de rerum essentiis & natura. Practicum in specie de unius rei, legis nimirum, essentia. Species verò continetur *l*) sub genere.

25. Adeoqve *m*) Practicum jam præsupponit cognitionem variarum rerum, & inter eas potissimum hominis & actionum *n*) humanarum, ergo & præsupponit principium theoreticum.

26. Falluntur itaqve, qvi putant *o*) primum principium practicum non esse subordinatum theoretico.

27. Nam seqveretur exinde, *p*) falsum esse principium theoreticum, si daretur aliqvid in intellectu meo, qvod neqve sit neqve non sit.

Scholasticos & vel ipsum Velthemium (*quem vide* ad l. 1. Grot. p. 260. seq.) *summam omnium legum vocare primum principium practicum, ideoque in definitione nobiscum convenire.*

ad §. 24. l) *imò & subordinatur quoad cognitionem generi. Nescio quid sit animal rationale, nisi prius sciam, quid sit animal: Nescio quid sit corpus vivum, nisi prius sciam quid sit corpus. Probo sententiam meam ulterius ex methodo ipsorum Peripateticorum, quâ tractant disciplinas, Logicam, Physicam, Metaphysicam. Agunt prius de Syllogismo, corpore, ente in genere, tùm de speciebus.*

ad §. 25. m) *id est, quia Practicum est synopsis legum.*

n) *Nam lex est norma hominis & actionum ejus.*

ad §. 26. o) *Hoc facit ineptiens Velthemius* ad Grotium l. 1. c. 1. qv. 4. p. m. 258. seqq. *cujus locus integer prælectus & brevissimis stricturis notatus fuit.*

ad §. 27. p) *Nam si principium Practicum non comprehenditur sub*

28. Adeoqve qvi id docent, negant reverà *q)* primum principium intellectus.

29. Aut ex intellectu hominis faciunt *r)* duo distincta entia.

30. Non adducam, qvod ipsi fateantur, *s)* contra negantem prima principia non esse disputandum, qvod in principio primo theoretico lubentes admittimus. Nemo enim id negabit facile, si homo est, & ne rusticus qvidem.

31. At si idem assumamus in primo principio practico, non evademus controversiam, cum de eo dissentiant inter se viri summè eruditi, singuli suis asseclis stipati.

32. Qvi si omnes sibi mutuo occinerent, contrà negantem principia non esse disputandum, nisi fortè, ut addi solet, *t)* verberibus, oriretur profectò bellum, si non omnium contra omnes, certè plerorumqve inter se eruditorum.

33. Igitur primum principium practicum ex theoretico debet immediatè demonstrari. *u)*

34. Id

sub theoretico, sequitur, quod detur aliquid, quod neque sit neque non sit.

ad §. 28. q) per §. præced.

ad §. 29. r) *quasi nempe in intellectu Theoretico principium Theoreticum sit primò primum, in practico Practicum. Contrarium autem jam præsupposuimus* §. 13.

ad §. 30. s) Vide Velthem. p. 271. seqq.

ad §. 32. t) *Hæc est iterum philosophia heroica Velthemii* p. 272.

ad §. 33. u) *Demonstratur vero quid ex primo principio practico, si prædicatum fluit ex definitione subjecti in propositione vel alterius termini, etsi ibi virtualiter lateat.* Vide dicenda ad §. 35.

ad

34. Id vero cum pace omnium *x)* duobus verbis efferre licebit: IMPERANTI PARE.

35. Demonſtro *y)* id 1. ex *definitione Imperantis*. Imperans eſt, qvi habet facultatem alterum obligandi. Qvod ſi vero ei non ſit parendum, hanc facultatem non haberet; Impoſſibile autem eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.

36. 2. *Ex definitione Legis*. Lex eſt juſſus imperantis obligans ſubjectos &c. Igitur ſi imperanti non eſſet parendum, lex non eſſet lex.

37. 3. *Ex definitione obligationis*, qvam ſupra *z)* expoſuimus, qvæ & ipſa non eſſet obligatio, ſi imperanti non foret parendum.

38. Meretur tamen hoc axioma nomen *primi* principii Practici, tùm qvia omnes leges ſpeciales eò referri poſſunt, qvod facilè probatur per inductionem; *a)*

39. Tùm

ad §. 34. x) *Neſcio enim, an ullus hoc principium ponat. Communiter enim diſputantes de fundamentali propoſitione juris naturæ, confundunt primum principium Practicum cum primo principio juris naturalis, quæ duo tamen differunt, cum poſterius priori ſit ſubordinatum, ut patet ex ſequentibus.*

ad §. 35. y) *Repete dicta ex* §. 33. *Propoſitio hæc eſt. Summa* Legum *omnium eſt:* Imperanti *pare: Hic demonſtratio fit ex definitione imperantis & legis, qui termini expreſſi ſunt in propoſitione.* Obligationis *terminus latet in voce legis, quia ingreditur legis definitionem.*

ad §. 37. z) §. 134. ſeq. cap. 1.

ad §. 38. a) *Summa legum divinarum eſt:* Deo pare, *ut docetur in ſequentibus: Humanarum: Majeſtati, Magiſtratui Patrifamiliâs pare. Ratio eſt, quia hi ſunt imperantes.*

ad

39. Tùm qvod ipſum per aliam legem demonſtrari neqvit; Fluit enim ex definitione legis in genere.

40. Poſſes adeo hoc principium dicere *objectum Jurisprudentiæ in genere.* Nam omnes ſpecies Jurisprudentiæ id præſupponunt.

41. Cum autem Jurisprudentia à nobis in divinam & humanam diviſa fuerit, jam videndum eſt, qvodnam ſit *primum principium Jurisprudentiæ divinæ.*

42. Cujus natura in eo conſiſtet, ut omnes lges divinæ *b*) eò poſſint referri, ipſum vero *c*) immediatè demonſtretur ex primo principio practico, mediatè ex primo principio theoretico.

43. Tale erit ſeqvens: DEO PARE.

44. Demonſtratio immediata eſt, qvia Deus eſt imperans.

45. Hujus demonſtratio mediata, *d*) qvia aliàs Deus non eſſet Deus.

46. Utrumqve paulò fuſius erit deducendum, cum hic præſupponatur: eſſe Deum, & eſſe ſuperiorem. *e*)

47. Eſſe

ad §. 42. b) *Ideò in Jurisprudentiâ divinâ eſt primum.*

c) *Ideo non eſt principium primum practicum in genere. Clarius hoc patet ex ſequenti ſyllogiſmo. Theſis eſt: Deo eſt parendum. Syllogiſmus iſte: Quicunque eſt imperans, illi eſt parendum. Deus eſt imperans. E. Hic vides ipſam concluſionem immediatè probari ex primo principio practico. Mediatè autem probatur ex primo principio theoretico, quia & major probatur ex definitione imperantis, & minor probatur ex definitione Dei, ut latius probo in ſequentibus.*

ad §. 45. d) *Scilicet quoad minorem. Nam quoad majorem probatio jam fuit expedita.*

ad §. 46. e) *clarius:* imperantem.

ad

47. Esse Deum, omnes gentes etiam maximè barbaræ agnoverunt & agnoscunt, demonstrarunt autem multi, *f*) præprimis qvi Theologiam naturalem scripserunt aut contrà Atheos disputarunt.

48. Ac varia *g*) hîc qvidem adduci possent argumenta. Potissimum ex subordinatione causarum *h*) desumitur. Qvæcunqve videmus in hoc globo terraqveo, *i*) non sunt à se ipsis sed aliunde, illa vero ex qvibus sunt, etiam deprehendimus à se ipsis non fuisse, & ita porro. Ergo necesse est, qvoniam intellectui repugnat processus in infinitum, *l*) ut subsistamus in aliqva causa prima. Ea verò Deus est.

49. Qvid verò sit Deus, id eqvidem perfectè *m*) cognoscere intellectus noster non potest, etiamsi accedat lumen revelationis, *n*) ob infinitam distantiam essen-

O tiæ

ad §. 47. f) *Aliter tamen procedunt Peripatetici, aliter Cartesiani. De methodo posteriorum dictum.*

ad §. 48. g) *Quæ videri latius possunt apud scriptores Theologiæ naturalis communiter.*

h) *propter dicenda §. 54.*

i) *h. e. res sublunares propter §. 51.*

l) *Intellectus est facultas rem per causas cognoscens. Intellectum autem scio esse finitum, quia homo est finitus. Si ergo cognitio intellectus esset infinita, intellectus non esset intellectus. Vel enim intellectus est ipsa cognitio, vel cognitio est effectus intellectus.*

ad §. 49. m) *Nam meditatio §. præcedentis id mihi saltem suppeditat, Deum esse causam primam rerum sublunarium, inter quas & homo. Adde B. Dn. à Seckendorff* Teutsche Reden *p. 473.*

n) *Etiamsi homo consideretur in statu integritatis aut vitæ æternæ, manebit enim & ibi infinita distantia & ibi intellectus quoque erit finitus. Finitum autem non potest perfectè capere infinitum. Etsi enim*

tiæ humanæ à divinâ; tantùm abest, ut solum rationis lumen mysteria ista capere qveat.

50. Id igitur apertè ex dictis de existentia Dei colligere licet, ejus essentiam esse *nobiliorem o)* essentiâ hominum, quos aliàs inter creaturas sublunares esse perfectissimas, natura nobis dictitat, & conseqventer *diuturniorem p)* entibus, qvæ circa nos videmus, &c. uno verbo transcendere intellectum nostrum, cum intellectus noster tantum possit comprehendere, *q)* quod æqve aut minus est perfectum.

51. Cæterum subtilioribus *r)* demonstrationibus est opus, si ex lumine naturæ demonstrare velis, qvod Deus

enim in scripturis vocetur illa cognitio perfectissima, id tamen intelligitur in comparatione præsentis cognitionis, & est perfectissima, in quantum in hominem cadit. Unde & locutio scripturæ: Cognoscemus Deum, sicut est, *alibi per hanc phrasin explicatur:* de facie ad faciem. *Unde hæ duæ cognitiones, præsens & illa perfecta optimè declarari possunt simili de cognitione amici absentis, quem nunquam vidi, & ejus cum quo quotidiè conversor. Nam & hunc video* de facie ad faciem & sicut est, *& tamen ejus essentiam perfectè non cognosco.*

ad §. 50. o) *quia causa est nobilior effectu.*

p) *Horum enim interitus imperfectionem involvit.*

q) *Cape simile à vase. Angustum vas non potest comprehendere augustiora. Et definitio comprehensionis involvit, comprehendens esse augustius comprehenso.*

ad §. 51. r) *Similis est assertio de Deo uno, quamvis id Ziegler us ad Grotium velit deducere eò, quod Deus sit prima causa. Vult enim primum etiam esse unum aliàs non esset primum. Sed huic argumento responderi potest distinctione inter duplicem significationem primi. (conf. Alberti* p. 45. §. 11.*) Ut adeò non opus sit responsione Henniges* p. 919. *Respondendum hîc etiam objectionibus Osiandri* p. 1176. *Di-*

Deus non ſit unum ex corporibus cœleſtibus, *s)* qvoniam harum mutationes pleriqve hominum ignorant, & imo ab eruditiſſimis vereor, ut vera eorum & intrinſeca mutatio, ſi lumen revelatum ſeponas, demonſtrari poſſit. Unde & Apoſtolus *t)* dum ex lumine naturæ adverſus Gentes diſputat, eos potiſſimum invadit, qvi homines, vel beſtias, vel creaturas ſublunares inferiores pro Deo habebant, non illos, qvi ſolem adoraverunt aut corpora cœleſtia.

52. Miranda adeò ſimul eſt Dei Sapientia, qvod in-

O 2 ter

Diſtingvit tamen etiam Zieglerus p. 472. *inter unitatem naturâ demonſtrabilem & unitatem in trinitate Chriſtianis notam. Teſtimonia Gentilium vide apud Grotium* II. XX. 45. *in* §. *tamen* 47. *& de unitate & de inviſibilitate nobiſcum ſentit. De inviſibilitate etiam vide quæ collegit Alberti* P. 2. p. 44. ſeq. *ſed teſtimonia illa vel probant ſaltem id in ſpecie, quod Deus ſub imagine rerum ſublunarium non debeat coli, vel per inviſibilitatem intelligunt talem, quæ eſt ob defectum apparitionis, non, quæ eſt ob defectum corporeitatis. Ideò ſcilicet vocant inviſibilem, quod certum ſchema & imago iis nunquam ſit manifeſtatum. Et forte hunc vel huic affinem ſignificatum (qualis eſt ille quem uſurpat Zieglerus* p. 477.) *in mente etiam habuit Paulus Rom.* 1. *in verbis:* unſichtbares Weſen τὰ ἀόρατα. *Vel denique, qui ita ſtatuerunt, habuerunt eam ſententiam ex revelatione. Breviter: in ejusmodi teſtimoniis non tàm ad teſtimonia quàm ad rationes Gentilium eſt reſpiciendum.*

s) *vide omnino quæ habet Zieglerus* d. p. 477.

t) Rom. 1. v. 18. ſeq. *Hanc expoſitionem ſvadet integer contextus & omnino* verſ. 23. *Apprimè verò eam juvat* Liber ſapientiæ c. 13. *ferè per integrum, modo penitius inſpicias. Etſi primâ fronte videatur à nobis diſſentire. Unde jam facile reſponderi poteſt* ad Grot. p. 1177. *Evolvendus etiam in loco Apoſtoli textus Græcus.*

ad

ter gentes, qvæ ſanctiſſimam ejus revelationem ſepoſuerant, paſſus fuerit eas, qvæ maximè rationabiles haberi volebant, in magis abſurdas idololatriæ ſpecies illabi, qvàm gentes barbaras. Hi enim ferè corpora cœleſtia aut potentias inviſibiles adorarunt. At qvid abſurdius cultu Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum?

53. Non eadem difficultas erit, *u*) ſi ex ſolo dictamine naturæ cum illis diſputare velis, qvi *Naturam* dicunt eſſe Deum, vel *animam mundi*, aut qvi errorem defenderunt, qvod *mundus ſit æternus. x*) Nam firmiter ſtringi poteſt Ethnicus, ſi ipſi objicias, qvod qvi mundum æternum aſſerat, ejus aliqvam cauſam neget, & ſic ipſum Deum neget. *y*) Etſi enim facilè prævideam, qvod reſponſurus ſit, illationem non ex neceſſariis inferre, poſſe enim eum, qvi mundi cauſam negat, ſtatuere, mundum eſſe ipſum Deum, vel certè mundum eſſe Deo coæternum, uti notum eſt qvod Philoſophi Gentiles aſſeruerunt duo principia coæterna, Deum & materiam primam; manet tamen objectio noſtra: Nam qvicunqve Deum dicit, cauſam mundi concipit. Ergo qvi mundum ipſum Deum appellat, reverà cauſam mundi, & Deum tollit. Hypotheſin autem illam communem philoſophiæ Gentilis de materiâ primâ Deo coæternâ perſpicuè refutavi alibi. *z*) 54. Un-

ad §. 53. u) *Mutavi ob rationes circa finem hujus paragraphi dictas ſenſum totius paragraphi, nam in priore editione defenderam, etiam ex Lumine naturæ non poſſe diſputari adverſus errores hoc paragrapho memoratos.*

x) *vel ejus materia.* vid. Grot. II. 20. 47.

y) vid. Dn. Pufend. I. 44. de O. H.

z) in introd. ad Ethic. c. 3.

ad

54. Unde & non omninò placet *a)* institutum Scholasticorum, magno conatu attributa divina duplici *via* qvam *perfectionis* & *negationis* appellant, ex lumine rationis investigare intendentium, ita ut perfectio quæ est in homine, ea sit *eminenter* in Deo, & imperfectio, qvæ in homine est, ea non sit in Deo. Nam & illud infinitis tricis est obnoxium & limitationibus, certè ad demonstrationem, qvam tamen intendunt, aut in disciplinâ Theoreticâ intendere debent, parum aptum. *b)*

55. Potissimum enim fallet ista *via perfectionis*, si perfectio humana præsupponat aliqvam imperfectionem, *c)* fallet etiam *via negationis*, si imperfectioni humanæ opposita perfectio simul cum imperfectione sit conjuncta, *d)* aut si imperfectio humana moralis propter imperfectionem hominis physicam pro tali habeatur. *e)*

56. Ita imperfectio hominis est, qvod *volare* neqveat; sed an tibi propterea cum Ethnicis alatum qvendam finges Mercurium? Non arbitror. Nam hæc avium perfectio cum imperfectione est conjuncta, qvod sint corporeæ.

57. Hanc imperfectionem (corporeitatis) in Deum non cadere qvomodo scires, *f)* si Scriptura non revelaret,

ad §. *54.* a) *Non improbat has vias Zieglerus* ad Grotium II. 20.45. p. 471.

b) *non tantum propter limitationes & fallentias, sed etiam propter obscuritatem. Sæpè enim in creaturis perfectio videtur, quæ est imperfectio. Ut sæpè homo bonum apparens pro vero arripit.*

ad §. *55.* c) *Exemplum habes* §. 59. seq.

d) vide §. 56. 57.

e) vide §. 58.

ad §. *57.* f) *Quicquid enim intellectus concipit, concipit sub schemate corporis. Unde dum Spiritum*

ret, Deum esse Spiritum? Si enim inter eos qvi Scripturam S. agnoscunt, Sapientes reperti sunt, *g*) qvi Deum corporeum esse delirarunt, non mirandum, si Sapientissimi Philosophorum Gentilium Stoici idem dogma defenderint.

58. Ita imperfectio hominis moralis est, si homo gaudeat de alterius hominis dolore etiam ex merito eundem patientis, qvi enim ita gaudet, *crudelis* vocatur. *h*) At Deus ipse testatur, qvod ridere velit super infortunio malorum. An ergo putas Deum crudelem esse? Absit. Cur ita diversè? Scilicet qvia imperfectio illa moralis in homine præsupponit imperfectionem physicam, & qvod homo etiam in maxima dignitate constitutus cum vilissimo mendico æqvalitate essentiæ humanæ fruatur; at respectu Dei omnis homo pulvis est & umbra. *i*)

59. Ita inter perfectiones humanas *l*) non minima est

tum per τὸ incorporeum definimus, eo ipso adhibendo terminum negativum declaramus, nos ignorare essentiam Spiritus. Adde quod Scholasticus ex viis suis ne quidem demonstrare possit, Deum non habere corpus. Quo argumento enim demonstrabit, corporeitatem (qualis v. g. solis est) involvere imperfectionem?

g) *ut olim Stoici, hodiè Hobbesius in Leviathane.*

ad §. 58. h) confer infrà caput de pœnis §. 25. *Hinc pœna etiam dicitur medicinalis.*

i) *Unde Deus in æternis pœnis saltem malum præteritum respicit secundum communem doctrinam, non bonum futurum.*

ad §. 59. l) *Cape aliud exemplum. Inter bona fortunæ sunt divitiæ. Dives est, qui possidet multum pecuniæ, ut indigentiæ suæ possit succurrere. At Deus nullius rei indiget. Ita inter bona corporis est loquela, visio, auditus &c.* per-

eſt *virtus*, *m)* inter virtutes *juſtitia n)* eminet. Sed hæ qvidem citra imperfectionem non poterunt concipi. Virtus enim eſt habitus vivendi ſecundum leges, *o)* Juſtitia eſt habitus ſuum cuique tribuendi. Jam non qvidem urgebo, qvod in Deum non cadat habitus, ad hoc enim fortè non defutura eſſet reſponſio, *p)* id ſaltem dico, legem Deo non eſſe præſcriptam, nihil habere hominem, qvod intuitu Dei pro ſuo venditare poſſit.

60. Igitur non auderem titulum virtuoſi & juſti Divinæ majeſtati tribuere, niſi viderem ipſius infinitam Sapientiam in verbo revelato non reſpuiſſe terminos iſtos *q)* imperfectarum perfectionum noſtrarum, qvod dum video, veneror humilimè, qvod Deus mecum ἀνθρωποπαθῶς loqvi voluerit, ſimulqve lubentisſimè fateor, genuinum & exactiſſimum ſenſum iſtarum locutionum eſſe ſuprà intellectum meum, adeoqve pertinere ad myſteria fidei.

61. Atqve ſic melius me facere arbitror, qvod ignorantiam meam ingenue fatear, qvam ſi cum Scholaſticis eandem diſſimulare, ac Sapientiam aliqvam oſtentans, inanibus verborum involucris inſcitiam meam tegere conarer. Qvid enim qvæſo eſt iſtud *eminenter*, qvo

perfectio. At hæ iterum involvunt imperfectionem corporeitatis ex ratione non demonſtrabilem.

m) *Eſt enim bonum animi morale.*

n) *Juſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.*

o) *nam mediocritatis norma lex eſt.*

p) *diſtingvendo inter habitum eſſentialem vel acquiſitum, aut ſimili modo.*

ad §. 60. q) *Terminum equidem virtuoſi genericum neſcio an tribuat*

qvo hic utuntur? Vel idem erit ac *primario*, vel pro eo, qvod *impropriè* eſt, id ſupponunt. Primus ſignificatus ad analoga pertinet, poſterior ad æqvivoca.

62. Si igitur volent, v. gr. *virtutem & Juſtitiam eſſe eminenter in Deo, tanquam in analogato nobiliſſimo*, cedò dent mihi definitionem virtutis & Juſtitiæ, qvæ primariò accommodari poſſit juſtitiæ divinæ, ſecundario humanæ. *r*) At hanc qvidem fruſtra exſpectabimus: differunt enim hæ duæ juſtitiæ non gradibus, ſed, ſi propriisſimè loqvi velim, toto cœlo. *s*)

63. At ſi volunt, perfectiones divinas & humanas communi definitione non poſſe comprehendi, eo ipſo fatentur qvod *impropriè* eædem de Deo prædicentur, hoc eſt, quod modum prædicandi exprimere ignorent. *t*)

64. Jam qvæſo, qvid lucratur Philoſophia his nugis? Qvis non rideret, ſi qvis attributa hominis ex perfectionibus pulicis demonſtrare aggreſſus, nihil aliud afferret, qvam perfectiones pulicis eſſe eminenter in homine? At hominis ad Deum diſtantia major eſt, quam pulicis ad hominem.

65. Sed

buat ſcriptura Deo, tribuit tamen in ſpecie juſtitiæ. An & reliquarum virtutum? inquirendum foret. Fortis dicitur Deus vel termino huic analogo: non temperans, non liberalis, non modeſtus, non magnanimus, non verax (homileticè. Veritas enim juſtitiaria jam includitur ſub juſtitia) non comis, non urbanus. Et ſanè definitiones ſingularum virtutum harum præſupponunt imperfectiones diverſas, nec accommodari poſſunt Deo propriè. Imò ne quidem terminus fortitudinis.

ad §. 62. r) Analoga enim ſunt, quibus una definitio competit, quamvis inæqualiter.

s) *Deus in cœlo, homo in terra.*

ad §. 63. t) *Impropriorum autem quà*

65. Sed hi ſunt *fructus philoſophiæ gentilis*, vel potius abuſus, qvod Scholaſtici myſteria fidei ex philoſophia deducere inſtituerunt, & philoſophiam normam fecerunt Theologiæ, contra præceptum Apoſtoli, qvi Coloſſenſes graviter monuit, ne patiantur ſe decipi per philoſophiam & inanem fallaciam: contra inſtitutum Patrum, qvi philoſophia utebantur qvandoque in rebus Theologicis, ut Philoſophorum Gentilium ineptias demonſtrarent. *u*)

66. Ad iſtum abuſum refero penè totam Scholaſticorum *Pneumaticam*, ſeu Philoſophiam de Spiritibus, Deo puta, Angelis & Anima hominis ſeparata. Qvicqvid enim eâ de re argumentis maximo ſudore conqviſitis tradiderunt, *x*) (exceptis pauciſſimis de Dei exiſtentia & providentia) id nunqvam ſepoſito lumine revelato

quâ talium, nulla eſt ſcientia. Qui enim aliquid impropriè dicit, non dicit quid res ſit, ſed quid non ſit.

ad §. *65.* u) *Continet hic paragraphus ſynopſin eorum, quæ latius diſſerit B. à Seckendorff* in Chriſten-Staat *lib. 3. c. 7. & 8. & in additionibus ibidem, quorum potiſſima attulimus* in diſſ. Proœm. §. 51.

ad §. *66.* x) *Res patet ex hactenus dictis de attributis divinis. De angelis & animâ ſeparatâ ideò non convincet, quia 1. non ſine ratione de effectibus plerisque, qui angelis adſcribuntur aut animæ, dubitabit, an ſint veri, & annon lateant fallaciæ fraudum humanarū. Deinde 2. etſi evidenter ſit demonſtratum, dari effectus quosdam, vires humanas transcendentes, & potentiam aliquam majorem præſupponentes, quomodo convinces Ethnicum ex ſolâ ratione, eos effectus non eſſe Dei, aut ipſius animæ in ſtatu extraordinario poſitæ, aut eſſentiarum quarundam corporearum inter Deum & hominem, qualia de faunis, ſatyris, nymphis &c. ſibi perſuaſerunt gentiles?*

ad

to ethnicum convincet, at, si Scripturam agnoscas, omnibus ipsorum libellis non habemus opus.

67. In eo tamen inter Deum & reliqvas Spirituum classes arbitramur esse differentiam, qvod *Dei existentia*, ut demonstravimus, per lumen rationis investigari possit, de *angelis* & *animâ separata y)* ne qvidem qvod sint, extra Verbum Dei aliqvid scire (scire dico) possimus.

68. Eo plures autem absurditates absurda hæc Scholasticorum intentio peperit, ut etiam ex physicis locum & tempus mensuras corporum ad spiritus, vel omnem mensuram, vel certè corpoream respuentes, applicaverint, unde aureum illud & centum boum mactatione dignum mysterium; v. gr. animam totam esse in toto corpore, & totam in qvalibet parte corporis, qvod qvi exactè demonstrare per annorum centuriam poterit, is Phyllida solus habeto. *z)*

69. Ergone ais, nihil de Deo ratio mihi monstrat, qvam

ad §. 67. y) maximopere de hac. Quod enim de eâ Scriptura nobis revelat, meritò pertinet ad mysteria fidei. Ratio enim animam separatam sibi concipere nequit. Videt enim, quod anima consistat in cogitando. At cogitatio sine corpore quale est ens? Nam non tantum in statu corrupto cogitatio nostra dependet à sensibus: sed & in statu integro, prout concipere possumus, sensus præsupposuit, cum hâc differentiâ, quod in statu integro intellectus hominis similis fuerit quoad apprehensionem speculo, cum in corrupto similis sit tabulæ lapideæ, quoad retentionem verò similis fuerit in statu integro tabulaæ neæ, uti in statu corrupto cereæ.

ad §. 68. z) Involvit enim contradictionem. Quicquid enim totum est v. g. in digito, illius nullæ partes possunt esse alibi &c. Anima vero propriè loquendo neque totum est neque pars.

ad

qvam ejus exiſtentiam, & qvod ſit ens aliqvod primum? Monſtrat utiqve, ſed maximam partem confusè. Puta qvod ſit *independens*, qvod ſit *omnipotens* &c. Nam qvi ens independens *a)* dicit de Deo, non tam aliqvid affirmat, qvam dependentiam negat; qvi autem Deum omnipotentem dicit, id qvidem dicit, Deum poſſe omnia, qvæ non involvunt contradictionem, ſed ex lumine rationis homo id ſaltem ſcit, qvod abſolutê contradictorium eſt, *b)* non autem omne, qvod intuitu Dei contradictionem implicat, hoc eſt, qvod cum ejus attributis in lumine revelato declaratis pugnat. *c)*

70. Illud verò perſpicuè ratio ſuppeditat, qvod Deo competat *Imperium* in hominem, qvodqve Deus hoc *Imperium actu exercere* velit.

71. Competit Deo *Imperium* in hominem qvia eſt ejus autor. *d)*

72. Qvod vero Deus hoc *Imperium in hominem exercere* & qvod ſimul *negotia hominum curare* velit, id iſtis firmiſſimis demonſtrationibus, qvæ omnes in primo principio, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, fundantur, demonſtro.

ad §. 69. a) *& independentia eſt ſuprà intellectum.*

b) *id eſt, quod apertè & per rationes evidentiſſimas pugnat cum principio: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe &c.*

c) *unde qui dicit: Deus non poteſt volare, quia eſt incorporeus: Deus non poteſt falſa loqui (non dico: mentiri) quia eſt veraciſſimus &c. præſupponit revelationem.*

ad §. 71. d) *Per autorem intelligo qui quid producit ſine aliâ causâ & rem quidem diverſæ eſſentiæ. Unde patet, cur pater vi generationis non habuerit imperium in ſtatu integritatis, nec hodiè id ob generationem prætendere poſſit, quia pater non eſt autor filii.*

73. I. *Deus est autor hominis.* Dependet hæc assertio à definitione Dei, qvando ejus existentiam supra *e*) demonstravimus.

74. II. *Voluit* ergo *Deus, ut homo sit animal rationale.* Fluit hoc ex definitione hominis.

75. III. Eo ipso verò *Deus voluit, ut homo vivat secundum* normam qvandam, seu *legem.* Fluit hoc iterum ex definitione hominis, hoc est: essentiæ animalis rationalis non convenit, ut vivat exlex. *f*)

76. IV. Porro *voluit Deus, ut homo secundum* normam præscriptam seu *legem agat cum amore & metu.* Probo hoc ex definitionibus legis & obligationis, qvas supra *g*) tradidimus.

77. V. Ergo voluit etiam *Deus curare negotia hominum, & ita imperium suum in hominem exercere.* Fluit hoc ex definitione amoris & metus; Qvia frustra metuitur & amatur, qvi de negotiis meis non est sollicitus.

78. Nihil hic dubii subesse puto, nisi qvod opus videatur declaratione ulteriore, qvod dixi, *h*) *animal rationale non posse vivere exlex.*

79. Etenim qvia bestiæ legem non habent, *i*) videbatur eqvidem *præstantiæ hominis repugnare*, ut ipse legi viveret obstrictus; cum inconveniens sit, libertatem creaturæ præstantioris coercere, ignobiliori vero concedere libertatem omnimodam.

80. Sed

ad §. 73. e) §. 48.
ad §. 75. f) [illegible] §. 78. *seq.*
ad §. 76. g) *cap.* 1. §. 25. 34. 155.
ad §. 78. h) §. 75.
ad §. 79. i) *Quæ hic usque ad* §. 87. *habentur, fusius deducuntur à Pufendorffio* de J.N. lib. 2. c. 1. per integr. Conf. de [illegible] l. 1. c. 2. §. 1

ad

80. Sed de bestiis eqvidem res clara est. Agunt illæ utiqve secundum normam à sapientissimo Creatore inditam, *secundum normam externam agere neqveunt*, qvoniam omni libertate agendi destituuntur.

81. Hinc qvando de *bestiis* prædicatur *libertas naturalis*, *l*) non denotat facultatem agendi illis insitam, sed spatium orbis terraqvei à naturâ & abstrahendo à Dominio hominum ipsis concessum, in qvo locomotivam corporis sui exerceant. *m*)

82. Eo ipso vero, qvo *homo* libertate voluntatis suæ gaudet, *aptus* est actiones suas *secundùm normam externam* dirigere.

83 Necesse autem esse, ut hanc aptitudinem in actum deducat, appareat, si *naturam suam* cum animalium reliqvorum naturâ conferat, tàm qva *corpus*, qvàm qvoad *animum*.

84. Qvà *corpus*, majorem deprehendit imbecillitatem, se sine ope aliorum hominum conservandi, qvàm in animalibus brutis, qvæ tanta est, ut necessariò periret, si alii homines non obligati forent, ut ipsi succurrant. *n*)

85. Qvà *animum*, prout ille in hoc statu post lapsum *corruptus* est, videt majorem pravitatem *o*) aliis nocendi, à di-

ad §. 81. l) *ut in Instit.* §. 12. de R. D.

m) *in feris bestiis sylva, in piscibus flumen, in volatilibus liber aer.*

ad §. 84. n) *sive hominem consideres ut infantem, sive ut adultum, sive cibum, potum, vestitum & alias indigentias spectes.*

ad §. 85. o) *Bestiæ sibi nocent propter cibum, potum, & rem veneream. Homo insuper propter honorem, iram, avaritiam. Imo & in rebus quibus indigemus, est major malitia. Bestiæ cibo uniformi gau-*

à diversis effectibus provenientem, qvibus bestiæ etiam ex opinione Peripateticorum carent; qvæ si non per metum majoris mali coerceretur, interiret genus humanum.

86. Sed omnium maximè, si considerat homo *animum* suum, qvatenus in hoc imperfecto statu adhuc *rectus est*, *p*) deprehendit, se habere animam non ad id saltem sibi inditam, ut conservetur corpus, (qvales sunt animæ bestiarum.) sed qvæ potissimum facultatibus constat, *q*) ad metum numinis & vitam socialem instigantibus, *r*) deprehendit inter homines esse maximam ingeniorum & inclinationum diversitatem, qvalis non est in bestiis, qvæ non solum directionem legis reqvirit, ne per eam turbetur vita tranqvilla, sed & ipsa, qvatenus ad juvan-

gaudent, homo contra delicatus est. Ita & in potu & re venerea.

ad §. 86. p) *Hoc ultimum argumentum est fortissimum, desumtum ab essentia & fine hominis, priora duo saltem ab accidentibus. Unde & hoc valet in statu integro. Quicunque gaudet facultatibus nullam utilitatem sine lege habentibus, ejus naturæ repugnat ut sit exlex. Atqui homo tàm quà rationalis (ut hîc in thesi,) quàm quà animal est (& corpus animale habet. Deducit id Richardus Cumberland citatus à Pufend.* de J. N. p. 149. *Maximè id in manibus est conspicuum) gaudet facultatibus ejusmodi &c. Ergo. Omninò videndus Cumberlandus, qui argumenta sumit ex mole cerebri & sanguinis, staturâ erectâ, longævitate hominis, plexu nervoso, pericardii cum diaphragmate connexione, risu, suspiriis, lacrymis, majori propensione ad generandam sobolem, facierum diversitate, rubore faciei in verecundiâ, pallore in metu & irâ, vi oculorum & motu eorundem, manibus &c.*

q) *Puf.* l. 2. c. 1. §. 5. *fusius.*

r) *Horum vero omnium nullus est usus in vitâ exlege & non sociali.*

s) *Si*

vandam hominis tranqvillitatem conducit, ordine aliqvo & normâ habet opus. *s)*

87. Qvi principia hactenus de Deo tradita negant, dicuntur *Athei* Theoretici; qvos posses dividere in *crassos t)* & *subtiles*. *Illos* voco, qvi profitentur *non esse Deum*. *Hos*, qvi vel asserunt *Deum non curare negotia hominum*, vel, qvi ita dicunt curare, ut homini plane nullam libertatem agendi relinqvat, hoc est, *qui comminiscuntur fatum aliquod Stoicum*. u)

88. Qvemadmodum enim ille, qvi Deum dari negat, fundamentum omnis moralitatis destruit, ita similiter frustrà sunt omnia præcepta moralia, si postremas illas duas assertiones admittas. *x)*

89. Nam si Deus negotia hominum non curat, nullus dabitur imperans, nullus adeò erit, cui parendum sit.

90. Porrò, si omnia fato diriguntur, nulla obligatio erit ac nullus metus.

91. Sive enim per fatum ipse Deus intelligatur, fru-

s) *Si enim omnes homines v. g. ad agriculturam inclinarent, non promoveretur utilitas humani generis, quis calceos v.g. suppeditaret?*

ad §. 87. t) *vide Puf.* l. 4. §. 3. *Testatur autem proh dolor satis experientia, dari Atheos crassos etiam. Unde frustrà quæritur an possint dari? Conf. Zieglerum id negantem* ad Grotium p. 476.

u) *Adde huc dicta Philosophorum apud Grotium* lib. 2. c. 20. §. 46.

ad §. 88. x) *Demonstravimus, quod Deus sit imperans, id fluere ex definitione Dei: Ergo qui negant, Deum gerere curam hominum, negant, Deum esse Deum. Porro, qui dicit, fatum esse, negat Deum habere imperium, quia imperium præsupponit libertatem in objecto obligato.*

frustra timeretur & amaretur, cujus amorem provocare & iram avertere neqveo.

92. Sive per fatum denotetur aliqvid præter Deum, frustrà timeretur & amaretur, qvi me beatum reddere & punire neqvit.

CAPUT IV.

De Interpretatione Legum divinarum in specie, hoc est, de primis principiis Juris Naturalis & positivi universalis.

SUMMARIA.

Connexio §. 1. *Quid intelligatur per primum principium Juris naturalis?* §. 2. *Tria ejus requisita* §. 3. *Veritas* §. 4. *Adæquatio* §. 5. *Evidentia* §. 6. *Convenientia cum naturâ hominis rationali est obscura.* §. 7. 8. *Lites antiquæ de summo bono huc pertinent* §. 9. 10. 11. *Tria præcepta Justinianea* §. 12. 13. 14. *Honesta esse facienda, turpia omittenda, non potest esse principium* §. 15. 16. *neque: suum cuique tribuendum* §. 17. *neque: quod quisque juris &c.* §. 18. *Primum principium Hobbesii* §. 19. *Scholasticorum convenientia cum sanctitate divina* §. 20. 21. *examinatur & ostenditur esse nec principium verum* §. 22. *nec adæquatum* §. 23. 24. 25. *nec evidens* §. 26. *Origo hujus sententiæ* §. 27. *Quærendum primum principium in ipso homine* §. 28. *Status humani generis est norma Juris naturalis* §. 29. *etiamsi jus sit norma actionum humanarum* §. 30.-34. *An Lutheranus fingere possit? contra Valent. Albertum* §. 35.-39. *Utrum ad statum integritatis, an ad statum lapsus in deducendo jure naturæ respicere debeamus? Respond. ad statum lapsus* §. 40-43. *Ostenditur convenientiam cum statu integritatis Albertinam non esse principium verum* §. 44. 45. *nec adæquatum* §. 46. 47.

nec

nec evidens §.48. *Obtinuisset tamen principium juris naturæ hodiernum etiam in statu integritatis* §.49.50. *Homo rationalis est* §.51. *Ratio ad societatem tendit* §.52.53.54. *& hoc respectu dicitur socialitas.* §.55.56. *Homo extra societatem non est beatus* §.57.58. *nec jucunde viveret* §.59. *Ipsi misanthropi & librorum beluones extra societatem misere viverent* §.60.61. *Ipse Deus dixit: non esse bonum, hominem esse solum* §.62. *Igitur per convenientiam cum natura rationali intelligitur convenientia cum socialitate hominis* §.63.64. *Ostenditur præterea hujus principii adæquatio* §.65. *& evidentia* §.66.67.68. *Quid sit actus conveniens & disconveniens cum socialitate?* §.69. *Respondetur dubiis Anti-Pufendorffianorum contrà adæquationem* §.70-77. *Primum principium juris divini positivi* §.78. *universalis* §.79. *Cur hîc de interpretatione legum divinarum non agatur ulterius* §.80.81.82.

§. 1.

JAm ordo postulat, ut cognoscamus, qvænam sint *summæ legis Naturalis & divinæ positivæ.* Et à Lege qvidem Naturali incipiemus.

2. Per *primum* itaqve *principium Juris Naturalis* cave intelligas primum principium practicum, *a*) aut primum principium Jurisprudentiæ, vel Jurisprudentiæ divinæ in genere, qvatenus à naturali & positiva præscindit. Intelligitur enim, vel certè intelligi debet propositio aliqva, sub qvâ reliqva præcepta Juris naturalis omnia, tanqvàm sub communi axiomate comprehenduntur, ipsum autem ista duo, Deo & Imperanti esse parendum, tanqvam generaliora præsupponit. *b*)

ad §. 2. a) *Confundunt enim hæc communiter adversarii Pufendorffii. Ipse vero Pufendorffius subinde in Apologiâ & aliis scriptis huc inclinat.*

b) *Quia Jus naturale sub jure divino, hoc sub jure in genere comprehenditur.*

3. *Tria* ergo erunt *requisita*, ad qvæ, tanqvam ad Lydium lapidem *principium* ejusmodi examinabimus, ut sit *1. verum*, *2. adæquatum*, *3. evidens. c*)

4. *Verum* dico, hoc est, ut non contineat propositionem aliqvam falsam. *d*)

5. *Adæquatum*, ut illa propositio verè contineat omnia præcepta juris naturalis sub se, nec alia tamen præcepta, qvam juris naturalis.

6. *Evidens*, ut id esse voluntatem divinam abstrahendo à lumine revelato, ex primo principio practico possit demonstrari, *e*) tùm ut connexio conclusionum cum ipso sit evidens & ferè palpari possit. *f*)

7. Rides fortè tantum apparatum, & in sinu gaudes, qvod facili negotio te putes invenisse , qvod hîc qværimus. Qvid enim aliud erit, cogitas, qvàm: *Fac ea, quæ necessariò conveniunt cum naturâ hominis rationali, &, quæ eidem repugnant, omitte.* Id enim jam suprà, *g*) definitioni legis naturalis inseruimus, id deduximus *h*) ex fuga contradictionis. Patet igitur ejus veritas, adæqvatio & evidentia.

8. At compesce gaudium. Meminisse simul debuisses, me suprà *i*) fusiorem discursum de convenientiâ cum naturâ hominis rationali promisisse. Huc respexi. Nem-

ad §. 3. c) *Fluunt hæc requisita ex naturâ demonstrationis.*

ad §. 4. d) *Falsam hic voco potissimum, cujus contradictoria est vera, vel quæ rarissimè in exemplis procedit.*

ad §. 6. e) *Unde fit major propositio in demonstratione.*

f) *unde minor.*

ad §. 7. g) c. 2. §. 97.

h) c. 2. §. 72.

ad §. 8. i) c. 2. §. 98.

l) *Scho-*

Nempe omnes qvidem *l*) rectam rationem crepant, at *quid sit recta ratio*, qvid sit convenientia cum natura hominis rationali, hoc opus, hic labor est. Connexio sane ipsius principii cum primo principio practico est evidens, *m*) sed connexio conclusionum cum ipso principio in obscuro posita est. *n*) De periphrasi autem, qvam singuli dant, *o*) qverendum, qvod veritas lateat in puteo, una cum veritate igitur & adæqvatio & evidentia est abscondita. *p*)

9. Disceptarunt hic longo tempore *Philosophi, Jure Consulti, Theologi*, propè dixerim & *Medici*, postqvam non ita pridem in Academia qvadam Pontificia qvis Leges Gentium de dolore capitis publicâ disputatione exposuit. *q*)

10. Eò pertinent *veterum Philosophorum* disputationes *de summo bono*. Dicebat enim Polemo Academicus, & ab eo acceptum Zeno ac Stoici passim inculcant; *summum bonum esse secundum naturam vivere*. Idem Plato docuit, idem Aristoteles. *r*)

l) *Scholastici, JCti, Hobbes, Alberti, Velthem &c.*

m) *scil. Quicquid convenit cum naturâ rationali, id est faciendum.*

n) *v. g. Atqui servatio pactorum convenit, homicidium disconvenit.*

o) *Scholastici ad legem æternam, Hobbesius ad conservationem sui, Alberti ad statum integritatis, Dn. Pufendorffius ad socialitatem.*

p) *Si enim quid non est verum, quomodo adæquatum & evidens esse potest?*

ad §. 9. q) *Scilicet Pragæ anno 87. Autor legem sumit impropriè pro naturâ rerum, & legem naturæ pro naturâ rerum quarumvis, legem gentium pro naturâ corporis humani.*

ad §. 10. r) vide Horneji Ethicam l. 1. c. 7. p. m. 81. seqq.

11. Convenerunt adeò antiqvi Philosophi in re ipsâ. Omnium scopus est, ut doceant, *vitam hominis cum aliis tranquillam* esse summum bonum; hanc cum distinctius proponere, & media eam acqvirendi tradere debuissent, disputarunt *s*) de rebus inanibus, nihil ad rhombum facientibus. An enim putas magis aptum qvem fieri ad summum bonum acqvirèndum, qvi dixerit, summum bonum consistere in *virtutis* actu, qvàm qvi putaverit, id esse *habitum* virtutis, aut qvi voluerit esse *voluptatem animi? t*) Annon putas potius, ineptos istos esse ad acqvirendam pecuniam, qvi, aliis commercia tractantibus, strenuè litigant, utrum pecunia in corpore, an in qvantitate, an in aptitudine ad alias res comparandas consistat?

12. Ergo hos qvidem omnes insanienti suæ relinqvamus sapientiæ. *Justinianus* noster tria vult esse juris præcepta: *Honestè vivendum, neminem lædendum, suum cuique tribuendum.*

13. Sed hic qvidem benignitate suâ nos obruit. Qværimus unam præpositionem, ipse loco unius tres nobis exhibet. Ex his elige, cui dicas: Tu mihi sola places.

14. Ad-

ad §. 11. s) *Et adhuc hodiè disputant Peripatetici in libellis Ethicis, qui in doctrinâ de summo bono ferè in his quæstionibus saltem sunt occupati.*

t) *Illud affirmabant Aristotelici, istud Stoici, hoc Epicurei. Conciliari possent hæ sententiæ. Operatio secundum virtutem optimam præsupponit habitum. Cæterum hic habitus non debet esse otiosus. Et hæc operatio parit tranquillitatem seu voluptatem animi.*

ad

14. Atqve τὸ: *Neminem læde*, qvod ſciam, nemini placuit, fortè ut nimis anguſtum. Reliqva duo ſuos invenerunt amaſios. *u*)

15. Videas enim urgeri graviter, *x*) in hoc: *Honeſta eſſe facienda, turpia omittenda*, latere ſummam totius naturalis ſapientiæ. Non refragamur eqvidem. Sed deſideramus *evidentiam*. Sive enim honeſtum voces *legi*, ſive *rationi* conveniens, neutrum erudit. Jam enim qværimus, qvid ſit conveniens rationi & legi. Ergo obſcurum exponis per æqvè obſcurum.

16. Ac veremur maximè, ne cum riſu totius humani generis vapulemus, ſi negantibus perſpicuitatem axiomatis iſtius, vellemus *principia connata* opponere, *y*) eosqve, tanqvam ſi principium omnium primum negaſſent, virgulâ pædagogicâ coercere. z)

17. De tertio vero: *ſuum cuique tribue, a*) tanqvam de novis inſulis repertis, ut gloriemur, cauſam non videmus, poſtqvam jam ſuo tempore JCtus id ſolum in definitione juſtitiæ inculcaverat. Mirandum enim foret, ſi in eo *evidentia* qvædam ſubeſſet, cur non ex tot

ad §. 14. u) *Cui enim officia humanitatis denego, eum propriè non lædo, ſecundum dictum in Evangelio: Amice non facio tibi injuriam. Deinde etiam ſub hoc præcepto propriè non comprehenditur denegatio debiti ex promiſſo, per ea quæ infrà in expoſitione ejusdem dicemus.*

ad §. 15. x) *à Velthemio* ad Grotium l. 1. c. 1. qv. 4. p. m. 258. ſeqq. vide ſupra c. 3. §. 26. ſeqq.

ad §. 16. y) *Hoc facit* Velthem dd. ll. & maximè p. 272. vide ſuprà cap. 2. §. 67.

z) ſuprà c. 3. §. 32.

ad §. 17. a) *quod ponit pro principio primo Strimeſius de originibus juris naturalis.*

Glossatoribus antiqvis, qvi idem summâ cum diligentiâ ruminarunt, in uno saltem operationes suas ostendisset.

18. Simile qvid de alio Juris Romani brocardico: *Quod quisque juris in alium statuerit, ut ipse eodem jure utatur,* dicendum arbitror; cui analogum istud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. b)* Sunt vera, sunt pia dicta, *evidentia* non sunt, neque enim sunt *adæquata.* Non procedunt inter inæqvales. *c)* Non applicari poterunt ad officia hominis erga seipsum. *d)*

19. Penè obliti fuissemus Hobbesii. Is hanc legem naturæ pro fundamentali venditat: *e) Quærendam esse pacem, ubi haberi potest, ubi non potest, qværenda esse belli auxilia.* Non malè profectò, si modo, qvod profitetur, Hobbesius sensisset, si modo per pacem intellexisset communem. Jam paulò ante dixerat, *f)* Juris Naturalis fundamentum primum esse: *ut quisque vitam & membra sua, quantum potest, g) tueatur.* Atqvi hoc falsum esse, qvot Eruditi jamdum ostenderunt? Secundum normam istam brutorum instinctus regitur. Hominis præstantia aliâ regulâ habet opus.

20. Leviter hactenus à triariis & tironibus campum

ad §. 18. b) *Non afferam, quod v. g. non procedat in duellantibus, in duobus adulteris mutuo uxores amantibus.*

c) *Nam Dominus à servo potest postulare servitia, etsi nolit ista rursus servo præstare.*

d) conf. infrà caput de custodiendâ æqvalitate §. 21.

ad §. 19. e) cap. 2. de cive §. 2.

f) cap. 1. §. 7.

g) *h. e. etiam cum alterius damno.*

pum purgavimus, nullis instructis subsidiis. At nunc aliis armis utendum. Catervatim aggrediuntur hostes: Duces præeunt strenui, *Sanchez*, *Rodriquez*, *Vasquez*, vel nominibus suis terrorem facile incutere apti. Qvid agemus itaqve? Fugiemus? Pugnabimus? Id qvidem turpe, hoc audax. Utrumque prudens. Fugiemus. Fugit etiam Horatius.

21. Ergo penè extrà locum conflictus constituti, expectemus ictum primum. Qvid, ajunt, opus est, diu quærere normam rationis? Ad imaginem Dei *h*) homo est conditus, necesse est igitur, ut & in statu post lapsum radii divinæ sanctitatis & justitiæ, tanqvam reliqviæ imaginis divinæ, in homine resplendescant. Itaqve, cum Deus, qvæcunqve egit, *i*) secundum normam divinæ suæ sanctitatis, bonitatis, sapientiæ ac justitiæ egerit, & ita legem qvasi æternam ex libera voluntate sibi ipsi posuerit, necesse est, ut ad hunc archetypum lex qvoqve naturalis actiones hominum dirigens sit extructa, & adeo conveniens esse cum recta ratione, idem sit, ac *conveniens esse cum sanctitate & justitiâ divinâ*.

22. Qvid nos ad ista? Examinabimus modo, an hæc præpositio: *Quicquid convenit cum sanctitate divinâ, id jure naturali præceptum est; quicquid disconvenit, id jure naturali est probibitum:* conveniat cum reqvisitis positis? De *veritate* nihil dicemus. Suprà *l*) enim jam suo loco notavimus, legem istam æternam esse figmentum Scholastico-

ad §. 21. h) vide Zentgraf. de orig. Jur. nat. art. 4. p. 88. 89. §. 2. seq.

i) *Hoc latius exequitur Osiander in typo legis naturæ.*

ad §. 22. l) c. 1. §. 31.

ad

ſticorum, neqve Deum legi niſi impropriisſimè eſſe ſubjectum.

23. *Adæquationem* age conſideremus. Et *latior* videtur nobis eſſe iſta norma normato, & alio reſpectu *anguſtior*. Qvid enim, an non *legem divinam poſitivam* putas etiam in convenientiâ cum ejus ſanctitate & juſtitia eſſe poſitam? At jam qværimus axioma, ex qvo concluſiones juris ſaltem naturalis poſſimus deducere.

24. Qvod ſi reſpondeas, jus poſitivum fundari in convenientiâ cum divina voluntate, jus naturale in convenientiâ cum ejus ſanctitate antecedenter ad voluntatem divinam, recurram ad ea, qvæ jam ſuprà *m)* de ineptâ hâc abſtractione attributorum divinorum diſſerui.

25. Sed & *anguſtior* eſt. Jus naturale dictitat *gratitudinem?* At hanc virtutem qvomodo ex archetypo divinæ juſtitiæ deduces? Qvis beneficium dedit Deo, ut ipſi retribuat? *n)*

26. *Evidentiam* vero omnium maximè hîc deſideramus. Non repetam, virtutes & juſtitiam de Deo prædicari ἀνθρωποπαθῶς, & improprie. *o)* Id modo perpendas: De imagine Dei & ejus ſanctitate vel nihil, vel confuſa ſaltem ex lumine naturæ hauriri, ſed Scripturam utramqve hîc facere debere paginam. Unde ſi ethnicus qværat, cur homicidium. v. gr. ſit contra ſanctitatem divinam? cur v. gr. ſervatio pactorum ſit ſecundum ejus juſtitiam? aut hærebit aqva; aut neceſſarium erit, Scri-

ad §. *24.* m) c. 2. §. 74. ſeqq.
ad §. *25.* n) Job. 41. v. 2.
ad §. *26.* o) c. 3. §. 59. ſeqq.

ad

Scripturam S. in subsidium assumere, & ita committere *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*.

27. Fallor vero, annon hæc conformitas juris naturæ cum essentia divina apud Scholasticos *originem* debeat Philosophiæ gentili. De Platone enim Augustinus & Clemens Alexandrinus memorant, eum summum bonum & formam virtutis posuisse in eo, ut qvis Deo assimiletur. *p)* Stoicorum ineptiæ, Sapientem suum cum Deo comparantium, in vulgus notæ sunt. *q)*

28. Nos itaqve dicti Apostolici memores, *r) normam* juris naturalis non extra hominem qværimus, *sed in ipso homine*, cujus cordibus idem est inscriptum. Esto, *s)* in ratione humanâ residere imaginem aut reliqvias imaginis divinæ, cur tamen non potius ipsam rationem hominis in se spectamus, qvàm in relatione ad aliud extra eam? Est sanè ratio humana Ens aliqvod positivum, non mera relatio, cujus essentia in eo saltem consistat, ut ad aliud referatur.

29. Igitur putamus, ipsam humani generis conditionem, seu *statum totiq humani generis esse normam legis naturalis*. Et cur non putemus? Sanè ipsa naturalis ratio, qvam pene omnes in ore habent, est ejusmodi conditio; sanè ex definitione status supra *t)* traditâ suâ sponte fluit, omnem statum esse suo modo normam legis.

ad §. 27. p) vide Horneji Ethicam ferè ubi suprà §. 10. *Statuebant etiam Platonici, animas esse effluvia essentiæ divinæ.*

q) *Vide Lipsii & Scioppii Philosophiam Stoicam.*

ad §. 28. r) *Rom. II. quod jus naturæ sit inscriptum cordibus hominum.*

s) *Hic respondetur ad objectionem* §. 21.

ad §. 29. t) cap. 1. §. 86.

30. Sentio vero hîc aurem mihi vellicari, ne, cum in eo sum, ut ex primo principio practico omnia demonstrare coner, ipse in idem impingam graviter. Dixi enim superius, *Legem esse normam actionum humanarum.* Nunc dico: *conditionem hominum esse normam legis.* An igitur lex simul erit norma hominum, & homines norma legis? Hoc pacto certè idem simul norma est, & non est.

31. Tentabo, ut ad objectionem hanc tuam ex te ipso responsionem extorqveam. Fingamus, duplex esse hominum genus in hoc mundo, nullis commerciis ac conversatione sibi mutuo cognitum, unum corpore erecto & robusto, alterum imbecilli præditum, simulqve in posteriori gibbum informem cervici insidentem caput deprimere, ut non parum inclinetur ad terram. Jam finge, utriqve hominum generi à medico diætam esse præscribendam, aut à sartore vestimentum eum in finem esse applicandum, ut utrumqve sustineatur erectum, neve in terrâ qvadrupedum instar repat. Qvid tum putas, nonne diæta præscripta, nonne vestimentum aptatum rectè vocari poterit norma vivendi, aut norma gressionis?

32. Porro, nonne putas, medicum in præscribendâ diætâ, & sartorem in conficiendo vestimento, respicere simul debere ad qvalitatem corporum, cui istæ normæ applicari debent? Sane medicus corpori imbecilli plures cibos prohibebit, qvàm robusto, medicamenta etiam in minori dosi suppeditabit. Ita sartor opus habebit ut in conficiendo vestimento pro hominibus gibbosis, spatium relinqvat, gibbi receptaculum. Et cum in priorum vestimentis saltem materia sufficiat inclinationem leviter

leviter impediens, hic durioribus metallis, inclinationem ad terram fortiter reprimentibus, erit opus,

33. Sed qvid hæc ad me? inqvies. In his exemplis neqvaqvam idem simul norma est & normatum. Corporis conditio est norma diætæ & vestimenti. Diæta vero & vestimentum sunt norma non ipsius corporis, sed actionum corporearum. Atqvi hæc sanè differunt.

34. Imo verò respondebo, eadem est ratio Legis & Status. *Status norma legis est, Lex vero est norma actionum*, qvas homines in isto statu viventes debent edere.

35. Apage igitur, ita perges, inanibus tuis similibus, qvorum ope te à mea objectione non liberabis. Ficta ibi sunt omnia. *Haudqvaqvam* u) *verò convenit ei, qvi veram religionem profitetur, ut talia fingat, quæ Deus nobis revelavit aliter.* x) Neqve te libertate qvadam Philosophica poteris tueri, cum Philosophia tua non debeat pugnare cum præceptis veræ religionis.

36. Ego vero non memini, Scripturam S. *fictionem* prohibere, non memini Augustanam Confessionem interdixisse, ne fingamus. Fingunt multa sæpius Theologi;

ad §. 35. u) *Sunt verba D. Valentini Alberti* Part. I. compend. c. 1. §. 28. p. 40.

x) *Respondere ad ea quæ hic dissero* §. 35. 36. 37. 38. *voluit D. Alberti* in disputatione de Philosophiæ Christianæ existentiâ & essentiâ in genere, habita anno 86. Lipsiæ §. 13. & 14. *Sed ad ista jam regessi* in dissert. procem. §. 52. *quamvis ibi nomen ejus tacuerim. Scilicet ipse non audet definire quid sit fictio, nam aliàs sophisticatio ipsius nimis aperta esset. Ostendi verò ibidem ipsum Albertum in suo Compendio fingere, ut adeò apertum sit eum nescire quid sit, de quo disputet.*

ad

logi; y) Fingunt plura JCti; docet Logica, z) qvomodo juventus erudite fingere debeat, docet Poesis. An itaqve ex Jurisprudentia tractatus de fictionibus, tanqvam minus orthodoxus, erit eliminandus? An Libelli Logici, tanqvam hæretici, expurgandi, qvi istud propositionis hypotheticæ exemplum afferunt: si asinus volat, habet pennas? An Poetæ qvatenus aliqvid fingunt, ejiciendi ex Republica? Non arbitror.

37. Nempe aliud est *mendacium*, aliud *fictio*. Esto mendacium religioni esse adversum, a) tamen ab hoc fictio toto cœlo differt.

38. Ut enim de fictionibus juris Romani b) hîc nihil dicam, *fictio*, prout à nobis fuit usurpata, nihil aliud est, qvàm

ad §. 36. y) *Huc spectant omnes quæstiones de potentiâ Dei circa actus, quorum contrarium ipse revelavit aliter. v. g. an Deus potuerit plures mundos creare? an potuerit genus humanum salvare sine Christi adventu in carnem? &c. Huc pertinent omnia ea quæ Alberti in suo Compendio normaliter ex statu integritatis deducit. Huc pertinet etiam lex æterna Scholasticorum.*

z) *Dum tractat de Syllogismo Hypothetico.*

ad §. 37. a) *quamvis de hoc suo loco distinctius visuri simus in capite de officio hominis circa sermonem.*

ad §. 38. b) *Fictiones Juris Romani inter alia à fictionibus Logicis vulgaribus in eo differunt: Fictiones Logicæ nec primam partem propositionis hypotheticæ nec secundam seorsim consideratam affirmant. At fictio juris non affirmatâ priore, affirmat posteriorem. Ita v. g. in fictione postliminii ita quasi est argumentatio: si rediens perpetuo mansisset in civitate, jura ejus non fuissent extincta. Jam vero non affirmant captivum perpetuò mansisse, affirmant tamen jura ejus non esse extincta, unde fingunt, ac si perpetuò mansisset. Ac ita in reliquis, quod notandum contrà eos, qui dicunt in fictionibus leges vel*

qvàm *prima pars propositionis hypothetica, c)* neqve affirmans aliqvid, neqve negans, sed saltem ex fictione inferens conseqventiam partis secundæ. Unde notum axioma: *Conditionem nihil ponere in esse.* Item: *Exemplorum non requiri veritatem.*

39. Itaqve subsistit assertio: ex statu & conditione communi humani generis desumendam esse normam legum naturalium, manent immota similia, qvibus pro declaranda hac thesi fuimus usi, & in posterum ad demonstranda effata affinia utemur.

40. Cum verò suprà fusius deduxerimus, duplicem esse statum hominis, integritatis & lapsus, hinc jam ordo postulat, ut videamus, *ad quem statum* in deducendo jure naturæ debeamus reflectere. Sed hic qvæso, ut ipse mihi respondeas.

41. Demus, medicum *d)* inter homines imbecilli corpore & sanitate præditos viventem, & ipsum imbecillem, communem normam conservandi vitam conterraneis suis debere præscribere. Credisne, eum præcisè debere respicere ad constitutionem hominum robustorum, de qvibus forte ex itinerario aliqvo confusam hausit notitiam, aut ex scriptis medici alicujus cognovit, qvænam remedia soleant ipsi ad vitam tuendam adhibere? An vero putas eum, cum perspiciat, se sanitatem i-

 stam

Pratorem committere mendacium.

c) *Videtur tamen prima pars propositionis hypotheticæ latior esse fictione, nam si ea in se spectata vera est, ut v.g.* si asinus non habet pennas, *non* volat, *non nescio an tunc fictionis terminus eò applicari possit. Non enim fingimus ea quæ sunt, sed quæ non sunt.*

ad §. 41 d) *Similis ratio est sartoris in altero casu fictionis* suprà §. 31.

ad

ſtam apud ſuos non poſſe attingere, ſaltem utroqve oculo ideam qvandam ſanitatis ex conſtitutione hominum ſuorum ſibi formatam reſpicere, eamqve, ut conſervet aut attingat ſaltem, incumbere debere?

42. Jam autem, qvod hîc præcipuum eſt, demonſtravimus ſuprà *e*) evidentiſſimè, hominem viribus naturalibus *f*) ſubnixum, non poſſe hâc vitâ vel minimum gradum perfectionis ex ſtatu integro recuperare, ſed reliqviis ſuis debere eſſe contentum.

43. Et qvid verbis eſt opus? ipſum vas Dei electum de miſeriâ hâc, & qvod *inclinationem ad malum* homo *non poſſit ejicere*, *g*) graviſſimè conqveritur, teſtis, ni fallor, omni exceptione major.

44. Id vero brocardicum, qvod cum pace omnium peripateticorum dixerim, admittere neqveo, eum, qvi ſcientiam aliqvam traditurus eſt, *ideam ſibi formare debere ſtatus cujusdam perfectiſſimi*, *h*) etiamſi ille non exiſtat, neqve exiſtere, poſita hâc hominum conditione, poſſit.

45. Non improbo qvidem eò, qvod videatur originem debere Philoſophiæ Gentilium, & magnam partem Platonicæ; *i*) improbo, qvod planè non ſit aptum ad vitam civilem. Converſamur non cum ideis hominum, ſed cum hominibus, qvi exiſtunt; his aptanda erunt adeo remedia qvæ ipſos conſervent. Nec puto gratiam

ad §. 42. e) c. 2. §. 40. 41.

f) *De viribus gratiæ enim hic non eſt ſermo.*

ad §. 43. g) ad Rom. VII. v. 15. ſeq. ubi vide omnino ſcholium Lutheri.

ad §. 44. h) vide Patris diſput. de ſtatu naturali & legali & paſſim in annot. Philoſ. Pract.

ad §. 45. i) *cujus ferè hypotheſes primariæ ex doctrinâ de ideis connatis dependent.*

l) *Aut*

tiam aliqvem initurum, qvi principem v. gr. de procurandâ reipublicæ utilitate consulentem remittat ad Mori Utopiam. *l*)

46. Porro & in statu integro fuit *jus positivum*, *m*) quod si itaqve convenientia cum isto statu foret fundamentum juris naturalis, seqveretur, & jus positivum normam juris naturalis esse.

47 Multa præterea sunt hodie, qvæ in statu integritatis non erant, nec futura erant, *n*) non societates modo, sed & status hominum particulares, eorumque officia, puta *carnificum*, *obstetricum*, *belligerantium*, *sartorum*, *chirurgorum*, *eleemosynas dantium* *o*) *&c.* Ut taceam, multa rursus fuisse, aut futura fuisse in statu integro, qvæ hodiè non habent locum; talia sunt *nuditas protoplastorum*, *conjugia fratrum & sororum*, & si qvæ sunt similia. *p*)

48. Denique, si *evidentiam* qværamus, iterum non satis-

l) *Aut qui Medicinam tradat, concipiendo sibi hominem sanissimum. Simile qvid in Jurisprudentia, si concipiam hominem ut justissimum.*

ad §. 46. m) *scilicet universale: ut prohibitio arboris cognit. boni & mali. An polygamia, divortium &c. ibi etiam fuissent prohibita? Utique si homo in eo statu generasset ut hodiè.*

ad §. 47. n) *vide* suprà cap. 2. §. 43. *ubi quod quædam societates vel planè non, vel aliter fuissent futuræ.*

o) *Item Metaphysicorum, Medicorum, &c. & omnium qvi disciplinas hodiè docent.*

p) *Succurrere vult D. Alberti huic difficultati per distinctionem inter id, qvod ex statu integro deducitur* normaliter & formaliter, *quam distinctionem ipse fusius explicat* p. 44. Part. I. §. 36. seq. *Qvid vero eadem in recessu habeat, quam optimè intelligere poteris ex simili* §. 31. *dato: Ita secundum doctrinam Albertinam vestimenta hominis recti norma essent* formaliter *v. g. caligarum, tibialium, calceorum*

satisfiet doctrinæ Apostoli, ex lumine naturæ gentes refutari volentis. Si enim qværas, cur homicidium est contra, cur pactorum servatio est secundum statum integrum? utrobiqve Scriptura defectum responsionis supplere debebit. Adde multas & ferè infinitas de statu integro restare controversias, *q*) in utramqve partem disputabiles, etiamsi Scripturam adhibeas, qvoniam qvæ Scriptura de isto statu refert, pauca sunt.

49. Igitur nos qvidem primario considerabimus *naturam hominis* prout est, corrupta nimirum, at, (ne cavilleris *r*) jus qvoddam corruptum) *suo modo adhuc recta*. Posteà

ceorum &c. hominis gibbosi: Hactenus enim inter utrosque homines in vestimentis differentia haud est. Sed intuito togæ, quam induere debet homo gibbosus, vestimentum hominis recti saltem normaliter *esset norma, h. e. in conficiendâ parte posticâ togæ pro homine gibboso sartor etiam intuebitur vestimentum hominis recti, & quoniam in ejus tunicæ parte posteriore nihil invenit, ad cujus normam suam tunicam aptet, refugium v. g. in tibialibus quæret, & ita argumentabitur: quemadmodum in tibialibus hominis recti cavitas quædam est relinquenda quæ suras ejusdem recipiat, sic mihi in tunicæ parte posteriore cavitas formanda est, quæ sit receptaculum gibbi. Est profecto talis hæc ratiocinatio, ut non melius quam admiratione excipi queat. Igitur sartoribus hominum gibbosorum, gibbosis & ipsis, ars sua tantum apud homines rectos erit addiscenda, illi vero, qui sua saltem objecta, suos gibbos intuuntur, & subtilitates istas, quod norma vel normaliter vel formaliter norma sit, ne quidem fando unquam audivere, pro artificibus minimò habendi erunt, etiamsi vestimenta consuere possint ad finem obtinendum aptissima? Quis talia non rideat, an fleat?*

ad §. 48. q) *e. g. de imperio conjugali in statu integritatis, de rebus publicis &c.*

ad §. 49. r) *quod opponunt ni fallor Strimesius & Alberti Dn. Pufen-*

Postea ex eodem principio, cum inter Christianos scribamus, *s*) confirmabimus ac illustrabimus sententiam nostram, ostendendo, idem principium nostrum etiam in *statu integritatis* obtinuisse.

50. Neque enim homo integer & lapsus specie differunt, uti nec homo robusto & imbecillo corpore. Conclusiones utrobique variant, *t*) generalia vero principia utrobique sunt eadem, quæ, uti ex sola cognitione diversi status *u*) non discuntur, ita aptus tamen debet esse verbi gratia medicus bonus, *x*) ut ex iisdem principiis generalibus, diversimodè applicatis, & robustum hominem curet & imbecillem.

51. Habet itaque homo, eam à bestiis differentiam, quod sit *rationalis*. Utinam autem noster Intellectus saltem illam haberet perspicuitatem, ut perfectam & à priori apodicticam sui ipsius cognitionem possideret. Jam necesse est, ut fere per ambages in rationis naturam inquiramus.

52. Ratio hominis in *cogitatione* consistit. *Cogitare* est connectere terminum cum termino, *y*) propositionem cum propositione, quod posterius *ratiocinari* vocatur. *z*) Ratiocinari verò non possumus, nisi per *verba*,

fendorffio. vide suprà cap. 2. §. 42. 44. seq.

s) *Ita aliquo modo recedimus à methodo Dn. Pufendorffii.*

ad §. 50. t) *Regula enim, quod status sit norma legis, tantum procedit in conclusionibus, non vero in primis principiis. Exemplum simile iterum est in medicina, arte sartoria &c.*

u) *Ita non discitur medicina & ars sartoria ex consideratione nudâ diversorum objectorum.*

x) *Idem de sartore.*

ad §. 52. y) *Nam jam suprà rejecimus primam mentis operationem* cap. 1. §. 46.

z) vide cap. 1. §. 45.

eaque vel in mente retenta, vel ore prolata, undè & λόγος est vel ἐνδιάθετος, vel προφορικὸς, *verba* autem, ut infra *a*) videbimus, profluunt ab impositione hominum in eadem Societate viventium.

53. Porro, quicquid dicant Cartesiani, infantes à nativitate primâ non cogitant, *b*) sed aptitudine saltem cogitationum pollent. Ferè autem hæc *aptitudo absque consortio hominum* in actum non poterit deduci. Nam quæ in Historiis de hominibus inter feras educatis legimus, ea profectò ejusmodi homines nihil ferè distitisse à bestiis referunt, vel certè inter bestias aptitudinem illam cogitandi parum fuisse promotam. *c*)

54. Ut multa paucis contraham: *Ratio absque sermone non est, d*) *sermonis extra societatem nullus est usus, e*) *nec ratio citra societatem se exerit. f*) An ergo errabimus, si dixerimus, aptitudinem illam, quæ in hominibus ante rationis exercitium est, nihil esse aliud, quàm inclinationem, cum aliis hominibus ratiocinandi? Sane omnis aptitudo ad actum, tanquam ad finem, tendit.

55. Igitur, dum hominem rationalem dicimus, idem est, ac si dicamus *Socialem*. *Socialitas* vero est inclinatio communis, toti humano generi à Deo indita, vi cujus desiderat vitam cum aliis hominibus beatam &

a) *In capite de officio hominis circa sermonem.*

ad §. 53. b) *Dixi quædam hâc de re in disputatione de jure circa somnum.*

c) *Credo certò, quod ejusmodi homo inter feras educatus, si ex isto post doctrinam inter homines excultam quæsieris, quid cogitasset, dum fuisset inter bestias? æquè nihil respondere posse, ac si quæras ex adulto, quid cogitaverit in primâ infantiâ?*

ad §. 54. d) *per* §. 12.

e) *per verba finalia* d. §. 52.

f) *per* §. 53.

& tranquillam. *g)* Cur verò *tranquillam* ? quia in ſtatu turbulento quà tali non ratiocinamur. *h)*

56. Vita autem hæc tranquilla in actum deducta dicitur *Societas* ; cujus contrarium, ipſis Peripateticis fatentibus, eſt *diſſidium*.

57. *A poſteriori* autem ſententiam noſtram probamus, quoniam *homo citra Societatem non poteſt eſſe beatus*. Non dicam hîc de miſeriâ ſummâ illâ, in qua *infantes* forent conſtituti absque conſortio humano. *i)* Etiam in *adultis* vita foret miſera, ſi non eſſent homines alii, qui ipſorum neceſſitatibus ſubvenirent.

58. Quid quod ? ad cujusvis propriam provoco conſcientiam, etiamſi fingamus, aliquem *eâ felicitate gaudere*, quam de *Pſyche* Poetæ fabulantur, ſi tamen omni ſocietate humanâ foret deſtitutus, annon potius optaturus eſſet in Societate humana vivere & iſtis ſenſuum delectationibus carere.

59. Adde quod, ſi accuratè velis loqui, rariſſima & ferè nulla citra Societatem *ſenſuum delectatio* futura ſit. *l)*

60. Ipſi *miſantbropi*, ſi extra Societatem conſtituti forent, eſſent miſeri. Nihil quippe deprehenderent, in quo odium ſuum excolere poſſent. *m)*

ad § 55. g) *Conveniet, ſpero, hæc ſocialitatis definitio menti Dn. Pufendorffii, quamvis non meminerim ſocialitatis definitionem aliquam in ejus ſcriptis me legiſſe.*

h) *Et quia in ſtatu turbulento non eſt ſocietas, per conſenſum Peripateticorum.*

ad §. 57. i) vide cap. 2. §. 58. 59.

ad §. 59. l) *declaratum id percurrendo delectationes quinque ſenſuum externorum.*

ad §. 60. m) *Miſanthropos hîc voco, qui actiones omnes humani generis taxant, quorum genium expoſuit Comicus Gallus.*

61. Ipsi *librorum helluones, n)* & qui nunquam minus solos se putant, quam si non sint soli, miserrimi forent, libris destituti. At libros unde acciperent, si Societas hominum non foret? Pone, extingui reliquos homines, quid libri prodessent, si non possent ostendere aliis, quid in hoc vel illo autore displiceat? &c.

62. Quod si dicta ex *historia Status integri* velis confirmare, habemus testimonium divinum omni prudentia, etiam Salomonea, longè majus. Erat Adamus cæterà felicissimus. Carebat Sociâ, *Non esse bonum*, pronunciabat divina Sapientia, *hominem esse solum. o)*

63. Manet itaque inconcussum: naturam hominis *rationalem* eandem esse, quam *socialem*: Et consequenter per convenientiam cum natura rationali intelligi convenientiam cum Socialitate hominis.

64. Statuimus igitur, summam legis naturalis in illo principio contineri: FAC EA, QUÆ NECESSARIO CONVENIUNT CUM VITA HOMINIS SOCIALI, ET, QUÆ EIDEM REPUGNANT, OMITTE.

65. Atque sic de *veritate* hujus principii nullum restat dubium. Quod *adæquatum* sit, non solùm inde patebit, quod omnia præcepta specialia juris naturalis ex hoc fonte simus deducturi, sed &, quod nullum præceptum Juris positivi huc referri possit.

66. *Evi-*

ad §. 61. n) *Posses & hos alio in significatu appellare misanthropos, quatenus aliorum hominum consortia fugiunt.*

ad §. 62. o) *Ostendi* in disput. de crim. bigamiæ, *dictum hoc pertinere tantum ad societatem conjugalem.*

66. *Evidentia* denique ſic demonſtratur. Initio: (*p* Si Deus voluiſſet hominem non ea facere, quæ cum Socialitate ejus conveniunt, non voluiſſet rationalem. At homo irrationalis involvit contradictionem.

67. Deinde (*q* etiam evidens eſt connexio concluſionum cum primo iſto principio. Nam quando v. gr. quæro, qvomodo *homicidia, furta &c.* repugnant ſocialitati, evidenter reſpondeo, quia ea turbant tranquillitatem communem totius humani generis.

68. Similiter, quando quæro: quomodo v. gr. *pactorum obſervatio* neceſſario convenit cum Socialitate? evidens eſt reſponſio, quia, ſi ea non ſervarentur, turbaretur eadem tranquillitas.

69. Vides ſimul, quod *actus neceſſario conveniens* cum Socialitate, ille ſit, cujus omiſſio, & *disconveniens*, cujus commiſſio turbat pacem communem humani generis. Oriretur enim ferè ex iſta omiſſione vel commiſſione bellum, & quidem bellum omnium contra omnes, quod certè genus humanum extingueret.

70. Non deſunt tamen, qvæ *contra adæquationem* principii noſtri ſolent proferri in medium. Putant alii, ex *eo fonte* etiam *deduci* poſſe ea, quæ longè ſe habent aliter, nempe & *latrones* facere ea, quæ cum (*r* Societate ſuâ & ejus fine conveniunt; unde & hæc objectio ſimul veritatem axiomatis noſtri impetit.

S 3 71. Sed

ad § 66. p) *Hîc habes evidentiam principii ipſius.*

ad §. 67. q) *Hîc evidentiam concluſionum.*

ad §. 70. r) *Hoc facit Zieglerus ad Grotium.*

71. Sed hi quidem apertè *Societatem* cum *Socialitate* confundunt. Tum demum Societas rectè se habet, si non cum Socialitate pugnet.

72. Et ne mireris, quâ ratione possibile sit, ut Societas pugnet cum Socialitate, cum à Socialitate dicatur Societas, cogita rationem (latronis) pugnare cum rationalitate absque ulla contradictione.

73. Plures *s*) autem putant, ex principio nostro deduci saltem posse officia hominis erga alios homines, non autem officia *hominis erga Deum*, erga *seipsum*, erga *bestias*.

74. De Officiis hominis *erga Deum* facilè concedemus, quatenus per ea intelligitur cultus Dei externus. Hic enim, ut mox *t*) demonstrabimus, ad Theologiam pertinet, non ad Jus Naturale.

75. Quod si verò sub nomine officiorum erga Deum intelligas obligationem erga Deum in genere, & sic nihil adversum nos obtinebis. Nam & id præceptum, Deo pare, non est præceptum juris naturalis, sed ejus præsuppositum. Ostendimus quippè hoc præceptum pertinere ad jus divinum in genere. *u*)

76. Officia vero *hominis erga* se, propriè loquendo, non dantur. Nam nemo sibi obligatus esse potest, ergo nec sibimetipsi debere officium. Quæ autem ita vocantur officia, reverà sunt officia vel erga Deum, vel erga alios homines, quatenus occasione sui ipsius homo utris-

que

ad §. 73. s) *D. Alberti, Strmiesius, Velthem, & omnes quod sciam antagonistæ Dn. Pufendorfii.*

ad §. 74. t) cap. 1. libri secundi.

ad §. 75. u) vide cap. 3. §. 41. seqq. junct. §. 2. hujus cap. 4.

que est obligatus, adeoque illius respectu ex Scriptura, horum intuitu ex Socialitate suo loco *x*) deducentur.

77. Denique officia hominis *erga bestias* non magis dantur, quàm Societas hominis cum bestiis, quamvis & abusus bestiarum per consequentiam lædat Socialitatem, vel jus Dei positivum, quod & ipsum convenienti loco *y*) immiscebimus.

78. De primo principio Juris Naturalis hactenus. Primum principium *juris positivi* hoc est: *PRÆTER EA, QVÆ NECESSARIAM CONVENIENTIAM CUM NATURA HOMINIS SOCIALI HABENT, z) FAC EA, QUÆ TIBI DEUS FACIENDA IN SCRIPTURA SACRA REVELAVIT, ET OMITTE CONTRARIA.*

79. In specie, quod *Jus positivum universale* concernit, *tria* facimus quoad principium cognoscendi ejus requisita, duo communia cum jure positivo quocunque, tertium peculiare; scilicet 1. ut actum præceptum esse aut prohibitum Scriptura indicet, 2. ut is actus ex Socialitate deduci non possit, 3. ut Scriptura indicet, Legem istam Dei pertinere ad omnes homines.

80. Ex his duobus fontibus omnes conclusiones præceptorum specialium, tanquam rivulos, deducemus. Et de *interpretatione* quidem *juris naturalis* ulterius disserere non est opus, cum in exponendis conclusionibus eâdem methodo demonstrandi atque eâdem ratiocinatione,

ad §. 76. x) cap. 2. lib. 2.

ad §. 77. y) In capite de Dominio.


ad §. 78. z) *Addidi hæc verba, quæ non extant in editione prima. Fuerunt autem addenda, quia & Jus naturale in scripturâ inter revelationes reliquas extat. Huc pertinet & requisitum secundum in §. seq.*

tione, quâ hactenus, ſimus uſuri. Sed *in jure poſitivo* jam aliud incipiet interpretationis genus, quod loco demonſtrationum utitur conjecturis, ſeu argumentis probabilibus. Nam jus poſitivum non eſt inſcriptum Cordibus.

81. Illa argumenta probabilia, quomodo formari deberent, etiam certis regulis quibusdam generalioribus nunc exponi deberet. Sed differenda eſt hæc doctrina tamdiu, donec *naturam pactorum*, & officia circa pacta expoſuerimus.

82. Uti enim benigniſſimum Numen in revelandâ lege poſitivâ ſe ad captum humani ingenii accommodavit, ac ſermone humano uſus fuit; atque adeò eædem regulæ hîc tenendæ ſunt, quæ in interpretatione pactorum occurrent, ita non poterimus commodè iſtam de ſermone & pactis doctrinam hîc antevertere. Accedit, quod in officiis, quæ eousque tractabuntur, de juris divini eò pertinentis expoſitione ferè unanimis ſit Eruditorum ſententia.

FINIS LIBRI I.





INSTITUTIONUM JURISPRUDENTIÆ DIVINÆ

LIBRI II.

CAP. I.

De Officiis hominis erga Deum.

SUMMARIA.

Officium hominis erga Deum quid sit? §. 1. Praceptum id dirigens unicum §. 2. Quid cultus? §. 3. Cultus internus & externus §. 4. Internus fluit ex principio generico Jurisprudentia divina §. 5. Cultus externus vel generalis §. 6. vel specialis §. 7. Cultus externus an ex jure natura deduci possit? §. 8. Dignissimus est Deus qui colatur §. 9. & justissimum, ut colatur, si coli velit §. 10. An coli velit ex solâ ratione, determinari nequit §. 11. sive naturam Dei respicias §. 12. sive naturam hominum §. 13. Actus irreligiosi sunt contrà jus natura §. 14. Cultus externus est maximè licitus §. 15. Ratio sola non cognoscit necessitatem precum §. 16. laudum §. 17. & gratiarum actionum ore prolatarum §. 18. 19. Aliorum argumentorum imbecillitas §. 20. petitorũ à testimonio gentilium §. 21. à beatitudine reipublica §. 22. 23. Religio re-

spicit

ſpicit beatitudinem hominis æternam §. 24. *Multò minus autem demonſtrari poterit cultus Dei ſpecialis* §. 25. *Ergo hoc officium ad revelationem pertinet* §. 26. *neque Deus unquam ab hominibus ſecundum propriæ rationis determinationem coli voluit* §. 27. *Ægyptii petierunt cultum ſuum à vera Eccleſia* §. 28. *Religio vel naturalis vel revelata* §. 29. *Religionis homonymia* §. 30. *Exponitur diviſio illa religionis ſecundum diverſas religionis acceptiones* §. 31. ſeq. *Aliud religio vera, aliud ſalvifica* §. 34. *Quoad cultum externum omnis religio eſt revelata* §. 37. *Omnes religiones in revelatione aliqua fundantur* §. 38. *Doctrina de officio hominis erga Deum pertinet ad Theologos* §. 40. *Recenſentur exempla quædam quæſtionum illuſtrium eò pertinentium* §. 41. ſeqq.

§. 1.

PEr *officium hominis erga Deum* hoc loco non intelligitur principium aliquod theoreticum, ſed practicum. Et hoc quidem non diſponens circa actiones tantùm internas, ſed potisſimum circa externas, neque tamen principium aliquod practicum primum, ſed ſpeciale, quod per modum concluſionis ex primo principio juris naturalis vel poſitivi demonſtrari posſit.

2. Includitur id uno hoc præcepto: DEUM COLE SECUNDUM MODUM AB IPSO REVELATUM.

3. Quid per *Deum* intelligamus, oſtendunt antecedentia, per *cultum* denotamus actionem exteriorem humanam oris, operis aut geſtus, declarantem obſervantiam & honorem alii debitum.

4. Quamvis enim nonnunquam cultus divinus ſoleat dividi in *internum* & *externum*, *a*) reverà tamen cultus *internus* non eſt cultus abſolutus & propriisſimè dictus, ſed cultus ſaltem *externi* præſuppoſitum.

5. Hinc

ad §. 4. *a*) *vide Dn. Puſend.* De O. H. & C. l. 1. c. 4. §. 6. ſeqq.

5. Hinc & ea quæ ad cultum *internum* referri solent, *b)* puta ut homo Deum *honoret* & *veneretur*, seu opinionem habeat de ejus summa potentia cum bonitate conjuncta, ut eum *amet*, tanquam omnis boni autorem & datorem, ut in eum *speret*, tanquam abs quo in futurum quoque omnis nostra felicitas dependeat, ut in divina voluntate *acquiescat*, tanquam qui pro suâ bonitate omnia optimè faciat, ut eum *timeat* tanquam potentissimum, & cujus offensa maximum sit malum conciliare apta, denique ut in omnibus humillimè *obsequatur* tanquam creatori, domino ac rectori optimo maximo; hæc, inquam, omnia, quatenus ex lumine naturali demonstrari possunt, jam præsupponimus, tanquam latentia in primo principio Jurisprudentiæ divinæ in genere, *Deo pare*.

6. *Externus* igitur Dei cultus, seu *cultus Dei simpliciter*, aut *cultus Dei religiosus*, est vel *generalis* & plerisque si non omnibus gentibus communis, vel *specialis*. *Ille* potissimum ad tria momenta, *invocationem* Dei, *laudationem* ejus, & *gratiarum actionem* videtur referri posse. *c)*

7. *Specialem* voco *d)* modos diversos & apud gentes variantes invocandi & laudandi Deum, eique agendi gratias; quò spectat inter Christianos v. g. quod debeant aut soleant fieri in nomine Christi, animo vindictâ vacuo, publicè, extensione manuum, aperturâ capitis, etiam pro hostibus, adhibitâ musicâ, jejuniis item & auscultatione verbi. Huc pertinet etiam *Sanctificatio Sabbathi* & *usurpatio Sacramentorum*, &c.

8. Etsi itaque non ignorem, solere etiam *cultum externum* Dei à pluribus ex dictamine rectæ rationis deduci, distinctè tamen hic erit procedendum. *e)*

ad §. 5. b) *Refert hæc eò Dn. Pufend.* d. l.

ad §. 6. c) conf. Dürrii Theol. Moral. p. 65. seq. & ɔc ɔc 1. fac. b.

ad §. 7. d) *Dürrius.* p. 66. seq.

ad §. 8. e) *Putabam, cum ista scriberem, me cautè processisse in exponendâ sententiâ meâ, & scio, Theologos Lipsienses, cum prodirent Institutiones meæ, sollicitè examinasse*

9. *Dignissimum* esse Deum, qui ab hominibus colatur, certum est, & hoc evincunt potissimum argumenta eorum, qui cultum divinum ex lumine naturæ demonstrare aggressi sunt. *f*)

10. Quin & *justissimum* esse, ut homo Deum colat, si Deus cultum ab homine exigat, promptè ex principio primo Juris prudentiæ divinæ: *Deo pare*: sequitur.

11. At de eo jam quæstio est, vel certè esse debet: *Utrum ratio hominis sibi relicta demonstrare possit, Deum ab hominibus cultum exigere?* Atque hoc difficillimè procedere asserimus. *g*)

12. Etenim si *Deum respicias*, Deus cultu isto exteriore non habet opus. *h*) Quâ excusatione usus fuit Demonax Philosophus, *i*) cum impietatis & sacrilegii accusaretur, quod Minervæ nunquam sacrificâsset. Respondit enim, se sacra Minervæ hucusque non fecisse, quod suis oblationibus eam egere non putaret.

13. Qua-

nasse hoc caput, ita tamen ut eâ dere ab ipsis mihi nunquam controversia fuerit mota. At deprehendi tamen posteà, unum & alterum Sophistam & Hypocritam vitio suo non potuisse concoquere doctrinam hanc meam. Quare reassumsi eandem in Introductione Germanica ad Ethicam c. 3. §. 37. seqq. *atque ibi paululum distinctius eandem proposui, quæ adeo cum hoc capite erit conjungenda.*

ad §. 9. f) *Quod magno conatu agit Velthemius* ad Grotium p. 1211. *Sed nihil amplius evincit, quàm dignissimum esse Deum qui colatur. At quis unquàm de eo dubitavit? cum ipse Epicurus providentiam divinam negans, Deos ob excellentiam naturæ colendos statueret.*

ad §. 11. g) *Vides, nos asserere: Rationem humanam* ignorare, *an Deus externo cultu coli voluerit, minimè autem: eam* negare, *quod Deus coli debeat, hoc enim esset contrà* §. 9. & 10. *Unde si quis meam doctrinam in posteriori sensu acciperet, cavillator apertus foret.*

ad §. 12. h) *Unde hoc volo in istis verbis:* Ratio nihil deprehendit in naturâ Dei, unde inferre possit Deum voluisse coli. *Minimè istud*: Quic. non opus habet cultu humano, ille non est colendus.

i) Vide Lucian. in Demonacte. Ærod. Rer. judic. lib. 1. tit. 2. cap. 5. p. 10.

13. Quantum verò *ad hominem* attinet, Hominis ſocialitas *l*) ſeu vita tranquilla, ſeu quocunque modo beatitudinem ejus temporalem efferre velis, directè per omiſſionem harum actionum externarum non læditur, modò cultus internus non tollatur.

14. Igitur id quidem cognoſco, blaſphemiam & contemptum Dei & *quicquid cultui interno eſt adverſum*, ſive intra animum retentum, ſive actionibus exterioribus declaratum fuerit, pugnare cum rectâ ratione, quia pugnat cum cultu interno ex præcepto: *Deo pare*, demonſtrato.

15. Cognoſco ulterius, *cultum externum* eſſe ex rebus *licitis in gradu eminente*, & non ſolum rationi hominis naturali eum non repugnare, ſed & longè melius eſſe, ſi Deus colatur, quam ſi cultus iſte omittatur.

16. At hæc omnia ad demonſtrandam *neceſſitatem* cultus externi non ſufficiunt. Ratio ſibi relicta nomen rationis humanæ haud quaquam amittit, etiamſi ratiocinetur, *preces ore prolatas* ad res medias pertinere, cum Deus ut cordium ſcrutator ſuſpiria exaudire poſſis, & ipſe tanquam creator meus ac conſervator, etiam ſine precibus ſciat, quarum rerum indigeam.

17. Sic & per *laudes* humanas eminentiæ & majeſtati divinæ nihil accedit, quin imò, ſi ab homine reverentia & timore Dei carente proferantur, recta ratio dictat, peccare graviter hominem, Deum per ſigna exteriora decipere intendentem. Sin homo intrinſecè Deum magnifaciat, laudes exteriores ſuperfluæ videbuntur rationi.

18. Idem & de *gratiarum actione* dictum eſto. Accedit, quod, ut ſuo loco demonſtrabitur, gratiarum actio ideò inter homines ſit neceſſaria, ut alteri demonſtrem, beneficium præſti-

T 3 tum

ad §. 13. l) Quodſi dicas, hoc vitium eſſe hypotheſeos meæ, quod ex ſocialitate deducam jus naturæ, urgebo, me expetere demonſtrationem vel ex hypotheſi ſtatus integri, vel ex hypotheſi ſanctitatis divinæ, quomodo externo cultu Adamus Deum coluerit?

tum esse acceptum mihi, meque iterum ad inserviendum alteri paratum. At intuitu Dei cogitationes meæ hæc demonstrare aptæ sunt.

19. Scilicet, ut summatim dicam, preces, laudes, gratiarum *actiones, signa inter homines sunt externa*, ideò necessaria, quia homo hominis cogitationes non novit. Novit verò Deus.

20. Neqve officit, si dicere velis, cultum externum Dei necessarium fuisse non propter Deum, sed *propter homines ipsos*, cum *Rerumpublicarum felicitas* sine cultu externo fere non possit subsistere, *& nulla detur* Respublica, in quâ non aliquis externus Dei cultus vigeat. Adde quod & *Gentiles* cultum hunc debitum acriter inculcent. *m*)

21. Etsi enim hæc satis speciosa sint, tamen jam suprà monuimus, ex *testimonio gentilium* (præterquam quod & in his disquirendum, utrum de cultu externo an interno loquantur) non firmiter probari posse, aliquid esse Juris naturalis; adeoque & usus communis gentium saltem argumentum illustrans, non probans suppeditare poterit.

22. Quod autem *felicitatem Rerumpublicarum* concernit, cautè dispiciendum, ne finem secundarium cultus divini pro principali arripiamus. Hactenus beatitudinem Rerumpublicarum per cultum externum promoveri ratio assequi potest, ut eò melius quilibet civis alteri per signa exteriora reverentiam internam erga divinum numen tanquam fundamentum omnis obligationis declaret, ac ita fiducia sociorum erga se invicem eò magis augeatur. Cæterum qvemadmodum hæc declaratio externa sæpissimè fallit, ita & omissio ejusdem per se ac necessario beatitudinem Reip. non turbat.

23. Accedit, quod si beatitudo Rerumpublicarum genuinus cultus divini finis foret, ex regulâ Philosophorum receptâ, (finem

ad §. 20. m) *Ex Gentilibus vide quos affert* Velthem. ad Grotium l. 1. c. 1. p. 291. & ipse Grotius l. 2. c. 20. §. 44. 45. Adde D. Alberti in compend. P. 2. p. 39. 41.

(finem esse normam mediorum) dicendum esset, cultum hunc pro varietate Rerumpublicarum & ipsum variare, & ita utilitatem singularum Rerumpublicarum cultûs divini normam esse debere, qvod statuere velle impium est.

24. Et confitentur quidem profectò omnes: cultûs religiosi finem verum esse *beatitudinem hominis æternam*, at hunc finem ratio sibi relicta non penetrat, qvomodo igitur posset cultûs divini tanqvam medii cognitionem penetrare? *n*)

25. Sufficere hæc possunt de cultu Dei religioso, quem *communem* diximus. Intuitu *specialis* tot argumenta se suppeditant pro nostra sententia, quot circumstantiæ & modi specialis cultus se nobis offerunt, quæ singula prolixè exponere non videtur opus, cum specialis cultus generalem, cujus necessitatem à ratione percipi non posse hucusque ostendimus, præsupponat.

26. Vides adeò, quam maximè ratio nostra in officio hominis nobilissimo cœcutiat, & in quantum lumen naturæ sine lumine revelationis caligine sit obductum, quamque periculosè procedant, qui sanctissima Dei mysteria rationis per lapsum debilitatæ modulo metiri aggrediuntur. Atqve ita simul intelligis, cur in præcepto officium hominis hâc parte dirigente addiderim: Deum colendum esse *secundum modum ab ipso revelatum. o*)

27. Quodsi *historiam sacram* atque *Ecclesiasticam* evolvamus, patebit, nunquam Deo placuisse cultum à ratione humanâ inventum,

---

ad § 24. n) *Conf. B. à Seckendorff* in teutschen Reden p. 477. *qui tamen cultum deducit alias ex jure naturæ, quia putat immortalitatem animæ & beatitudinem æternam ex ratione demonstrari posse.*

ad §. 26. o) *Agnovit hoc Socrates ap. Augustin.* l. 1. de consens. Evang. cap. 18. *unumquemque Deum sic colere oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Quem locum cum similibus adducit D. Alberti* P. 2. c. 1. §. 8. p. 43. *nec sentit per eum corruere omnia quæ ipse à §. 6. ibidem differit, tanquam ea sint præcepta juris naturalis, cujus compendium ibidem exhibet.*

tum, *p*) sed à primordio mundi voluisse divinum numen, ut verus cultus secundum normam divinæ revelationis dirigeretur..

28. Unde cum antiquior fuerit vera Ecclesia falsis religionibus, & Diabolus perpetuò fuerit simia Dei, magis probabilis videtur eorum sententia, qui putant Ægyptios ac reliquos gentiles primorum seculorum, multa hausisse vel potius retinuisse à Deo ab initio instituta, quàm illorum, qui docent quòd Deus in ferendis legibus suis positivis, potissimum ceremonialibus, multa ex præceptis Ægyptiorum aut Zabiorum desumpserit. *q*)

29. Simul vero ex dictis patet, quid sentiendum sit de communi divisione *religionis* in *naturalem* & *revelatam*.

30. Modò homonymiam *religionis* prænotaverimus, quæ vel accipitur pro actibus *intellectus* circa Deum & res divinas, seu *Notitia* Dei, vel pro actibus *voluntatis* & quidem aut pro cultu *interno*, aut pro *externo*, vel *conjunctum* aut pro *notitia* Dei & *cultu interno*, aut pro *utroque cultu*, aut pro *notitia & cultu utroque.* Tot enim modis ferè à diversis scriptoribus religionis terminus supponitur.

31. Qui itaque per religionem intelligunt *notitiam* Dei, illi haud dubie rectè eam in *naturalem & revelatam* sub dividunt, quamvis ferè communiter notitiæ huic naturali plus tribuant quam par est. Unde huc repetenda sunt ea quæ superius *r*) ea de re fusius disseruimus.

32. Qui *cultum internum* respexerunt, neque ipsi aberrarunt, cum modò *s*) demonstraverimus & hunc ex primis principiis practicis deduci.

33. Neque in eo aberrarunt, ut arbitror, dum religionem hanc naturalem primi & secundi significatus cæteris paribus ad *religionem veram* retulerunt.

34. Quam-

ad §. 27. p) *Exemplo Vituli aurei, Saulis non obedientis jussui Samuelis &c.*

ad §. 28. q) *De priori sententiâ vide Clasen.* in Theol. Gentili, *D. Alberti*, d. l. p. 48. §. 15. *Posteriorem defendit Spencerus* peculiari opere de LL. Ceremon.

ad §. 31. r) Lib. 1. c. 3. §. 49. seq.

ad §. 32. s) hoc c. §. 5.

34. Quamvis enim à non paucis iſta opinio vapulet, quòd notitiæ hæ naturales de Deo & de cultu interno ad ſalutem non ſint ſufficientes, non puto tamen hoc argumentum firmiter concludere, cum *verum & ſalvificum* eſſe differant.

35. Itaqve hactenus religio *vera naturalis* & *revelata* in eo differunt, quod hæc ſit ſalvifica, illa ſaltem ad ſalutem hominis temporalem tendat.

36. Et qui aliter fieri poſſit? cum religio naturalis longè imperfectior ſit revelatâ, & fide tantum humana, ratiocinatione ſubfulta, nitatur. *t*)

37. Sed qui per religionem naturalem intellexerunt cultum aliquem *externum* divinum naturâ cognitum, illi aberrarunt â vero. Nam hoc ſenſu *omnis religio eſt revelata.*

38. Probationem jam dedimus. Accedit, quòd nulla poſſit in toto terrarum orbe nominari religio, quæ non revelationem aliquam prætendat. *Nos* veri Dei revelatione nitimur, *haretici* omnes vel interpretatione ſcripturæ ſacræ abutuntur, vel peculiares revelationes crepant, quod & *Judai* faciunt. *Turca* revelationibus Pſeudoprophetarum ſuorum credunt; *Ethnici*, uti ab initio revelationes diabolicas cum divinis miſcuerunt, ita adhuc hodiè vel cacodæmonis mendaciis ſe decipi patiuntur, vel fallaciis miniſtorum ejus, v. g. Braminum & ſimilium fidem habent.

39. Itaque ex hoc ſignificatu religio revelata vel vera vel falſa eſt, naturalis verò vel figmentum vel certè falſæ religionis ſpecies.

40. Atque adeò non expectabitur à nobis, ut concluſiones ſpeciales de officio hominis erga Deum ex principio ſuprà de cultu Dei poſito deducamus. Pertinet enim hæc deductio ad Dominos Theologos.

41. Igitur non ſaltem omittemus expoſitionem præceptorum religionis *Chriſtiana* in ſpecie ſic dictæ, ſed & illorum præceptorum religionem concernentium, quæ humano generi in *Adamo* vel *Noacho* publicata fuit.

ad §. *36.* t) *Fatetur iſta D. Alberti* d. P. 2. c. 1. §. 16. 17. p. 48. 49.

42. Eò pertinent quæstiones non paucæ in utramque ventilatæ partem de *Sacrificiis*, & illorum origine.

43. Item controversiæ plures de *Sabbatho*, & ejus culturâ, potissimum ista, quidnam in illo præcepto morale sit, quid ceremoniale. *u*)

44. Nec minus de *interdicto esu sanguinis* & membri animalis viventis, ejusque hodierno usu post decretum conventus Apostolici eapropter Ethnicis conversis in primitivâ Ecclesiâ repositum. *x*)

45. Ergò potuissemus hoc capite tanquam à Jurisprudentiâ alieno, carere, nisi contra sententium opinioni & rationibus fuisset respondendum.

Caput II.

De

Officio hominis erga seipsum. a)

SUMMARIA.

I*Nstinctus naturalis se conservandi homini cum bestiis communis* §. 1. 2. *socialitati tamen subordinari debet* §. 3. *Prima & secunda naturæ apud Stoicos* §. 4. 5. *Cultura sui ipsius præmittenda officiis erga alios* §. 6. *Præceptum generale:* CONSERVA TE, UT TRANQUILLITATEM COMMUNEM PROMOVEAS, §. 7—10. *Præceptum respiciens totum hominem:* NOSCE TEIPSUM §. 11. 12. 13. *Præcepta specialia quoad animam:* COLE ANIMAM PRÆ CORPORE ET VOLUN-

ad §. 43. u) *Quoad hunc & præced.* §. *conf. D. Albert.* d. §. 15. p. 48.

ad §. 44. x) *De hâc controversiâ vide quæ differit Spencerus* peculiar. differt. adj. tractat. de LL. Ceremon.

a) *Junge cum hoc toto capite* Pufend. de J. N. l. 2. c. 4. 5. & 6. nov. Edit.

LUNTATEM PRÆ INTELLECTU §. 14. 15. *Quid de bonis fortunæ?* §. 17. *& spiritualibus?* §. 18. 19. *Homo immortalitatem animæ ex natura non cognoscit.* §. 20.--27. *Quoad corpus:* VITAM SANITATI, HANC INTEGRITATI MEMBRORUM PRÆFER §. 28.--31. NON APPETE IMPOSSIBILIA §. 32. *Specimen conclusionum ex istis præceptis deductarum* §. 33.--65. *Controversiarum item exinde deducendarum* §. 66. *I. de potestate hominis in propriam vitam.* §. 67.--69. *& an avtochiria omnis sit prohibita?* §. 70.--79. *II. de conservatione sui, an liceat se violenter adversus aggressorem defendere?* §. 80.--84. *III. Annon defensio sui violenta sit præcepta?* §. 85.--94. *IV. Quænam sint requisita defensionis justæ?* §. 95.-109. *V. Qvatenus liceat defendere se ob bona vitæ minora?* §. 110. 111. *membrorum scilicet integritatem* §. 112. 113. *pudicitiam* §. 114.--117. *metum alapæ & falsum testimonium* §. 118. *honorem* §. 119. *bona* §. 120. 121. *Defensor justus non punitur,* §. 122. *VI. An necessitas limitet leges potissimum divinas? quæ quæstio difficillima novâ distinctione resolvitur* §. 123.--157. *VII. De jure necessitatis intuitu abscissionis membri* §. 158. *comestionis cadaverum humanorum* §. 150. *juris in vitam alienam* §. 160.-167. *in res alienas, & an tunc sit furtum?* §. 168.--175.

§. 1.

HOmo uti machinam corpoream, quam vulgo vitæ animalis nomine efferunt, cum bestiis communem habet, ita utrisqve indita est per modum *instinctûs naturalis* â ratione revera distincti, *sui conservatio.*

2. Sed *bestiarum* quidem utpote ratione carentium locomotiva nullum alium rectorem quam instinctum istum sequitur.

3. At *homo* cum rationalis & ita socialis sit, locomotivam suam â regimine instinctus hujus eximere & *Socialitati subordinare* debet.

4. Unde Stoici & hos secuti alii Philosophi de officio hominis

 dispu-

disputantes subinde id minus recte secundum diversam considerationem *primorum* & *secundorum naturæ* exponunt. *b*)

5. Nam *prima* quæ vocant *naturæ*, nihil sunt aliud, quàm instinctus iste machinæ corporeæ inditus, qui adeò ad officium hominis non pertinet, sed quatenus homo eam cum bestiis habet communem, planè est exlex. *c*)

6. Eò magis autem cultura *sui ipsius* officiis specialibus erga alios est præmittenda, quo minus, qui sibi ipsi est inutilis, aliis inservire aptus est, eoqve magis de ea cura homo debet esse solicitus, quo difficilius negligentia ejusdem aut præconceptæ opiniones emendantur. *d*)

7. Posses itaque præceptum generale de hominis officio erga seipsum sic efferre: ITA TE CONSERVARE STUDE, UT VITAM CUM ALIIS TRANQVILLAM PROMOVEAS.

8. Hinc quæ media se ipsum conservandi *necessariò* ad socialitatem promovendam *requiruntur*, ea homo adhibere tenetur.

9. Quæ vero vitam cum aliis tranquillam *per se turbant*, iis homo vitam suam conservare non potest.

10. Quæ denique nec necessariò promovent, nec necessariò turbant, ea Jure naturali, nisi Jus divinum aliud ostendat, *licitè* adhiberi aut omitti poterunt, pro diversis tamen gradibus licentiæ,

tiæ,

ad 4. §. b) vide Grot. de J.B. l. 1. c. 2. §. 1.

ad §. 5. c) *Si enim non esset exlex, obligarentur etiam bestiæ. Dico:* quatenus habet communem cum bestiis. *Nam cogitationes pravæ non pertinent ad istum instinctum, sunt enim pars rationis, quia sunt cogitationes. Deinde alius est instinctus conservandi individuum, alius instinctus, hoc vel illo modo legibus vetito, neque ad sustentationem necessario id conservandi, alius denique instinctus delectandi corpus & percipiendi singularem jucunditatem. Primus homini cum bestiis est communis; posteriores duo homini proprii.*

ad §. 6. d) *Quia sua bona quæ possidet, non novit æstimare, quomodo poterit æstimare bona societatis?* Conf Pufend. d. c. 4. §. 1. nov. Edit.

tiæ, prout nempe ista media magis ad promotionem aut turbationem vitæ tranquillæ, etsi per accidens, faciant. e)

11. Cæterum cum homo ex *anima* & machina *corporis* constet, considerandum nunc peculiariter, quodnam sit ejus officium *respectu utriusque*.

12. Id summatim hoc Præcepto continetur: NOSCE TE IPSUM. Nam qui se non novit, non poterit ritè judicare de mediis ad colendam socialitatem aptis.

13. Pertinet autem hoc præceptum non ad solam animam, ut Cicero, erroneam sententiam Philosophorum gentilium, ac si sola anima sit essentia hominis, secutus, exposuit, sed ad *totum hominem*. f)

14. Quod vero in specie animam attinet, novit homo eam nobilissimam sui esse partem, cum per eam â bestiis differat, unde seqvitur, qvod illa rectoris, hoc ministri aut instrumenti vicem subire debeat, & hinc nascitur præceptum speciale: CULTURAM ANIMÆ, CULTURÆ CORPORIS PRÆFER. g)

15. Porrò cum & supra h) ostenderimus, hominem non speculandi sed & agendi causâ esse conditum, inde aliud præceptum profluit: CULTURAM VOLUNTATIS PRÆFER CULTURÆ INTELLECTUS.

16. Inculcant illa Præcepta nihil aliud, quam bonum animi

 morale

ad §. *10.* e) *Ad applicationem horum quæ* §. 8.9.10. *dicta sunt, requiritur perspicacia naturalis. Ita e.g quoad* 1. *homo tenetur edere, bibere, contra frigus se munire. Quoad* 2. *debet cavere, ne per homicidia & scortationem velit se conservare. Ita quoad* 3. *si Christianismus non obstaret, liceret aliquando lautius vivere & inebriari, aut molliter vivere & delicatè, quamvis & ex dictamine rectæ rationis hæc licentia sit gradu minor. Licentia gradu maximæ exemplum esto, si quis bonam diætam sequatur & nutrimenta salubria magis, quàm delicata quærat, si quis bonis literis incumbat &c.*

ad §. *13* f) Pufend. §. 5. Albert. c. 2. §. 14. p. 66. conf. §. 27.

ad §. *14.* g) Puf. §. 5. & 6.

ad §. *15.* h) l. 1. c. 1. §. 23. seq.

morale præferendum esse bono ejus *naturali*, bona vero *hæc* utraque præferri debere *bonis corporis* i)

17. Quæ vero bona *fortunæ* communiter appellantur, cum partim ad excolenda & promovenda bona utraque animi, partim ad sustentationem bonorum corporis requirantur, & ipsorum usus secundum modo dictas regulas erit temperandus. *l*)

18. De bonis animæ *spiritualibus* atque æternis sileo, quamvis & de horum cultura subinde iuculcare soleant Scriptores Juris naturalis. *m*) Non enim video, quomodo beatitudo hominis æterna & quam hæc præsupponit, animæ humanæ immortalitas, *lumine rationis* demonstrari possit.

19. Quid quod & *μετάβασιν* hic vitamus; Ostendimus enim, *hujus beatitudinis* tractationem solis Theologis esse relinquendam. *n*)

20. Et quidem recte hic distingvitur *possibilitas* ab *actu*. *o*) Et nempe id cognoscit ratio, immortalitatem animæ non esse impossibilem respectu Dei, nullius enim creaturæ duratio in æternum involvit contradictionem. *p*)

21. Sed *animam actu immortalem esse*, Deumque hanc possibilitatem voluisse in actum deducere, id philosophicè demonstrari posse nego.

22. Idqve ideò, quia omnis demonstratio ultimò debet peti ex definitione rei. *q*) At anima perfectam sui definitionem ignorat. Et quamvis id quasi palpet, se esse ens cogitans, nulla tamen est connexio necessaria inter cogitationem & durationem æternam.

23. Hinc

ad §. *16*. i) Albert. c. 2. §. 15. seq. p. 67. seq.

ad §. *17*. l) *ut nempe bona fortunæ 1. adhibeantur ad exercendas virtutes, 2. perficiendum intellectum, 3. bona corporis*, conf. Albert. c. 4.

ad §. *18*. m) *ut facit Alberti* c. 2. §. 11. p. 64.

ad §. *19*. n) vide l. 1. c. 1. §. 169. & c. 2. §. 141. seq.

ad §. *20*. o) conf. Alb. c. 2. §. 10. p. 61.

p) *aliud est fuisse ab æterno, quod soli Deo competit.*

ad §. *22*. q) *per tradita* l. 1. c. 3. §. 35. & passim.

23. Hinc etsi per totum vitæ ſpatium homo animam ſuam, aut ea, quæ poſſidet bona, ſcrutetur, *r*) nihil tamen firmi ſepoſitâ ſcripturâ ſacra ſcrutabitur, ut adeo & hæc doctrina pertineat ad myſteria fidei & prærogativas Chriſtianorum præ Gentilibus.

24. Nam quod *Gentiles* immortalitatem animæ aſſerentes *s*) attinet, eos certiſſimum eſt, vel aliorum relationi id acceptum tuliſſe, quod nonnulli tacitè ſubinnuunt, ad conſenſum gentium hic ſolùm provocantes, *t*) aut argumentis obſcuris *u*) & vix probabilibus *x*) ſententiam ſuam adſtruentes, vel demonſtrationibus fuiſſe uſos falſam & heterodoxam hypotheſin præſupponentibus.

25. Scilicet communiter Philoſophi gentiles duo principia coæterna ſtatuebant, Deum & materiam primam.

26. Quod autem animas hominum attinet, alii eas ex potentia materiæ eſſe eductas opinabantur, & ſic mortales, quod faciebant Epicurei:

27. Alii contrà, ut Platonici, putabant animas humanas eſſe effluvia eſſentiæ divinæ, creatasqve ſimul in univerſum, ut ſeparatim exiſterent, poſteà autem neſcio qua inſana contemplatione materiæ meruiſſe, ut corporibus velut compedibus vincirencire-

ad § *23.* r) *quod jubet Alberti* d. §. 10 p. 61. *ubi ſimul Henricum Morum cenſet ſine cauſa. Rectè enim Morus differentiam inter ſpiritum & corpus quærit non in extenſione ſeu amplitudine, ſed in penetratione & diviſione. Sed hæc ad immortalitatem animæ non pertinent. Eſt enim differentia inter ſpiritum & animam. Ille mortalis eſt, hæc immortalis. Sed iſta non intelligit Alberti cum ſuis Peripateticis, intelligebat vero olim Lutherus, apertè tres partes hominis ex ſcripturâ agnoſcens: corpus, ſpiritum, animam. Dicemus alibi fuſius.*

ad §. *24.* s) *quos adducit Alberti* d. l. p. 62.

t) *ut Seneca* Epiſt. 117. ap. Alb. d. p. 62.

u) *ut Ariſtoteles* ibid. *ab operatione animæ propriæ, in quâ non communicat operatio corporalis,* (*fortè reſpexit ad ſomnum.*)

x) *à conſenſu philoſophorum præclariſſimorum.* Alb. d. p. 62.

cirentur. Hinc essentiam hominis consistere in sola anima, eam vero ut divinæ particulam auræ esse immortalem aut certè longius duraturam. *y*

28. Pergo ad *corpus*. Hujus machinam si homo consideret, deprehendet corporis fulturis animum sustineri, & hoc malè se habente animum quoque parum præclari efficere posse. *z*) Inter bona autem corporis eminet vita, post hanc sanitas corporis, tum membrorum integritas bonorum classes occupant. *Vitâ* sublatâ tollitur unio corporis cum anima, *sanitate* totius corporis prostrata impeditur anima in functionibus plerisqve exterioribus, *integritate membrorum* violata, istæ saltem functiones, quarum gratia anima isto membro habebat opus, sistuntur.

29. Fluit exinde Præceptum: VITAM *a*) SANITATI, SANITATEM INTEGRITATI MEMBRORUM PRÆFER.

30. Hæc omnia tamen, quæ hactenus speciatim exposuimus, præcepta ex primo limitationem accipiunt. Conservationi enim tranquillitatis communis subordinanda sunt bona animi utra-

ad §. 27. y) *vid. Alb.* p. 66. *& de Stoicis* p. 63. *Horum respectu ergo anima foret immortalis ferè eo sensu, quo usu Juris civilis quædam actiones sunt perpetuæ. Adde quoad hos tres* §§. Disp. nostr. de jure circa somnum c. 1. §. 4.

ad §. 28. z) Puf. §. 14.

ad §. 29. a) *Vitam etiam bonis animi naturalibus præferri vult Alberti* c. 2. §. 29. 30. *Unde concludit, ad vitam conservandam pati me debere applicationem medicamenti, è quo probabiliter aut certo secutura sit ingenii aut memoriæ imbecillitas. Hanc conclusionem concedo, non thesin. Ideo enim conclusio vera est, non quia ingenium & memoria sunt bona animi naturalia, sed quia una cum vitâ perirent & ingenium & memoria, non igitur inter diversa bona conferenda unius conservatio cum alterius debilitatione, sed unius conservatio cum alterius totali corruptione. An ergo putat D. Alberti, assumi debere medicamentum ex quo certò sequatur furor perpetuus, ad conservandam vitam? Ita videtur sequi ex ejus thesi, quia ratio est bonum animi naturale. Ego vero contra sentio ob dicta* §. 16.

utraque, postponenda vita, sanitas, integritas, divitiæ & reliqua bona minora.

31. Ducit eò hominem contemplatio totius, hoc est unionis animæ cum corpore, ut jam sæpius inculcavimus. *b*) Præterea eadem meditatio ostendit homini, eum quoad potentias animi & vires corporis esse *substantiam finitam*, adeoque multa esse, quæ non sunt in nostra potestate, quæ appetere velle frustraneum & sic stultum foret.

32. Oritur hinc aliud Præceptum: SUPRA VIRES NON NITENDUM. *c*)

33. Ad has regulas puto commodè referri posse conclusiones omnes de officio hominis intuitu sui ipsius ab aliis fusius expositas, ac ex iisdem quæstiones controversas facilè posse definiri.

34. Tales conclusiones sunt, *d*) ut homo iis quæ in *sua potestate* sunt, optimè & ad præscriptum rationis utatur.

35. Ut homo, ubi prudentiæ humanæ locus est, actiones suas cœcæ velut *aleæ* non committat.

36. Ut homo non ab *eventu* actionum prudentiam & justitiam tàm suam quàm alienam æstimet.

37. Ut à proposito rectè formato homo per *metum* aut *voluptatem* se non patiatur abripere.

38. Ut se rebus, quas sibi accommodare nequit, *accommodet*.

39. Ut in præsentibus *securitatem*, circa futura nimiam *curiositatem* evitet.

40. Ut in secundis rebus *insolentiam*, in adversis *desperationem* fugiat.

X 41. Ut

ad §.*31*. b) *Et quia animal rationale nil aliud est quàm sociale*.

ad §.*32*. c) Puf. §.7. & 8.

ad §.*34*. d) *In his quæ sequuntur usque ad* §. 66. *ferè consistit cultura animi, quatenus dirigit corpus*. *Vide* Puf. §. 13. *initio, quem etiam quoad has conclusiones omninò conjunge à* §. 7. ad §. 15. *& fusius ea demonstravi in Germanica introductione ad Ethicam per integr.*

41. Ut omni ſtudio opinionem *boni viri* conſervet, eamque per calumniam aliorum læſam, quantum poſſibile, ſuo nitori reſtituat.

42. Ut ex factis præclaris & generi humano proficuis ſolùm *famam* quærat.

43. Ut *honore* utatur ad benefaciendum aliis.

44. Ut ab *Arrogantiâ* & vanâ *Gloriâ*, præprimis de rebus inanibus abſtineat.

45. Ut æquo animo ferat, ſi *occaſio deficiat* præſtantiam ſuam exercendi.

46. Ut ſua ſorte *contentus* vivat, & reliqua tanquam ad ſe nihil pertinentia adſpiciat.

47. Ut in comparandis opibus innocentem *induſtriam* adhibeat.

48. Ut *paucis* ſit contentus.

49. Ut partis utatur tanquam ſubſidiis neceſſitatis propriæ & benefaciendi aliis.

50. Ut animum adſvefaciat, ne *amiſſis opibus* coincidat.

51. Ut erogationem earum ita temperet, ne illas citra rationem *diſſipet*.

52. Ut *doloribus* non neceſſariis abſtineat.

53. Ut *delectationibus* ſenſuum fruatur modicè.

54. Ut *affectus* ſuos in poteſtate habeat.

55. Ut *lætitia* non utatur ſuper alienis malis aut rebus ineptis.

56. Ut *triſtitiam* exterminet, niſi quatenus ad miſericordiam & pœnitentiam eâ habet opus.

57. Ut Objectum dignum & honeſtum ita *amet*, ne aliis officiis remoram injiciat, neve eo amiſſo morbus oriatur.

58. Ut *odio* hominum & *Invidiâ* planè vacuus ſit.

59. Ut *Spe* ſuper rebus vanis, incertis & impoſſibilibus non fruſtrà ſe fatiget.

60. Ut *metui* & *iræ* tanquam affectibus humanæ menti inimicis ac valdè perniciosis omni ſtudio reluctetur.

61. Ut

61. Ut tempestive honestum *vitæ genus*, secundum impulsum genii, corporis atque ingenii habilitatem, natalium conditionem, fortunæ bona, parentum autoritatem, imperantium civilium jussum, occasionem aut necessitatem eligat.

62. Ut *studia literarum* non rejiciat, tanquam quæ hominem ineptum reddant ad negotia pacis & belli, sed potius iis innatam bonam indolem perficiat.

63. Ut tamen non *inanibus literis* operam det, sed utilibus aut elegantibus.

64. Ut studia ad *usum vitæ* humanæ attemperet, non temporis fallendi gratia, & cum neglectu aliorum Officiorum iis se immergat.

65. Ut *rationem* magis quam autoritatem sequatur, & pertinaciam erronea defendendi supprimat. *e*)

66. Atque in his fere consentiunt Eruditi: Jam de *quæstionibus controversis* videndum. Initio quidem de *potestate hominis in propriam vitam. f*)

67. Ubi id quidem nemo sanus negaverit, non licite saltem, sed & longè honestius eum facere, qui *probabilem occasionem brevioris vitæ*, ut aliis inserviat, elegerit, quam qui ingloriam & domi desidem quæsierit, ut ad extremas ætatis metas pervenire possit. *g)*

X 2 68. Ne-

ad §. 65. e) *Omissus fuit* §. 14. Pufend. *de cura corporis, cujus summa hæc est: Cura ut sit mens sana in corpore sano, & ut illud ad laborem potius & patientiam induretur, quàm deliciis & molli otio frangatur. Dictum de magna utilitate indurationis quoad hominem ipsum induratum, & temperantia commendata.*

ad §. 66. *f*) *Erroneas opiniones, quasi homo possit pro lubitu vitam abjicere, recenset* Pufend. §. 17. initio p. 261.

ad §. 67. g) *Notum emblema cum inscriptione: Aliis inserviendo consumor. Habita quidem fuit Lipsiæ disputatio contra hanc doctrinam* Dn. Pufend. §. 17. *Sed autor vel lucubrando & conscribendo istam disputationem, eam facto refutavit.*

68. Neque illud dubium, posse quem jure ab imperante adigi, ut *in probabile mortis periculum* se pro utilitate aliorum conjiciat. *h)*

69. Quin & *citra* hujusmodi *imperium* aliquis cæteris paribus pro aliorum utilitate ejusmodi periculum subire poterit. *i)*

70. At de *Avtochiria* gravior inspectio. *l) Pro lubitu* sibi vitam abrumpere in Deum & societatem humanam esse injurium, ex supra dictis patet.

71. Idem sentiendum, si quis *tædio molestiarum* & *indignatione malorum communium*, vel *metu dolorum*, quibus fortiter toleratis exemplo suo prodesse poterat, mortem sibi inferat.

72. Nec excusabitur, qui *alieno ministerio* hic utitur.

73. Multo minus probandæ *leges civiles*, vel jubentes, vel permittentes civibus nihil delinquentibus ultrò vitam projicere.

74. At, si quis videat se victurum deinceps *in probrum Dei*, aut certitudine moraliter infallibili cognoscat mortem sibi paulo post ab hoste, aut sævo principe cum *cruciatu intolerabili* adferendam, aut ob *prætensa delicta*, etsi sit innoxius, à principe jubeatur mortem sibi accelerare, aut ea acceleratione *ignominiam carnificis* evitare ipsi concedatur; difficillimum erit, ex *solo rationis lumine* hunc convincere, ut his casibus à propricidio abstinere debeat, cum moraliter hic certum sit, ejusmodi homines servatione vitæ nec sibi nec aliis utilitatem afferre posse.

75. Eo tamen referre nolim, qui ob evitandam *quamcunque ignominiam* nullo vero fundamento subnixam, mortem sibi consciverunt, (unde dissimilia sunt exempla Socratis & Catonis, quamvis hos Cicero comparet.) *m)*

76. Ne-

ad §. 68. h) Puf. §. 18.

ad §. 69. i) *Si quis partem innocentem in bello adjuvet.* Puf. §. 18.

ad §. 70. l) *Quoad* §. 70 – 79. vide Pufend. §. 19.

ad §. 75. m) *Talis enim ignominia est malum, quo tolerato, quod non difficile est, possum prodesse civitati. Locum Ciceronis habet* Pufend. p. 266.

76. Neque pueros aut fœminas, qui morte voluntariâ *pudicitiæ* declinarunt violationem. *n*) Etsi hi magis excusationem mereantur.

77. Quod si quis opinatus fuerit, *o*) *plus boni* semper esse in *vita*, quam *mali* etiam in exquisitissimis *doloribus*, is forte experientia acutorum quorundam dolorum, *p*) sed patientiam communem hominis non excedentium, ad præconceptam hanc opinionem fuit seductus, vel historiæ *q*) Jobi, viri aliàs patientissimi, *r*) oblitus.

78. At dices, *Scriptura* docet, omnes autochires absq; discrimine posito, pœnæ æternæ esse obnoxios. Bene inquam, si Scriptura hoc docet, *s*) si autochiria ista pugnat cum beatitudine æterna. At nos de dictamine rationis & felicitate hominis temporali sumus soliciti.

79. Igitur reliquam litem *Theologis* expediendam relinquimus, quibus non magis contradicimus ac Physicus, inculcans quod virgo non pariat. *t*)

80. Sequitur *u*) ut videamus de conservatione sui, conjunctâ cum *propulsatione violentiæ* ab altero illatæ, quæ *defensio* appellatur. Hæc vero quatenus instituitur *sine læsione* ejus, qui malum nobis machinatur, quin licita sit, nullum habet dubium.

81. At quatenus *cum lædentis pernicie* conjuncta est, videtur

X 3 equi-

ad §. 76. n) *Vera enim Pudicitia non potest auferri. Et ignominia quæ violenter stupratos manet, fundamento destituitur.*

ad §. 77. o) *Sic opinatur Alberti* c. 2. p. 74. init.

p) *v. g. podagra, calculi.*

q) *Qui à nimiis doloribus superatus sæpè optabat mortem.*

r) *Hoc notandum, aliàs exemplum huc non quadraret.*

ad §. 78, s) *Loquor conditionatè, adeoque hic neque aliquid affirmo, neque nego. Magis tamen inclino in negativam, quia nondum vidi textum scripturæ, ita universaliter loquentem.*

ad §. 79. t) *Aliud ergo est: Omnis autochir peccat. Aliud: ex lumine naturæ demonstrari potest, quod omnis autochir peccet.*

ad §. 80. u) *Cum his & seqq.* §§. *usque ad* §. 123. *conferendum* cap. 5. lib. 2. Pufend.

equidem ea tranquillitati & utilitati societatis humanæ esse adversa.

82. Sed videtur, nam tantum abest, ut adversa sit, ut potius ratio dictitet, proscriptionem defensionis ejusmodi violentæ haud quicquam paci sed exitio generis humani conducere. *x*)

83. Nec obstat *religio Christiana*. Nam quamvis aggressor in periculo damnationis versetur, si interficiatur, unde nonnulli putarunt, laudabilius eum facturum, qui tum occidi, quam occidere mavult; aut contra regulas justitiæ peccaturum invasum, si minus suum malum cum aggressoris majori malo depellere intendat, plurimæ tamen sunt rationes, quibus ad hanc objectionem responderi poterit. *y*)

84. Illa vero distinctio utrum is, qui invaditur, sit persona Societati utilior quam invasor, annon, ita ut priori casu defensio violenta sit licita, posteriori illicita, si eam ita generaliter spectes, ad præsens negotium plane est inepta. *z*)

85. Alia quæstio est, an non *defensio violenta* quam hactenus licitam esse ostendimus, etiam *homini sit præcepta*? Alii eam simpliciter affirmant, prætendentes, eum, qui illam omittat, αὐτοχειρίαν committere. *a*)

86. Alii

ad §. *82*. x) Pufend. §. 1.

ad §. *83*. y) 1. *Quia istud periculum dependet ab invadentis arbitrio*, 2. *quia omissio mea non est medium ipsum salvandi*, 3. *quia sæpissimè evenit, ut invasus non ita sit paratus, ut certissimè vitam æternam sibi polliceri possit. Pufend.* §. 14. *Albert.* c. 3. §. 13. p. 82.

ad §. *84*. z) *Quia non licet invaso in tanto periculo ita scrupulosè deliberare, uter sit utilior. Porro sequeretur cœlibem non posse interficere uxoratum multorum liberorum Patrem, quod est absurdum. Denique singuli homines, quamvis diversis modis, possunt societati prodesse, de quarum utilitatum prærogativâ vix diuturnâ deliberatione quid certi definiri possit. Pufend.* d. §. 14. p. 299.

ad §. *85*. a) *quod facit Alberti* d. l. p. 81. 82. *sed nondum demonstravit, semper esse autochiriam. Et, si semper esset autochiria si non resisterem me interficere volenti, esset etiam autochiria, si reus capitis se non defenderet adversus carnificem. Quin necdum probatum, quod omnis autochiria sit peccatum.* Vid. §. 78. seqq. Conf. §. 92.

86. Alii præfatam distinctionem huc applicant, defensionem non ex licitis saltem sed & præceptam esse si aliorum multum intersit, ut qui invaditur sit superstes. *b*)

87. At si sibi duntaxat vivat, ad licita tantum *c*) pertinere cruentam hanc defensionem, præprimis, ubi invasoris vita multis sit utilis, *d*) & probabiliter prævideatur, eum, si interficiatur, damnationis æternæ fore reum. *e*)

88. Nobis, ut unâ fideliâ duos *f*) dealbemus parietes, id cumprimis videtur considerandum. Utrum *Invasor imperium* habeat in invasum, an non? Priori modo si imperium sit *summum*, tantum abest, ut obligari invasum ad defensionem cruentam arbitrer, ut potius obligatum putem, illam omittere.

89. Turbaretur enim profecto tranquillitas omnium Rerum publicarum, si subditis permitteretur potestas cum violentia resistendi principibus aut eorum ministris.

90. Neque excusabit invasum, si dicat, principem potestate suâ abusum fuisse, eumque injustè invasisse, quoniam inter eos, qui solâ communione juris naturalis utuntur, quales quoque sunt princeps & subditi, *g*) si nimirum inter se collidantur, *h*) justitia &

ad §. *86.* b) *Distinctio hujus & sequentis* §. *est Dn. Pufend.* d. c. 5. §. 2. p. 270.

ad §. *87.* c) *respondeo* infrà §. 94.

d) *Concedo, si sit magistratus per* §. 88. *nego, si non sit. Adde jam notata ex ipso Pufend.* ad §. 84. lit. z.

e) *Et hic obligatus esse possum, quia ego teneor inposterum societati prodesse* per §. 94. *& quia interfectio mea non est medium ipsius salutem æternam conservandi.* vide §. 83. lit. y.

ad §. *88.* f) *Intellige hoc non tantum de sententiâ D. Alberti & Dn. Pufend.* in §. 85. 86. 87. *sed & de utrâque quæstione, & quæ proponitur* §. 84. (*quorsum pertinent verba finalia* hujus §. & §. 91.) *& quæ proponitur* §. 85.

ad §. *90.* g) *Patebit hoc ex libro* III. *ubi ex jure naturæ deducemus officia principis & subditorum.*

h) *Aliàs subditi, quatenus non dissident à Principe, reguntur lege civili.*

& injustitia actionum non sunt remedia apta ad definiendas controversias. *i*)

91. Quod si invasor imperium *summo minus* habeat, non dicam equidem, laudabilius invasum esse facturum, si se interfici patiatur, *l*) id tamen effecturum arbitror hoc imperium, ut excusari possit invasus, si se â Domino, Patre &c. patiatur interfici.

92. Neque ut αὐτόχειρ considerari merebitur, *m*) aut illi, qui alieno ministerio in sui internecione utitur *n*) comparari; Hic enim propricidium appetit & jubet, ille seriò abhorret idque aversatur & saltem non resistit; quæ non resistentia, an hic peccatum sit, in quæstione est.

93. Si tamen *imperium* summum cum *minori* concurrat, ut si miles â Patre hosti inserviente invadatur, non licitam saltem, sed & cum obligatione conjunctam cæteris paribus *o*) defensionem violentam opinor.

94. Quod si denique aggressor in aggressum *imperio careat*, etsi aliis imperet, etsi invasus sibi duntaxat vivat (sibi vero vivere non debet;) obligatum hunc arbitror, ut se, etiam cum internecione aggressoris defendat, quia aggressor in aggressione evidenter socialitatem rumpit, ac spes incertissima est, eum emendatum iri: aggressus vero obligatur utilitatem aliorum inposterum, quantum in se est, promovere, promovere autem sine hâc defensione violentâ nequit. *q*)

95. Ut

i) *Non enim incurrunt in sensus. Accedit, quod in ipsâ structurâ monarchiæ subditi se abdicaverint omni judicio de actionibus principum, cum sine hâc abdicatione tranquillitas communis non possit subsistere.*

ad §. 91. l) *vide Dn. Pufend.* d. c. 5. §. 14. *ubi locum ex Platone affert.*

ad §. 92. m) *vide* §. 85.

n) *vide* §. 72.

ad §. 93. o) *h. e. non debet quærere in acie patrem. Si tamen casu à patre invadatur, debet se defendere cum nece patris quidem sed hostis Reip.* Conf. Pufend. d. l. p. 300.

ad §. 94. p) *Hinc patet licentia defensionis.*

q) *Hinc obligatio.*

95. Ut autem hæc sui *defensio* pro *justa* haberi possit, nonnulla ejus *requisita* considerari merentur, quæ sub vulgato titulo *moderaminis inculpatæ* tutelæ comprehenduntur. De quo uti multi multa, commentatores quidem juris Civilis plerumque confusè, *r*) Theologi vero Pontificiæ Religionis sæpius impiè *s*) scripserunt; ita res sine distinctione inter statum *æqualitatis* & *imperii* seu naturalem & civilem expediri nequit.

96. Differentia autem inter utrumque statum, quod inculpatam tutelam attinet, potissimum in tribus momentis se exerit, (1) intuitu *injuriæ inferendæ*, (2) ratione *temporis à quo*, (3) *respectu durationis*.

97. Qui in statu *naturali* vivunt, illi *quamcunque injuriam*, etiam minimam violenter &, si aliter eam evadere nequeant, etiam cum internecione adversarii, repellere justè possunt.

98. Dico *Justè*, unde aliorum distinctiones *t*) inter impunitatem & impeccabilitatem, aut inter id quod de facto fiat inter homines, & quod secundum rigorem naturæ fieri debeat, non moror.

99. Manent enim in hoc statu inconcussa hæc axiomata: *Læso adversus hostem u*) (quamdiu in statu hostilitatis manet *x*) *jus competere in infinitum*; Item, *Lædentem* & ita vinculum socialitatis abrumpentem, donec in statum pacis mecum redire paratus sit, *nullum habere jus officia socialitatis à me expetendi.*

ad §. 95. r) *Confundentes videl. statum naturalem cum civili.*

s) *Permittentes in civitate etiam interficere alterum proptr metum falsi testimonii.* Conf. Pufend. d. c. 5. §. 3. & 7.

ad §. 98. t) *Sunt hæ distinctiones Albertinæ* cap. 3. §. 24. p. 86.

ad §. 99. u) *Aliud adversus eos, qui propriè hostes non sunt: Ut sunt subditi hostis qua tales, præprimis infantes, senes &c. in quos quidem licentia est, non jus.*

x) *Notanda hæc limitatio. Hic enim multiplicat injurias injuriis, etiam vitam adimere paratus, si resarcire jus meum velim. Alia ratio est, si velit redire in statum pacis. Unde in victum non est jus propriè dictum in infinitum.*

100. Quæ vero in contrarium afferri solet *æqualitas y*) quam jus naturæ in resistendo hâc parte exigat, nulla ratione firmatur, & conscientia *z*) regulis istis opposita pro erroneâ erit habenda.

101. Cæterum uti in *statu integritatis* nulla læsio metuenda fuisset, ita neque in hac, *a*) neque in reliquis *b*) quæstionibus de defensione sui ex analogia status integri aliquid nostræ sententiæ opponi poterit.

102. At in *statu civili* libertas hæc se ipsum defendendi in dubio hactenus videtur restricta, ut tantum liceat *vitam* aut aliàs *irreparabile bonum* ita defendere. *c*)

103. Deinde in *statu naturali initium* moderatæ defensionis incipit, cum liquido apparet, alterum circa inferendam mihi injuriam occupari, *d*) licet conatus suos nondum plenè expromserit, adeoque licebit adhuc noxam apparantem occupare.

104. At in *statu civili* ab *eô demum tempore* incipit, cum aggressor voluntatem injuria me afficiendi præ se ferens & viribus instru-

ad §. 100. y) *Quod tantum esse debeat malum quod infertur, quanta fuit læsio, quæ est sententia Alberti* c. 3. §. 23. 24. *quasi læsio & malum passionis sint res in commercio. Æqualitas enim de his rebus, quæ in commercio sunt, prædicatur.*

z) *Ad cujus tribunal pro more, quoties rationibus destituitur, provocat Alberti.*

ad §. 101. a) *Quod tamen facit Alberti* d. §. 23. *asserens, ideò non licere hic in infinitum, quoniam in statu integritatis omnis abfuisset inæqualitas. Quamvis & hæc assertio mereatur inspectionem. Nam ipse imperium vult fuisse in statu integro. Deinde etsi nulla fuisset inæqualitas in contractibus, tamen nec propriè fuisset æqualitas, quia contractus non fuissent in statu integro, quatenus de meo & tuo fiunt. Imò nec omnes contractus præsupponunt æqualitatem, ut gratuiti.*

b) conf. Alb. d. c. 3. §. 17. *ubi de læsione innocentis. In statu integro nihil quod innocentes læsisset, fuisset adhibitum. Tracto* infrà §. 162.

ad §. 102. c) *In reparabilibus enim sunt judicia. Voco autem reparabilia omnia, quæ sunt in commercio, ita ut spes sit, vel ea, vel eorum æstimationem per judicia recuperari posse.*

ad §. 103. d) *v. g. conscribere militem cum intentione me invadendi.*

instrumentisque nocendi instructus, jam intra illum locum extiterit, ex quo re ipsa nocere possit, computato quoque illo spatio quo opus est, si ego prævenire quàm præveniri malim.

105. *Modicus* tamen *excessus* invasum propter præsumptam perturbationem animi hic excusabit. *e*)

106. Ergo nisi agressi culpa præcesserit, non præcisè obligabitur ad *fugam*, si in aperto loco fuerit constitutus, nisi fugere commodè possit. *f*)

107. Inter somnia vero Moralistarum referendum est, quod multi requirant *paritatem armorum*.

108. Denique in *Civitate* defensio *durat*, donec periculum injuriæ futuræ fuerit evasum.

109. At in *statu naturali* licebit etiam injuriam illatam vindicare.

110. Ex his differentiis & potissimum ex prima *g*) facillimè controversiæ de defensione *bonorum vitâ minorum* dijudicari poterunt.

111. Nam in statu *naturali* eorum defensio cruenta haud dubiè erit licita, ergo quæstio saltem remanet de *statu civili*.

112. Igitur *membrorum integritatem* defendere cum internecione aggressoris justè potero, quia periculum vitæ est conjunctum. *h*)

113. Unde qui ajunt, *i*) periculum mutilationis membri non sufficere, si vita morali certitudine salva sit, idem videntur statuere, ac si dicerem, Elephantum posse volare, si habeat alas.

114. De *pudicitia* difficilior inspectio est. *l*) Sive enim hanc physicè consideres, reparari poterit per æquivalens, sive moraliter, eadem auferri non poterit me invito, quia est bonum animi.

 115. Equi-

ad §. *105.* e) *v. g. si ostium propè fuerit apertum, quod videre facilè potuerit, in perturbatione tamen non viderit.*

ad §. *106.* f) vide Pufend. §. 9. & omninò §. 13.

ad §. *110.* g) §. 97. & 102.

ad §. *112.* h) Puf. §. 10.

ad §. *113.* i) *Quod facit Alberti* c. 3. §. 15.

ad §. *114.* l) *Expendenda sunt ea quæ habet Puf.* l. 2. c. 5. §. 11. & de

115. Equidem hactenus putavi, licentiam defensionis cruentæ hâc parte exinde deduci posse; quod virgo periculum subeat, saltem ad momentum delectationem ex alterius congressu illicito percipiendi; adeoque hunc justum de peccato alterius participandi metum pro damno irreparabili habendum esse, cum factum nequeat infectum fieri, & peccata æstimationem inter homines non recipiant.

116. Sed re curatius pensitata neque hæc ratio videtur sufficere. Præterquam enim, quod eadem non in læsione omnis pudicitiæ *m*) procedat, illa delectatio momentanea vim patientis, si maxime peccatum est, pro tali tamen ex sola rationis lumine non poterit demonstrari.

117. Quod si tamen ex eo, quod communiter fieri solet, conjecturam de præsumptâ voluntate principum sumere velimus, dicerem; in dubio præsumi principem & hanc defensionem permittere voluisse. Nam in exemplis, *n*) quas historiæ nobis suppeditant, illi, qui Imperium habuerunt, defensiones ejusmodi, si non semper, certè plerumque laudarunt & approbarunt, nonnunquam etiam decorarunt præmio.

118. *Alapam o*) vero, aut falsum alterius *testimonium* in civitate per internecionem ejus â quo metuimus, avertere justè posse & rationi & moribus universalibus repugnat; Alapa enim est bonum reparabile, falsum testimonium vero ad invasiones violentas planè non pertinet.

119. Eadem de defensione *honoris* & *existimationis* dicenda sunt. *p*)

120. De

de O.H.l. 1. c. 5. §. 15. *&* *Alb.* c. 3. §. 26. *Prior hanc rationem affert, quod quis id fœminæ invitæ eripere velit, cujus integritate ejus sexus decus maximè æstimatur,* & *efficiat, ut hosti ex suo sangvine prolem suscitare cogatur. Posterior non putat, pro pudicitia licere aggressorem interfici, quia inter vitam & pudicitiam non sit proportio.* Sed vide §. 100 & 102.

ad §. *116.* m) *Non in attentatâ pueri pudicitiâ.*

ad §. *117.* n) *Quæ plura suppeditat* Puf. §. 11.

ad §. *118.* o) Puf. §. 7. & 12.

ad §. *119.* p) Alb. c. 3. §. 29.

120. De defensionibus vero *rerum* sic tenendum. Ubi erepta subsidio Magistratus recuperari possunt, non licebit ad cædẽ usq; invasoris progredi, nisi in eo casu ubi qui res nostras ereptum venit, in judicium adduci non potest. Quo intuitu licitum est occidere *prædones*, ac *fures nocturnos. q*)

121. Id vero ad moderamen inculpatæ tutelæ neque in statu naturali neqve in civili requiritur, ut *invasor dolo malo* exitium mihi intentet. Valebit enim idem adversus eum quoque, qui per errorem [etiam justum] me aggreditur. Nam ut alia taceam, jam supra posuimus canonem: errorem æquius imputari erranti quam tertio. *r*)

122. Simul illud patet, moderamen tutelæ cum jure nitatur, & species sit homicidii casualis, nullam mereri *pœnam*. Unde quæ â legibus civilibus casuali homicidio coërcitiones quandoque fuerunt impositæ, pœnæ propriè dictæ non sunt. *s*)

123. Ex dictis vero patet, hominem ad avertendum periculum vitæ non tantum instinctu naturæ ferri, sed & *jus* eidem ex dictamine rectæ rationis competere. Solet vero istud vitæ periculum, si ei nulla viâ, excepta unâ, resisti possit, uno vocabulo appellari *necessitas. t*)

124. Unde ex tribus, quas nonnulli faciunt, necessitatis speciebus, quarum alia sit *ad honestatem, ad incolumitatem* altera, tertia ad *commoditatem*, sola media hujus est loci.

125. Quæ, etsi communiter à Scholasticis dividatur in *summam*, quam descripsimus, & *gravem*, quam duobus vel pluribus

 reme-

ad §. *120.* q.) Puf. §. 16. 17. 18. *Dissent. Alb.* §. 28. 30. d. cap. 3. *qui nunquam putat furem interfici posse, nisi simul vitam impetat, quia bona sint minora vitâ.*

ad §. *121.* r) vide l. 1. c. 1. §. 72. *sufficit, quod ille nullum habeat jus me invadendi, ego vero habeam jus me defendendi. Ergo etsi ille mihi propriè non faciat injuriam, nec ego tamen ipsi, me defendendo.* Conf. Puf. §. 5.

ad §. *122.* s) *Ob quam causam ejusmodi coercitiones adhibeantur, tradit* Puf. §. 15. *ubi simul exempla.*

ad §. *123.* t) *Ad* hunc §. & seqq. *junge* Puf. l. 2. c. 6.

remediis, sed plerumque incommodo altero, altero legibus improbato, *u*) evitare possumus, reverâ tamen gravis huc non pertinet, sed potius ea est, quam modo ad commoditatem tendere diximus.

126. De nostra vero necessitate communiter regula profertur: *Necessitas non habet legem.*

127. Dico *de nostra*; Nam ad necessitatem *commoditatis* eam falsissimè extendunt sæpius Scholastici *x)* in definiendis controversiis specialibus, quod hic semel monuisse sufficiat.

128. De necessitate vero *honestatis* canon intelligi nequit, quia hunc lex producit, at nostra legem non habere asseritur.

129. Qvamvis autem axioma hoc in omnium ore versetur, ac multi de eo commentati fuerint, de sensu tamen ejus in genere dubia non omnia tollunt distinctiones ab eruditis *y*) (Scholasticorum enim & moralistarum Pontificiorum ineptias subinde impias *z*) præterimus) jam prolatæ, certè illustratione aliquâ aliquando indigere videntur.

130. Igitur quæstio est: *An necessitas in legibus exceptionem tacitam faciat; ut legislator non præsumatur subjectum adigere voluisse ut legem observet, si observatio cum periculo ejusmodi vitæ sit conjuncta?*

131. Equidem de *legibus humanis* ferè res controversia caret; regulariter in iis necessitatem exceptionem facere, cum utilitas communis ex utilitate singulorum constet, & regulariter conservatione singulorum magis consulatur communi utilitati, quam observatione legis humanæ. *a)*

132. Nisi

ad §. 125. u) *Ita v. g. pauper laborat necessitate gravi. Aut enim laborandum aut mendicandum, (utrumque incommodum) aut furandum.*

ad §. 127. x) *Dum putant, ablationem rei alienæ etiam esse licitam in necessitate gravi, fortè ad evitandam mendicitatem.*

ad §. 129. y) *Maximè à* Puf. §. 2. vide infrà §. 142. seq.

z) *Vide modo* lit. x.

ad §. 131. a) *Aliam rationem dat* Puf. §. 2. *nempe quia legislatores per eas salutem aut commoditatem hominum promotum iverint, ergo præsumi regulariter, eos ob oculum habuisse teneritatem humanæ naturæ, & quàm non possit non homo refugere & amoliri illa quæ ad ipsius destructionem tendunt.*

132. Nisi tamen legislator *aperte* contrarium disposuerit, quæ limitatio jam statui controversiæ inest.

133. Aut nisi *natura negotii*, quale v. g est bellum, conductus aliorum &c. aliud svadeat.

134. De *legibus divinis* difficillima est inspectio. Optimum videtur, si â notioribus hic progrediamur ad ignota, & ex exemplis nobis formemus conceptum de regulâ.

135. Lex divina est: *Sabbathum esse colendum*. Hic extra dubium est, *Sabbathum non* violari, si quis aut morbo impeditus gravi domi maneat, aut res ad victum necessarias præparet.

136. Rursus tamen dubium non est, si Princeps Idololatra jubeat Sabbathum profanare actionibus eo die prohibitis, potius *mortem esse subeundam*.

137. Denique certum esse arbitror, aliquem, cui â tyranno cultus publicus metu mortis incusso prohibeatur, lege divina haud obligari ad cultum publicè periculo mortis persequendum. Exempla enim martyrum sunt heroica, & specialem instinctum divinum præsupponunt.

138. Lex divina erat: *non comedendos esse â Laicis* (si ita licebit dicere) *panes propositionis, non comedendam esse carnem suillam*. Illud vero fame premente *licebat* Davidi; *b)* hoc *non licebat* Judæis, quibus ab Ethnicis metu gravissimorum tormentorum id erat injunctum. *c)*

139. Igitur ob rationis paritatem infero, *non licuisse* Davidi vesci panibus propositionis, si Saul v. g. id jussisset sub pœna mortis, *licuisse* vero Judæis vesci carne suilla, v. g. in obsidione Hierosolymæ.

140. Habes exempla Præceptorum negativorum, in quibus necessitas modo exceptionem *facit*, modo *non facit*, jam cape exemplum, ubi *nunquam facit* exceptionem.

141. Tale est illud: *non concumbendum cum matre. d)*

142. Cur

ad §. 138. b) Matth. 9. v. 2.
c) *Vide historiam Maccabæorum.*
ad §. 141. d.) *Hoc ipse Dn. Pufagnoscit ita grave esse, ut potius mors sit subeunda.*

142. Cur igitur sic diversè? Fortè distingvendum erit inter leges divinas *positivas* & *naturales*, ita ut positivæ regulariter exceptionem necessitatis secum ferant. *e*) At ita obstant, quæ de profanatione Sabbathi, de omissâ à Judæis comestione carnis suillæ & modo de concubitu cum matre diximus.

143. Tentabimus an res ita procedat? Leges divinæ sunt vel *affirmativæ*, vel *negativæ*. Leges *affirmativæ* ex natura sua *f*) ut quis obligetur, præsupponunt occasionem, materiam & facultatem agendi, quæ regulariter deesse intelligitur, ubi quid fieri non potest, nisi ipse peream, quocunque modo necessitas (citra culpam tamen meam) *g)* adveniat.

144. Ex legibus positivis repete quæ de Sanctificatione Sabbathi dixi. Quod leges *naturales* attinet, eadem est ratio, sive sint præcepta intendentia obligationem *imperfectam*, ad officia nempe humanitatis exhibenda, *h*) sive *perfectam*, v.g. de promissis servandis *i)*

145. At in *negativis* variis distinctionibus erit opus. Initio, unde necessitas habeat *originem*; an â *Deo*, an â *malitiâ aliorum* hominum? tum: utrum *malitia* hominum principaliter *intendat mortem* inferre, an primariò quærat *transgressionem legis*? denique an *medium* evadendi suppeditetur ab *instinctu naturali*, an rursus ab *hominum malitia*?

146. Quod si itaque necessitas *adveniat â malitiâ humanâ* principaliter *mortem* intendente, & *medium* evadendi suppeditet *instinctus naturalis, licebit istud usurpare*, etiamsi aliàs â Deo sit prohibitum,

ad §. *142*. e) *Hæc est sententia Dn. Pufend.* §. *2.*

ad §. *143*. f) *Vide supra lib.1.c.2.* §. *113. seq.*

g) *Unde v. g. qui dolo malo vel culpa consumsit mutuò accepta ab aliis, non poterit prætendere necessitatem propriam.*

ad §. *144*. h) *vide infrà* c.6.§.16.

i) *Nam & hic non pecco si v.g. differo solutionem, in summâ necessitate constitutus. Debebat enim alter hoc casu ex officio humanitatis mihi dilationem concedere. Gravior est quæstio, si ipse in pari necessitate sit constitutus. Et hic tamen putarem possidentem esse præferendum.*

hibitum, quia Deus non præsumitur rigorem legis suæ hic velle exercere in utilitatem nequitiæ humanæ, accedit quod instinctus ad istud medium adhibendum â Deo sit, quia naturalis est.

147. Unde licuisset Judæo quem alius fame necare ex injustâ causâ volebat, vitam conservare *esu carnis suillæ*. Ita licebit Christiano in simili necessitate constituto *cibum alienum invito Domino capere. l*) Habes iterum exempla tam ex lege positivâ, quam naturali.

148. Sed si *hoc casu medium evadendi suppeditetur à malitiâ hominum*, non licebit eo uti, quoniam, qui ejusmodi medium offert, intendit ignominiam Dei, & acceptatio ejus plerumque tacitam abnegationem divini numinis infert, quo casu Deus potius jacturam vitæ præsentis bono meliori compensaturus esse præsumetur.

149. Ita si Judæo, quem quis fame necare volebat, tertius quidam *infidelis carnem suillam* obtulisset, abstinendum erat ab esu. Ita si *Mater* injustè incarcerato sub conditione *incestus*, aut, ut ex lege naturali exemplum addamus, si alius sub conditione *hominis innocentis interficiendi* liberationem promittat, liberatio non erit accipienda.

150. Multò minus itaq; necessitatem evadere licebit violatione legis divinæ, si is, *qui necessitatis autor est, statim intendat actum legi contrarium*, ob rationis identitatem.

151. Idque procedet, sive *medium* suppeditetur *per novam malitiam*, ut si quis ei, quem tyrannus ad *ejurandam veram religionem* mortis metu cogere vult, liberationem sub conditione *stupri* vel *homicidii* promittat.

152. Sive etiam *instinctus naturalis* me graviter incitet ad vitam servandam. Nam & tum postponenda erit vita contumeliæ divinæ. Ut si *Ethnicus* Judæo, ejurare patriam religionem nolenti, *nullum cibum nisi carnem suillam* proponere jussisset.

153. At si necessitas *à Deo* ortum ducat, & medium etiam ab *instinctu merè naturali* suppeditetur, licebit idem adhibere, tum

 quia

ad §. 147. l) *de quo plura infrà* §. 177. seqq.

quia medium est â Deo, tum quia actus non tendit ad abnegationem ejusdem.

154. Hinc tempore *famis* licuisset *carne suillâ* vesci, licebit *cibo alieno* eam sedare.

155. Alia ratio est, si *medium* eluctandi suppeditet *malitia hominum*, ob conjunctam iterum DEI contumeliam.

156. Ut si tempore *famis* sub conditione *stupri* vel *homicidii* quis panem promittat.

157. His distinctionibus observatis, puto jam facile responderi posse ad *quaestiones speciales quasvis* de jure necessitatis.

158. De *abscissione membri, m)* ut vita servetur, non est dubium.

159. Ex *carne* etiam *humanorum cadaverum* tempore famis nutrimentum capere, miserandus cibus est, non nefarius. *n*)

160. Quin & miserandum magis quàm injustum erit, in ejusmodi necessitate, ut plures serventur, *unius aut quorundam interitum forte procurare, o*)

161. Multo magis igitur, *p*) si duo in præsens vitæ periculum incidant; in quo utrique sit pereundum, v. g. in naufragium, in hostes; uni quid facere licebit, ex quo *alteri aliàs perituro fata admoventur*, ut ipse salvus sit, v. g. si ipsum â tabulâ, quæ utrumque ferre nequit, violenter repellam, si eum clausâ portâ in periculo vitæ relinquam.

162. Adhuc ergo minus dubium habet, licere alteri ex necessitate *periculum mortis* aut magnæ læsionis intendere *indirectè*, ita ut non sit propositum ipsi nocere, sed duntaxat se per talem actum, ex quo alteri probabiliter magnum damnum inferatur, defen-

ad §. 158. m) Puf. §. 3.

ad §. 159. n) *Non obstat præceptum de sepeliendis mortuis*, vide infra lib. 3. c. 10.

ad §. 160. o) *Hic dissentit Zieglerus* ad Grotium.

ad §. 161. p) *Nam priores alterum ipsi interimunt, hic saltem non servat*. Conf. Puf. §. 4.

defendere, quale quid accidit, si v.g. claudus aut infans vel alius fugientem in viâ angustâ impediat. q)

163. Ratio in his tribus casibus est eadem; necessitas enim, vel à Deo vel â malitiâ hominum, mortem meam principaliter intendente provenit, medium vero eam evadendi suppeditatur ab instinctu naturali vitam meam conservandi.

164. At inquies, ita committitur homicidium, jure naturali prohibitum? Non arbitror. Lex enim naturalis, homicidium interdicens & ipsa habet tacitam exceptionem necessitatis, quoties malitia hominum necessitans principaliter non intendit violationem legis, & medium evadendi suppeditatur ab instinctu naturali, quod fit in adductis exemplis.

165. Aliam esse rationem arbitror ejus, *qui â tyranno, nisi vitam propriam velit perdere, jubetur interficere hominem innocentem*, quia origo necessitatis venit ab homine, in suppeditatione medii principaliter intendente actum legi contrarium.

166. Neque adeò rem hic conficere videtur distinctio, utrum princeps civi suo quid mandet tanquàm actionem civi propriam, an tanquàm meram executionem ejus actionis, quæ propriè imperantis esse debeat; ac si hoc ultimo casu, ad quem etiam pertineat occisio hominis innocentis, non magis factum istud civi imputari possit, quàm gladio aut securi cædes. r)

167. Nam uti quidem ista comparatio hominis cum gladio multas patitur diversitatis rationes, ita vereor, ut jussa interfectio hominis, quem is, qui jubetur, certò innocentem novit, possit appellari mera executio, & cum mandatâ lectione orationis, in quâ multa comprehenduntur mendacia (utpote, quæ non ma-

Z 2 gis

ad §. *162.* q) *Dissent. Albert.* §. 17.18.19. cap. 3. p. 84. seq. *quia in statu integro non licuisset interficere innocentem. Sed vide suprà notata* ad §. 101. *Cæterum quæstio de puerperâ, an liceat ejus vitam servare cum internecione infantis, peculiarem meretur inspectionem. Quam frigidè proponit & tractat Alb.* §. 18.

ad §. *166.* r) *Defendit his rationibus illius actus licentiam* Puf. I. 5. 9. & VIII. 1. §. 5. 6. & de O. H. I. 1. 24. & II. 12. ult.

gis crimen eſt, quam ſcriptura verborum blaſphemorum ab actuario judicii facta) comparari. Aut, ſi cædem innocentis ad meram executionem referre velis, quærerem differentiam inter necem hominis innocentis, & mandatum ſtuprum matri inferendum, cujus executionem ita gravem eſſe ac fœdam fatentur omnes, s) ut generoſum habeatur, mori malle, quàm ei patrando ſua membra accommodare. Uti enim hoc ſtuprùm ad legem poſitivam infrà referemus, ita homicidium haud dubiè lege naturali eſt prohibitum.

168. Reſtat ut videamus, an neceſſitas tribuat jus *ad auferendas res alienas?* Seu an hoc pacto committatur furtum? Varii hic procedunt variè. t) Alii enim *furtum committi* arbitrantur, *ſed nullâ pœnâ plectendum,* qui contradictionem ferè videntur involvere, delictum nominantes, quod nullam pœnam mereatur. u)

169. Alii *caſum neceſſitatis* in hâc quæſtione *non eſſe dabilem* putant, ſed argumentatione non firmiter inferente. x)

170. Alii furtum eſſe negantes, in ſingulis furti definitionibus aſylum quærunt. Hi enim non contrectari *rem alienam* ſtatuunt, y) reviviſcente hoc caſu communione primævâ; Illi dominum non eſſe *jure invitum* affirmant; z) Iſti non ſubeſſe *fraudulentam* contrectationem arbitrantur, quibus & nos adſtipulamur.

171. Quoniam ſcilicet in caſu extremæ neceſſitatis officia humanitatis mutantur in obligationem perfectam. Atque hoc, uti cum debitis limitationibus jam alii fuſius expoſuerunt, ac præterea

ad §. *167.* s) Ipſe Puf. de J. N. dd. ll.

ad §, *168.* t) *Prolixè* Puf. II. 6. §. 5. 6. 7. *Non omittendum hoc argumentum: Si neceſſitas dat jus in vitam alterius, multò magis in ejus res.*

u) *Hæc ſententia defenditur à multis Scholaſticis. Aliud autem eſt nulla pœna, aliud pœnæ mitigatio.*

ad §. *169.* x) *Ut Zieglerus* in notis ad Grotium.

ad §. *170.* y) *Ut, ni fallor, Grotius ipſe, cui aſſertioni obſtat obligatio de reſtituendâ poſteà re.*

z) *His obſtat, quod Domini injuſtitia non omnem pauperem liberet à furto, ſi nempe caſus neceſſitatis non adſit.*

reà ex dicendis suo loco *a*) patescet; Ita vel ipsi contradicentes concedunt, communiter indigenti, ut magistratum adeat, (indicio, perfectam subesse obligationem) consulentes.

172. Unde profectò, ut uno verbo me expediam, qui in formatâ specie furtum committi arbitrantur, furti definitionem ignorant.

173. Denique necessitas summa, vitæ amittendæ in quam sine culpâ incidimus, jus concedit, *res alienas non pretiosiores nostris perdendi*, ut tamen quandoque in partem damni veniamus & ejus æstimationem ex parte alteri restituamus, unde dependet æquitas *legis Rhodiæ de jactu*, discissio retium, in quæ navis mea impulsa est. *b*)

174. Cæterum difficilior est inspectio, an *necessitas circa res nostras amittendas* versans simile jus in res alienas perdendas concedat? Nam uti necessitas hæc, nisi cum vitæ meæ periculo conjuncta sit, pro summâ haberi non poterit, ita quod aliqui inde deducunt, acsi ei, qui pium bellum gerit, liceat occupare locum in solo pacato situm, si certum sit periculum, ne hostis eum locum invadat; etiamsi cautiones ab iis addi solitæ observentur, magis tamen ad ea pertinet, quibus venia indulgetur, quàm quæ juris naturalis titulo defendi possunt.

175. Inter eos vero, qui in *statu civili* vivunt, facilius defenditur, propter jussum potissimum aut tolerantiam ejus, qui *τὸ κύριον* gerit, v. g. *destructio ædium tempore incendii, præstatio cautionis de damno infecto, concessio itineris ad fundum meum* vicinorum fundis circumdatum, & si quæ sunt similia.

ad §. *171*. a) vide cap. 6. §. 20. seq.
ad §. *173*. b) Puf. II. 6. §. ult.

Caput III.

De
Officio hominis erga alios, & in specie de custodienda æqualitate inter homines.

SUMMARIA.

Officia hominis vel communia sunt vel specialia §. 1. *Communia vel absoluta vel hypothetica* §. 2. 3. *quæ distinctio tamen non magnum usum habet in controversiis definiendis*, §. 4. *quod ostenditur.* §. 5 -- 10. *Inter absoluta primum est, quod ex statu humanitatis* §. 11. *id est æqualitatis oritur.* §. 12. *Æqualitas hæc vel naturalis* §. 13. 14. *vel moralis* §. 15. (*æqualitas malitiæ* §. 16. 17.) *vel Christianismi* §. 18. *Præceptum huc pertinens: ALIUM HOMINEM TANQUAM ÆQUE HOMINEM TRACTA* §. 19. *Esse hoc præceptum in hac classe generale.* §. 20. 21. *Huc non pertinet æqualitas libertatis seu potestatis.* §. 22 -- 27. *Ex nostro præcepto fluunt quatuor specialia:* §. 28. 29. *duo negativa* §. 30. 31. *& duo affirmativa.* §. 32. 33.

§. 1.

Sequuntur officia hominum *erga alios* homines. Quæ quidem vel dirigunt homines viventes *in certâ societate, a*) vel respiciunt homines quosvis, *in quacunque societate* vivant.

2. *Communia* hæc vel immediatè ex Dei voluntate ortum trahunt, citra & ante omnem consensum humanum, vel præsupponunt jam pacta & conventiones hominum.

3. Posses adeò illa vocare *absoluta*, hæc *hypothetica*. Quod si tamen illa *connata*, hæc *acquisita* appellare velis, non refragabimur,

ad §. 1. a) *de his agemus* lib. 3.

mur, cum abſolutis correſpondeat obligatio connata, hypotheticis acquiſita. *b*)

4. Ferè enim doctrinæ cauſa *c*) diſtinctio hæc præceptorum reperta eſſe videtur, non magnum adeò momentum allatura ad controverſias definiendas.

5. Quod enim affertur, *d*) inter obligationes â ſuperiore injunctas, & eas, quæ ex mutua conventione oriuntur, *id videri diſcriminis*, quod hæ quidem ſtatim aliquem non amplius ſtringant, quando alter prius ab iisdem diſceſſit; illæ autem adhuc tenere poſſint ad quid præſtandum, licet alter in officio mutuo reſpondere deſierit, idque quia per autorem obligationis penſari poteſt, quod iſte minus juſto habet, paululum obſcurius eſt. *e*)

6. Sicut & illud, quod hactenus tamen obligatio ad exercenda adverſus alterum officia juris naturalis, utut â ſupremo numine injuncta, conveniat cum obligatione ex quavis conventione ortâ, quod ubi unus ab eâ diſcedat, idem ab altero illa officia poſtulare amplius nequeat, & præterea hic jus accipiat, iſtum per vim ad ſatisfactionem adigendi.

7. Quod ſi tamen, uti videtur, iſte horum eſt ſenſus, in utrisque præceptis me illi, qui eadem primus violavit, nunquam obligari, obligari tamen poſſe extra ordinem ſuperiori in præceptis abſolutis, dari poſſunt inſtantiæ non unæ.

8. Verum eſt: poteſt Superior me adigere, ut lædenti, cui aliàs in ſtatu naturali, quamdiu in ſtatu læſionis manebat, non obligabar, læſionem citra ſatisfactionem ab ipſo factam condonem. Cœterum uti hæc voluntas ſuperioris regulariter & citra revelationem pecu-

ad §. 3. b) *vide ſupra l. 1. c. 1. §. 114. & 138. Adde Puf. III. 1.1.*

ad §. 4. c) *ad oſtendendum connexionem capitum.*

ad §. 5. d) *à Dn. Pufend. III. 2. 2. cujus verba hic recenſentur* §. 5. & 6.

e) *Clarior enim res fuiſſet, ſi Dominus Pufendorffius appoſuiſſet exemplum.*

ad §. 8. f) *Hic reſpondetur ad* §. 5. *de differentia utriusque obligationis.*

peculiarem non præsumitur, ita eadem non saltem in præceptis absolutis, sed & hypotheticis locum sibi vindicare potest.

9. Nam quis neget, DEUM aut alium imperantem subjectum sibi cœteris paribus adigere posse, ut alteri etiam à contractus fide recedenti fidem servet, aut rem propriam ipsi eam restituere nolenti condonet? &c. *g*)

10. Rursus quod dicitur, *h*) abstrahendo à tali superioris speciali voluntate, in utrisque præceptis lædenti me ad officium reciprocum non teneri, id in obligatione inter pares saltem, aut intuitu obligationis, quâ superiores homines tenentur inferioribus, haud quaquam vero, nisi principia Monarchomachica sequi velimus, in obligatione, quâ inferiores superioribus obstricti sunt, procedit, sive hoc casu obligatio oriatur ex præcepto hypothetico sive ex absoluto. *i*)

11. Inter *absoluta* vero præcepta id omnium primum *l*) esse videtur, quod ex statu hominum oritur, quem suprà diximus statum *humanitatis*.

12. Quæ cum in omnibus in universum, seu imperantibus seu parentibus existat, hactenus *æqualitatem* aliquam inter eos gignit. *m*)

13. Et hæc *æqualitas* quidem diversimodè declarari poterit, partim ex *dictamine rationis*, partim in subsidium assumtâ *revelatione*.

ad §. 9. g) *Obligatio vero rem alienam restituendi fluit ex Dominio, Dominium præsupponit pactum.*

ad §. 10. h) *Responsio ad* §. 6. *de convenientia utriusque obligationis.*

i) *Non enim possunt subditi quà tales principem lædentem lædere, aut officia humanitatis deneganti denegare, aut promissa non servanti eadem non servare, aut eum ad satisfactionem in his omnibus cogere.*

ad §. 11. l) *Dn. Pufend.* III. 2. *istud considerat tanquam præceptũ speciale, ex quo nullum aliud profluat, quin & eidem præmittit præceptum de non lædendis aliis.* Vide d. l. 3. c. 1. 2. 3. ab initio.

ad §. 12. m) *Hinc proverbium:* Ich bin kein Hund. Ich bin so wohl ein Mensch als du.

tione. Priori modo vel ſecundum naturam hominis *rectam*, vel ſecundum *corruptam*.

14. Nam ſi initio conſideres *eſſentiam hominis* & *exiſtentiam* quà *animal* eſt, ad eandem ſtirpem omnes homines referunt originem, eodem modo propagantur, naſcuntur, moriuntur, naturæ ſuperflua in fœditatem converſa ejiciunt, *n*) fortunæ ludibrio omnes ſunt obnoxii &c.

15. Sed hæc quidem *æqualitas naturalis* ferè homini cum beſtiis eſt communis, nullamque adeô ex ſe regulam vitæ producere apta, unde magis huc facit *æqualitas juris*, & quà ſunt *homines*, quod nimirum omnes, quantiscunque animi, corporis aut fortunæ bonis antecellant alios, non minus tamen juris naturalis officia adverſus illos exercere debeant, ac ipſi ab aliis eadem expectant, nec plus licentiæ ipſis concedatur alios injuriâ afficiendi; quod item illi qui carent abundantiâ bonorum corporis, fortunæ, ac animi, non ſint deterioris conditionis circa fruitionem communis juris quàm alii.

16. Quodſi inſuper *ſtatum hominis corruptum* ſpectemus, deprehendemus inſuper *æqualitatem malitiæ*, qua homines adulti æquè pollent viribus alios lædendi, & ipſis damnum inferendi, ſi non violentia, ſaltem dolo & fraude.

17. Cave tamen hanc ultimam æqualitatem hic principaliter conſideres, quod fecit Hobbeſius, cum potius debeat occupare locum appendicis.

18. Inter *Chriſtianos* verò huc omninò facit *à lumine Scripturæ* dependens *æqualitas Chriſtianiſmi*, quod v. gr. amici DEI non nobilitate, potentia, aut opibus, ſed pietatis ſinceritate, ad quam omnes æque tenentur, æſtimari debeant, ac in extremo judicio, præmiisque ac pœnis poſtumis nulla ſit ratio habenda eorum, quibus in vitâ humanâ mortales præ aliis ſe efferunt. *o*)

ad §. 14. n) *Hinc proverbium*: An einen Ort gehen / da der Käyſer in Perſon erſcheinen muß.

ad §. 18. o) *Huc pertinet proverbium*: Am Jüngſten Tage gilt eine Handſchrifft ſo viel als baar Geld.

19. Ex his itaque quas hactenus diximus æqualitatibus, potissimum verò ex æqualitate juris oritur *præceptum generale*, officia omnium hominum inter se dirigens: ALIUM HOMINEM TANQVAM ÆQVE HOMINEM TRACTA.

20. Esse verò hoc præceptum in ista classe *generale*, p) non solum ostendent conclusiones reliquorum exinde deducendorum, sed maximopere probat effatum Salvatoris, summam legis officia erga alios dirigentis hanc esse docentis. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

21. Unde quemadmodum cum hâc Christi formulâ nostra fere coincidit, ita affines utrique sunt aliæ ejusdem periphrases, puta: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, item: *Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur*, quamvis non sint ita evidentes, & posterius hoc in jure Romano multò usurpetur angustius. q)

22. Non confundere autem cum eâ, quam hactenus exposuimus, æqualitate debemus *æqualitatem libertatis* seu *potestatis*, per quam hactenus omnes homines naturaliter ita æquales intelliguntur, quod citra antegressum factum r) aut pactum humanum nemo potestatis quid in alterum habeat, sed quilibet suarum actionum & virium sit moderator.

23. Hæc enim æqualitas non est inter omnes homines, sed eos saltem, qui vivunt in statu naturali.

24. Ei vero opposita *inæqualitas*, etsi inter eos potissimum deprehendatur, quos jam suprà vivere diximus in statu civili, non tamen omnis post civitates demum fuit introducta, sed ex parte provenit à statu patrum familiâs, civitates antegresso, ut infrà suo loco demonstrabitur.

25. Hinc

ad §. *20.* p) *vide modo dicta* lit. l.
ad §. *21.* q) *tit. ff. quod quisque juris. Confer suprà l. 1. c. 4. §. 18.*
ad §. *22.* r) *Per* factum *respicio ad patriam potestatem, quæ ex facto educationis oritur, quamvis Dn. Pufend.* III. 2. 9. *facti & pacti vocem videatur synonymicè usurpasse, quia ipse & patriam potestatem ex pacto deducit. Dicemus suo loco.*

25. Hinc suâ sponte fluit, quod præceptum nostrum etiam inter eos, qui quoad libertatem inæquales sunt, obtineat, sunt enim & hi æquè homines inter se.

26. Id tamen notandum, præceptum nostrum inter eos, qui in statu naturali vivunt, plerumque *s*) mutuò producere jus perfectum, inter eos autem, qui vivunt in statu civili, illos, qui imperium habent, obligare saltem imperfectè.

27. Quin & in statu civili officia civium inter se ex hoc præcepto propullulantia sæpius ab imperante pro diversitate utilitatis Reip. limitari solent.

28. Ut igitur eò melius intelligas, quid per præceptum de custodiendâ æqualitate hic inculcetur, resolvemus idem in præcepta *quatuor specialia*, duo negativa, duo affirmativa.

29. Scilicet is æqualitatem observat, qui nec sibi plus quàm alteri, nec alteri minus quàm sibi, *t*) sed æqualia utrobique tribuit.

30. Itaque *primum negativum* præceptum inculcat, ne mihi plus tribuam quàm alteri, quod fit per *superbiam. u*)

31. *Alterum negativum* vult, ut ne alteri minus tribuam, quod fit per *læsionem. x*)

32. *Primum affirmativum*, ut alteri æqualia exhibeam citra pactum, quod fit per *officia humanitatis*.

33. *Secundum*, ut alteri æqualia præstem post pactum, quod fit *servando promissa*. De singulis seorsim.

ad §. 26. s) *Propter officia humanitatis, de quibus infrà c. 5. §. 16.*

ad §. 29. t) *Prius fit per exaltationem sui, posterius per depressionem alterius.*

ad §. 30. u) *Per hanc mihi aliquid appono.*

ad §. 31. x) *Per hanc alteri quid aufero.*

Caput IV.

De

Vitanda superbia.

SUMMARIA.

PRimum præceptum negativum: *VITA SUPERBIAM* §. 1. *Superbia quid?* §. 2. 3. *Quotuplex?* §. 4. 5. 1. *Superbia simpliciter* §. 6. 2. *Stulta superbia* §. 7. 8. 9. 3. *Contumelia* §. 10. 11. *Contumeliæ species* §. 12. 13. 14. 15. *Aliter contumeliæ vox supponitur à JCtis Romanis.* §. 16. *Doctrina de servis naturâ orta ex superbia* §. 17. *Oppositum superbiæ modestia.* §. 18. 19.

§. 1.

IN primo itaque præcepto negativo: VITA SUPERBIAM, *a*) initio ex dictis facile cognosci potest, quid sit *superbia.* Nam sensus præcepti nostri est, ut ne quis, cui peculiare jus non est quæsitum, plus sibi quam reliquis arroget, sed alios æquo secum jure frui permittat.

2. Ergo *superbia* est vitium, quo quis sibi sine justa causa plus tribuit quàm aliis.

3. Uti enim illi ad societatem quam maximè sunt idonei, qvi facile eadem omnibus permittunt, ita planè insociabiles sunt, qui, dum aliis sese superiores existimant, omnia licere sibi solis volunt, omnia sibi ignoscunt, nihil aliis remittunt, & ante cæteros honorem sibi arrogant, partemque præcipuam ex rebus in medio positis, ubi nullo præ reliquis jure eximio pollent, lapidibus asperis & angulosis ad ædificia incommodis, omnino similes.

4. Exe.

ad §. 1. a) *Hoc præceptum sub præcedenti ipse Dn. Pufend. comprehendit* l. 3. c. 2. §. 4. 6. 7.

4. Exerit vero ſuperbia in homine ſe dupliciter, vel *absque*, vel *cum contemtu* aliorum ſignis exterioribus, factis, *b)* verbis, vultu, riſu, dono, *c)* pictura &c. declarato.

5. Utraque, ſed potiſſimum tamen prior vel rationibus quibusdam nititur & *prætextibus*, non juſtis *d)* quidem, ſed ſaltem plauſibilibus, *e)* à virtutibus corporis & ingenii, item honore & divitiis deſumtis, vel ne quidem prætextus allegare poteſt.

6. Differunt hæ ſuperbiæ ſpecies gradibus. *Quæ* prætextus habet, *infimum* gradum obtinet, hominesque non reddit planè inſociabiles, ac ſæpius cæteris paribus *f)* inter homines excuſationem præbet, quam poſſes adeò diſtinctionis gratiâ nominare *ſuperbiam ſimpliciter*.

7. Quæ rationibus omnibus caret, absqve contemtu tamen, *medio* loco eſt poſita, quando quis, cum nihil cogitet ſibi ineſſe meriti, propter quod æſtimetur, gloriam in uſurpatione putat conſiſtere, quaſi qui illius ſibi plus arrogent, ejusdem quoque plus habeant.

8. Hoc vitium tam abſurdum eſt, ut vix credibile ſit, dari, qui ita ſe proſtituerent, ni multi eſſent aſſentatores, qvi vanâ ſuâ laude hebetiores in iſtanc ſuperbiam propellant. Nam & per ſe ſtultum eſt, propter nihil ſe magni æſtimare, & alios omnes pro ſtultis habet, qvi credit, qvod ipſum citrà rationem ſint æſtimaturi.

ad §. 4. b) *Huc etiam refer, ſi detur levior alapa,* Naſenſtüber ꝛc. *Quatenus enim per ea dolor corpori non infertur pertinent ad meram contumeliam, non ad cap. ſeq.*

c) *Vel ratione modi donandi, vel ratione perſonæ, quæ donat aut cui donatur, vel ratione rei quæ donatur.*

ad §. 5. d) *Quia non tollunt æqualitatem humanitatis.*

e) *Comparativè, & quatenus aliorum ſuperbia, major eſt, qui hos prætextus non habent. Vel quia hæ prærogativæ aptitudinem faciunt ad imperandum, etſi jus non tribuant.*

ad §. 6. f) *Si nempe non ſit cum contemtu conjuncta.*

9. Igitur non facile excusationem præbet ut prior species, neqve tamen inter homines pœna in eandem statuta, cum sibi magis qvam aliis noceant, qvi hoc vitio affecti sunt. Unde miseratione potius digni videntur, qvam indignatione, & risum magis aliorum cient qvam iram. Hinc & sæpius aliorum delectationi inserviunt. Posses adeo hoc genus vocare *stultam superbiam*.

10. Sed qvæ insuper alios contemnit, *injuria intolerabilis* est, qvia per eam aliorum animi asperius in iras ac ulciscendi libidinem concitantur, adeo ut multi deprehendantur, qvi vitam malint præsenti periculo exponere, multo magis pacem adversus alios abrumpere, qvàm contumeliam inultam pati. Quippe cum per hanc alter intendat violare existimationem, cujus integritate & vigore omnis animi voluptas constat.

11. Qvapropter, uti hæc superbia, justam belli causam præbet, ita in Civitate justis pœnis coërcetur. Accedit enim quam proximè ad læsionem præcepti seqventis, *g*) & à gentibus communiter peculiaris delicti, *contumeliæ* vel *injuriæ* nomen ipsi est impositum.

12. Posses verò *contumeliam*, abstrahendo à legibus civilibus, *h*) non incommodè distinguere in eam, quæ fit *absque exprobratione defectus* alicujus in altero, ut si qvis variis vultus, manuum, & aliis membrorum corporis figuris alteri illudat; vel quæ alteri *defectus quosdam* vel verbis vel factis, puta habitu, pictura, &c. *exprobrat*.

13. *Posterior* hæc vel exprobrat alteri defectus *naturales*, vel vitia *moralia*.

14. Differunt hæ tres species iterum gradibus, prima *gravis*, altera *gravior* est, tertia *gravissima*.

15. Simul patet vulnerationem, verberationem, occisionem, cum non famam & gloriam per se impetant, magis pertinere ad cap. sequens.

16. Quod

ad §. 11. g) *Quomodo verò differat ab ea*, vide cap. seq. §. 5. & 10.

ad §. 12. h) *Quæ dividunt in realem & verbalem.*

ad §. 15. i) *vide ibi* §. 6. & 11.

16. Qvod vero eædem à JCtis Romanis ad *Injuriam* relatæ fuerint, fortè exinde, factum est, qvod damni per hæc facta dati in libero homine æstimatio non esset ordinaria, adeoque non videretur qvadrare ad actionem Legis Aquiliæ, *l*) veram rerum & communem æstimationem intendentis. Retulerunt ergo ad actionem injuriarum, in qvâ qvoniam existimationis, tanqvam boni extra commercium positi qvasi æstimatio permitteretur actori, non videbatur inconveniens, si simile quid concederetur actori in bono sanitatis & integritatis membrorum læsis.

17. Ex dictis etiam colligitur, merito explodendam illam sententiam, ex Græcis antiquis haustam, qvâ qvidam homines *naturâ servi* statuuntur, *m)* id qvod adversâ fronte cum æqualitate hominum naturali & tranquillitate communi pugnat, qvatenus ii, qvi se natura liberos & sapientes arbitrantur, in servos naturâ tanquam stupidos & barbaros imperium prætendunt.

18. Opposita superbiæ est *modestia*, *n*) semper veræ generositati comes, qvæ consistit in reflexione, qvam facimus super infirmitate naturæ nostræ *o)* & erroribus, *p*) qvos olim potuimus commisisse aut deinceps poterimus committere, qvi non minores sunt iis, qvi ab aliis committi possunt.

19. Per

ad §. 16. l) *Quæ alias cap. seq. damna persequitur.*

ad §. 17. m) *Quamvis enim hæc doctrina Aristotelis communiter exponatur de aptitudine, unde tolerari posset; Græci tamen talem aptitudinem intellexerunt, quæ ipsis tanquam gentibus moratioribus arbitrium & facultatem det illas gentes bello subigendi. Quam doctrinam in exercitium deduxit Aristotelis discipulus Alexander M.*

ad §. 18. n) Humilitatem *appellat Dn. Pufend. Quia tamen superbiæ oppositum describitur, quod per id nos nemini præferamus, & verò humilitas plus intendat, nempe ut alios præferamus nobis, malui termino modestiæ uti. Accedit quod veram humilitatem planè ignoret Philosophia, & ista virtus soli Christianismo videatur esse propria.*

o) *Quod possimus facilè amittere bona corporis & fortunæ & animi naturalia.*

19. Per hanc enim efficitur, ut nos nemini præferamus, reputantes, cœteros æqvè benè suo libero arbitrio ac nos uti posse, cum eo æqvè polleant. Hujus enim legitimus usus unicum illud est, quod homo pro suo reputare possit, & quo sese q) æstimare aut despicere qveat.

CAPUT. V.

De

Non lædendis aliis, & de damno dato resarciendo.

SUMMARIA.

SEcundum præceptum negativum: NEMINEM LÆDE. §. 1. 2. Læsionis ambiguitas §. 3 -- 13. Ex læsione damnum oritur §. 14. unde præceptum: DAMNUM DATUM RESARCI. §. 15. 16. Damni variæ species §. 17 -- 26. Differentia nostri præcepti à L. Aquilia §. 27. 28. Notabilia circa damnum per consequentiam datum §. 29. 30. 31. Damnum dolo §. 32. 33. culpa §. 34. 35. 36. & casu datum §. 37. 38. 39. Damnum causæ sociæ §. 40. 41. Ordo plurium damnum simul dantium §. 42. 43. 44. 45. Differentia inter obligationem ad restituendum damnum & pœnam §. 46. Quænam delicta hoc præcepto censeantur prohibita. §. 47. Obligatio homicidæ §. 48. mutilatoris §. 49. Adulteri & adulteræ §. 50. stupratoris §. 51. furis & raptoris §. 52. Damnum actionum noxalium §. 53.

§. 1. *Alte-*

p) *Quoad bona animi moralia.* ad §. 19. q) *Non alios, unde peccabat Pharisæus. Legitimus verò usus est, si homo se conferat cum bestiis ista libertate non gaudentibus.*

§. I.

ALterum a) *præceptum negativum*, quod ex ſtatu humanitatis & præcepto de cuſtodiâ æqualitatis profluit, eſt: NEMINEM LÆDE.

2. Eſt hocpræceptum uti ambitu ſuo *latisſimum*, b) ita obſervatu *facillimum*, c) quin & maximè *neceſſarium*, d) quod citra illud ſocialis hominum vita nullo modo conſiſtere queat.

3. Cæterum *læſionis* vox eſt ambigua. e) Denotat enim 1. *denegationem juris cujuscunque* alteri debiti etiam ex obligatione imperfectâ, qui tamen ſignificatus eſt abuſivus. f)

4. 2. Sumitur pro *denegatione juris perfecti*, tam ex pacto denegantis nobis debiti, quam ſine eo; ita in contractibus læſio intercedere dicitur.

5. 3. *Pro denegatione juris tantum absque pacto ejus qui me lædit debiti*, ſive hæc denegatio intendat læſionem bonorum, quæ regulariter vi injuſta auferri nequeunt, qualis eſt honor & exiſtimatio mea, ſive eorum, quæ læſioni injuſtæ etiam ſunt obnoxia: ita me lædit, qui me contumelia afficit.

6. 4. Pro *læſione bonorum ſaltem poſterioris generis*, ſive hæc ſint bona corporis, ſive bona fortunæ; Ita vulneratio læſio eſt.

7. 5. Deniqve pro *læſione ſaltem bonorum fortunæ* v.gr. qvando qvis pecudem meam interficit, res alias corrumpit aut eas furto aufert.

8. *Primus ſignificatus* huc non ſpectat, non ſolum qvia abuſivus eſt, ſed & qvia qværimus hic ſpeciale aliqvod præceptum, non generale, tum qvia magis ſpectat ad caput ſequens.

9. Neque *ſecundus ſignificatus* eſt hujus loci, læſio enim, quæ in contractibus intercedit, pertinet ad præceptum de fide ſervanda.

 10. Ter-

ad §. 1. a) *Dn. Pufend. habet pro primo* III. 1. 1.

ad §. 2. b) *Obligat omnes homines.*

c) *Conſiſtit in omiſſione.*

d) *Magis turbat ſocietatem quàm reliqua, v.g. ſuperbia ſimplex, pactorum violatio, omiſſa præſtatio officiorum humanitatis.*

ad §. 3. e) *Harum acceptionum una ſemper eſt latior altera.*

f) *conf. c. 1. l. 1.* §. 152.

10. *Tertium* vero ab hoc capite alienum esse ostendunt ea, qvæ diximus capite præcedenti. *g*)

11. Igitur succedit *quartus*, qvi propriè huc pertinet. Unde sensus præcepti nostri est: *Non corrumpas aut auferas alterius bonum corporis vel fortunæ, quod citra tuum pactum possidet, neve eum in usu ejusdem impedias.*

12. Notanter dico, *quod citra tuum pactum possidet*. Muniuntur enim hoc præcepto non illa tantum, quæ immediatè nobis ipsa natura concessit, uti est vita, corpus, membra, pudicitia, libertas, *h*) sed & idem præceptum se diffundit ad omnia instituta & conventiones, quibus aliquid homini acqviritur, ut sunt regulariter divitiæ, modo non debeantur præcise ex conventione lædentis. *i*)

13. Sed cui usui nunc erit significatus *quintus*? Illum addidi propter *Legem Aquiliam Romanorum*, quæ respiciebat ad solas divitias. Cur non & ad reliqua corporis bona, item ad pudicitiam, ex dictis capite præcedenti *l*) liquet.

14. Ex læsione vero *damnum* oritur, quod adeo hoc loco est *carentia boni alicujus ob alterius factum jure destitutum*.

15. Uti autem omnia præcepta negativa sub se comprehendunt affirmativa, ita & conseqvens præcepti nostri est: DAMNUM DATUM RESARCI.

16. Si enim, ubi de facto qvis læsus fuerit, damnum ipsi gratis sit devorandum, & qvi læsit, fructu suæ injuriæ securè & citra refusionem gaudere qveat, vanum & omnino inutile foret præceptum de non lædendis aliis.

17. Sed damnum varias distinctiones recipit. Est enim 1. vel *positivum*, cum alicui aufero, quod jam ejus est, ut si furtum committo, aut ædes ejus comburo; vel *privativum*, qvando intercipio lucrum, qvod justè sperabat. *m*)

18 2.

ad §. *10*. g) §. 10. & 11.

ad §. *12*. h) *Addit Dn. Pufend. existimationem simplicem, sed hæc pertinet ad caput præcedens.*

i) *Ultima hæc verba etiam non habet Dn. Pufend.*

ad §. *13*. l) §. 15. 16.

ad §. *17*. m) *v. g. hereditatem.*

18. 2. Damnum vel cum *lucro lædentis conjunctum est*, ut in furto, vel *non est* conjunctum, ut in combustione ædium.

19. 3. Damnum datur vel *directo* in ipsa re, vel *per consequentiam*, v. gr. in fructibus rei, &c.

20. 4. Datur vel *dolo* seu ex proæresi, vel *culpa* sive ex omissione diligentiæ debitæ.

21. Et qvidem 5. vel *facto commissionis*, ut in furto, item si ignem supponam rei alienæ, vel *facto omissionis*, ut si ignem non extingvam, aut muniam, cum hæc facere debuissem.

22. 6. Qvoad factum commissionis, vel lædo alterum *immediatè* per meum corpus, ut si manu rem alterius rumpam aut lacerem, vel *mediantibus* aut *causis naturalibus*, ut si gladio, fuste, igne rem alterius perdam, aut *hominibus*, ut si per emissarios ipsum lædi curem.

23. Unde 7. Damnum do vel *solus* vel ut *causa socia*.

24. 8. Eaque vel ut *principalis* vel *minus principalis*, vel *æque principalis*. *n*)

25. Omnia hæc damna hujus loci sunt, & in præcepto de damno dato resarciendo includuntur.

26. Cujus adeo sensus est: *Ut de damno, quocunque modo ex his dato, læso, vel per restitutionem ipsius rei, vel, si hæc fieri nequit, ejus æstimationis cum omni interesse satisfiat.*

27. Unde simul patet nova *differentia ab actione Legis Aquiliæ*. Hæc enim non coercet damnum *privativum*, nisi per consequentiam, hoc est, qvatenus damnum positivum præsupponit. *o*)

28. Deinde nec datur ob damnum, *quod cum lucro lædentis* est conjunctum. Ibi enim jam læso peculiari actione erat prospectum, furti puta, vi bonorum raptorum, interdicto unde vi &c.

 29. Porro,

ad §. 24. n) *Primi exemplum habes in jubente, secundi in exequente, tertii in duobus paribus.*

ad §. 27. o) *Unde dabitur quidem, si servum meum interficias, etiam intuitu hereditatis intercepta. At si tantum absq; damno positivo hereditatem intercipias, dabitur actio de dolo. Neque dabitur, si usufructuarius vites non subseverit.*

29. Porro, ut ad nostri præcepti sententiam recedamus, *de damno quod per consequentiam datur*, in specie notandum, illius æstimationem tum demum præstandam, si probabiliter valde bonum, quod peto, aliàs fuissem consecuturus. Unde servo ab alio herede instituto, eoque, testatore vivente, ab alio interfecto, occisor domino non præstabit æstimationem hæreditatis, præstare vero tenebitur, si mortuo testatore id fecerit.

30. Similiter considerandum est, annon damnum per consequentiam *meæ potius culpæ* annumerandum sit. Unde regulariter, qui furtum frumenti fecit, domino pretium servorum, ablato frumento fame necatorum, restituere non erit obligatus. *p*)

31. *Utriusque requisiti defectus* fortè in isto exemplo latet, si piscator retibus ablatis simul petat æstimationem piscium, quos interim, si retia non fuissent ablata, capere poterat. *q*)

32. Cum vero damnum malitia & *dolo* datum est, insuper is, qui in statu naturali vivit, ad cautionem læso præstandam, in statu civili ad pœnam à principe patiendam est obligatus.

33. In statu tamen naturali & hoc casu ultro resarcitionem offerenti & veniam petenti ea erit concedenda. *r*)

34. Si *culpâ* datum damnum ei, cui ex contractu non obligor, quæcunque culpa mea *s*) fuerit, resarciendum erit damnum.

35. Quod si rem ex contractu detineam, tùm illam saltem culpam præsto, quam natura contractus fert. *t*) Unde si in re depositâ per negligentiam damnum dem, non tenebor, modo eâdem negligentiâ simul perdita fuerit res mea.

36. Accu-

ad §. *30.* p) l. 21. §. 3. ad L. Aquil.

ad §. *31.* q) l. 29. §. 3. eod.

ad §. *33.* r) *Non tamen propterea semper in statu civili remittenda erit pœna.*

ad §. *34.* s) *Etiam levissima.*

ad §. *35.* t) *In contractibus enim quandoque sibi quis imputare debet, qui cum negligente contraxit. Ubi vero quis in re mea citra contractum damnum dat, nihil est quod mihi imputetur. Accedit, quod in contractibus, in quibus non omnis culpa præstatur, Dominus rei ex contractu utilitatem sentiat.*

36. Accuratè enim loquendo, factum hoc meum tùm non est culpa, quia in deposito majorem diligentiam alienis rebus non adhibere teneor, quàm adhibeo rebus meis.

37. *Casus* autem, hoc est, si nec ex proæresi damnum datum sit, neque per omissionem diligentiæ debitæ, non præstatur, sed hunc, ut in proverbio est, sentit dominus.

38. Unde non opus erit limitationem Doctorum addere, quod tenear præstare *casum, quem culpa mea, vel dolus praecessit*, ut si rem apud me depositam invito Domino aliunde transferam, eaque à latronibus mihi auferatur. Hic enim non casu, sed culpâ meâ domino rei damnum datur, non enim debuissem rem depositam aliò transferre.

39. Quod si tamen pauper à locuplete per casum fortuitum sit læsus, *u*) liberalitati ipsius congruum erit, miserum aliquo beneficio solari. Sed hæc obligatio pertinet ad caput seqvens.

40. Ut verò quis teneatur ad damnum resarciendum tanquam *causa socia*, necesse est, ut revera causa damni fuerit, & momentum attulerit ad totum damnum aut ejus partem.

41. Igitur ubi quis ad ipsum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operæ non contulit, neque, ut iste susciperetur, antecedenter effecit, neq; in partem emolumenti venit, is, licet occasione istius actus aliquo peccato obstringatur, ad restitutionem tamen damni non tenebitur. Huc pertinent qui v. gr. alienis malis *lætantur*, qui perpetratum damnum *laudant, excusant*, qui antequam fiat, *optant*, dum fit, *favent* aut assentantur. *x*)

42. Ex his, qui *in impari gradu* damnum dederunt, *primò* ad damnum resarciendum obligantur illi, qui principaliter id produxerunt, *his deficientibus* ii qui concurrerunt.

43. Adeoqve *primo* loco tenentur, qvi *imperio* aut alio modo ad necessitatem accedente ad factum impulerunt. *Patrator* facinoris, cui ministerium detrectare non licuit, *instrumenti* saltem ratio-

ad §. *39.* u) *v. g. si dives, quem aggreditur alter, dum se defendere vult, adstantem pauperem lædat.*

ad §. *41.* x) *Possunt tamen & hi puniri per* §. 46.

rationem habebit. Qui *citra necessitatem* ad facinus accessit, ipse *primo* loco tenebitur, tum cæteri, qui ad facinus aliquid contulerunt.

44. Quod si à pluribus *in eadem causarum classe* constitutis idem actus profectus fuerit, in *actibus individuis*, ut sunt incendium, perfossio aggeris & similes, singuli tenebuntur in solidum, *y*) in *dividuis*, ut fit in vulneratione, singuli pro eo quod fecerunt, sunt obligati, *z*) sive utrobique cum conspiratione, sive citra eandem plures aliquod facinus perpetraverint. *a*)

45. Si tamen ab uno illorum qvi inæqualiter tenebantur, vel qvi singuli obligati erant in solidum, damni reparationem consecutus fuerim, reliqvi liberantur, repeto enim hic rei meæ æstimationem, qvam si habeo, non possum ab alio idem bis petere.

46. Unde inter obligationem ad resarciendum *damnum*, & *pœnam*, multæ intercedunt differentiæ, cum ea, quæ hactenus diximus, in pœnis ferè se habeant aliter, ut in qvibus v. gr. laudatores & assentatores delicti pœnâ coerceri possunt, & sæpius æqvali pœnâ notantur, qvi impari gradu damnum dederunt, & deniqve per pœnam unius reliqvi non liberantur, de qvibus suo loco.

47. Igitur per nostrum præceptum prohibita sunt quævis crimina, quibus aliis noxa infertur, ut sunt *cædes, vulneratio, verberatio, rapina, furtum, fraus, vis*, item suo modo, & qvatenus *pudicitia* læditur, ac maritus alienæ prolis educatione oneratur, *stuprum*

ad §. 44. *y*) *i. e. si reliqui non facilè conveniri possint, vel non sint solvendo, unus ex his tenetur damna data resarcire. Nota tamen, abstrahendo à Legibus Romanis, unius solutione reliqui liberantur, quia hic quærimus saltem de restitutione damni dati. In jure Romano vero actio simul est pœnalis.*

z) *Ita ut v. g. qui fregit crura, non debeat præstare damnum quo alter vulneravit brachium. Ita & Romani eum qui vulneraverat, cum alter occidisset, non conveniebant de servo occiso.*

a) *Hanc distinctionem adhibet Dn. Pufend*, III. 1. 5. & de O. H. c. 6. §. 8.

prum & *adulterium.* Etsi ex dictis facilè ratio dari possit, cur pleraq; horum non coerceat lex Aqvilia. *b*)

48. *Homicida* justas tenetur impensas in medicos factas, & iis, quibus alimenta debebantur à defuncto, spem alimentorum, solvere, *c*) Lucri verò, quod occisus facere poterat si vixisset, tanquam omninò incerti, hic non habenda erit ratio, uti nec vitæ in libero homine, bene tamen in servo.

49. *Qui mutilavit*, similiter tenebitur ad impensas in vulnus curandum factas, & æstimationem ejus, quod jam, qui mutilatus est, minus lucrari potest, *d*) quanquam & hic, si accuratè velis loqui, abstrahendo à legibus civilibus, non tam lucrum futurum tanquam res incerta æstimari debeat, quam alimenta læso per vulnerationem, ne ipse in posterum de iis sibi prospicere possit impedito, suppeditari. *e*)

50. *Adulter* & *Adultera* indemnem debent præstare maritum, de alendâ prole adulterina, non tamen, ut puto, legitimis liberis rependere, *f*) si quod damnum patiuntur ex concursu ita susceptæ sobolis ad hæreditatem, etiamsi abstrahamus à dispositione legum civilium, circa successionem liberorum adulterinorum, in bonis parentum; qvia partim hoc damnum non sentiunt ab adultero, sed à voluntate parentum, partim, qvia ita liberis legitimis saltem intercipitur lucrum futurum, maximam partem incertum.

51. *Qui*

ad §. 47. b) Conf. supra §. 13. & c. præced. §. 15. 16.

ad §. 48. c) *Sed hæc spes æstimanda arbitrio judicis pro ætate defuncti atque eorum, quibus alimenta debentur, & intuitu viduæ, donec ad secundas nuptias pervenerit.*

ad §. 49. d) *Ita Dn. Puf.* III. 1. 8.

e) *Unde v. g. alimenta solvenda scribæ, si manibus sit vulneratus, tabellioni, si pedibus.*

ad §. 50. f) *Dissent. Dn. Pufend.* III. 1. 9. *cujus rationes, petitæ ex pacto matrimonii, videntur paululum longius quæsita esse, & pugnare cum natura pactorum in genere, cum pacta matrimonii sint inter maritum & uxorem, quorum respectu liberi sunt extrà pacta. Igitur mihi quidem placet sententia Ziegleri, contra quam ibidem disputatur.*

51. *Qui virginem imminuit*, vi aut fraude, tenetur ei rependere, qvanti minoris jam ipsi defloratæ valet spes nuptiarum, qvod fit, si aut ducat aut dotet. Qvæ ultro in meram libidinem consensit, habet qvod sibi imputet. Qvod si qvis virginem pactione matrimonii ad concubitum pellexerit, non ducere qvidem eam tenebitur, g) sed in statu naturali jam duxit.

53. *Fur* & *raptor* tenentur rem subtractam reddere, cum suo incremento naturali h) & cum sequente damno & cessante lucro probabili, i) etiamsi pœnam insuper furti aut rapinæ nomine cogantur sustinere. l)

53. De Damnis insuper à *servis* vel *animalibus nostris* datis citra culpam nostram, leges Romanæ *actiones noxales* dabant, qvæ, etsi ex nostro præcepto non fluant, propterea tamen pro meris inventis juris civilis non erunt habendæ, sed nituntur omninò æqvitate de præstandis officiis humanitatis. De qvibus statim.

Caput. VI.

De

Promiscuis Officiis Humanitatis.

SUMMARIA.

P*Ræceptum primum affirmativum; ALTERIUS HOMINIS UTILITATEM, QUANTUM COMMODE POTES, PROMOVE.* §. 1. *quod deducitur ex socialitate* §. 2. *& custodia æqualitatis* §. 3. *& ostenditur esse absolutum* §. 4. *& locum etiam habuisse ante Dominia destincta.* §. 5 -- 10. *An & in statu integritatis?* §. 11. -14. *Præ-*

ad §. 51. g) *Ut vult Dn. Pufend.* III. 1. 10. *ubi simul respondet ad objectionem de turpitudine pacti.*

ad §. 52. h) *v. g. cum vitulo.*

i) *v. g. hereditate, quam servus adire debebat.*

l) *Unde notatur mos judiciorum, ubi judices rem furtivam retinent.*

-- 14. *Præceptum hoc inter eos, qui in statu naturali vivunt,* §. 15. *producit obligationem imperfectam* §. 16 -- 19. *quandoque tamen perfectam* §. 20. 21. 22. *In statu vero civili obligatio diverso respectu imperfecta & perfecta est* §. 23. 24. 25. *Officia humanitatis sunt vel indefinita* §. 26 -- 29. *vel definita* §. 30. *Hæc* vel vulgaria, *quorum denegatio inhumanitas dicitur* §. 31 -- 33. *eorum præstatio autem fit in rebus innoxiæ utilitatis* §. 34. *Huc pertinent quæstiones* (1) *de transitu personarum* § 35 -- 37. (2) *de transitu mercium* §. 38. 39. (3) *de vectigalibus* §. 40. 41. (4) *de accessione ad littus, &* (5) *de admissione peregrinorum* §. 42. (6) *de receptione expulsorum* §. 43. (7) *de commerciis* §. 44. (8) *de admissione ad matrimonia* §. 45. (9) *de exclusione unius à re ad quam alii admittuntur* §. 46. vel beneficia §. 47. 48. *quibus correspondet gratitudo* §. 49. 50. 51. *Ingratitudo vel simplex vel prægnans* §. 53 -- 55. *An detur actio ingrati?* §. 56. 57. 58.

§. 1.

TErtium præceptum *speciale* ex statu humanitatis & lege de custodiendâ æqualitate descendens, inter duo *affirmativa* verò *primum* est; ALTERIUS HOMINIS UTILITATEM, QUANTUM COMMODE POTES, PROMOVE. *a*)

2. Socialitati enim in totum non satisfacit, qui tantum abstinet à læsione alterius, & ne alteri malè sit, sed tùm demum vita beata est & tranqvilla, si procuremus mutuo, ut nobis sit benè.

3. In specie verò *custodia æqualitatis* hominem huc ducit. Cum enim homo desideret non solum ea, sine quibus subsistere non possit, sed & aliis opus habeat, ut commodè vitam transigat, ea verò sine ope aliorum conseqvi neqveat, neqve aliqvorum saltem, sed indistinctè qvorumlibet, etiam vilium aliàs, operæ indigere possit; peccaret in æqualitatem, si non ipse etiam, quod

ad §. *1.* a) *Conf. ad hoc totum caput Pufend.* lib. III. cap. 3.

ab aliis indiſtinctè poſtulat, aliis indiſtinctè iterum præſtare ſit paratus.

4. Retuli verò hoc præceptum inter *abſoluta*. Neqve te turbet, qvod pleræqve qvæſtiones ſpeciales præſupponant diſtinctionem dominiorum, omnis autem obligatio diſtinctionem dominiorum ſequens, ut infra *b*) docebimus, pertineat ad præcepta hypothetica.

5. Qvicqvid enim hujus ſit, id tamen certum eſt, præceptum noſtrum, quoad primam originem, in *ſtatu poſt lapſum etiam, ante diſtinctionem dominiorum* habuiſſe locum, ut adeò ſubſecutâ dominiorum diſtinctione novæ qvidem concluſiones acceſſerint, ſed ex iisdem tamen principiis ut antè deducendæ.

6. Nimirum promovetur alterius commoditas vel *re meâ, c*) vel *operis meis*.

7. His quidem vel *intuitu rerum ejus*, ut ſcilicet operis meis vel *augeantur, d*) vel *conſerventur. e*)

8. Vel *ſine reſpectu ad res ejusdem*, partim ut ſuccurram ipſi *adverſus injurias aliorum, f*) partim ut ſubſidia feram ipſi, in *corrigendis defectibus propriis*.

9. Sunt autem defectus illi vel *corporis*, ut conſilia ſuppeditem ſuſtentandi ſanitatem ejusdem, *g*) vel *animi*, ut ea qvæ neſcit doceam, aut aliis modis imperfectionibus *intellectus* ejus ſuccurram, *h*) tum à *peccatis* eum avocem, *i*) aut ſi peccatum ſit, amicè emendem.

10. Jam

ad §. 4. b) cap. 10.

ad §. 6. c) *commodando, mutuo dando, donando &c.*

ad §. 7. d) *in mandato, locatione operarum &c.*

e) *iterum in mandato, locatione & depoſito potiſſimum.*

ad §. 8. f) *Per defenſionem & tutelam, quorſum adhuc hodiè inclinant fœdera Principum pleraq;.*

ad §. 9. g) *per medicinam vel certè per conſilia medica, præſcriptionem diætæ &c.*

h) *Si doceam, quomodo præjudicia ſint abjicienda, & in genere quomodo ſit ratiocinandum, aut quomodo debilitatibus judicii, ingenii, memoriæ debeat ſuccurrere.*

i) *per adhortationem ad virtutem &c.*

10. Jam facilè patet, officia hæc humanitatis, qvando commoditas alterius operis meis sine respectu ad res ejusdem promovetur, etiam ante distinctionem dominiorum habuisse usum.

11. In *statu itaqve post lapsum* semper & fuit & est hujus præcepti usus fertilissimus. Cæterum utrum & in *statu integritatis* locum vindicasset sibi, non ita facilè definietur.

12. Nam qvod attinet officia, quibus alteri re meâ aut operis meis ad conservandas & augendas res ejus proprias succurro, illa exulassent credo à statu, in quo ob summam amicitiam nil nisi communio perpetua erat futura, ut infra *l*) demonstrabitur fusius.

13. Reliqva vero, qvibus alteri absqve intuitu rerum succurro, officia, ut ex exemplis modo allatis patet, præsupponunt imperfectionem physicam, aut moralem, vel in eo cui officia præstantur, vel in aliis: quales imperfectiones in statu isto perfecto omninò abfuissent.

14. Nisi fortè ad ejusmodi officia velis recurrere, quorum desiderium non adeo magnam imperfectionem involvit, v. gr. ut erranti viam commonstrem, *m*) ut lumen de lumine meo accendam *n*) &c. Quamvis & de his sit cogitandum ulterius.

15. Exerit autem se præcepti nostri efficacia aliter inter eos, qui in *statu naturali* vivunt, aliter inter eos, qui degunt in *civili*.

16. Inter *illos regulariter* producit *obligationem imperfectam* saltem, & hoc modo à reliquis præceptis omnibus differt, unde etiam

Cc 2

ad §.12. l) cap. 10.

ad §.14. m) *videndum tamen, an in statu integro homines non habuerint facultatem divinandi, aut an ibi peregrinationes fuissent?*

n) *Quod quis apprehendendo, sibi appropriaverit.* vid. c. 10. §. 76. & 82. *Quanquam & hic fortè dici possit, lumen istud fuisse proprium factum intuitu consumtionis, mansisse commune intuitu accensionis. Videndum etiam, an in statu integritatis futuræ fuissent tenebræ?*

iam, qui adversus hoc præceptum peccat, *inhumanus*, non *injustus* dici consvevit.

17. Cum enim hoc præceptum jubeat sæpissimè, alterius utilitatem tantum, non necessitatem promovere, & talem quidem, cujus defectum, si unus nolit, facilè alii possint supplere, inde non opus erat, ut singuli homines obligarentur perfectè, sed magis erat gloriosum & ad eliciendum amorem aliorum, ac declarandum amorem proprium, magis aptum, ut relinqueretur pudori hominum præstatio talium officiorum, ad quæ ab altero cogi non possent.

18. Accedit quod in iis officiis, quæ cum labore nostro aut detrimento aliquo sunt conjuncta, non opus sit semper propriam commoditatem postponere alienæ, sed hic sæpius valeat regula vulgata: quod recta charitas incipiat à se ipsâ. Jam cum quilibet in statu naturali propriorum commodorum sit justissimus arbiter, non poterat sine turbâ totius humani generis alteri officium petenti, adversus denegantem, & ad propriam utilitatem provocantem, concedi remedium coactivum.

19. Et qvid verbis est opus? ipsa *æqualitatis custodia* inculcat, præceptum hoc regulariter nonnisi imperfectè obligare. Quoniam enim ad hujusmodi officia exhibenda indistinctè omnes homines ob communem statum humanitatis obligantur, non observata fuisset æqvalitas, si in causa communi absque sufficienti ratione *o*) indigens unum præ reliqvis eligere & ad hæc officia exhibenda præ reliqvis voluisset cogere.

20. Cæterum hæc ita procedunt *regulariter*. Nam poterit etiam inter eos, qui in statu naturali vivunt, contingere, ut obligatio ad officia humanitatis præstanda evadat perfecta. Sed quando? Responsio in promptu est, si cessent rationes modo dictæ, quæ inefficacis obligationis causæ sunt.

21. Inde ut *perfectè* quis obligetur, tria constituenda erunt requisita (1.) ut is qui officium humanitatis postulat, absqve ejus

ad §. 19. o) Qualis est in cap. seq. pactum, ne ex eo des instantiam.

ejus consecutione sit *interiturus*, (2.) ut non æque *ab aliis* hominibus possit ea, qvæ desiderat conseqvi, (3.) ut is à quo officium exigitur, non sit in *pari necessitate* constitutus; Atque hoc est quod suprà *p*) diximus, summam necessitatem officia humanitatis mutare in jus perfectum.

22. Exemplum cape. Fingamus duos Patres familiàs diversæ nationis, nullaqve ratione particulari se attingentes, & solo humanitatis vinculo ligatos in regionem desertam per naufragium ejici, simul verò ejici res uni saltem proprias ad vitam & suam & socii sustentandam abunde sufficientes; Tum sanè hic perfectè obligabitur socio de abundantia suâ succurrere.

23. Atqve hæc de statu naturali. In *statu Civili* autem ea, qvæ hactenus diximus, in universum non procedunt. Sed hic qvidem *superiores* ab inferioribus hæc officia jure perfecto postulant, qvanqvam accuratè loqvendo, tum nec sint amplius officia humanitatis, quia non ex communi humanitatis statu, sed ex statu speciali subjectionis, qvi plerumqve pactum speciale præsupponit, fluunt, & jure imperii postulantur.

24. Qvod vero *subjectos inter se relatos* attinet, retinent hæc officia eorum respectu suam naturam, ita tamen, ut imperans ob utilitatem communem possit & hic per legem ei, cui ejusmodi officia debentur, actionem in certis casibus concedere, *q*) aut alio modo *r*) debentem officia ad eorum præstationem adigere, qvamvis tunc iterum nomen officiorum humanitatis amittant.

25. Deniqve qvod officia humanitatis spectat, qvæ *subjecti ab imperante* qvà tali exigunt, ea quidem naturam communem intuitu obligationis imperfectæ retinent, sed in eo tamen à reliqvis officiis imperantis *s*) non differunt, cum subjectis, quà talibus, adversus imperantes, nulla planè potestas cogendi competat.

Cc 3 26. Ha-

ad §. *21.* p) cap. 2. hujus libri §. 180.

ad §. *24.* q) vide cap. præced. §. ult. ubi exemplum.

r) *Si injungat v. g. per modum præcepti dationem eleemosynarum.*

ad §. *25.* s) *v. g. ex cap. præced. & sequente ortis.*

26. Hactenus de officiis humanitatis in genere. *Divisionem* eorundem simul tradidimus suprà, *t*) sed obiter & tanquam aliud agendo. Distinctiorem meditationem meretur alia, priori illi non multum absimilis. Officia humanitatis exhibentur vel *indefinitè*, & sine respectu ad certos homines, vel definitè, certis hominibus utilitatem procurando.

27. *Indefinitè* aliorum commodum promotum it, qvi animam ac corpus probè excolit, ut utiles abs se actiones in alios proficisci qveant, aut si per solertiam ingenii talia inveniat, quibus vita humana reddatur instructior. *u*)

28. Unde contra hoc officium *peccant*, qvi nullam artem honestam addiscunt, animamqve pro sale habent, ne putrescant, numerus tantum & fruges consumere nati, & id farinæ alia otiosa terræ pondera.

29. Viciſſim illis, qvi de mortalium genere benè mereri instituunt, cæteri hoc *debent*, ut ipsis ne invideant, nec præclaris eorundem cònatibus remoram injiciant. *x*) Tum, si alia non sit via, paria cum ipsis faciendi, saltem celebritatem memoriæ, famæqve eorum, qvi præcipuus laborum fructus est, promotum eant.

30. *Definitè* aliorum utilitati inservimus vel *absque detrimento* aut molestiâ nostrâ, vel *cum impensâ* aut operâ laboriosâ. Illud *vulgaris humanitas* dicitur, hoc *beneficium*.

31. Qvod *vulgarem humanitatem* concernit, id axioma de eâ venit notandum: *Qui eam denegat alteri vel invidet, insigniter malus & inhumanus habetur.*

32. Cujus is est sensus, qvod eo ipso se reddat indignum, cui officia humanitatis iterum exhibeantur.

33. Cave

ad §. *26*. t) §. 6. seq.

ad §. *27*. u) *vide* cap. 2. hujus libri §. 61. seqq. *Unde pertinet hoc præceptum simul ad cap. istud 2. vel declarat potius, quoniam omnis obligatio hominis intuitu sui ipsius ad socialitatem respicit, ad quod præceptum speciale ea pertineat, nempe ad præsens caput.*

ad §. *29*. x) *aut eos pro more seculi nostri, statim tanquam novatores traducant.*

33. Cave tamen putes, dum vocem insignis malitiæ audis, ac si propterea in statu naturali extra casum necessitatis, ab eo, cui vulgarem humanitatem negavit, qvis possit bello peti; hoc enim repugnat iis, qvæ de officiis humanitatis in genere docuimus modo, *y*) etsi, ut iterum ex dictis patet, in civitate ejusmodi inhumanitas pœnis coërceri possit.

34. Qvæ verò sic præstantur officia, vocari solent *res innoxiæ utilitatis*, qvalia sunt erranti comiter monstrare viam; lumen alteri de suo lumine accendere; concedere haustum aquæ; integram rem qvam solus consumere neqveo, relinqvere aliis &c.

35. Ab his observationibus *z*) dependet definitio variarum *controversiarum*, à scriptoribus Juris Naturalis passim agitatarum. I. de *transitu* per nostrum territorium, tam terrestre, qvam maritimum. De hominibus singulis & paucis, ferè non est dubium, qvod eis ex justa causa transitum petentibus, illum denegare velle maximè inhumanum sit. De magno exercitu, aut aliàs *majoribus copiis*, res non caret controversiâ.

36. Videtur tamen hic subtiliter magis qvàm utiliter disputari. Nam exempla in hac qvæstione adducta *a*) casus referunt, necessitatem summam haud præsupponentes. Ergo, etiamsi in illis transitus petentibus inhumaniter fuisset denegatus, modo denegationi non addita esset contumelia, nullam illi habuissent belligerandi causam.

37. At nec inhumanitatis denegantes poterunt argui, si prætendant, non innoxium sibi fore hunc transitum, cum cautiones, qvas communiter hic suppeditant, non sint sufficientes. *b*)

38. Similis est ratio II. *transitus mercium* alienarum per terras nostras, nisi sint ad vitam sustentandam summè necessariæ. Hoc enim casu, si qvis eum deneget, jure belli parari poterit.

39. Alia

ad §. 33. y) §. 16. seqq.

ad §. 35. z) *quæ scil. notavimus* §. 32. & 33.

ad §. 36. a) *à Dn. Pufend.* III. 3. 5. circa finem.

ad §. 37. b) *Potissimum, si belli gratia transitus petatur. Vide Puf.* d. §. 5. *ubi ipse respondet* p. 288. seqq.

39. Alia eſt ratio *juris ſtapulæ*, vi cujus etiam citrà neceſſitatem ſummam ſine læſione humanitatis tranſeuntes adigi poſſunt, ut ſiſtantur in terra noſtra &c. *c*)

40. III. Qvod *vectigalia*, eorumqve juſtitiam attinet, ratio in aprico eſt, cur ex mercibus, qvæ terreſtri itinere transvehuntur, aliqvid vectigalis poſſit exigi, neqve obſcura eſt ratio vectigalium in fluminibus exigi ſolitorum. *d*) Sed in fretis difficilior eſt inſpectio.

41. Nam qvamvis & pro his rationes non omninò contemnendæ poſſint afferri, fatendum tamen eſt, ejusmodi vectigal maritimum reliqvis longè odioſius, adeoque moderatè & citrà avaritiam tractandum eſſe; ac præterea facilè unum vel alterum tales afferre rationes poſſe, unde ſe ab iſto vectigali exemtum prætendat.

42. Illos verò indiſtinctè pro inhumanis habere nequeo, qvi IV. prætervehentibus *acceſſionem ad littus* & commorationem ibidem denegant, aut V. *peregrinos admittere* & hoſpitio comiter excipere nolunt, ſi modo ſimilia à peregrinis non petant ipſi. *e*) Poſſunt enim utrobiqve adeſſe non contemnendæ denegati acceſſus rationes.

43. Multo minus VI. inhumanitatis indiſtinctè accuſari poterunt, qvi ſedibus ſuis *expulſos*, etiam conditiones æqvas offerentes, *recipere* detrectant, qvia ejusmodi receptio non eſt vulgaris humanitas, ſed beneficium. *f*) Neqve adeò ea tanqvam ex jure ſtricto debita peti, neqve territorium alienum etiam à cultura vacuum inſalutato domino invadi juſtè poterit.

44. Nec

ad §. 39. c) *Non opus eſt, ut hanc ſententiam probemus. Sufficit, quod nullum argumentum poſſit proferri, unde probetur inhumanitas.*

ad §. 40. d) *Propter damna, quæ regulariter ex fluminibus patiuntur vicini, aut impenſas in aggeres.*

ad §. 42. e) *aliàs peccant in jus æqualitatis.*

ad §. 43. f) *Fit enim regulariter cum noſtro incommodo.*

44. Nec VII. officia humanitatis violasse censendus est, qui cum alio populo *commercia exercere* detrectat, sive illum ab emtione rerum suarum ipsi ad vitam non necessariarum arceat, sive ab eo res emere nolit, adeoq; non permittat, ut in territorio suo venum exponantur.

45. Nec VIII. inhumani titulum meretur, qui vel cum privato, vel cum integro populo amicitiam *matrimonio* nectere non vult. Igitur sola denegatio matrimonii nunquam justa belli causa erit, nisi eidem juncta fuerit contumelia. *g*)

46. Id verò IX. valdè improbabile, jus aliquod omnibus commune, adeoq; & obligationem ad aliquid omnibus præstandum oriri ex suppositione, si qvid *promiscuè omnibus externis indulgeatur*; *h*) tùm enim, si unus ab hâc indulgentiâ excludatur, ei contumeliam fieri. *i*) Non negandum tamen, consultius esse, si in ejusmodi denegatione rationes addantur, vel certè denegationis verba ita temperentur, ut nulla sub iis contumelia latere possit.

47. *Beneficium* est, siquis ex singulari benevolentia & propria generositate, vel ex singulari affectu, vel ex commiseratione conditionis alienæ, gratis quid in alterum conferat, impensa aut opera laboriosa constans, quo ipsius necessitatibus subveniatur, aut insignis quæpiam utilitas eidem concilietur.

48. Quæ verò in dispensatione beneficiorum tùm intuitu dantis, & accipientis, tùm intuitu modi aut aliarum circumstantiarum *l*) observanda sint, & ab aliis jam fusius traditum est, &

Dd propter

ad §. 45. g) *Huc pertinet raptus Sabinarum & Benjaminitarum.*

ad §. 46. h) *v.g. commercia, matrimonia.*

i) *Adeoque bellum inde dari, cum contumelia illata belli causam præbeat.*

ad §. 48. l) *Loci & temporis. Ut non publicè detur beneficium sed privatim. Bis dat qui citò dat. Huc pertinent Senecæ libri de beneficiis, ubi quidem fusius, sed & sæpè confusius tractat dignissimam hanc doctrinam. Tentavi eam ex fundamento, sed breviter & succinctè proponere* in der Einleitung zur Sittenlehre c. 6. n. 52. seqq. usque ad n. 81.

propter nimiam circumstantiarum varietatem exactis regulis determinari nequit.

49. Uti verò homines ad humanitatis officia exhibenda mutuo generatim sunt obligati, ita major obligationis gradus est in eo, cui non vulgaris humanitas, sed beneficium est exhibitum. Vocatur enim hæc præstatio in specie *gratitudo*, quæ adeò beneficio ex adverso respondet.

50. Est autem *gratitudo*, cum is qui beneficium accepit, ostendit, istud sibi acceptum fuisse, dantiqve eam ob causam favet, & occasionem quærit, paria reponendi aut amplius, quantum ejus fieri potest.

51. Hujus virtutis tanta est *necessitas*, ut si absque ea foret, omnis tolleretur inter homines beneficentia & fiducia, unaqve omnis benevolentia, neq; esset inter eos quicqvam gratuitæ opis, nec ullum gratiæ conciliandæ initium.

52. Unde etsi in animo *ingrato* per se nulla sit injuria, *m*) fœdius tamen & magis detestabile habetur nomen ingrati, quàm injusti, cum quis ne beneficiis quidem, quæ etiam bruta demulcent, *n*) moveri potest ad concipiendum humanitatis sensum.

53. Est autem *ingratituto* duplex, *Simplex* una, quæ denegat saltem officia humanitatis, altera *prægnans*, quæ insuper beneficum lædit.

54. *Simplex* vel denegat officia humanitatis vulgaria, vel beneficia. Illam *eminentem* vocabimus; hanc *vulgarem*.

55. *Prægnans* ingratitudo uti causam belli præbet, ita nullum est dubium, quin in civitate pariat actionem. Vel potius actionem jam competentem aggravat. *o*)

56. De

ad §. 52. m) Conf. suprà §. 31. & 33.

n) *Exemplo Leonis & Androcli. Non tamen exinde sequitur, quod bruta habeant sensum & memoriam. Non magis, quàm quod in ipsa cadat virtus gratitudinis.*

ad §. 55. o) *Ut in actione injuriarum, si quis parentes, patronos injuria affecerit.*

56. De *Simplici*, quæ belli causa non est, quæritur, an ob eam actio dari possit? Non facilè concedendam esse arbitror. *p*) Concedi tamen posse, imò & apud quosdam populos concessam fuisse, non est dubium. *q*)

57. Scilicet si simplex ista ingratitudo sit *eminens*, in vulgari enim & hoc vix procedet.

58. Sed & id notes, si occasione eminentis ingratitudinis actio concedatur, tunc exhibitionem officiorum humanitatis vulgarium beneficio factam amittere nomen gratitudinis.

CAPUT VII.
De
Officio Paciscentium.

SUMMARIA.

SEcundum Præceptum affirmativum: FIDEM IN PROMISSIONE DATAM SERVA §. 1. *Necessitas pactorum inter homines* §. 2. *& inde ortæ obligationis* §. 3. *Pactum quid?* §. 4. *vel gratuitum vel mutuum* §. 5. *Causa pacti consensus,* §. 6. *qui resolvitur 1. in promissionem.* §. 7. *Hæc vel perfecta vel imperfecta* §. 8. 9. 10. *Nuda assertio* §. 11. 2. *in acceptationem* §. 12 -- 16. *Consensus vel expressus* §. 17. 18. *vel tacitus* §. 19. 20. *qui non confundendus cum consensu præsumto* §. 21. 22. 23. *Differentia consensus taciti & præsumti* §. 24. -- 33. *Personæ quænam ad pacta incapaces?* §. 34. -- 36. *Consensus opposita* §. 37. I. *Error* §. 38. *qui semper in dubio erranti debet nocere* §. 39. -- 48. II. *Dolus* §. 49. 50. 51. III. *Vio-*

ad §. 56. p) *Seneca in libr. de beneficiis negat dari posse actionem ingrati, quem oppugnavit peculiari dissertatione Bœclerus, subinde tamen injuriam simplicem cum prægnante & alia hic distincta confundens.*

q) *Vide exempla subinde apud Declamatores Quintil. Senecam &c.*

III. *Violentia* §. 52. IV. *Metus vel suspicax* §. 53.54.55. *vel terrens* §. 56. -- 59. *An quis obligetur metum injustè incutienti?* §. 60. -- 77. *Promitti possunt ea, quæ sunt in nostris viribus* §. 78. *unde nemo tenetur ad impossibilia* §. 79. -- 84. *aut turpia* §. 85. -- 89. *aut aliena* §. 89. -- 97. *Promittitur vel purè, vel in diem, vel sub conditione* §. 98. -- 113. *Promittimus vel ipsi vel per alios* §. 114. -- 120. *Divisio pactorum differtur* §. 121.

§. 1.

QVartum præceptum speciale ex statu humanitatis descendens, & ex *affirmativis secundum* est: FIDEM IN PROMISSIONE DATAM SERVA. *a*)

2. *Necessarium* fuisse, pacta inter homines oriri, inde liquet, quod officia humanitatis, & eorum præstatio ad illa omnia, quæ homines ab se invicem utiliter expectare possunt, accommodari neqveat, ob conditionem partim ejus, qui utilitatem exhibere debebat, *b*) partim hujus, qui eam expetit, *c*) partim rei, *d*) quæ desideratur. Accedit, qvod, si in statu corrupto semel bellum inter homines ortum sit, non nisi per promissiones id iterum componi possit.

3. Cum vero maximè eum in finem ineantur pacta, ut quis alterum sibi perfectè obliget, quem alias ex solo capite de præstandis officiis humanitatis imperfectè obligatum habebat, & porrò indefinite cum quibusvis hominibus pacta ineamus; perspicuum est, & *tranquillitatem generis humani*, & in specie *custodiam æqualitatis* postulare, ut fides data in pactis servetur.

4. *Pactum* est duorum in idem placitum de dando aliquo vel faciendo consensus.

5. Est-

ad §. 1. a) Junge huic §. seqq. Puf. lib. 3. c. 4.

ad §. 2. b) *Poterat enim ipse indigere vel ipsius rei, vel pretii pro re vel opera.*

c) *Cui fortè non convenit, ab altero accipere beneficium.*

d) *Si sit pretiosa.*

5. Estque vel *gratuitum*, cum unus duntaxat se obstringit, vel *mutuum*, cum uterque.

6. *Causa* proxima constituendi pactum est *consensus*, isque mutuus, etiamsi ipsum pactum non sit mutuum.

7. Vocatur autem ex parte ejus, qui se obstringit, *promissio*, ex parte alterius, *acceptatio*.

8. *Promissio* est vel *perfecta* vel *imperfecta*. e)

9. *Perfecta* est declaratio voluntatis, quod alteri ita obligari velim, ut ipsi liceat rem promissam tanquam debitam à me exigere.

10. *Imperfecta* est declaratio voluntatis, quod alteri velim obligari, ita tamen ut ipsi non liceat debitum à me exigere, quales sunt promissiones patronorum. *f*)

11. Cum neutra harum confundenda est *nuda assertio*, quando declaro *g*) alteri meam voluntatem, quam in præsenti habeo, de commodis ejus promovendis, ita tamen, ut ne quidem ad perseverantiam me obligare velim, quæ huc planè non pertinet.

12. Ut itaque *h*) *promissio* ad eliciendam obligationem requiritur, quia citra eam par non potest paris inviti libertatem restringere, ita nec sine *acceptatione* pactum est, quia nemo invito vult rem suam obtrudere.

13. Quod si itaque *acceptatio* non sequatur, juri promittentis in rem oblatam nihil decedit, quia paciscens rem suam non vult pro derelicto habere. *i*)

14. Quod si rogatio antecesſit, censebitur ea durare, nisi expresse fuerit revocata, eoque casu *in antecessum* acceptatio facta intelligitur.

ad §. *8* e) Junge huic §. seqq. Pufend. lib. 3. c. 5.

ad §. *10*. f) *Parentum item, principum &c.*

ad §. *11*. g) *v. g. jam cogito, quod te velim heredem meum facere.*

ad §. *12*. h) Junge huic §. seqq. Puf. lib. 3. c. 6.

ad §. *13*. i) *Ergo non poterit tertius eam occupare tanquam rem nullius.*

15. Modo tamen rogationi respondeat oblatio. Nam si hæc rogationem vel excedat, vel ab eâ deficiat, expressa requiritur acceptatio, quia sæpissimè mihi non consulitur, nisi tantundem, l) quantum rogavi, accepero.

16. Idque in promissis mutuis fere non habet dubium. Sed putamus, idem etiam dicendum esse in gratuitis, quamvis dissentiant leges Romanæ *m*) incongruâ ratione, quod major summa contineat minorem.

17. Declaratur autem ab utroq; voluntas vel *verbis* vel *factis*. Unde consensus, & intuitu hujus, pactum, dividitur in *expressum* & *tacitum*.

18. *Expressum* non est difficile, nempe ubi consensus verbis constat. Sed de *tacito* distinctius procedendum.

19. Nimirum quamvis consensus tacitus sit ille, qui factis declaratur, ac apud Scriptores ferè synonymicè supponantur *consensus tacitus* & *præsumtus*, reverà tamen post leges Romanas præsumtus consensus à tacito differt, adeoque nobis horum duorum confusio eò magis vitanda erit, quo minus communiter solet evitari. *n*)

20. Scilicet *facta licita*, *o*) quibus utuntur homines, vel *sunt signa* communi quasi consensu humani generis recepta, ad declarandam voluntatem nostram, ita ut, si quis ratione utens factum istud audiat, statim inferat, me aliud quid certum ac determinatum hoc facto indicare voluisse; vel *non sunt signa* communi consensu humani generis ad declarandam voluntatem recepta, æquitas tamen naturalis vult, ut obligatio ista facta concomitetur vel ea sequatur.

21. Qui

ad §. *15*. l) *Non plus nec minus.*

ad §. *16*. m) l. 1. §. 4. l. 83. §. 3. de V. O. Vide omninò Tribon. §. 5. de inut. stipul.

ad §. *19*. n) *Nec evitat eam Dn. Pufend.* III. 6. 2. *ubi plura exempla utriusque consensus mixta deprehendes.*

ad §. *20*. o) *Nam ex illicito fit delictum vel quasi.*

21. Qui factis prioris generis nititur consensus, *tacitus* est, qui posterioris generis factum præsupponit, consensus *præsumtus* in legibus Romanis dicitur, ideò videlicet, quia quilibet civis bonus præsumitur consentire regulis æquitatis naturalis.

22. Ita *nutus* ostendit assensum tacitum, ita *redditio chirographi* declarat, cæteris paribus, quod velim debitori donare debitum. Ita *postulatio cibi & potus* ab hospite diversorii infert consensum tacitum, quod velim pretium cibi solvere.

23. Contrà *negotiorum gestio, hereditatis aditio*, & in genere omnia facta, quæ in quasi contractibus Legum Romanarum præsupponuntur, directo non inferunt consensum ad solvenda damna domino negotii data, ad præstanda legata legatariis &c. Sed regulæ tamen æquitatis naturalis à civilibus corroboratæ, hic faciunt consensum præsumtum.

24. Differt adeò ultra dicta consensus præsumtus & tacitus 1. *ratione personæ*; Qui suam voluntatem expresse declarare nequit, *p*) ille nec tacitè. Ita furiosi nutus, redditio chirographi, postulatio cibi, modo dictos effectus non producet.

25. At ex consensu præsumto obligantur etiam furiosi, v. gr. quorum negotia gesta sunt.

26. Nempe 2. consensus tacitus *obligat saltem eos*, qui consensum factis declararunt, at præsumtus etiam illos ligat, qui nullum factum adhibuerunt; ita obligatur in genere dominus negotii ad reddendas impensas gestori etiam ignorans negotium geri.

27. Porro in *relatione consensus utriusque* ad consensum expressum ingens est differentia. De tacito hæc est regula: *Quoties*

ad §. 24. p) Intellige propter impedimentum intrinsecum, ne quis tibi objiciat surdum aut mutum vitio disjuncto, qui multis factis tacitè consensum suum declarare valent, etsi non expresse per verba. Impedimentum extrinsecum voco, ubi impeditur animæ functiones suas exercere ob vitium membrorum externorum, ad quæ pertinent etiam sensoria. Impedimentum igitur intrinsecum erit, ubi partes internæ & maximè cerebrum male sunt disposita.

ties constat de consensu expresso contrario, toties frustrà quærimus de tacito. Ratio est, quia verba sunt signa ordinaria declarandi voluntatem suam, facta verò extraordinaria vel subsidiaria.

28. Ita si dixerim, me nolle assentiri, nolle debitum tibi donare, nolle hospiti cibi pretium solvere, nulla erit efficacia nutus, redditionis chirographi, postulationis cibi.

29. Alia longe ratio est consensus præsumti. Etiamsi negotiorum gestor, etiamsi heres initio statim vel coram notario & testibus protestentur solennissimè, se nolle ex negotiorum gestione vel hereditatis aditione obligari, frustranea erit hæc declaratio expressa, ut adeò huc potissimum spectet axioma vulgatum: *Protestatio facto contraria nihil operatur.*

30. Vides itaqve 4. ex consensu præsumto *obligari etiam invitos*, ex tacito nonnisi volentes.

31. Unde 5. in consensu præsumto, obligatio *immediatè* veniet ex lege, in tacito lex *mediante* consensu obligationem operabitur.

32. Breviter 6. tacitus consensus est *veri consensus species.* Consensus præsumtus est consensus impropriè dictus. Hinc & in Jure Romano ex consensu tacito oriuntur etiam veri contractus, *q*) ex præsumto saltem quasi contractus.

33. Non tamen putabis, distinctionem hactenus ostensam solum in jure Romano habere locum, hactenus enim spectaret saltem ad jurisprudentiam humanam. Exeret quippe & in jurisprudentiâ divinâ se passim *r*) ejusdem usus, potissimum infrà, cum de officiis liberorum erga parentes dispiciemus.

34. Igitur, qui voluntate carent, promittere nequeunt. Tales sunt *infantes, furiosi, mente capti* & *summè ebrii.*

35. Nec obstat, quod ebrii obligentur ex delictis, saltem ad aliquam

ad §. 32. q) *Ita si patiar præsens alterum pro me fidejubere, mandatum est* l. 6. §. 2. l. 18. mand. *Ita locatio est, si patiar diutius manere conductorem in re conducta* l. 13. §. ult. locati.

ad §. 33. r) e. g. in cap. 10. §. 87. seq. 94. seqq.

aliquam pœnam. Illa enim obligatio, *s*) ut ſuo loco dicemus, venit immediate ex lege, & ſtringit etiam invitos, at obligatio hujus capitis pactum tanquam conditionem ſine quâ non requirit.

36. Et quidem *furor* atque *ebrietas* facilius poſſunt oſtendi, ſed quousque duret *infantia*, in univerſum regulis accuratè determinari nequit. *t*) Unde non ſine ratione hæc determinatio relinquitur legi civili, *u*) cui & ſimul incumbit proſpicere adoleſcentibus infantiâ majoribus de rectoribus voluntatis nondum benè formatæ.

37. Cæterum conſenſus quaſi duæ ſunt partes, *intellectus & voluntas. Intellectui* opponitur *error* & *dolus, ille eſt*, quando rem ignoro (late enim hic accipitur, ut ignorantiam ſub ſe comprehendat) vel aliter ſe habere puto absque fallacia alterius; *dolus* eſt, quando error meus oritur ex fallaciâ alterius, vel certe hæc errori meo eſt conjuncta.

38. De efficacia *erroris* in contractibus intricatam quæſtionem fecerunt leges Romanæ partim quod de hâc materiâ, quotidianâ quamvis, non ſub peculiari titulo fuerit ex aſſe tractatum, ſed regulæ de eo ſub variis capitibus negligenter ſparſæ fuerint; partim etiam quod Jurisconſulti, ex quibus Pandectæ ſunt compoſitæ, frequenter à ſe diſſenſerint. Unde tot diſtinctiones *x*) inter errorem circa perſonas contrahentes & objectum contractus, tum inter materiam *y*) rei & ejus formam, *z*) de quâ contractus initus, item, ſi res ex duabus materiis conſtet, utrum hæ mate-

ad §. *35.* s) Conf. Puf. III. 6. 5. *ubi paulo aliter & prolixius reſpondet.*

ad §. *36.* t) *Cum unus infans citius perveniat ad uſum rationis, quam alter.*

u) *Quamvis hæ videantur infantiam nimis latè, videlicet ſeptennio determinare.*

ad §. *38.* x) *Vide quæ collegit Huberus* in poſit. ad Inſt. tit. de inut. ſtipul. n. 21. ſeqq. & de emt. vend. n. 4. ſeqq.

y) *v. g. Si menſa lignea vendita fuerit, quæ putabatur eſſe ex metallo.*

z) *Si quadrangularis fuerit vendita, quæ putabatur eſſe oblonga.*

riæ sint per confusionem quasi unitæ an separatim existant, vel facile separari possint, *a*) denique inter essentiale pacti & ejus accidentalia &c. *b*.)

39. Quemadmodum autem jam non est hujus loci explicare Jus Romanum, ita abstrahendo à Legibus civilibus, putem æquitati naturali convenientissimum esse, si in materia promissorum repetamus regulam jam supra *c*) inculcatam: *Errorem in dubio semper nocere debere erranti.*

40. Cum enim in promissionibus quilibet sensa animi sui alteri declarare debeat, causa verò contrahendi, objectum item, de quo contrahitur, & persona, cum quâ contraho, ad naturam pactorum in genere nihil faciant, nulla subest causa, cur alteri error meus, ad quem ille nec dolo nec culpâ concurrit, magis imputari debeat, quam mihi. Accedit, quod, si error meus alteri præjudicaret, facile daretur occasio ad reservationes mentales, quæ, ut ab aliis fusius deductum, turbant omnia pacta atque promissiones.

41. Limito tamen dictum axioma, *nisi circumstantia illa, in qua erravi, expresse promisso per modum conditionis fuerit adjecta.* Tum enim alter, cum quo pactus sum, justam de me conquerendi occasionem non habet.

42. Distingui equidem ab eruditis in hâc materiâ solet *d*) inter *promissa gratuita* & *pacta mutua*. De *promissis gratuitis* hæc formatur regula: *Ubi in promissione aliquid tanquam conditionem supposuerim, citrà cujus intuitum promissurus non fueram, naturaliter promissionis nulla erit vis*, quia promissor consenserit non absolutè, sed sub conditione, quâ non apparente, promissio nulla sit.

43. Sed si promissor hanc conditionem mente retinuerit, nos quidem putamus, sibi eum imputare debere, cur non expresserit.

a) *Si mensa ut aurea fuerit vendita, quæ erat vel inaurata, vel aureâ laminâ obducta.*

b) *Quæ distinctio potissimum adhibetur in matrimonio.*

ad §. *39.* c) l. 1. c. 1. §. 72.

ad §. *42.* d) *Quod facit Dn. Pufend.* III. 6. §. 6. & 7.

ſerit. Unde, etiamſi ego falſo nuncio fuerim perſvaſus, mea negotia abs te bene fuiſſe geſta, eoque nomine tibi quid promiſerim, me teneri puto, ubi falſum id deprehendero. Modò tuus dolus non concurrerit ad eliciendum meum promiſſum. Tunc enim caſus planè huc non pertineret. *e)*

44. Sicut nec huc pertinet caſus de milite, qui falſo accepto nuncio de morte filiorum, in teſtamento extraneum heredem inſtituit, quoniam ultimarum voluntatum quoad interpretationem alia eſt ratio, quam promiſſionum. *f*)

45. In *promisſis mutuis* diſtingvitur, *g*) utrum *ad paciſcendum* quis per errorem fuerit motus, an error *circa rem* de quâ pactum initum eſt, verſatur. Circa *prius* itidem diſpiciendum eſſe, an res adhuc ſit integra, hoc eſt, utrum nihil adhuc ex contractu ſit præſtitum, an minus, ſi v. gr. jam res promiſſa fuerit exhibita. *Illo* caſu æqvum eſſe, ut facultas pœnitendi mihi concedatur, præſertim ubi præ me tulero, quæ me cauſa ad paciſcendum impellat. *Re verò non integra* errantem reſciſſionem negotii non poſſe urgere, niſi quantum alter ex humanitate velit indulgere. *h*)

46. Nos contrà, *etſi res ſit integra*, errantem pœnitere non poſſe arbitramur, v. gr. ſi Patrifamilias falſus nuncius afferatur, equos ipſius domi periiſſe, idque ille præ ſe ferens, hoc eſt, vendi-

Ee 2 tori

ad §. *43*. e) *Sed potius ad* §. 49.

ad §. *44*. f) *Partim, quoniam ex teſtamento non ſtatim jus alteri naſcitur, uti ex promiſſo, neque teſtamenta requirunt acceptationem. Et in teſtamentis etiam reſpiciendum quandoq; eſt ad leges, & ea potisſimum, quæ in favorem liberorum ea diſpoſuerunt. Quid enim, ſi militi nuncius veniſſet de morte amici ſui optimi, quem volebat heredem inſtituere, ac propterea inſtituiſſet amicum alium. An tunc putas teſtamentum ſubverti? Minimum res valde dubia eveniet.*

ad §. *45*. g) Dn. Puf. III. *6, 7.*

h) *Sed traditio ſola actus phyſicus eſt. Cur hæc jus meũ tolleret, aut alteri jus daret? Et cur v. g. in condictione indebiti traditio non obſtat juri meo? Scilicet quia ſolutio non eſt niſi ejus quod debetur. Ergo etiam traditio demum ejus, quod debetur, jus transfert.*

tori narrans, alios emat, etiamsi hic emtor ante traditionem equorum & solutionem nuncium falsum deprehendat, contractum servare debebit. Fuit enim narratio ista de causâ impulsivâ contractus, quæ, nisi per modum conditionis inseratur pacto, est extra negotium. Nam poterit paterfamilias equos emere tàm qui jam alios habet, quàm qui non habet.

47. Quod verò ultimo affertur, *i*) si error in promisso mutuo contigerit *circa ipsam rem*, de quâ convenitur, pactum vitari non tàm ob errorem, quàm quia legibus pacti non fuerit satisfactum, paululum obscurius dicitur, cum non constet, quomodo istæ leges pacti, quæ hic afferuntur, ab errore sint distinctæ. *l*)

48. Neq; opus videtur hâc observatione ad definienda exempla ejus gratia adducta. Verum est, si professus sum, me servum emere coquendi peritum, & traditus mihi fuerit etiam citra culpam venditoris coqvendi imperitus, vanus est contractus; aut si ab altero Davum emi, & is citra culpam Syrum mihi exhibuit. Sed hic in promtu causa est, quia circumstantia, in qua fuit erratum, promisso per modum conditionis fuit inserta. *m*)

49. Pergamus ad *dolum*. Ubi distingvendum erit: an ab eo, quocum contraximus, dolus fuerit adhibitus, an à tertio. Posteriori casu negotium erit firmum, *n*) tertius verò dolum adhibens nobis tenebitur ad interesse. Priori in arbitrio decepti erit, utrum promissum, sive gratuitum, sive mutuum, velit pro nullo declarari, utrum salvo manente promisso læsionis pensationem exigere.

50. Ne-

ad §. 47. i) *Iterum à Dn. Pufend.* d. § 7. in fine.

l) *Per leges pacti videtur intelligere conditiones, quæ expresse in pacto adjectæ sunt. Seu poterit tamen etiam error contingere circa rei qualitatem, quæ in pacto non est expressa. Quid ergo de his casibus statuendum?*

ad §. 48. m) *Et forte per leges pacti tales conditiones intelligit Dn. Pufendorffius.*

ad § 49. n) *v. g. si Stichum emerim, non addito, quod coqvum emere velim, neque etiam venditor pro coquo venditaverit, sed tertius me dolosè persvaserit, esse coqvum.*

50. Neque distingvimus, *o*) an *dolus causam dederit* contractui, an fuerit *incidens*. Nam hæc distinctio inventum est juris Romani, ad ostendendam ex parte differentiam inter contractus bonæ fidei & stricti juris, quæ & ipsa divisio à jurisprudentiâ naturali ignoratur.

41. Accedit quod jure Romano læsus, si dolus incideret, non poterat contractum nullum declarare. *p*)

52. *Voluntati* opponitur *violentia* & *metus*. Ut per meram violentiam quis cogi possit ad promittendum, vix concipi potest in promissis ore prolatis. Non enim ut membra exteriora per violentiam possunt trahi invita ad aliquid perpetrandum, sic & voces possunt extorqueri invito. At si quis me per vim cogat ad scribendum, aut v. gr. violenter caput meum inclinet, promissum haud dubie erit nullum, ex regulis generalibus de actionum moralium principio.

53. *Metus* duobus modis considerari potest. Initio quatenus accipitur pro *suspicione* probabili, fore ut ab altero decipiamur, vel propter habitum ejus vitiosum, vel propter declarationem pravæ voluntatis in negotio præsenti factam. De hoc sequentes observa regulas.

54. Si *ejusmodi metus adfuit tempore promissi*, imprudenter feci, quod promisi; promissum tamen nec irritum est, nec sub hoc prætextu rescindi potest. *q*)

55. Quod si ejusmodi metum *post promissum* ex indiciis sufficientibus, vel novis *r*) vel antea mihi incognitis, *s*) suscipiam,

 non

ad §. *50.* o) *Adhibet hanc distinctionem Dn. Pufend.* III. 6. 8. *Priori casu dicit læsum ex ejusmodi pacto non obligari. Posteriori in arbitrio decepti esse vult contractum penitus dissolvere, aut læsionis pensationem exigere.*

ad §. *51.* p) *Sed habebat restitutionem in integrum.*

ad §. *54.* q) *Quæ enim causa non impedivit, ne contraherem, nec impedire potest, ne fidem servem.*

ad §. *55.* r) *Si posteà declaret quod velit me decipere.*

s) *Si jam antè ad tertium gloriatus fuerit de perfidia adhibenda.*

non prius ad præstandum adigi potero, quam contra eam deceptionem mihi ab altero idoneè cautum sit.

56. Altera species metus est *vehemens animi terror* ortus ex intentato gravi malo, ni promissum aut pactum inire velimus.

57. Quem si incusserit *tertius*, valebunt pacta propter hunc metum removendum cum alio inita. *t*)

58. Quin & si *tertio inferatur* metus injustus, ego verò miserationis gratia, ejus intuitu metum inferenti quid promiserim, valebit promissio. *u*)

59. Quod si *is, cui promitto*, metu ad promittendum me adegerit, siquidem *pro imperio* in me competente id fecerit, rursus valebit promissio. *x*)

60. Sed si *vi omnino injusta* is, cui nullum in me competit imperium, promissum extorserit, utrum obligatio sequatur promissum, gravis quæstio est.

61. Alii enim *y*) *obligationem oriri* arbitrantur, quoniam metus non tollat omnem consensum, sed metum incutientem tamen *esse obligatum ad rem restituendam*, quoniam per incussionem metus in me deliquerit.

62. A quibus parum abest sententia *juris Romani*, concedentis ei, qui metum intulerat, actionem, sed exceptione quod metus causa elidendam.

63. Alii *z*) *obligationem nullam oriri* opinantur, tum quod in pactis ex solo consensu meo obligatio, non nascatur, ubi alter per jus naturæ prohibeatur acceptare, tùm quod, si quæ sit obligatio, illa

ad §.57. t) *v.g. cum iis qui salvum conductum præstant.*

ad §.58. u) *v.g. si tertius latroni quid promiserit, ut me non lædat. Jure tamen Romano hic tertius haberet condictionem ob turpem causam. Sed hæc condictio non in natura contractus, sed in jure puniendi nititur.*

ad §.59. x) *Ut si fecerit princeps, dominus, pater, in quantum quidem horum imperium se extendit.*

ad §.61. y) *Ita Grotius* II.17.17.

ad §.63. z) *Ita Dn. Pufend.* III. 6. §. 10. seq. Adde Ciceronem de officiis lib. 3. p. m. 553. & omnino Pufend. IV, 2.8.

illa quasi per compensationem cum eâ obligatione, quæ est in metum incutiente, ut mihi de illatâ injuriâ satisfaciat, quasi pensari debeat.

64. Alii *a*) denique eum qui metu incusso promittit, *firmiter obligari* arbitrantur, quia jus naturæ dictitet pacta esse servanda. Neque obstare rationes modo dictas. Eum enim qui metum incutit, non tamen destitui jure promissum meum acceptandi, *b)* adeoque obligationi meæ respondere jus ipsius, quod ex ipso pacto meo acceperat. Deinde nec compensationem posse habere locum, cum præsumendum sit, *c*) eum qui latroni v. gr. centum promittit, simul tacitè renunciasse *d*) juri, quod habebat adversus latronem, ex læsione orto, ad petendam satisfactionem, ne aliàs pactum nullam afferat ipsi utilitatem. *e*)

65. In his sententiarum divortiis *prima f*) equidem se omninò non probat, quoniam merâ & inutili subtilitate nititur, apud Romanos verò maximam partem ad discernenda officia prætoris & Judicis pedanei erat recepta, quamvis & eo jure notum sit effatum JCti celebris, nihil interesse, ipso jure quis actionem non habeat, an ope exceptionis elidatur.

66. Inter reliquas verò duas arridet *media. g*) Scilicet jam suprà diximus, pacta per se non producere obligationem, sed esse saltem medium vel causam sine quâ non obligandi, obligationem verò omnem vim accipere â lege. Jam quæ lex vim & metum alteri incutere vetat, illa prohibet etiam metum facienti, ne ex illâ metus incussione jus acquirat, neque præsumenda est, promittentem

ad §. *64.* a) *Ita Uffelm.* de oblig. quæ ex serm. oritur c. 7. §.4. seq. p. 83. seqq.

b) *Sed obstat canon vulgatus: Qualis causa, talis effectus.*

c) *At in cujus favorem hæc præsumtio esset facienda?*

d) *Sed hæc renunciatio etiamsi expressè fuisset facta, nullam produceret obligationem.*

e) *At quis dixit, quod hoc pactum ullam debeat latroni afferre utilitatem?*

ad §. *65.* f) *Grotii & juris civilis.*

ad §. *66.* g) *Dn. Pufendorffii.*

tentem obstringere velle in favorem ejus, qui contra legem delinquit. Unde jam facilè responderi poterit rationibus sententiæ *tertiæ. h*)

67. Ut tamen eò melius intelligatur nervus sententiæ nostræ; requirimus 1. ut moraliter certum sit, eum, qui metum incussit, *non habuisse* jus id faciendi, 2. ut sit metus *periculi præsentis*, & quod cadit in virum constantem, quodque aliter nisi per promissum evitari non potest. 3. Ut promissum metu initum cessante metu non sit *ratihabitum*, vel per verba expressa, vel per facta consensum subsequentem inferentia.

68. Quibus ita positis facile jam inferre licet, nos loqui de illis promissis, quæ fiunt v. gr. *1. latroni 2. quà tali 3. durante metu.* Si enim cum *latrone citra metum periculi præsentis, vel hoc periculo cessante* contrahas, nullum est dubium, quin obligatio oriatur, propter defectum requisiti secundi & tertii.

69. Quod si cum eo, qui te *in bello vicit, i*) pactus fuisti, obligaberis, non tàm quia sæpè cessat requisitum secundum, *l*) sed maxime propter defectum requisiti primi. Etsi enim victus v. gr. persvasus sit de justitia armorum suorum, moraliter tamen certum istud dicitur, quod & aliis possit ostendi, cum non esse & non apparere hic ferè pro Synonymis habeantur.

70. Nunquam vero vincens carebit prætextibus speciem aliquam justitiæ habentibus, inque suas partes alias gentes trahentibus. Unde cum inter eos, qui pares sunt, Justitia & injustitia non sint remedia apta ad definiendas controversias, bellum tanquam remedium extraordinarium ad reducendam pacem est inventum, in quo belligerantes quasi per compromissum aleæ belli arbitrium committunt.

71. Quod

h) *Id jam factum in notis.*

ad §. *69.* i) *Conf. Puf. VIII. 8. 1. & VII. 7. 4.*

l) *Quis enim judicaret semper, utrum metus, qui ab hoste incutitur, sit talis, qui cadat in virum constantem?*

71. Quod tamen compromiſſum non tàm à conſenſu eorum tacito, quàm à præſumto dependet, & à necesſitate legis naturalis. Ni enim per pacta ejusmodi finiretur bellum, turbaretur ſocialitas & tranquillitas generis humani in perpetuum; quid? quod facilè ex bello duorum poſſit oriri ſucceſſu temporis bellum omnium contrà omnes.

72. Neque illud tamen diffitendum erit, eum qui bello ab altero petitus ad pacificam diſceptationem ſeſe obtulerit, & bellum deprecatus ſit, ſi ad iniquas pacis conditiones adigatur, nullo jure prohiberi, quò minus pacis nondum impletæ, exceptionem metus opponat, aut poſt occaſione datâ reparationem injuriæ quærat. Ubi tamen cautè erit procedendum, ut videlicet iſtæ pacis conditiones ita ſint iniquæ, ut quaſi palpari poſſint, tum &, ut reliqua duo, quæ modo *m*) poſuimus, requiſita adſint.

73. Sed quid jam faciemus *perduellibus*, quibus ſæpius à principibus ad tollenda bella civilia promittuntur vel impunitas, vel ultra impunitatem adhuc alia quædam. Sanè communiter malè audiunt principes pactorum fidem violantes; cum tamen haud dubiè cauſa perduellium ſit injuſta & palpabilis quidem, quoniam ſæpius diximus, in ſocietate inæquali inferiorem nunquam habere jus cogendi ſuperiorem per bellum, etſi ab eo injuriâ ſit affectus.

74. Sed promta eſt reſponſio: diſſimilem cauſam eſſe *latronis* & *perduellis*. Ille ne minimum quidem prætextum juris *n*) afferre poterit. At perduellis plerumque injuriam à principe vel ſibi vel reipublicæ factam prætendit; adeoque ſæpius non omni jure *o*) deſtituitur, ſed in modo exercendi jus ſuum ſolum excedit. Adde, quod ſæpius non liqueat, utrum ſtatus ſit purè monarchicus, aut utrum potius ſaltem modus adminiſtrandi

ad §. 72. m) §. 67.

ad §. 74. n) *Ne quidem imperfecti.*

o) *Cum jus ejus ſit imperfectum, ipſe verò eo utitur tanquam perfecto.*

monarchicus sit; *p*) quo pacto non erit evidens definire, uter ex belligerantibus in ejusmodi bello sit superior, uter inferior. *q*)

75. Huc forte respexit *Cicero*, *r*) dum statuit prædonibus pactum pro capite pretium, si non afferas nullam subesse fraudem, subjiciens. *Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. Cum hoc non fides esse debet, non jusjurandum commune.* Sed de jurejurando quidem infra suo loco.

76. Quod si tamen hæc ratio sola non placeat, addere poteris, *s*) plerumque in ejusmodi promissionibus, quæ fiunt perduellibus, non adesse metum periculi præsentis, quod in virum constantem cadat, sed subesse Martem adhuc dubium &c.

77. Unde putarem, si perduellis regem suum, nullo præcedente bello, vi subitâ invadat, eumque metu mortis vel simili ad paciscendum adigat, non magis ex hoc promissô obligationem produci, atque ex promissione, quæ piratæ fiebat. Hactenus de consensu.

78. Promitti verò possunt solum ea, quæ sunt in *nostris viribus* & in nostro arbitrio, idque quoniam promissio tendit ad producendam obligationem, quæ in genere hoc axioma præsupponit. *t*)

79. Fluit ex dictis I. Quod nemo per promissionem se obligare *possit ad impossibile.* Qui enim talia promittit, & qui ea acceptat, uterque signa edit non sanæ mentis, sed summæ stoliditatis.

80. Modo tamen non is, cui promittitur, *ignoraverit*, rem esse

p) *Ventilata fuit ista controversia in turbis Anglicis & Bohemicis.*

q) *Ergo tum is qui perduellis dicitur, habebit etiam prætextum juris perfecti.*

ad §. 75. r) *Cicero lib. 3. de offic. p. m. 553. Pufend.* IV. 2. 8.

ad §. 76. s) *Mihi tamen magis placet ratio præcedens, sed sub limitatione tamen* §. *seq.*

ad §. 78. t) *vid. l. 1. c. 1.* §. 73.

esse promittenti impossibilem, promissor verò rem extrà suam potestatem esse sciverit. *u*)

81. Sunt enim quædam *impossibilia omnibus* hominibus, ut volare, digito cœlum tangere; quædam *impossibilia aliquibus* saltem, ut generare, dare mille vel centum &c. In horum ergo ultimis *x*) dicta limitatio locum sibi vindicabit.

82. Quin imo neque promissor ab omni obligatione liberabitur, qui rem promisit *possibilem*, quæ *posteà* vel per dolum aut culpam promittentis, vel etiam per casum *facta fuit impossibilis*, quamvis pro diversitate culpæ aut casus obligatio variet. *y*)

83. Unde non in universum procedit, sed multis limitationibus est obnoxia sententia Hobbesii, *pacta non ad rem ipsam, sed ad summum duntaxat conatum obligare. z*)

84. Utrum verò ad imposssibilia sit referendum, si quis promittat, quod nolit *resistere mortem & vulnera inferenti?* commodius infrà, ubi de pœnis erit agendum, dispiciemus. *a*)

85. II. Nemo se obligare poterit per pactum ad rem legibus *prohibitam*. Cum enim Legislator non velit contraria, & verò jam

 actum

ad §. 80. u) *Hoc enim casu obligabitur quis promittens ad interesse, vel certè, in quantum solvere potest. Cum hoc & seqq. §§. junge Puf.* L. III. cap. 7.

ad §. 81. x) *Non in prioribus. Stultus enim esset, qui putaret, alterum posse volare, non ille qui ista promitteret. Huc pertinet promissio Xanthi, quod vellet mare ebibere.*

ad §. 82. y) *Si enim dolo, obligabitur quis ad summum conatum, & poterit insuper malo multari. Si casu, & res sit integra, liberabitur promittens, si ei jam præstitum quid fuerit ad id restituendum aut æquipollens reponendum, si ne hoc quidem, summus conatus adhibendus, ne alter damnum patiatur.* Puf. III. 7. 3. *Quod intellige si casus contingat in facultate seu viribus, ut de quo jam sermo est. Unde huc pertinet exemplum de iis qui non solvendo facti sunt. Aliud, si casus contingat in re promissa, ubi promittens liberatur.*

ad §. 83. z) *Hobbesium prolixè refutat Pufend.* d. l. §. 4.

ad §. 84. a) Vide lib. 3. c. 7. §. 75. seq. & conf. interim Pufend. hic §. 5.

actum aliquem determinaverit, non poterit sine contradictione approbare contrariam determinationem paciscentium. Igitur ejusmodi res etsi non sint ultrà vires naturales paciscentium, sunt tamen extrà ipsorum arbitrium.

86. Quapropter non solum re utrobiqve integra neuter ad implendum promissum de re turpi factum tenebitur, sed & *turpi facinore* ab altero patrato, promissor non tenebitur ad mercedem solvendam, aut indemnitatem præstandam. *b*)

87. Sed si *mercedem rei turpis jam dederis*, sive adimpletum istud fuerit, sive minus, non poteris eandem repetere ab accipiente, quia in pari causa potior est conditio possidentis, & promissor propriam hic allegat turpitudinem.

88. Modo *c*) non sit turpitudo solius accipientis, etiam abstrahendo à legibus Romanis, quippè tum rationes modo positæ cessant.

89. III. Nemo promittere potest res alienas. Hæ enim partim non sunt arbitrio nostro subjectæ, *d*) partim in viribus nostris situm non est, eas præstare. *e*)

90. Scilicet non valet promissio de rerum alienarum datione, non tamen respuunt eæ omnes contractus, ubi de earum administratione, custodiâ etiam, usu & similibus disponitur. *f*)

91. IV. Eadem est ratio *actionum alienarum*, quæ nostræ directioni

ad §. *86.* b) *Contradicit Grotius cui respondet* Puf. hic §. 8.

ad §. *88.* c) *Addit* Dn. Pufend. hic §. 9. *& illam limitationem, modo non alterius dolus & enormis læsio accesserit, & exemplum dat de meretrice adolescentem magna argenti summa emungente. De qua limitatione an, abstrahendo à jure civili, locum habitura sit, videndum ulterius.*

ad §. *89.* d) *v. g. Si apud nos sint deposita aut nobis commodatæ.*

e) *Si eas non detineamus.*

ad §. *90.* f) *Et hoc fit vel licitè, si mandem alicui, ut negotium amici mei gerat, vel illicitè, si rem alienam alteri commodem. Producet tamen hæc obligatio effectum intuitu commodatarii ad restituendam rem, nisi justior petitio Domini obsit.*

ali non sunt subjectæ. Quod si enim subjectæ fuerint, suo modo *g*) in materia pactorum æquiparantur nostris.

92. Qui igitur factum alienum promittit, non obligabitur, nisi circumstantiæ ostendant, sensum promissionis esse, quod velit *operam dare*, ut alter promissa præstet, ubi tenebitur omni modo moraliter possibili laborare, ut promissum adimpleatur.

93. Quod si plane *effecturum* se, ut tertius mihi quid præstet, promiserit, ferè ad præstationem interesse, si tertius cessaverit, se obligasse censebitur.

94. V. Denique nec super actionibus aut rebus nostris, circa quas *alteri jam fuit jus quæsitum*, validè pacisci possumus. Sunt enim nostro arbitrio jam exemtæ.

95. Nisi forte in eum casum, *ubi alterius jus expiraverit*. Modò non intuitu promittentis turpe sit ejusmodi casum optare. Hinc valebit equidem mercenarii promissio alteri facta sub conditione, si tempus quo se alii addixerat, finitum fuerit, aut locatio ædium nostrarum in casum præsentis locationis finitæ. Sed promissio subjectionis in casũ, si Respublica cui quis jam est obligat9, vel bello civili pessumdetur, vel alio modo intereat, pro turpi habebitur.

96. Unde non sine causa apud Christianos principes pacta ejusmodi conditionata de matrimonio ineundo, quæ conjux vivente conjuge iniit, nulla declarantur; pœnis insuper in ejusmodi paciscentes constitutis. *h*)

97. Eò pertinet, quod jure Romano non valerent promissa liberi hominis, & reipublicæ sub conditione, si ille servus aut hæc privata futura esset. *i*)

98. Sequitur *modus* promittendi, qui quidem vel fit *purè*, vel in *diem*, *l*) vel sub *conditione*. Illa statim tribuit *jus perfectum*, ista

 imper-

ad §. *91*. g) *h. e. quatenus subsunt arbitrio nostro, non enim semper subsunt viribus nostris.*

ad §. *96*. h) *Exemplum habet Philippi* in Usu practico institutionum ad tit. de nuptiis.

ad §. *97*. i) §. 2. Inst. de inut. stipul.

ad §. *98*. l) *Promissionem in diem omisit Dn. Pufend.* lib. 3. c. 8, *quod aliàs cum hoc & seqq.* §§. *erit conferendum.*

imperfectum, donec dies advenerit, hæc ante conditionis existentiam ne quidem jus imperfectum, sed *spem* saltem debitum iri ad id suffecturam, ut ante conditionis eventum promissor non possit recedere.

99. Differentia igitur inter modos promittendi posteriores in eo potissimum se exeret. Quod qui ex errore ante existentiam conditionis debitum solverit, id ut indebitum possit repetere, non iste qui solvit ante diem.

100. Ratione verò conceptuum differt dies & conditio, quod *dies* sit tempus futurum, quod certum est, quod & quando extiturum sit, vel minimum ubi certum est, quod sit extiturum. *Conditio* vero, ubi vel utrumque vel certè ipsa existentia est incerta.

101. Est igitur *promissio sub conditione* facta, ubi validitas promissionis confertur in eventum, à casu *m*) specialiter adjecto pendentem.

102. Unde conditiones propriæ dictæ non sunt, quæ omnibus promissionibus, etiam puris *tacitè* insunt, v. gr. dabo tibi centum, si vis major me non mpedierit, si mundus adhuc stabit &c. *n*)

103. Item conditiones ad tempus *præsens* vel *præteritum* se referentes, nisi harum tacitus sit sensus; si probatum fuerit *o*) id, quod ad tempus præsens vel præteritum refertur.

104. Tùm

ad §. 101. m) *Addit Dn. Puf.* hic §. 2. *à casu* vel arbitrio hominis. *Sed cur hæc verba omiserim vide* §. 109. seq.

ad §. 102. n) *Difficiliora sunt exempla in promissis puris, quia statim possunt peti, faciliora in ultimis voluntatibus, quia demum post mortem possunt peti: v. g. Titius heres esto, si me supervivet, si voluerit, si ante mortem meam non deportatus fuerit, si in voluntate mea permansero &c.*

ad §. 103. o) *Ergò in his, quæ facillimè probari possunt, ut notoriis, non erunt conditiones veræ, in rebus probatu difficilioribus veræ.*

104. Tùm conditiones *necessariò* extituræ, v. gr. si cras erit dies.

105. Et, cum contrariorum eadem sit ratio, conditiones *impossibiles* etiam non erunt veræ conditiones.

106. In eo tamen inter has & conditiones reliquas improprias est differentia, quod illæ plerumque *p*) faciant promissum purum, *q*) in impossibili autem conditione eadem, quæ suprà de promissione impossibilium diximus, habeant locum.

107. Neqve distinguimus inter promissa & *ultimas voluntates*, si a dispositione legum civilium abstrahamus, etsi hæ non iniqvè *r*) constituerint eas in ultimis voluntatibus haberi pro non adjectis; ne videlicet per actus nullum eventum sortituros, hominibus illudatur.

108. *Turpes* verò conditiones, cum ab eventu incerto dependeant, pro impropriis conditionibus haberi non possunt, *s*) neq; adeò sunt species impossibilium, ut communiter interpretes legum civilium, ob non rectè intellectam legem *t*) pandectarum, volunt. Quamvis & hic quoad effectum eadem sint repetenda, quæ jam de promissionibus rei illicitæ notavimus. *u*)

109. *Possibilis* igitur esse debet conditio. Hanc verò iterum uno ore juris civilis doctores in *potestativam*, *casualem*, atqve *mixtam* subdividunt. Qvæ tamen distinctio vereor, ut citra jus civile magnum usum sit allatura.

110. Uti enim ostendimus alibi, *x*) *mixtam* & *potestativam* etiam

ad §. 106. p) *Propter ea, quæ de præsentibus & præteritis modo diximus.*

q) *Ut tacita & necessaria.*

ad §. 107. r) *In pœnam ejusmodi jocorum intempestivorum. Hic vero quærimus de obligatione ex consensu.*

ad §. 108. s) *Quod deduxi latius* in disputatione de filiofamiliàs sub conditione, si se filium probaverit, herede instituto, *ubi plura ad doctrinam de conditionibus pertinentia explicui.*

t) *Est* l. 15. de condit instit.

u) vide §. 85. seq.

ad §. 110. x) In dicta disputatione.

etiam ex intentione Veterum JCtorum parum differre, ita differentiæ quæ inter *casualem* & *potestativam* referuntur, partim à mera subtilitate *y*) dependent, partim ad regulam respiciunt, quod *potestativa habeatur pro adimpleta, si per promissarium non steterit, quo minus adimpleatur.*

§. 111. Sed hoc axioma non solum quoad speciales applicationes apud JCtos Romanos multis limitationibus *z*) est obnoxium, quin & dissensui *a*) notabili dedit occasionem, sed etiam abstrahendo à legibus civilibus, vix procedet, cum ex aliis circumstantiis *b*) dijudicari hic debeat, utrum promissor adjiciendo conditionem potestativam primariò ad voluntatem promissarii respexerit, an ad casum, qui ferè semper ejusmodi conditionibus admixtus est. Nam si casum respexerit, axioma istud non habebit locum.

§. 112. Quod si conditio non à mero arbitrio promissoris suspendatur, sed à casu, *c*) qui & ipse ex parte promittentis voluntatem præsupponit, tunc obligatio orietur, si casus iste extiterit, neque tamen indistinctè tenebitur *d*) promissor facere, quicquid moraliter æquum est ut illa impleatur.

§. 113. Solet & *locus* promissionibus adjici, *e*) quæ adjectio etiam jus tamdiu imperfectum producit, donec tantum tempo-

y) *Nempe ad institutionem filiorum familias, de quo usu tamen differere non pertinet ad caput præsens.*

ad §. 111. z) *Distingvunt enim, an per voluntatem alterius steterit, an per casum.*

a) *Quem notavi* in d. disput.

b) *Adeoque ex regulis de interpretatione.*

ad §. 112. c) *v. g. si studiosus legum adhuc tiro alteri promittat: omnes tuas causas agam in foro, si peritiam legum mihi comparavero.*

d) *Quod putat Grotius. Sed fortè Grotius respexit ad tale exemplum: Ducam te in uxorem, si Doctor factus fuero.*

ad §. 113. e) Conf. Pufend. III. 8. 6. *In §. fin. dicti capitis addit differentiam inter pacta gratuita, conditionata & mutua, de qua cogitandum ulterius.*

temporis elapſum fuerit, quo commode poſſit pervenire ad illum locum.

114. Pertinet etiam ad modos promittendi, *f*) quod promittamus vel *ipſi* vel *per alios* homines, qvos velut internuncios voluntatis noſtræ & interpretes eſſe voluimus. JCtorum ſtylo *mandatarii* & *procuratores* appellantur.

115. *Hi* igitur ſi *bonâ fide* egerint, neque *fines mandati* manifeſtos exceſſerint, firmiter nos iis, cum qvibus noſtro nomine pacti ſunt, obligant.

116. Non confundendi tamen ſunt hîc *miniſtri*, quos elegi, ut meo nomine promittant, cum iis, qui adhibiti ſunt, ut promiſſionem ſaltem ſignificent, quales ſunt v. gr. *tabellarii*, quibus literæ voluntatis noſtræ interpretes fuere traditæ. Miniſter enim ſi moriatur, antequam ei ad quem deſtinabatur, voluntatem noſtram ſignificaverit, *revocare poſſumus* promiſſum, etiamſi jam alter à tertio de voluntate noſtrâ certior factus promiſſum acceptaverit. *g*) Non ita, ſi tabellario mortuo epiſtolam ab alio fuerit nactus. *h*)

§. 117. Addunt & alteram differentiam. *i*) Si tabellario uſus ſim, revocationem meam valere, ſi promiſſum revocem antequam ab altero acceptatum fuerit, etſi revocatio tabellario non innotuerit; At ſi mandatario, irritam eſſe revocationem, niſi revocatio etiam mandatario ipſi innotuerit.

118. Mihi verò hic varii caſus videntur ſecernendi. Potiſſimum an revocatio directa ſit ad mandatarium, an ad eum cui ſit promiſſio? utrum hæc revocatio ante acceptationem innotuerit ei, cum quo negotium eſt contrahendum, annon? *l*)

ad §. *114.* f) *Cum hoc & ſeqq.* §§. conf. lib. 3. cap. 9.

ad §. *116.* g) *Volebamus enim per hunc miniſtrum in individuo tanquam cauſam intermediam obligari.*

h) *Quia hic non tabellarius, ſed literæ erant medium obligationis.*

ad §. *117.* i) *Quod facit Dn. Pufend.* hic §. 4.

ad §. *118.* l) *Si directa fuit ad mandatarium vel tabellionem, tùm*

119. Similiter in quæstione alia: *An nomine alterius, à quo nullum mandatum habeo, acceptare possim promissum?* Sola illa distinctio, *m*) an ita promissum sit: promitto *te teste* me Sejo daturum; an ita: promitto *tibi*, me Sejo daturum; scrupulos omnes non videtur tollere. Sed in posteriori casu omnino videtur distinguendum esse, an ejus, cui promissio eo modo facta est, intersit tertio dari an minus? *n*) Quam distinctionem neque JCti Romani neglexerunt. *o*)

120. Illud verò minus dubii habet; si promissarius moriatur antequam promissionem acceptaverit, *acceptationem* non fieri posse me invito ab ejus *heredibus*, etsi id quidem certum sit, contrahentes regulariter heredibus etiam præsumi voluisse prospicere.

121. Sequitur *divisio pactorum*. Passiva, *p*) & quæ crucem

sive post revocationem acceptam, sive ante eam, acceptatio à promissario revocationem ignorante facta fuerit, utroque casu promittentem obstringi arbitror. Priori tamen casu habebit actionem mandati contrà ministrum vel tabellionem. Si vero directa fuit revocatio ad promissarium, & is antequam eam acciperet, promissum acceptaverit, tum decidenda est quæstio ex alia quæstione: utrum nempe post acceptationem factam, quam adhuc ignoro, possit mea promissio revocari, & an sensus promissi sit: Volo me obligari, si acceptatum fuerit, aut: Volo me obligari, si acceptatum intellexero. Quodsi promissarius sciat revocationem meam ante acceptationem, non puto promissum valere; sive revocatio directa fuerit ad ministrum, sive ipsum promissarium. Est enim tunc in dolo.

ad §.119.m) *Quam affert Dn. Pufend.* hic §. 5. *ut priore casu non oriatur obligatio, sed altero casu, si tibi placuerit, & Sejus acceptaverit.*

n) *Quia exceptio, tua non interest, potest opponi cuilibet agenti.*

o) §. 18. & 19. de inut. stipul.

ad §.121. p) *Aliam distinctionem habet Dn. Pufend.* hic §. ult. *inter pacta quæ intendunt communem utilitatem, & singulorum. Ex priori genere putat ortum duxisse sermonem, dominium, pretium, imperium. Sed omisi, quia non in universum procedunt, ut in singulis speciebus notavi. Nam circa hæc capita, quæ advenire solent pacta, jam alia præcepta juris naturalis præsupponunt. Igitur & connexionem capitis sequentis paululum immutavi.*

cem fixit JCtis Romanis pariter ac eorum interpretibus, est illa, dum pactum dividitur in *pactum* stricte dictum & *contractum*. Sed cum utraque species dominiorum distinctionem & rerum pretia præsupponant, differenda erit de hâc divisione inspectio inferius.

CAPUT VIII.

De
Officio Hominis circa Sermonem.

SUMMARIA.

Connexio sequentium §. 1. 2. *Sermonis definitio* §. 3. 4. *Quomodo differant: vox: sonus: sermo?* §. 5. 6. 7. 8. 9. *Generale Præceptum de sermone: SERMONE ET RELIQVIS ANIMI SIGNIS UTERE AD PROMOVENDAM TRANQVILLITATEM COMMUNEM* §. 10. *Differentia inter sermonem & reliqua signa animi* §. 11. *quæ sunt vel naturalia* §. 12. *vel arbitraria* §. 13. *sq. quæ rursus varia sunt* §. 15. 16. *Sermonis maxima utilitas* §. 17. 18. 19. *Origo sermonis ex arbitrio humano* §. 20. 21. 22. 23. *Dicta de sermone etiam ad reliqua signa pertinent* §. 24. *inter quæ literæ quasi intermedia sunt* §. 25. *Triplex classis præceptorum specialium de sermone* §. 26. 27. 28. I. *Circa actum loquendi, ubi præceptum negativum: TACE, SI PER LOQVELAM TUAM OFFENDANTUR ALII, AUT DAMNUM INCURRANT, AUT HUMANITAS, VEL PACTUM, VEL PAX COMMUNIS TACITURNITATEM EXIGANT.* §. 29. 30. 31. *Præceptum negativum: LOQVERE, QUOTIES EX HUMANITATE VEL PACTO AD LOQUENDUM OBSTRICTUS ES, VEL TACITURNITAS DAMNUM VEL CONTEMPTUM ALTERI INFERT, AUT*

TRANQUILLITATEM LÆDIT. §. 32. 34. *Cur à nobis omissum:* quoties id exigit honor divinus. §. 33. II. *Circa electionē signorum: VOCABULA NON IN ALIA SIGNIFICATIONE ADHIBE, QUAM CONVENTUM EST.* §. 35 -- 38. III. *Circa convenientiam animi cum signis. Ubi præceptum affirmativum: EA LOQUERE, QUÆ CUM ANIMO TUO CONVENIUNT, SI HUMANITAS VEL PACTUM ET COMMUNIS TRANQUILLITAS TALIA EXIGANT.* §. 39. *Præceptum negativum: FALSILOQUIO ABSTINE, QUOTIES PER ID ALTER LÆDERETUR, AUT CONTEMNERETUR, ET PAX HUMANI GENERIS TURBARETUR.* §. 40. *Quando liceat ficto sermone uti.* §. 41. -- 45. *Non dari aliquod jus perpetuum, ne ab altero fallamur* §. 46. 47. *Quid sit veritas & mendacium?* §. 48. *Veritas alia Metaphysica, alia Logica, alia Ethica.* §. 49. 50. *Non omnis veritas Ethica est virtus* §. 51. 52. *Veritas homiletica incommodè virtus moralis dicitur & explicatur* §. 53. -- 57. *Falsiloquium & Mendacium non sunt Synonyma* §. 58. -- 60. *Incommoda locutio: Virum veracem posse mendacium dicere, non mentiri.* §. 62. *Mendacia officiosa & jocosa impropriè mendacia sunt.* §. 63. *Fides & perfidia à veritate, & mendacio differunt* §. 64. -- 67. *Simulatio & dissimulatio quomodo differant à falsiloquio?* §. 68. 69. *quomodo inter se?* §. 70. *& de dissim. & simul. justitiæ* §. 71. *Distinctio inter dolum bonum & malum* §. 72. 73. *Distinctiones communes in quæstione de licentia falsiloqvii rejecta* §. 74. 75. *Quatenus liceat falsiloquio uti* 1. *adversus infantes & amentes* §. 76. 2. *adversus adultos* §. 77. 3. *pro utilitate reipublicæ* §. 78. 4. *ergà tertium* §. 79. 80. 81. 82. 5. *erga hostes* §. 83. 84. 6. *erga judicem si deliquimus* §. 85. *quod ultimum haud licitum esse ostenditur* §. 86. -- 95.

§. 1. Per-

§. 1.

PErduxit nos ordo *a*) ad præcepta *hypothetica*, quæ non tantum ideò ſic dicuntur, quod præſupponant ex parte jam pacta & leges de fide ſervanda eadem concomitantes, ſed vel maximè, quod ex præcepto generali de cuſtodiendâ hominum æqualitate & quatuor ejus rivulis, tanquam theſes ex hypotheſi facili negotio deduci poſſint.

2. Igitur non miraberis, ſi in ſequentibus, non ſolum hujus, ſed & reliquorum capitum, ubi rationes axiomatum erunt reddendæ, ſæpius breviſſimis digitum ad præcedentia intendero, vel etiam præcepta illa quatuor ſaltem ad concluſiones ſpeciales applicuero. Simul verò in ſingulis capitibus ſpeciatim ad ſingulorum negotiorum quæ ibi tractabuntur, finem potiſſimum reſpiciam, quoniam iſte in moralibus maximum momentum affert.

3. *Sermonem* verò quod attinet, pauca de ejus definitione & origine erunt præmittenda, antequam de officio hominum ſermocinantium præcepta tradamus.

4. *Sermo* eſt vox articulata, quâ homines ſibi invicem ſenſa animi ſignificant & inter ſe ratiocinantur. *b*)

5. Appellatur autem ſermo *vox articulata*, ut tàm à voce in genere, qvàm ſono diſtinguatur. *c*) *Sonus* quippe eſt, quicquid ab auribus ex quorumcunq; *d*) corporũ colliſione percipitur: *Vox* eſt ſonus ab animalibus quibusvis editus: *Sermo* eſt vox hominum propria. Beſtiis autem ut plurimum vox inarticulata, rariſſimè articulata, vel potius aliquid inter articulatam &

ad §. *1.* a) *Confer cum hoc capite* Puf. Lib. 4. cap. 1.

ad §. *4.* b) *Conf. Uffelm.* de oblig. hom. quæ ex ſerm. oritur, p. 23. §. 14.

ad §. *5.* c) *Conf. Uffelm.* d. l. p. 12. ſeqq. *ubi vocem in genere dicit ſonum articulatum, malè, neque ipſe hac parte conſtans eſt.*

d) *Etiam inanimatorum, ut ſuſurrus venti, colliſio lapidum, ſonus bombardæ, (huc pertinet tractatus Morhofii de vitro per ſonum fracto)*

& inarticulatam medii, *e)* ut psittacis &c. competit. Sermo verò ſemper articulatus eſt.

6. Illam differentiam omitto, quod *vox* ſit ſignum jucundi & moleſti, *ſermo* verò inſuper etiam utilis ac damnoſi, honeſti itidem ac turpis, *f)* quoniam latet jam in differentia præcedenti, quamvis bonum utile vel hic planè omitti, vel ad vocem etiam extendi malim. *g)*

7. Igitur *ſermo ſolis hominibus* competit, qvà beſtiis contradiſtinguuntur, & ratione utuntur vel ipſo Ariſtotele conſentiente. Notabilia ſunt verba Ciceronis: *Natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vitæ ſocietatem.* Item: *Societatis vinculum eſt ratio & oratio, quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando conciliat inter ſe homines, conjungitq́ naturali quadam ſocietate.*

8. Vides hic *rationem*, *ſermonem*, *ſocietatem* à Cicerone conjungi. Rem magis illuſtrabunt ea, quæ ſupra *h)* circa expoſitionem ſocialitatis diſſeruimus.

9. Ipſe Gentium Doctor Paulus *i)* dum Epheſios à mendacio avocat, & veritatem iis inculcat, nullam aliam adducit rationem, qvàm, *quod homines invicem membra ſint*, non phyſica haud dubiè, ſed moralia ac ſocialia.

10. Igitur cum *ſermonis finis primarius* ſit, *l)* ut homines raciocinentur inter ſe, ratiocinatio verò requirat ſtatum tranquillum, *m)* generale etiam præceptum de officio ſermocinantium

e) *Si enim attendas, ingens erit differentia in ſono vocis Pſittaci & hominis.*

ad §. 6. f.) *Eò inclinat* Uffelm. d.l. & Puf. hic §. 1.

g) *Quoniam & beſtiæ ſigna dant per voces rei utilis, quatenus utilis res ea dicitur, quæ pertinet ad conſervationem individui. Conf. ſuprà* l.1.c.1.§.16.

ad §. 8. h) L.1.c.4.§. 52. ſeq. *ubi oſtendi rationem non eſſe absque ſermone, neutrum horum absque ſocietate.*

ad §. 9. i) ad Epheſ. IV. v.25. Uffelm. p.10. §.12.

ad §.10. l) *Conf. Uffelm.* p.31. §.2.

m) *per dicta* lib. 1, c.4. §.55.

tium erit: SERMONE ET RELIQVIS ANIMI SIGNIS UTERE AD PROMOVENDAM TRANQVILLITATEM COMMUNEM.

11. Sed de hoc quidem non poterit esse dubium, & specialiora haud dubiè axiomata desideras, quæ statim dabo, si modo differentiam inter *sermonem* & *reliqua signa animi* ostendero. Ea verò in termino *vocis* latet.

12. Scilicet *signa* rerum sunt vel *naturalia* vel *arbitraria*. *Illa* ex naturali habitudine rerum deducuntur, atque ad physicos & medicos pertinent. Ita fumus ignis, aurora diei, pallor morbi vel amoris *n*) &c. fuga timoris, indicia sunt.

13. *Arbitraria* sunt, quæ significant ex arbitrio hominum, eoque non singulorum, prout seorsim considerantur, sed prout mutuo consensu eadem determinarunt.

14. Cum enim his signis omnibus intendatur, ut alterius cogitationes aliis communicentur, & verò homo hominis mentem introspicere nequeat, indicia verò mentis naturalia sint paucissima, *o*) eaqve ab hominibus artis simulandi *p*) gnaris sæpissimè supprimantur, non prospectum fuisset socialitati, si cuilibet pro lubitu signis significationem quamcunque imponere fuisset liberum, sed necesse fuit, ut desuper per mutuum consensum homines convenirent.

15. Sunt verò signa ista arbitraria vel *communia* plerisque populis, vel *propria* quorundam.

16. Utraque vel à *variarum* earumque infinitarum *rerum* usu, *q*) vel in specie ab usu & varatione *vocis humanæ* petita sunt.

17. Po-

ad §. *12.* n) *Rarissimè studiorum*. Conf. Uffelm. p. 16. §. 7.

ad §. *14.* o) *Ut rubor pudoris vel iræ, lacrymæ pœnitentiæ vel tristitiæ.*

p) *Huc pertinet lacrymæ mulierum.*

ad §. *16.* q) *Ut sunt ignes nocturni, & alia signa navibus data, signa itineris terrestrium. Ignis usus in montibus apud*

17. Posteriora hæc & à *sermonis* usu orta præ reliquis ad socialitatem custodiendam *aptissima* sunt, in tantum, ut citra sermonem vix ulla aut nonnisi incultissima inter homines societas, pax & disciplina foret.

18. Et cogita saltem duos homines aliqua necessitate simul cogi, *r*) quorum neuter alterius linguam calleat, facilius bestiæ etiam diversi generis *s*) inter se sociabuntur, quam isti, etsi sint homines. Neque proderit quicquam ad consociandos homines tanta similitudo naturæ, si sensa animi propter solam linguarum diversitatem communicare nequeant; quin libentius erit homo cum cane suo, *t*) quam cum homine alieni idiomatis.

19. Taceo infinita incommoda, quæ ex æquivocatione reliquorum signorum vel diversi idiomatis non poterunt non oriri. Sic Italus calorem nimium aquæ ferre non sustinens, dum suum *caldo* frequenter ingeminat, à Balneatore Germano de frigore ipsum queri putante, affusione fervidæ pene fuit exanimatus. Ita Germanus in exterâ provinciâ, querulâ voce dentes monstrans, & signo isto sedationem urgentis famis quærens, dentibus miserè fuit privatus, *u*) putante hospite, hospitem suum laborare odontalgia.

20. Cœ-

apud Persas: Horologia. Hederæ, pulsus Campanarum, hastæ, tabulæ ædibus præfixæ, tubarum sonitus, tympanorum pulsus, tormentorum displosio: Loco assurgere, via cedere, inclinari, manus osculari, caput nudare, medium digitum ostendere, barbam apprehendere &c. Conf. Pufend. §. 2. Uffelm. p. 17. §. 8.

ad §. *18.* r) *Verba sunt Augustini ap. Uffelm.* p. 19. §. 9.

s) *v. g. canis & cattus, si simul educentur.*

t) *Cum hoc enim facilè per signa ludere potest.*

ad §. *19.* u) *Felicior ille, qui dum cancros comedere volebat, repebat retro &c. Huc pertinet historia de homine indocto & Principe, qui inter cœnandum Epigramma legens simul manibus in patinam directis dicebat:* Das ist ein herrlich *Epigramma &c.*

20. Cœterum etsi de *origine Sermonis x*) varia fabulati fuerint gentiles historiâ creationis destituti, nobis verò ex sacris literis constet, primævam lingvam à Numine primis hominibus immediate fuisse infusam, quam ex ipsis geniti usu audiendi deinde didicerint, donec exstructio turris Babylonicæ diversitati linguarum ansam dederit, in eo tamen ferè assensum præbuerunt Ethnici, sermoni non à naturâ aut intrinsecâ quadam necessitate, sed ex *mero hominum arbitrio* atque instituto inesse vim significandi.

21. Nisi fortè velis excipere, quæ contrà apud Platonem Cratylus disputat, vana omnino & ab aliis *y*) jam explosa prolixius.

22. Uti verò *reliqua signa* animi *conventione* hominum vel expreßâ vel tacitâ valent, sic & *sermo* ex iisdem fontibus *z*) vim significandi habet.

23. Est autem conventio ista vel *generalis*, inter integrum populum eâdem lingua utentem de rebus vulgò notis & usitatis, vel *specialis* inter artifices & eruditos de rebus populariter non cognitis, sed à communi usu remotis.

24. Quamvis verò, ut inscriptio capitis ostendit, principaliter hic de officiis circa sermonem simus acturi, dicta tamen *a*) ostendunt, dicenda etiam ad reliqua animi signa debere applicari, unde & in axiomate generali hæc sermoni junximus.

25. Inter ista duo *Literæ* quasi intermediæ sunt, quapropter & usu juris Civilis modò ad verba, modò ad facta *b*) referuntur.

Ad §. 20. x) Uffelm. p. 19. 20. 21. Puf. §. 3. & 5.

ad §. 21. y) Puf. §. 4. Uffelm. p. 21. *Nec obstat, quod Adamus imposuerit bestiis nomina secundum ipsarum naturam. Aliud enim est significare naturam, aliud natura. Radices pro libero arbitrio imposuit, ab his derivata applicuit ad bestias.*

ad §. 22. z) *Scilicet ex usu mutuo & diuturno ac per mores recepto.*

ad §. 24. a) §. 12. seqq. *quia homo & reliquis signis utitur ad ratiocinandum.*

ad §. 25. b) *In injuriis ad verba, in verborum obligatione ad facta.*

runtur, accedunt tamen magis ad verba & ſermonem, cujus imago ſunt, uti ſermo mentis.

26. His præmiſſis *triplicem claſſem* facio præceptorum ſpecialium de officio hominis circa ſermonem, quarum prima *actum loquendi*, ſecunda *electionem ſignorum*, tertia *convenientiam animi cum ſignis concernit.*

27. Quoniam enim ſermo eſt index animi, tres potiſſimum quæſtiones inde oriuntur. (1) An animi mei ſenſa alteri ſint indicanda? (2.) An in declaratione ejus ſignis ab aliis inventis ſit utendum? (3.) An correſpondere debeant ſigna cum animo?

28. Procedet verò res omnium facillimè, ſi ad tres claſſes illas quatuor præcepta ſpecialia abſoluta, tum & generale hujus capitis, quod à fine ſermonis petiimus, applicuerimus.

29. In primâ igitur claſſe præceptum negativum eſt: *c*) TACE, SI PER LOQVELAM TUAM OFFENDANTUR ALII, AUT DAMNUM PRÆTER MERITUM INCURRANT, AUT HUMANITAS, VEL PACTUM VEL INGENERE PAX COMMUNIS TACITURNITATEM EXIGANT.

30. Coërcet hoc præceptum non ſolum *injuriam verbalem,* ſuo modo etiam *jactantiam, Adulationem & Scurrilitatem,* ſed maximè *Garrulitatem.*

31. Quæ uti omnibus vitanda, ita potiſſimum à miniſtris Reip. belli ducibus, Legatis, conſiliariis &c. debet eſſe aliena.

32. Præceptum affirmativum primæ claſſis eadem inculcat: *d*) LOQVERE, QVOTIES EX HUMANITATE VEL PACTO AD LOQVENDUM OBSTRICTUS ES, VEL TACITURNITAS DAMNUM VEL CONTEMPTUM ALTERI INFERT, AUT TRANQVILLITATEM LÆDIT.

33. Additur ab aliis: *e*) *Loquere quoties id exigit honor divinus.*

---

ad §. 29. c) Uffelm. p. 40. ſeq.
ad §. 32. d) Puf. §. 7. Uffelm. præcept. 7. 8. 9. 10. 11. p. 43. 44. 50. ſeqq.
ad §. 33. e) Uffelm. p. 43. 44. 45. ſeqq.

-vimus. Sed quemadmodum hæc limitatio jam ex parte sub nostra regula includitur tacitè, & quatenus omnia præcepta juris naturalis honorem DEI internum tanquam principium prius præsupponunt; ita expresse hujus limitationis additione vel ideò abstinemus, quoniam ii respiciunt potissimum honorem externum & decisionem quæstionis difficillimæ: *quando fidei confessio sit necessaria, quando non?* cujus, tanquam circulos Jurisprudentiæ transgredientis, decisionem relinquimus Theologis. *f*)

34. Peccant verò contra hoc præceptum, qui *pericula* reipublicæ vel concivi aut in genere proximo imminentia *tacent*, qui informationem professi, *non sunt fideles*, qui educationi suæ concreditos *non emendant*, &c.

35. Etsi autem in primâ classe duo præcepta specialia posuerimus, in secunda tamen unico erimus contenti, eoque negativo: VOCABULA NON IN ALIA SIGNIFICATIONE ADHIBE, QVAM CONVENTUM EST. *g*)

36. *Ratio* differentiæ in eo sita est; quod taciturnitas si non majorem, certè æqualem usum socialitati præbeat ac loquela. Aliud verò dicendum sit, si quis verbis in singulari significatione citrà conventionem uti velit.

37. Uti enim per singularem hanc impositionem alii facillimè lædi possunt, ac ita nullatenus promoveretur utilitas humani generis; ita potissimum, ut ex notatis patet, violatur pactum seu expressum seu tacitum, quo omnem sermonem niti diximus.

38. Scio equidem, non ademptam planè esse singulis potestatem τῦ ὀνοματοποιεῖν, potissimum philosophis. Sed hanc licentiam regula nostra non tangit, quoniam & ipsa conventione expressâ vel tacitâ nititur. Quousque verò licentia ista se extendat, fortè exponemus alibi distinctius.

 39. Re-

f) *Huc pertinet Saldeni dissertatio de Jure Zelotarum in otiis Theologicis.*
ad §. *36.* g) Puf. §. 5. 6.

39. Restat classis tertia. Præceptum affirmativum est: EA LOQVERE, QVÆ CUM ANIMO TUO CONVENIUNT, SI HUMANITAS VEL PACTUM ET COMMUNIS TRANQVILLITAS TALIA EXIGANT.

40. Oppositum est huic alterum negativum: FALSILOQVIO ABSTINE, b) QVOTIES PER ID ALTER LÆDERETUR, AUT CONTEMNERETUR, ET PAX HUMANI GENERIS TURBARETUR.

41. Scilicet tum teneor alteri sensa animi indicare & convenientia cum animo meo loqui, quoties is, quo cum ago, ad *id jus perfectum* aut *imperfectum* habet; id verò fit, quando unum ex quatuor istis præceptis absolutis talia exigit.

42. Quia verò sermo etiam propter nos ipsos est inventus, ideo *ubi mea aliqua non contemnenda versatur utilitas*, neque cujusquam alterius jus læditur, licebit sermonem ita formare, ut diversum ab eo, quod in animo volo, exprimat.

43. Quin & *si aliorum utilitatem intendamus*, ita dispositorum, ut vera loquendo detrimentum afferamus ipsis, licebit & hoc casu ficto coloratoque sermone uti. Nam qui alicui prodesse vult, & debet, non utique id tenetur facere eo modo, quo finem suum non erat obtenturus.

44. Nam etsi natura velit, ut mentis interpres sit oratio; vult tamen id fieri cum prudentia & cæteris paribus, vult etiam, ut sermone mutuis & communibus commodis consulatur. Atque cum hic posterior sit primarius sermonis finis, à quo alter mensuram capit, non poterit contra legem naturæ esse intentio fallendi, quæ ad hunc finem directo tendit.

45. Accedit, quod Philosophi in eo consentiant, veritatem præcipere, ut verum dicendo suum cuique tribuamus: Ergo vi oppositorum non nisi illud falsum prohibet, quod fraudi est alteri eique innocenti.

46. At,

ad §. 40. b) *Sed annon falsiloquium præceptum erit aliquando?* Conf. §. 43. & 63. *&* *quoad hæc duo præcepta* Pufend. §. 7. & de O. H. l. 10. §. 4. 5. 6. Uffelm. p. 145. §. 8. & p. 146.

46. At, inquis: *Quilibet habet perpetuò jus, ne fallatur & decipiatur ab altero.* Ergo semper falsiloquium erit turpe.

47. Imo verò, quâ fronte tu hanc objectionem asseris, eâdem ejus universalitatem negabo. *i*) Ad alia dissentientium argumenta respondent alii. *l*)

48. Ex dictis patet, quid propriè sit *veritas*, quà virtus est, quid item huic oppositum vitium, quod *mendacium* dicitur.

49. Nempe aliud est veritas *Metaphysica*, aliud *Logica*, aliud *Ethica. m)* Prima est *affectio entis*, quatenus id refertur ad existentiam. Secunda *affectio propositionis*, quatenus id quod de Subjecto affirmatur vel negatur, reipsâ ita se habet citra cogitationem hominis. Unde illi opponitur *Falsitas metaphysica*, affectio non entis (vel accuratius loquendo nihil opponitur veritati metaphysicæ, cum non entis nulla sint prædicata.) Huic verò *propositio falsa*.

50. Cæterum uti veritas *Logica* consistit in convenientia propositionis cum re extra mentem, ita veritas *Ethica* consistit in convenientia signorum externorum maximè sermonis cum mente.

51. Sed hic cave hanc *veritatem Ethicam* statim appelles *virtutem moralem. n*) Nam Ethica tractat etiam de actionibus indifferentibus, non de honestis saltem aut turpibus.

52. Itaque tum demum hæc veritas virtutis nomen meretur, quatenus hæc convenientia verborum cum animo, jus suum cuique tribuit. Unde & cum addito poterit appellari *veritas justitiaria*.

53. Quamvis communiter Peripatetici *o*) hoc additamentum usurpent, quo hanc virtutem distinguant à *veritate homile-*

 tica-

ad §. 47. i) *Uffelm.* p. 147. *effugium quærit in voluntate præsumta.*

l) *Puf.* §. 9. circa finem & 10. *Uffelm.* p. 28. 29.

ad §. 49. m) *Conf. Patrem* annot. 100. ad Philol. Pract.

ad §. 51. n) *Quamvis vero B. Pater* d. l. *ita apellaverit, tamen videtur saltem ibi rem tractasse obiter.*

ad §. 53. o) *Pater* annot. 66.

tica, quam ſtudio omittimus, quoniam non pauci commentatorum virtutes homileticas vel pro virtutibus non neceſſariis habent, vel ornamenta potius virtutum quam virtutes appellandas eſſe cenſent.

54. In ſpecie quod veritatem homileticam attinet, videtur magis ad virtutes *intellectus* pertinere, quàm ad morales. Unde & Ariſtotelis judicio jactator magis vanus (ματαιος) eſt quàm malus (κακός.)

55. Quin *jactator* quatenus vitium voluntatem afficit, non tam ideò peccat, quod *falſa* de ſe dicat (niſi quatenus ea locutio cum injuria alterius eſt conjuncta, ubi jam pertinet ad oppoſitum veritatis juſtitiariæ) ſed quod *multa* ſive vera ſive falſa de ſe loquatur. *p*)

56. Simul conſtat exinde, *non accuratè veritatem homileticam definiri, q*) quod ſit virtus mediocritatem ſervans circa dicendum de ſe in converſatione communi veritatem; cum dici debuiſſet, eam ſervare mediocritatem circa loquendum de ſe in genere.

57. Vel potius, *virtuti huic incongruum nomen veritatis eſſe impoſitum*, cum ejus eſſentia non conſiſtat in convenientia ſignorum cum mente.

58. *Veritati Ethicæ* in genere ſic dictæ opponitur *falſiloquium*, quod adeò conſiſtit in diſconvenientia ſermonis ab animo loquentis fallere alterum intendentis.

59. *Veritati juſtitiariæ* opponitur *mendacium*, quod hoc nomen meretur, ſi per iſtam diſconvenientiam & intentionem fallendi alterius jus lædatur.

60. Hinc patet *falſiloquium* & *mendacium* non eſſe Synonyma, cum omne mendacium ſit turpe, falſiloquium quandoque indifferens.

61. Adeoque illos qui omnem diſconvenientiam ſignorum ab

ad §. *55*. p) Conf. ſuprà §. 30.
ad §. *56*. q) *Ita ex mente Peripateticorum definit Pater* in Tabulis Philoſ. Pract.

ab animo pro mendacio habent, ſpeciei vocem impropriè extendere ad genus, ſimulque dum mendacium ita deſcriptum in univerſum pro vitio habent, male prædicare affectiones ſpeciei de genere.

62. Porro & inconvenientem eſſe locutionem, quaſi *vir verax poſſit mendacium dicere, non mentiri. r*) Nam mentiri equidem & mendacium dicere Synonyma ſunt. Differunt verò mendacium dicere & falſiloquium dicere.

63. Ulterius mendacium, quod *officioſum* & *jocoſum* vulgo dicunt, impropriè mendacium eſſe, quod jam Lutherus obſervavit, officioſum non malè ſingularem virtutem & prudentiam eſſe aſſerens. *s*)

64. Denique, quod ad *veritatem fides, t*) ad *mendacium* à quibusdam referatur *perfidia*, magis convenire ſermoni vulgari, quam ſtylo philoſophico.

65. Equidem qui promiſſa ſervat, vulgariter veritatem locutus, qui perfidus eſt, mentitus eſſe dicitur.

66. Sed philoſophicè *fides* & *perfidia* à veritate in generali conceptu differunt, cum earum eſſentia conſiſtat in convenientia vel diſconvenientia actionum ſubſequentium cum ſignis animi præcedentibus.

67. Nam qui ab initio veritatem dixit, poterit poſteà perfidus fieri, & qui mentitus eſt, pœnitentiâ ductus fidem ſervare.

68. *Affines* inſuper *falſiloquio*, neque tamen cum eo confundendæ ſunt *ſimulatio*, & *diſſimulatio* in genere à falſiloquio *differentes*, quod illud fiat ſermone, hæc facto ſtrictè dicto, quatenus verbis opponitur. *u*)

69.

ad §. 62. r) *Notat hoc etiam Ulffelm. Fortè tamen, qui hac propoſitione utuntur, per mendacium intelligunt, non falſiloquium, ut nos, ſed propoſitionem logicè falſam. Quæ tamen & ipſa valdè impropriè diceretur mendacium.*

ad §. 63. s) vide D. Val. Albert. diſput. de ſimul. & disſimul.

ad §. 64. t) *Quod facit etiam Ulffelmannus.*

ad §. 68. u) Conf. Grot. III. 1. 8. Albert. d. diſp.

69. In eo verò utraque *convenit* cum falsiloquio, quod in simulatione & dissimulatione intendam alterum fallere & decipere.

70. Differunt autem *simulatio* & *dissimulatio inter se*, quod hæc consistat in facto omissionis, quale etiam est taciturnitas, hæc in facto positivo, adhibendo nempe signa reliqua præter sermonem, ita, ut non conveniant cum animo utentis.

71. Cum itaque *simulatio* magis accedat ad *falsiloquium*, *dissimulatio ad reticentiam* veri, simul facile constat, nihil novi de justitiâ utriusque hic expectandum esse, sed ea tantum quæ de taciturnitate diximus suprà, hoc loco ad dissimulationem, quæ de falsiloquio, ad simulationem applicari debere.

72. Simul evidens fit, quid sentiendum fit de divisione JCtorum in *dolum bonum* & *malum*, à multis impugnatâ, & parum intellectâ. Nam cum *dolum* definiant per fallaciam, voluerunt hoc communi nomine falsiloquium, simulationem & dissimulationem conjunctim efferre.

73. Et ergo cum ostenderimus dari falsiloquium licitum, licitam item simulationem & dissimulationem, dabitur etiam *dolus bonus*.

74. Denique & illud ex dictis sequitur, facilius per tradita & magis perspicuè quæstionem de licentiâ fallendi alios esse expositam, quam si cum aliis x) distingvas inter *falsiloquium* & *reticentiam veri* y) aut hujus *ex parte narrationem*, z) item inter *mendacium* & *sermonem ambiguum*, vel tacitam quandam *restrictionem*.

75. Nam quemadmodum hæ distinctiones ex parte impiam & scelestam opinionem tegunt, qualis illa de *reservatione mentali*, ita reliquæ, quæ in *reticentia veri* & *sermone ambiguo* quærunt effugium, ad litem definiendam non sunt aptæ, sed easdem limitationes admittunt, quas in falsiloquio adhibuimus. Quod ab aliis prolixius est expositum.

76. Jam

ad 74. x) *vide Dn. Puf.* §. 11. 12. 13. 14.
y) *Ergone mihi in specula constituto liceret tacere?*
z) *Exemplo Jeremiæ & Athanasii.* Pufend. d. §. 14.

76. Jam ex præcedentibus facile possumus specialiora definire. Initio [1.] non licebit indistinctè falsiloquio uti *adversus infantes & amentes*, quasi hi non habeant libertatem sermonem nostrum dijudicandi, sed cum & ipsi sint æquè homines, tùm demum fictos sermones fabulasque adversus ipsos usurpare licebit, si utilitas eorundem magis promoveatur, & quatenus nimirum nudæ veritatis non sunt capaces.

77. Eadem ratio à mendacii vitio eximet, si quis [2.] *adversus adultos* fictum sermonem bono fine & in *ipsorum* aut communem *utilitatem* adhibeat, quam plano sermone assequi non licebat, puta si v. gr. innocens protegendus, iratus placandus, mœstus demulcendus, meticuloso animus addendus, fastidiosus ad medicamenta capienda movendus, pertinacia alicujus frangenda, aut malum propositum alterius intervertendum sit; modo tamen cætera sint paria, & v. gr. id non fiat cum ludibrio numinis divini. *a)*

78. Multo magis igitur [3.] licitum erit pro obtinendâ *utilitate reipublicæ* arcana ejus & consilia, quæ interest aliorum notitiæ subtrahi, ficto sermone obvelare, *b)* aut in rebus dubiis & obscuris sententiam ferre ab animo ferentis alienam ad eruendam veritatem *c)*

79. Id verò non indistinctè admittendum, quod aliqui arbitrantur, [4.] mendacium non esse, *d)* quoties fictum sermonem ad aliquem dirigimus, qui non decipitur, etiamsi *tertius* falsam inde hauriat persuasionem, quoniam cum hoc tertio mihi nihil fuerit negotii.

80. Nam quemadmodum hæc ratio in universum non procedit, sed sæpissimè, si in communi conversatione simus, cum omnibus, qui præsentes sunt, negotium mihi esse censendum sit,

Ii etsi

ad §. 77. a) *Quale est factum Agesilai* ap. Pufend. §. 16.

ad §. 78. b) *Huc pertinet suo modo factum Papirii & alterius Romani de ave galeata* ap. Puf. §. 18.

c) *Exemplo Salomonis, Claudii, & Nelei* ap. Puf. §. 17.

ad §. 79. d) *Quæ est sententia Grotii.*

etsi sermonem meum ad unum sociorum in specie dirigam: ita si vel maximè hanc rationem admitteremus, non tamen ejusmodi actus propterea in universum à vitii nota proterit liberari, cum præter mendacium alia adhuc sint peccata sermonis.

81. Cavendum igitur hic erit quàm maximè, ne quis hoc casu in præceptum negativum classis primæ, quod suprà posuimus, impingat, adeoque multæ limitationes, ab aliis *e)* jam exactè expositæ, hic sunt addendæ.

82. Præprimis si quis eo modo molestam & noxiam aliorum curiositatem avertere velit, opera danda, ne alii innoxii inde damnum sentiant, *f)* quin & ut ipse qui sic intempestivè curiosus est, malo haud magno & injucundo magis, quam damnoso afficiatur. *g)*

83. Sed [5.] cum *hostibus* apertâ vi possimus nocere, licebit etiam ipsis per fabulas aut fictos sermones illudere, modo non id fiat in pactis cum hoste initis, quia per hæc etsi non in totum, in tantum tamen ab hostilitatis statu recedimus.

84. Quæ limitatio quoque ad reliquas species, in quibus falsiloquium licitum esse diximus, erit applicanda, quoniam ut modo monuimus, præceptum de fide servanda à præcepto veritatis diversum est.

85. Difficilior est inspectio, an citra mendacii culpam [6.] *reus delictum* cujus insimulatur, negare aut *fictis argumentis eludere* queat. Mihi negativa arridet, *h)* non solum si agatur de solutione debiti vel restitutione damni, sed &, si potissimum quæstio sit de inferendâ pœnâ.

86. Nam cum concedatur, judicem habere jus & facultatem

---

ad §. 81. e) *à Pufend.* d. §. 18.

ad §. 82. f) *Huc iterum pertinent facta jam notata* lit. b.

g) *Ut si puero rem succo amaro plenam proponam, & ei qui literas meas aperit, rem ingratam in literis narrem.* Puf. §. 18.

ad §. 85. h) *Dn. Pufendorffio affirmativa, si quis ea qua hic §. 20. habet, conferat cum iis, quæ disserit in capite de pœnis.*

tem quoquo modo veritatem à reo exsculpendi, sponte sua ob suprà i) dicta (de veritate loquendâ, quoties is, quocum ago, jus ad eam habet,) sequitur, in reo quoque esse obligationem veritatem judici dicendi. Accedit, quod jus & obligatio, ut initio l) harum institutionum demonstratum fuit, sint correlata, quorum unum non existere poterit sine altero.

87. Unde non intelligo, quod adversus ista regeri solet; *non cuilibet facultati, quæ nudum exercitium alicujus actus notat, in objecto suo obligationem respondere*, siquidem objectum istud sit homo, ut in præsenti casu.

88. Præprimis, cum judex habeat facultatem, istam veritatem exquirendi à reo, non solùm adversus alios, ne ipsum in ejus exercitio turbent, sed vel maximè adversus ipsum reum.

89. Et læderetur profectò nimium quantum respublica, si delinquentes nullos conscientiæ stimulos sentirent, delicta confitendi, cum rarissimè hoc pacto finem pœnarum obtinere posset, testibus & aliis probationum generibus in actibus istis plerumq; occultis ordinariè deficientibus; torturæque usu hâc quidem hypothesi præsuppositâ, maximè illicito.

90. Quod autem affertur, reipublicæ non valdè interesse, ut pensatione damni factâ, puniatur delictum non notorium, quodque adeò colore aliquo tegi & excusari possit; nescio, an doctrinæ civili sit conveniens; quoniam, etsi finis pœnarum potissimus sit aliorum emendatio, quæ propterea & notitiam delicti præsupponit, tamen plerumque, si non semper, delicta non sunt notoria judici; sunt verò notoria complicibus, vel aliis concivibus, vel indicia etiam, quæ ad condemnationem non sufficiunt, ad scandalum tamen præbendum sunt sufficientia.

91. Prætereà non intelligo, vel certè rarissimus erit casus, quomodo pensatione damni facta, delictum possit dici non notorium, cum vel damnum resarciendo quis delictum quasi fateatur, vel in universum ferè, qui delictum negat, etiam damni restitutionem detrectet.

ad §. 86. i) §. 40. 41. l) L. 1. c. 1.

92. Neque obstat assertioni nostræ: neminem teneri, ut quis ultrò ad pœnam se offerat, aut nomen suum ipse deferat; ergo etiam per negationem criminis non peccari. Præterquam enim quod antecedens ulteriorem mereatur discussionem, de qua infrà suo loco; consequentia insuper non videtur procedere.

93. Quippe non solum aliorum regula; quasi quæ liceat non dicere etiam aliter dicere ob rationis similitudinem liceant; & ex adverso, quæ non possunt secus dici quam revera habent, ea nec taceri queant; à quibusdam pluribus instantiis fuit impugnata, *m*) & jam aliquoties monitum fuit; locutionem & veri locutionem ad diversa præcepta pertinere; sed & in genere multa non licet denegare, si rogatus fueris, ad quæ sponte præstanda non es obligatus. *n*)

94. Denique quod adjicitur: Pœnam invito esse infligendam; ad quæ vero obligamur, ultrò & à volentibus suscipi debere; at à pœnis non posse non hominem naturaliter abhorrescere: cum præsupponat, in delinquente non hærere obligationem ad pœnam, differendum est inferius, ubi hoc caput peculiariter exponemus.

95. Cum vero advocatus à reo adscitus ipsius rei Interpretem agat, ac eodem propterea defensionis modo uti debeat, quem adhibere licebat reo, hinc ex dictis hactenus simul manifestum redditur, neque hunc etiam in criminalibus posse falsa jura aut fictas sententias allegare, vel reum ad negandum instruere, aut causam salva conscientia suscipere, ubi reus crimen clam ipsi confessus fuerit. *o*)

CAPUT

ad §. 93. m) Vide Uffelm. de offic. hom. circ. serm. p. 148. *ubi contrà Praschium disputat, & instantiam de confessione fidei & exemplo Papirii dat.*

n) *e. g. Servitia feudalia.*

ad §. 95. o) *Dissentit Dn. Pufend.* §. ult. *eadem videlicet advocato concedens quæ indulserat reo.*

CAPUT. IX.

De
Officio Jurantium.

SUMMARIA.

Juramenta in subsidium corruptæ naturæ inventa. §.1.& 2. *Moralitas ex statu integro deduci nequit.* §.3. *Juramentorum licentia* §.4.5. *Juramenti definitio* §.6. *Finis ex parte ejus, cui juratur* §.7.8. *& qui jurat* §.9.10. *Juramentũ vel promissorium vel assertorium* §.11.12. *ad quæ genera referuntur species juris Romani* §.13. *Juramentum est oratio accessoria* §.14. *Superflua divisio juramenti in promissorium & confirmatorium* §.15. *Non supervacuum, quod juramentum accedat obligationi jam antea firmæ* §.16. *Neque enim per id confirmantur actus antea infirmi.* §.17. *Unde non valent juramenta super re illicita.* §.18.19. *Quid si de re in se non illicita, sed per quam impediatur majus bonum morale* §.20.--23. *aut impossibili?* §.24. *Juramentum non immutat naturam & substantiam promissi.* §.25. *Unde multa quæ de promissis in genere notavimus, hic repetenda.* §.26.--36. *Modus jurandi* §.37.--39. *ut Deus invocetur tanquam testis & vindex.* §.40.--42. *Juramenta per creaturas* §.43. *aut res nobis caras.* §.44. *Juramentum expressum vel tacitum.* §.45. *Juramenta jocularia.* §.46. *Juramenta non producunt novam obligationem.* §.47. *Igitur hic non peculiare, quod à juramentis omnis dolus & cavillatio abesse debeat* §.48. *aut quod ea quandoque strictè sint explicanda* §.49. *An nota interpretationis strictæ, si juratum sit in odium alterius.* §.50.-57. *Perjurus majorem reatum contrahit,* §.58. *heredes tamen jurantis pro perjuris non habendi.* §.59. *Tollitur juramentum per relaxationem & dispensationem, & quæ hic observanda.* §.60.--64. *Affinia juramenti obtestatio* §.65. *contestatio* §66. *promissiones injuratæ principum.* §.67. *Officia hominum circa juramentum* §.68.

§. 68. I. quatenus est accessio sermonis: VERITATEM LOQUERE. §. 69. Juramentum debet esse conforme menti ejus, cui juratur. §. 70. -- 73. PROMISSA SERVA. §. 74. Perjurium. §. 75. 76. Falsum testimonium. §. 77. Perfidia jurata. §. 78. 79. 80. Aliæ perjuriorum species. §. 81. - 84. II. quatenus habet clausulã juratoriam: NON JURA TEMERE, NON JURA NISI PER DEUM. §. 85. -- 88. Juramenta temeraria. §. 89. -- 91. Ex Lege naturali jurandum per Deum §. 92. ex positiva per Deum verum. §. 93. -- 97. An liceat per creaturas jurare? §. 98. -- 102. Tres juramenti comites: veritas, justitia, judicium. §. 103. Officium ejus, cui juratur: NON TEMERE JURAMENTUM POSCE. §. 104. An liceat juramentum ei deferre, quem pejeraturum esse scio? §. 105. -- 110. An liceat ab infideli juramentum, quod ipse per falsos Deos præstat, exigere? §. 111. -- 114.

§. I.

SI *integer* mansisset homo, *a*) juramenti quidem nullus fuisset usus; hoc enim in subsidium *natura corrupta* tantum introductum est, quia in statu corrupto non aliud suppetit nobis medium, quo in eo, qui aliquid asserit vel promittit, fallaciam aut perfidiam, in altero verò, cum quo negotium est, dubitationem & incredulitatem ex intentione nostra supprimeremus. *b*)

2. Dum enim omniscius & omnipotens testis simul & vindex invocatur, *c*) præsumtio veritatis & fidei ideò excitatur, quod nemo temere credatur tàm impius, ut ita petulanter gravissimam numinis indignationem in se deposcere sit ausurus.

3. Quod si igitur officia jurantium ex statu integritatis vellemus deducere, idem esset, acsi cuperemus aquam accersere ex igne.

4. Non tamen putandum est, juramentum esse *inventum corru-*

ad §. 1. a) *Consentit Alberti* Part. 2. p. 121. §. 38. & p. 123. §. 42.

b) *Conf. cum hoc toto capite Pufend.* lib. 4. c. 2. *& hic quidem* §. 2.

ad §. 2. c) Uffelm. de Offic. hom. circ. serm. p. 106. §. 1.

corruptum corruptæ naturæ. Nam uti nulla hoc ſvadet ratio, ita in ſacris literis non unâ vice juramenta ſunt præcepta, & à ſanctisſimis viris adhibita. *d*)

5. Quæ verò in contrarium pro oſtendendâ prohibitione juramentorum ex ſacris literis ſolent afferri, ab aliis *e*) jam diu exploſa ſunt.

6. Definimus autem *Jusjurandum*, quod ſit deliberata numinis divini tanquam teſtis & vindicis invocatio, in aſſertionis aut promisſionis confirmationem.

7. *Finis* enim omnis juramenti ex parte ejus, *qui ſibi jurari curat*, eſt, ut homines ad enunciandum verum aut ſervandum promiſſum firmius adſtringantur metu divini numinis omnipotentis & omniſcii, cujus vindictam, ſi ſcientes fallant per juramentum, in ſe invocent, ubi aliàs metus ab hominibus imminens non ſatis efficax videbatur, quorum vires contemnere aut declinare vel ſcientiam ſe poſſe fallere ſperabant.

8. Unde ſi ulli juris divini præcepto adverſa eſt *atheiſmi* doctrina, eſt vero omni, ut ex libro primo patet, ſanè regulis, quæ de officio jurantium ponemus, directè contrariatur. *f*)

9. Ex intentione autem ejus *qui jurat*, juramenti finis eſt *certitudo* & *fides*, ut nempe alter, quocum agitur, certus & ſecurus reddatur vel de *veritate* illorum quæ affirmantur aut negantur, vel de *fide* jurantis, ſive de impletione eorum quæ promittuntur. *g*)

10. Quod eleganter expreſſit Apoſtolus, dum dicit: *h*) *Omnis controverſiæ hominum finem ad confirmationem eſſe juramentum. Confirmatur* enim utrobique is cui juratur, & dum certus redditur, & dum ſecurus. Niſi fortè dicere velis, Apoſtolum in ſpecie de juramento, quod litis deciſorium vocant, loqui.

11. Fluit

ad §. 4. d) Exod. XXII. 11. Deuter. VII. 13. X. 20. II. Corinth. I. 23.

ad §. 5. e) *Uffelm.* p. 106.-111. à §. 2-8.

ad §. 8. f) *Uffelm.* p. 106. §. 1.

ad §. 9. g) *Uffelm.* p. 113. §. 10.

ad §. 10. h) *Albert.* p. 121. not. 29. & p. 123. n. 33. *Uffelm.* d. l.

11. Fluit ex fine juramenti ejus *divisio. i*) Quædam enim promissis pactisque adduntur, ut eo majore cum religione observentur. Quædam autem adhibentur ad confirmandam alicujus assertionem circa factum illiquidum. Illud *promissorium* vocabimus, hoc *assertorium*.

12. *Promissorium* usurpatur ad assecuranda *futura*, *assertorium* ad confirmanda *præterita*.

13. Ad ista autem duo genera omnes juramentorum species referri possunt, ex divisionibus Jureconsultorum Romanorum ortæ, e. gr. quod aliud sit juramentum *testium*, cum nempe quis super alieno facto jurat; aliud, quando is, cujus proprium negotium est, juramento suo controversiam solvit, sive id fiat *deferente parte adversa*, idque tùm extra judicium, quod *voluntarium*; tum in judicio, quod *necessarium* appellant, sive deferente judice, quod *judiciale* vocant, cujus species sunt juramentum *purgatorium* & *suppletorium*. Nam universa hæc juramentorum genera pertinent ad juramentum assertorium.

14. Simul eò *finis* juramentorum nos ducit, ut discamus, juramenta esse *orationem accessoriam*, quæ jam aliam assertionem & promissionem, quam firmet, præsupponit, quæ observatio in multis suam utilitatem ostendet, ac propterea probè notanda est. *l*)

15. Hinc abstrahendo à legibus civilibus, non magnum usum habebit distinctio juramenti *m*) in *confirmatorium*, quod accedat promissioni separatim factæ, & *promissorium*, cum quid directe promittitur jurato. Nam, ut ex jam dictis patet, utrumque hoc juramentum promissorium est, utrumque obligationem aliam confirmat, sive ea sit præcedens, sive concomitans.

16. Neque supervacuum est *juramentum, quod obligationi jam antea firmæ accedit*. Scilicet, etsi omnes non Athei credunt, Deum violationem promissorum etiam injuratorum vindicare, iisdem

ad §. 11. i) *Pufend.* §. 18. — 22.
ad §. 14. l) *Pufend.* §. 6.

ad §. 15. m) Strauch Exerc. 25. th. 25. & 26. Puf. §. 19.

iisdem tamen haud quicquam vanè perſvaſum eſt, acerbius puniri, qui iram DEI expreſſe provocaverit, ac quantum in ſe fuit, ad ipſius miſericordiam viam ſibi præcluſit.

17. Quare non putandum eſt, cum finem juramenti in confirmatione diximus ſubſiſtere, ac ſi per id confirmentur *actus antea infirmi* & nullam obligationem ſecum habentes, aut producentes, ſed potius omnia fere, quæ ſupra de promiſſis & ſermone in genere diſſeruimus, hic repetenda erunt.

18. Igitur non valent juramenta ſuper *re illicita. n)* Neque per ſubſequens juramentum antegreſſa obligatio *valida elidetur*, aut jus per eandem quæſitum tolli poterit. Inde fruſtrà quis juraverit, ſe alteri debitum non ſoluturum.

19. Abſurdum quippe eſt invocare vindictam divinam, ni aliquid feceris, quod cum comminatione pœnæ à DEO eſt interdictum; adeoq; reverentia DEI velut in ipſius ignominiam abuti.

20. Porro præcedentem aſſertionem eò extendit Grotius, *o)* ut non valeat jusjurandum de re in ſe non illicita, *ſi modo per eam impediatur majus bonum morale*. Sed exempla quæ profert, pleraque ſunt de re illicitâ, v. gr. ſi quis juret, quod alteri nunquam benefacere velit &c.

21. Etſi enim regulariter ad exhibenda officia obligatio ſaltem ſit imperfecta, tamen & huic imperfectæ obligationi ſatisfacere nolle, peccatum grave eſt.

22. Igitur, ut de ſenſu extenſionis Grotianæ conſtet facilius, aſſumamus caſum, qui in facto contigit: *p)* Irâ commotus quispiam, quod agnatus ſuus fœminam natalibus defectam ſibi deſponſaret, juramento aſſeveraverat, *nolle ſe ejus nuptiis vel conviviis intereſſe, nec ad ſua quoque hilaria eum invitare velle.* Hic juramentum fuit de re non prorſus illicita, etſi per id majus bonum

Ad §. *18.* n) Puf. §. *6.* & 9. Uff. p. 114. §. 12.

ad §. *20.* o) *Adde Pufend.* §. 19. *& omninò Uffelm.* p. 115. §. 13. per integr.

ad §. *22.* p) vid. Ziegl. apud Uffelm. d. l.

morale (major nempe amicitia, quæ familiari conversatione multum augetur) fuerit impeditum.

23. At in ejusmodi casibus probabilior mihi videtur eorum sententia, qui judicarunt, *id juramentum servandum esse, q)* præprimis si quis se declaret, ut in isto facto jurans fecerat, quod in aliis vitæ & charitatis officiis alteri deesse nolit, nec etiam repulsurus sit, si sponte alter & non invitatus ad hilaria sua veniret.

24. Ita nec obligat juramentum super re *impossibili. r)*

25. Et in genere juramentum *non immutat naturam & substantiam promissi* pactive cui accedit. Neque igitur ex conditionato facit purum, neque amplius stringit, cessante qualitate, cujus intuitu alteri qvid jurato fuit promissum. *s)*

26. *Acceptatio* etiam requiritur in promisso jurato, idemque ab illo cui promissio facta, *remitti* potest. *t)*

27. Porro & contractus juramento sancitus, abstrahendo à legibus civilibus, rescindi poterit, si modo tales sint causæ, *u)* quæ etiam in statu naturali ad rescissionem sint sufficientes, qualis si sola sit, non est *minorennitas.*

28. Ulterius uti suprà in promissionibus requirebatur *animus deliberatus* ex parte promittentis, sic & idem requisitum necessarium est ex parte jurantis. Unde juramento haud quicqvam obstri-

ad §. 23. q) *vid.* *Uffelm.* d. l. *Vitium quidem fuit in temeritate, quod de ejusmodi causa juraverat. At Christus juramenta etiam temeraria vult esse servanda.*

ad §. 24. r) Puf. §. 11. Uffelm. p. 114. §. 12.

ad §. 25. s) *v. g. si magistratui jurato promisi obedientiam, & officium ejus postea cesset.*

ad §. 26. t) *Quod non procederet ita facile, si secundum mentem Grotii in juramento Deo fieret promissio.*

ad §. 27. u) *An talis causa est etiam læsio ultrà dimidium? Ita videtur.* Conf. Puf. §. 11. *Sed vide* infrà cap. 11. §. 19. seq. *Ergo restabit metus & dolus, de quibus* §. 29. seq.

obstrictus est, qui simpliciter juramentum *recitando* profert, aut ejusdem verba concepta in primâ personâ alteri præit. *x)*

29. Qvemadmodum autem promissio *dolo* elicita non obligat, sic nec vinculum injicit conscientiæ juramentum, ad qvod alter dolo malo me seduxit. *y)*

30. Aliud dicendum existimo de *errore* simplici, nisi & hic circumstantia, circa qvam fuit erratum, juramento per modum conditionis fuerit inserta. *z)* Quia & in simplici pacto hic aliud docuimus suprà. *a)*

31. Qvod si juramentum *metu* sit extortum à latrone, non alium effectum habebit, qvam qvem supra probavimus prolixius, seqvi promissionem injuratam piratæ factam. *b)*

32. Etsi verò juramenta, quæ *in alterius animam fiunt*, non sunt planè rejicienda, sed in ejusmodi actibus, qui admittunt procuratorem, (qualis non est, si testimonium sit dicendum,) æqve ut contractus meri, illum in cujus animam juratum fuit, obligant, vereor tamen, ut ea finem juramentorum æqvè benè obtineant, ac illa, quæ à promittentibus ipsis præstantur. *c)*

33. Poterit tamen à legibus civilibus disponi, ut juramenta, quæ in statu naturali ob læsionem jurantis nullam haberent efficaciam, validum actum reddant in civitate. *d)* Et præsumunt

 ferè

ad §. *28.* x) *Unde frustrà sibi timebat Cydippe ap. Ovid.* Puf. §. 5. Conf. Uffelm. p. 112. §. 8.

ad §. *29.* y) *Ut si quis falsum mihi narraret nuncium & propter hoc ipsi jurato quid promitterem.* Pufend. §. 7.

ad §. *30.* z) *Huc pertinet juramentum Josuæ Gibeonitis præstitum, de quo latius* Puf. d. §. 7.

a) l. 2. c. 7. §. 39. seqq.

ad §. *31.* b) Puf. §. 8. *Dissentiunt alii cum Grotio, quasi per juramentum promissio Deo fuerit facta. Sed & hic tamen regerere possemus, non præsumendum, Deum in favorem hominis nequam id acceptasse.*

ad §. *32.* c) *Quia is, qui per alium jurat, non tantum horrorem perjurii percipit.* Conf. Puf. §. 16. Uffel. p. 131. seqq. §. 36. seqq.

ad §. *33.* d) Pufend. §. 19. *Huc spectat*

ferè leges ejusmodi, cum quilibet beneficio in favorem sui introducto renunciare possit, serio consultasse, an negotium sibi expediat vel non, qui juramento istud confirmare sustinuit. *e*)

34. Qvamvis autem pro validitate juramentorum similium, qvale est metu vel dolo exactum, à nonnullis afferri soleat, *f*) quod in juramenti clausulâ promissio fiat DEO, in cujus honorem promissum servandum sit, etiam in statu naturali, accuratè tamen ostenderunt alii, istam assertionem parum convenire conceptui de naturâ juramenti. *g*)

35. Aliud quippe est, promittere DEO, qvod velim solvere v. gr. latroni, aliud promittere latroni cum invocatione divini numinis.

36. Qvam qvidem invocationem non præsumitur sanctissimum numen in favorem nebulonis athei omne vinculum socialitatis rumpentis acceptasse.

37. Ita sensim *h*) perducti sumus ad modum jurandi, qui & ipse dependet à juramenti *fine*, quem supra exposuimus. *i*)

38. Is verò est vel, qui communi gentium intentione in juramento requiritur, *ut nempe DEUS invocetur, ut testis & vindex*, vel qui ad majorem juri jurando conciliandam reverentiam pluribus *solennitatibus* ac symbolis adhibitis, à singulis populis priori est superadditus. *l*)

39. Quorum hunc si doctrinæ gratia *formam accidentalem*, illum

---

spectat regula vulgata Juris Canonici de juramentis, secundum quam valebunt fidejussio jurata mulieris, mutuum à filiofam. juratò contractum, quæ secundum principia pandectarum non valerent.

e) *Præprimis, si consensus metu non fuerit elicitus.*

ad §. *34.* f) *Quod facit Grotius.* vide Puf. §. 8.

g) *Ostendit hoc definitio juramenti. Aliud enim est, Deo promittere, aliud: Deum testem invocare. Nam & inter homines cum quis ut testis invocatur, ipsi non promittitur.*

ad §. *37.* h) vide §. 7. seqq.

i) Conf. §. 16.

ad §. *38.* l) Uffelm. p. 117. §. 14.

illum formam juramenti *essentialem* appellare velis, non refragabor.

40. Posterior magis pertinet ad Jurisprudentiam Civilem: *m*) De priori verò est, quod ulterius dispiciamus; qui duo momenta comprehendit; initio ut DEUS invocetur tanquam *testis* veritatis, tum ut *vindex* mendacii in juramento assertorio, vel perfidiæ in promissorio.

41. Horum utrumque ad juramenti finem est necessarium; non enim ad metum divini numinis, qui fidem & certitudinem in altero operari debet, sufficere DEUM ut testem invocare, si non idem timeretur perjurii vindex, neque ut vindex timeri posset, si non crederetur esse testis.

42. Non tamen necesse est, ut utraque formula exprimatur in juramento, sed una alteram *tacitè* continet. Dum enim DEUS justissimus invocatur in testem, necesse est, ut invocans eum simul timeat ut vindicem, & dum omniscium implorat ut vindicem, certissimus simul est jurans, quod sit testis.

43. Quin & sœpius in juramentis *creaturarum* mentio facta apud Gentes legitur, *n)* quod vel ideo factum, quod jurantes vana persvasione seducti crederent, creaturas istas esse *Numen*, quo refer, quando paganos per sidera jurasse legis.

44. Vel quod *tacitè* jurantes *DEUM obtestari* censerentur, ut in istis rebus tanquam sibi carissimis ultionem perjurii expeteret, quorsum spectant juramenta per caput proprium, per animam & olim & hodiè usitata; per salutem item filii, per caput, genium, salutem principis frequenter usurpata veteribus.

45. Quare posses hoc intuitu juramentum dividere in *expressum* & *tacitum*. *o)* Illud erit, si per Numen juretur. Hoc, si per

 crea-

ad §. *40.* m) *Ut, quod v. g. candelæ accendantur, manus eleventur, præcedat adhortatio &c.*

ad §. *43.* n) Puf. §. 3. *quem & confer. ad* §. *46.*

ad §. *45.* o) *Aliter hanc divisionem exponit Uffelm.* p. 118. §. 16. seq. *cujus meditationes requirunt ulteriorem disquisitionem.*

creaturam quam quis pro DEO non habet, sed vindictam saltem divinam in eâ invocat.

46. Quod si verò per *creaturas vilissimas* quandoque juratum deprehendimus, pro jocularibus potius quam veris juramentis eadem habenda erunt, postquam apud plurimos pravus mos invaluit, juramenta in ornamentum ac supplementum sermonis adhibere. Huc pertinent juramenta Socratis per canem, anserem, & platanum, Zenonis per capparim &c. scilicet jurabant per eos, non ut per DEOS, sed ne per DEOS jurarent.

47. Pervenimus ad *effectus* jurisjurandi, qui quidem pleriq; conveniunt, qua juramentum assertorium, cum iis, quæ in capite præcedenti de sermone diximus, quà promissorium cum iis, quæ de fide servanda suprà diximus. Fluit hoc exinde quod suprà notavimus, juramenta esse accessoria sermonis, quapropter abstrahendo â legibus civilibus, non producunt novam & peculiarem obligationem.

48. Hinc quod dicitur; *à juramentis omnem dolum & cavillationem seu fraudulentam interpretationem abesse debere*, rectè se habet, sed hujus tamen assertionis causam non principaliter in eo quærerem, *p)* quasi interposita in juramento DEI invocatio, quem neque astu quis deceperit, & cui nemo impune illuserit, eum effectum producat. Nam debet cavillatoria explicatio ab omni assertione & promisso abesse: & exempla à Doctoribus eam in rem adducta, *q)* omnia ostendunt, peccasse cavillatores ejusmodi, etiamsi juramentum sermoni suo non addidissent.

49. Neque

ad §. 48. p) *Quod facit* Dn. Pufend. §. 12. *qvam doctrinam videtur hausisse à Grotio, cujus hypothesis erat, quod in juramento Deo quid promitteretur, quam tamen hypothesin ipse pro falsa habet.*

q) *De eo qui juraverat se in castra rediturum; de eo qui juraverat alteri, si procederet ad colloquium, cum statim ad civitatem reversurum; de juramento Locrensium, quamdiu hanc terram calcarent, & hæc capita humeris gestarent; de Rhadamisto, qui promiserat quod nec ferro nec veneno vellet nocere; de eo qui juraverat, se neque peditem, neque equitem adversus Gallos pugnaturum; de Cleomene, quod omnia cum alterius capite transacturus sit.*

49. Neque illud juramentis peculiare est, quod ea non semper latè sed *quandoque strictè* sint explicanda, r) siquidem subjecta materia id requirere videatur. Nam eandem regulam inculcabimus infrà in doctrinâ generali de interpretatione.

50. An verò nota universalis strictè faciendæ interpretationis in juramentis sit, si juratum sit *in odium alterius*, & non tam promissioni *quam minis* [ex quibus per se nemini jus nascitur] juramentum fuerit adjectum, subsisto.

51. Afferuntur equidem varia ejus regulæ *exempla*, v. gr. quod Israëlitæ, qui juraverant se filias suas Benjaminitis non collocaturos, rapi eas ab his passi fuerint; quod Athanaricus, qui juraverat patri, se solum Romanorum non calcaturum, in medio eorum flumine cum ipsis convenerat; quod Achæi juramento obstricti, ne decreta sua tollerent, petierunt, ut Romani ipsi, quæ viderentur, mutarent; quod Aurelianus minatus, se nec canibus vitam relicturum, jusserit milites ad canes occidendos discurrere; quod Themison promittens, se jussa Etearchi executurum, filiam hujus, quam pater mari demergi jusserat, in mare dimissam salvam statim inde retraxerit; qvod Timoleon Milarcho jurans, se eum Syracusis non accusaturum, celerrimè eum interfici jusserit &c.

52. Sed vereor, ne ad ea omnia quis regerere possit, cavillatoriã, hoc est, talem interpretationem in iis contineri, quæ vel cum mente ipsorum jurantium dum jurarent, vel certè cum mente eorum cui juramentum erat præstitum, non convenirent.

53. At non solum in omni interpretatione respicere debemus ad tempus illud, quo promissio fuit præstita vel assertio facta, sed & in specie, quod juramentum attinet, paulo post s) notabimus, sensum orationis valere debere prout illum capit, qui juramentum defert.

54. Neque tamen propterea facta eorum, qvæ in recensitis exemplis fuerunt allata, omnia aut his similia, injustitiæ accusanda

ad §. 49. r) *Uti videtur facere* Dn. Pufend. §. 13.
ad §. 53. s) §. 71.

ſanda eſſe putarem. Sed potius in dijudicanda eorum juſtitia ſic procedendum videtur. Aut juratum fuit de re *licitâ*, aut *illicitâ*; Si illud, interpretatio iſta cavillatoria à perjurio non liberavit jurantes; ſi hoc, factum ex interpretatione ejusmodi præſtitum pro ſuperfluo magis, quam illicito erit habendum, cum vel eo omiſſo ob juramentum, utpote ſuper re illicitâ factum non ſervatum, pro perjuris haberi non poterant.

55. Ita v. gr. *Iſraelitarum* juramentum ex juſto zelo præſtitum ſervandum potius erat, quam ut cavillatione illâ ſolveretur, niſi forte dicere velis, *t*) non licuiſſe ipſis tribum Benjamin iſto juramento quaſi exſcindere; quamvis adverſus hanc objectionem non deſint reſponſiones variæ. *u*)

56. Ita *Aurelianus* occiſionem canum, ita *Themiſon* ſubmerſionem in mare plane omittere poterant, cum juramentum ab Aureliano de re illicitâ, exterminio nempe civitatis poſt victoriam, fuerat præſtitum, Etearchus etiam à Themiſone rem injuſtam poſtulaverat.

57. Nam iſtud quidem rectiſſimè obſervatum, *x)* juramentum non minus ac promiſſiones juratas, includere tacitas conditiones & limitationes, quæ ex ipsâ rei naturâ ritè fluunt. Unde ſi alicui, quicquid velit, petendi optionem conceſſi, ubi iſte iniqua aut abſurda petierit, haud quicquam tenebor. Quæ jam facilè ad Themiſonis juramentum applicari poterunt.

58. Ergone ais, *nullus peculiaris* erit juramentorum effectus? Nullus puto, niſi fortè eo referre velis, quod invocatio divini numinis

ad §. 55. t) *Quam rationem affert* Dn. Pufend. d. §. 13.

u) *Suppeditat eas ex parte Oſiander* ad Grot. p. 970. *(qui juramentum pro valido habet, etſi interpretationem banc admittat.)* *Adde quod jam ex Benjaminitis* *400. de matrimonio fuerit proſpectum.*

ad §. 57. x) *à Pufend.* §. 14. *ubi plura exempla habet, ut Hippolyti, jurantis Novercæ, quod tacere velit, quæ ipſa dictura ſit. Huc pertinet exemplum Herodis jurantis filiæ, Salomonis promittentis matri &c.*

numinis arguat, eum qui perjurium commiserit, *atrociorem pœnam* expectare debere, quam eos qui aliàs mendacium dixerunt, vel injuratam fidem fefellerunt. *y*)

59. In eo tamen juramentum à promissionibus nudis abit, *z*) quod etsi hæ hæredes promittentis teneant, ac multo magis promissio jurata hominibus facta, [aliud enim dicendum, si per modum voti concepta sit,] ipsa tamen *clausula juratoria*, & invocatio nominis divini jurantis personam non egrediatur, neque adeo *heres* fidem à defuncto datam fallens, pro perjuro haberi debeat.

60. Tollitur verò juramentorum, *a*) ut in genere omnium promissionum, effectus per *relaxationem* seu *dispensationem*, quam in generali acceptione definimus, quod sit actus, quo vel superior jurantis declarat, juramentum propter defectum potestatis in jurante fuisse nullum, vel superior ejus cui juratò promissum fuit, certis eis rationibus obligationem inde ortam juranti condonat.

61. Nam uti jam suprà diximus, nemo tenetur ad impossibilia, igitur si, qui alterius potestati subjectus est, juret, semper tacita exceptio inerit juramento; salvo jure superioris.

62. Qui tamen peccabit, si dispenset, ubi nullum jus aut suum aut commune societatis cui præest, læsum fuit.

63. Ut & ille, qvi citrà causam justam, [pro quali habetur delictum promissarii, & interesse publicum,] subdito suo jus ex juramento quæsitum auferat.

64. Cœterum is, qui nec juranti, nec in cujus gratiam juratum est, superior est, dispensare nequit, unde vel ex hoc unico judicari potest, quo jure quâve injuriâ Pontifex Romanus potestatem sibi sumat dispensandi circa juramenta regum & principum. *b*)

ad §. 58. y) *Sed determinatio hujus pœnæ pertinebit ad jus civile.*

ad §. 59. z) Puf. §. 17. Uffelm. p. 132. seqq. §. 38. seqq.

ad §. 60. a) Puf. §. 24. Uffelm. p. 237. §. 46. seqq.

ad §. 64. b) *Nimis hic se macerat Uffelm.* d. l.

65. *Affinitatem* cum juramento habet *obteſtatio*, quæ eſt actus, quo quis alterum nominato DEO vel aliâ quâdam re ipſi cariſſimâ, vel ab ipſo maximè verenda, obſecrat de veritate dicenda, qualis eſt Archi-Sacerdotis, *c*) quâ Chriſtum obteſtatur, ut diceret, utrum ſit filius DEI.

66. Cum quâ non confundenda eſt *conteſtatio*, *d*) & ipſa juramento affinis, quâ quis comparatione rei gratiſſimæ aſſeverat, non minus ſibi cordi eſſe veritatem in illa re, ac ſibi cordi eſt illa res nominata. Ita conteſtatur Joſeph per vitam Pharaonis; *e*) ita Eliſa conteſtatur per vitam Eliæ. *f*)

67. Deniqve ſunt qvædam promiſſiones, *g*) quæ etſi non ſint juramenta, *æqualem tamen efficaciam* inter homines habent vel propter *perſonam promittentis*, ut ſi princeps promittat, bey ſeinen Fürſtlichen wahren Worten / vel propter ſpecialem *conſvetudinem* certi populi. Sic apud Perſas firmiſſimum fidei vinculum erat, fides datis dexteris.

68. Atque hæc quoad juramenti Theoriam ſufficere poterunt. Reſtat ut *præcepta* ponamus de officio hominum circa juramentum. Conſideratur verò hoc caſu juramentum vel prout eſt *acceſſio* ſermonis, vel prout *clauſula juratoria* invocatione nominis divini tanquam ſpeciali formâ abſolvitur.

69. *Priori* modo præceptum *generale* tam juramentum promiſſorium quam aſſertorium [hoc tamen potiſſimum] reſpiciens eſt: VERITATEM LOQVERE, hoc eſt, opera danda eſt, ut ſigna externa conveniant cum animo tuo.

70. Cœterum cum in omni negotio etiam injurato, dum ad interrogationem alterius reſpondemus, aut ad rogationem ejus ſpondemus, reſponſio & ſponſio noſtra ſe ad interrogationem & roga-

ad §. 65. c) Matth. 26. 23.

ad §. 66. d) *Confundit Oſiander ad Grotium p. 982. à quo tamen deſcriptionem ſumſimq. Adde omninò Ilſſelm.* p. 121. §. 19.

e) Geneſ. 42. v. 15. 16.

f) II. Reg. 2. v. 2.

ad §. 67. g) Grot. II. 13. §. ult.

rogationem alterius referat; sequitur exinde, quod responsio nostra non divellenda sit ab animo & intentione stipulantis vel quærentis.

71. Unde vel maximè in juramentis opus est, ut *verba jurisjurandi eo in sensu adhibeamus, quo alterum, cui juratur, ea adhibere probabiliter credimus*, ac propterea ambiguitas verborum, quantum fieri poterit, erit vitanda. *h*)

72. Enim verò non nobis loquimur *i*) & juramus, sed aliis quibuscum negotium est, atqve ideò loquimur, ut intelligamur, ideò juramus, ut eò melius alteri de integritate nostra constet. *l*)

73. Inde ejus quoque est, cui juratur, concipere verba juramenti, atque declarare, quo sensu illa intelligere velit.

74. Speciale Præceptum & ad juramentum promissorium tantum pertinens est: PROMISSA SERVA.

75. Coërcet utrumqve præceptum *perjurium*, quod vitium in latâ suâ acceptione, & mendacium juratum & juratam perfidiam sub se comprehendit. *m*)

76. Qvi significatus laxior usu moderno est receptus, etsi olim à nonnullis strictè pro solâ perfidiâ, *n*) à quibusdam Scriptoribus Pontificiis contrà pro solo mendacio vox perjurii usurpata fuerit. *o*)

77. Ad mendacium juratum pertinet *falsum testimonium*, item si quis juret & tamen inde nolit obligari. *p*)

78. Ad *perfidiam juratam* non solum pertinet, si quis directè fidem juramento datam adimplere detrectet, sed & si pro-

ad §. 71. h) Uffelm. p. 113. §. 11.

ad §. 72. i) *Quæ est generalis ratio à communi natura sermonis desumta.*

l) *Quæ est ratio specialis à fine juramenti.*

ad §. 75. m) Uffelm. p. 153. §. 2.

ad §. 76. n) *Reich. Condit de fide politica l. 4. c. 11. n. 5. p. 565. ubi citat. Cicer. officia l. 3. n. 108. Gell. lib. 7. c. 18.*

o) *Ita Laymannum refutat Uff.* p. 154. §. 3. & 4.

ad §. 77. p) *Quia hoc ex definitione juramenti involvit contradictionem.* Uffelm. p. 157. §. 6. & p. 112. §. 9. Puf. §. 5.

missor superiorem ejus, cui promissum est, imploret, ut ipsi juramentum relaxet. *q*)

79. Ut ecce, si quis juravit statuta universitatis esse servaturum, & posteà à superiore precibus impetret, ut in ejus favorem circa ista statuta dispenset. *r*)

80. Etsi enim ejusmodi dispensatio, si à superiore spontè fiat, sine perfidiæ nota acceptari possit, eandem tamen injustè promittens solicitat, cum hoc factum sit apertè contra intentionem ejus, cui quid promissum est.

81. Neque eos à classe perjurorum eximendos esse censeo, qui juratò promiserunt, quod officia sua fideliter obire velint, si *partem* quamcunque officii *neglexerint ex proaresi*, etiamsi se pœnæ submittant, nam fur est etiam, qui fustigationem sustinuit. *s*)

82. Multò magis igitur ad perjuros erit referendus, qui circa *peculiarem* aliquem actum se juramento obstrinxit, si contrà quid faciat.

85. Nisi diserte *t*) in promisso quis sibi libertatem reservaverit, *u*) aut promissa adimplendi, aut actum contrarium multâ redimendi. *x*)

84. Vel ii, qui juramenti formulam præscribunt, ipsi eam sic exponant, vel publicè exponi ita patiantur, *y*) ut sine nota perjurii liceat contrà promissa delinquere, modo delinquens pœnæ

ad §. 78. q) *Nam est hoc contrà intentionem ejus, cui juratum est.*

ad §. 79. r) *Si enim hæc exceptio intelligeretur initio tacitè facta in promisso, non obtineretur finis juramenti. Mallem tamen hic obiter à Dn. Alberto scire, an homo in statu integritatis ejusmodi cautelis fuisset usus; & an Theologus ejusmodi fraude pia utens possit esse γνησίως Lutheranus?*

ad §. 81. s) *Pœna enim humana non tollit reatum, sed emendat saltem de futuro.*

ad §. 83. t) *Ergo non sufficit restrictio mentalis.*

u) *Et alter non contradixerit.*

x) *Tum enim, si modo posterius fiat, ei, cui juratum est, nullum creatur præjudicium.*

ad §. 84. y) *Tum enim est consensus tacitus.* Uffelm. p. 156. §. 5. *cujus tamen rationes non sufficiunt. De pœna perjurii* Idem p. 157.

pœnæ obtemperet, qualiter communiter explicari ſolet juramentum ſtudioſorum; quod injurias ſibi illatas conſulto non vindicare, ſed ſuper iis auxilium Magiſtratus implorare velint.

85. *Poſteriori* modo, & quà juramentum invocatione nominis divini conſtat, duo præcepta notari merentur. (1.) NON JURA TEMERE (2.) NON JURA NISI PER DEUM.

86. Iſtud quidem *immediatè ex fine* juramenti deducitur, hoc fluit *immediatè* ex ejusdem forma.

87. Cum enim juramentum aſſertorium ideò inventum ſit, ut via aperiatur ad decidendum aliquod factum illiquidum, & quod aliâ ratione commodius demonſtrari nequit, ſequitur, quod pro temerario habendum ſit juramentum, ubi vel nullâ probatione opus, vel ubi aliis argumentis res commodè z) demonſtrari poteſt; aut ubi non eſt conveniens probationis objectum.

88. Igitur in quæſtionibus juris non licita erunt juramenta, & ineptus eſſet ac temerarius, qui ad veritatem doctrinæ ſuæ demonſtrandam juramentum adhiberet. *a*)

89. Peccant graviter adverſus hoc præceptum, qui juramentum adhibent pro *ornamento ſermonis,* & quando quis utitur eo in ſenſu duntaxat *enunciativo, b*) non habens intentionem dicta ſua jure jurando confirmandi. Unde non malè Hobbeſius illas pejerationes *c*) non juramenta eſſe dicit, ſed nominis divini abuſionem, natam ex pravâ conſvetudine omnia nimium vehementer aſſeverantium.

90. Porrò quamvis ſuperius oſtenſum fuerit, *falſiloquium* quoddam eſſe licitum, adeoque inde ſequatur non eſſe eum pro per-

ad §. 87. z) *Unde juramenti delatio non ſtatim habenda pro temeraria, ubi alia media probandi ſuppetant.*

ad §. 88. a) Conf. Albert. Erot. Lipſ. ab init.

8. §. 89. b) *Huc pertinet caſus §. 22. Operabitur tamen hæc temeritas, ut ſi juramentum additum fuerit actui licito,* ut ſuprà d. §. 22. *obſtringat jurantem ad ejus obſervationem. Neque enim, quod temerarium eſt, proptereà non eſt ſervandum.*

c) *In ſermone merè aſſertivo in re præſenti vel præterita.*

perjuro habendum, qui ejusmodi falsiloquio adjungat juramentum; peccabit tamen adversus præceptum de vitandâ *temeritate*, quoniam ut juramenta ejusmodi falsiloquiis adhibeantur, necessitas nulla exigit.

91. Pertinet adeò præceptum illud prius maximopere ad juramentum *assertorium*. Sed & ejus tamen in *promissorio* non est usus nullus. Nam temerè jurat, qui jurat in promissione rerum impossibilium, quo & iste pertinet, qui jurato promittit, quod scit à superiore suo esse prohibitum. *d*)

92. Quod *alterum* præceptum attinet, illud quatenus ex *jure naturali* deducendum est, non alium sensum habet, quam *quod jurandum sit per DEUM. quà ex jure naturali cognosci potest.*

93. Quatenus verò *lex positiva universalis* inculcat, quis sit verus DEUS, & quomodo is colendus sit, inde hæc defectum luminis naturæ supplet:

Non jura nisi per DEUM VERUM.

94. Igitur contra *legem naturæ* peccat, qui per id jurat, quod pro DEO non habet, quoniam ita non obtinetur finis juramenti; contra *legem divinam* & præcepta religionis, qui per DEUM falsum jurat, quem pro vero habet, quod hic saltem obiter monuisse sufficiat, cum ulterior disquisitio de cultu religioso per juramenta pertineat ad Theologos.

95. Non confundenda quippe hic sunt præcepta juris naturalis circa juramentum, cum præceptis religionis, & quatenus juramentum est species cultus divini, qui propterea interdum etiam sub voce juramenti solet exprimi. *e*)

96. Cœterum is, qui per id jurat, quod DEUM esse non credit, *injustè* magis jurat, *f*) quàm ut committat *perjurium*, at, qui per

ad §. *91.* d) *Qui jurat, cum alter id non desideraret.* Uffelm. p. 114. §. 12.

ad §. *95.* e) Uffelm. p. 107. §. 3.

ad §. *96.* f) *h. e. simulat se jurare, adeoque peccat simulando.* Puf. §. 4. *Dissent. ex parte* Uffelm. p. 126. §. 25. 26.

per DEUM falsum jurat, quem verum credit, verè jurat adeoque *perjurium* committit, si falso juret aut perfide.

97. Sicut v. gr. criminis læsæ majestatis reus est, qui principem suum interficere intendens, juratum ejus hostem ex errore violet.

98. Dependet ex dictis discussio quæstionis: *An liceat per creaturas jurare?* Vel enim eæ adhibentur in *obtestationibus, g)* aut *contestationibus*, tum huc non pertinent, quia eæ non sunt juramenta.

99. Vel ipsarum mentio fit in *juramento*, tanquam *in quibus DEUS nos punire debeat*, tum erit juramentum tacitum. *h*)

100. Vel quatenus *ipsæ aliquid divinitatis habere creduntur*; tum Christiano hoc vetat revelatio divina, ne idololatriam incurrat. *i*)

101. Vel quà eis non quidem aliquid divinitatis tribuitur, *l*) sed tamen, quà aliquam *relationem ad DEUM habent*, intuitu peculiaris consecrationis aut attinentiæ, *m*) ut quando juratur *per templum, altare* &c. aut quatenus *creatorem innuunt*, v. gr. si juratur per *cælum*; Et tum, etsi hæ formulæ ab injustitiæ vitio vix liberent *n)* cum quis illis utitur, adeoque rectius omittantur; tamen si fuerint adhibitæ, pro perjuro habendus erit, qui iisdem illicitè fefellerit. *o*)

102. Aliud tamen dicendum de formulâ apud nos consueta: *Ita*

ad §. *98.* g) vide suprà §. 65. 66.
ad §. *99.* h) vide §. 44.
ad §. *100.* i) vide §. 43.
ad §. *101.* l) Uff. p. 121. §. 20.
m) Uff. p. 122. seq. §. 21. 22. 23.
n) *Quod tales formulas adhibeat, ex quibus vel pro idololatra haberi poterit ab eo cui juratur, vel ipse intentionem habeat alterum decipiendi, dum jurare se velle præ se fert, sed non jurat per Deum. Huc pertinent dicta Christi* Matth. 5. v. 34. seqq.

o) *Non obstat* §. 69. *Is enim ex hoc* §. *est limitandus, nisi quis per id juret, quod attinentiam quandam & relationem ad Deum habet.*

Ita me DEUS adjuvet per verbum suum, ſeu per SanctumEvangelium; quæ neque impia eſt, neque injuſta. *p*)

103. Quæ hactenus expoſuimus præcepta juranti obſervanda, conveniunt cum tribus juramenti comitibus, *q*) quos vulgò ſtatuunt; *Veritate* nempe, ne mendacium dicatur, *juſtitia*, ne fides frangatur, aut ne aliter quàm per DEUM juretur, & *judicio*, ne juretur temerè.

104. Sed neque is, cui juratur, ſine monito erit dimittendus; NON TEMERE JURAMENTUM POSCE. Eſſet enim hoc iterum contra finem juramentorum & reverentiam DEO debitam, quæ fundamentum eſt omnium legum divinarum, ut ſupra oſtendimus.

105. *An igitur licebit juramentum ei deferre, quem pejeraturum eſſe ſcis?* Diſtingvitur *r*) communiter inter judicem & litigantem; ita ut is excuſetur, quoniam ejus officium ferè eſt mercenarium; ſed litigans ſi hoc faciat, peccet.

106. Quam quidem ſententiam admitterem, cum temeritas ſit omnino in eo, qui à certò pejeraturo juramentum exigit; fruſtrà enim id exigit, ſed initio præſupponendum erat: an caſus quæſtionis ſit dabilis?

107. Nego enim, *certam eſſe ſcientiam* in aliquo de futuro perjurio tertii; Nam non ſolum futurorum nulla eſt certa ſcientia; ſed & in ſpecie ea quæ dependent ab arbitrio alieno, ab homine, qui corda non ſcrutatur, ſciri nequeunt.

108. Neque hic ſufficit, quod perjuria jam ſæpe commiſerit is, cum quo eſt negotium; poterit enim in præſenti ſe emendare.

109. Quin

ad §. 102. p) *Habet enim hunc ſenſum. Ita me Deus adjuvet, per promiſſiones in verbo ſuo mihi revelatas, non quaſi attribuamus verbo, prout literis conſtat, efficaciam.* Vide omninò Uffelm. p. 125. §. 24. add. Voët Part. 3. diſp. ſelect. p. 156.

ad §. 103. q) Conf. Uff. p. 115. §. 12.

ad §. 105. r) Uffelm. late p. 128. §. 30. ſeqq.

109. Quin si apertè profiteatur, se pejeraturum esse, non faciet certum indicium, cum istæ minæ afferri possint ad evitandum juramentum.

110. Quapropter nisi specialis casus offeratur, (quid si enim is qui jurare debet, apertè profiteatur atheismum? Sed neque hic casus facilè dabilis;) mallem quæstionem istam inter inutiliter curiosas referre.

111. Majorem utilitatem habet altera quæstio, s) *an liceat ab infideli juramentum, quod ipse per falsos DEOS præstat, exigere?* Non pauci, recipi posse ab idololatrâ ejusmodi juramentum, asserunt, non exigi. t)

112. Ego & *exigi* posse puto, si modo cœtera sint paria. u) Semper enim formula jurandi accommodanda est ad persvasionem & religionem, quam circa DEUM fovet, qui jurat.

113. Fluit hoc ex fine juramenti. Nam frustrà quis adigeretur ad jusjurandum per DEUM, quem non credit, adeoque nec metuit.

114. Quapropter cum jus naturæ hic non obstet, tamdiu hæc sententia defendi poterit, donec ostendatur, aliud velle præcepta religionis, quod hactenus non fuit ostensum. Ad objectiones enim respondent alii.

ad §. 111. s) Puf. §. 4. Uff. §. 25. 26. 27. 28.

t) *Facit hoc Uffelm. Et posset hæc sententia declarari simili. Ita ministri Ecclesiæ non possunt exigere honoraria pro absolutione, recipiunt tamen.* Conf. suprà §. 80.

ad §. 112. u) *Id est, si non fiat temerè.* Puf. d. §. 4. Osiand. ad Grot. p. 986. *Necesse enim est aliquando, ut præscribatur ejusmodi formula juranti. Ut si juramentum præstandum sit in judicio.*

CAPUT. X.

De

Officio circa Res & earum Dominium.

SUMMARIA.

Potestas hominum utendi rebus §. 1. *consideratur intuitu vel creatoris, vel rerum, vel aliorum hominum.* §. 2. 3. 4. *Intuitu Dei non est jus* §. 5. *sed licentia* §. 6.--13. *non obligatio* §. 14. *Unde oritur praeceptum negativum: NON UTERE CREATURIS AD CONTUMELIAM CREATORIS,* §. 15. 16. 17. *Intuitu rerum creatarum non est jus* §. 18. *nec tamen injuria* §. 19. *Unde per internecionem bestiis non fit injuria* §. 20. 21. *nec Deo* §. 22. *Neque tamen inter hominem & bestias est status belli* §. 23. *Intuitu aliorum hominum consideranda:* I. *Obligatio utentis* §. 24. 25. *quae vel indirecta: ITA UTERE CREATURIS, UT PER ISTUM USUM NON EVERTAS BONA TUA VEL ANIMI VEL CORPORIS,* §. 26.--31. *vel directa: SIC UTERE CREATURIS, UT ÆQUALITATEM CUM ALIIS CONSERVES* §. 32. 33. II. *Obligatio aliorum erga utentem: NEMO ALTERUM IN USU CREATURARUM TURBET* §. 34. *Unde utenti oritur jus, quod vel communio, vel Dominium* §. 35. *Dominium est proprietas* §. 36. 37. 38. *& vel Dominium stricte dictum vel Dominium commune* §. 39. *Communio vel negativa* §. 40. 41. *vel positiva* §. 42. *quae eadē cum Dominio communi* §. 43. 44. 45. *Unde res vel in Dominio, vel communes, vel nullius.* §. 45. *Si unus homo esset in mundo, nec Dominiū haberet nec communionem* §. 46.--50. *Si plures sint homines & omnes tamen rebus aequaliter uterentur, nec Dominium haberent, nec Dominium commune* §. 51. 52. *Aliorum divisio dominii in commune & privatum* §. 53.--56. *Dominium potentiale* §. 57. *Quaestio: An in primaevo hominum statu fuerit Dominium an communio?*

munio? §. 58. Ostenditur esse historica & ex subsidiis historiæ sacræ deducenda §. 59. 60. Potestas Protoplastorum subigendi creaturas, quam à Deo acceperunt, Dominium dici nequit §. 61. 62. 63. sed fuit communio negativa, §. 64. quæ mansisset, si in statu integro generassent liberos §. 65. -- 69. & non fuissent lapsi §. 70. -- 73. Perfectio status integri non infert Dominiorum distinctionem §. 74. 75. Fuisset tamen in statu integro proprietas in partibus minoribus §. 76. -- 78. & sic communio temperata §. 79. -- 81. in usu rerum fungibilium §. 82. -- 85. qui sine proprietate non potest concipi §. 86. -- 89. nec adeò ex pacto tacito oritur §. 90. -- 94. Non tamen fuisset jus seponendi res fungibiles ad futuros usus proprios §. 95. Post lapsum mansit communio §. 96. 97. sed non diu potuit observari §. 98. Unde homines pedetentim ab ea recesserunt §. 99. per occupationem §. 100. 101. & divisionem §. 102. 103. ad præscindendas lites §. 104. Adamus inter Cainum & Abelem Dominia non distinxit §. 105. -- 110. nec Noa gentes & insulas inter filios suos §. 111. -- 118. Sensus præcepti de non turbando alterius usu rerum, duplex §. 119. 120. Præceptum respiciens communionem: UT HOMO RES INEXHAUSTÆ UTILITATIS, ET à QUARUM USU ALIOS ARCERE VIRES HUMANAS EXCEDAT, INTRA PRIMÆVAM COMMUNIONEM MANERE SINAT. §. 121. Tria requisita rei Dominio subjiciendæ §. 122. [1] Ut res usum aliquem hominibus possit præbere §. 123. [2] non tamen sufficientem omnibus citrà periculum dissidii §. 124. -- 130. quod requisitum deficit in vasto Oceano §. 131. [3] ut apprehensioni & custodiæ hominum sit obnoxia, §. 132. -- 134. unde iterum excluditur Oceanus §. 135. 136. Modi acquirendi Dominii §. 137. sunt vel principales vel accessorii §. 138. Principalis vel originarius vel derivativus §. 139. Originarius est Occupatio §. 140. quæ aliter fit in mobilibus, aliter in immobilibus §. 141. -- 146. Immobilium apprehensione occupantur etiam iis accessoriæ mobiles §. 147. -- 153. Res derelictæ iterum possunt occupari §. 154. Specimen spinosarum quæstionum ex his principiis deducendarum §. 155. Derivativus nititur voluntate Domini prioris §. 156. vel expressa vel tacita §. 157.

Expressa fit aut per sola verba §. 158. *aut per traditionem* §. 159. -- 161. *Ad eam quæ fit per verba sola, pertinet testamentum* §. 162. -- 166. *Modi derivativi transferendo utilitatem rei & commoditatem* §. 167. 168. *Dominium directum & utile.* §. 169. *Jus pignoris, servitus* §. 170. -- 176. *Tacitè transfertur Dominium successionibus & Usucapione* §. 177. *Successio ab intestato in qua ratione fundetur* §. 179. -- 184. *Successio descendentium, adscendentium & collateralium* §. 185. -- 190. *Usucapio vel inter gentes vel inter privatos* §. 191. 192. *Utriusque finis communis* §. 193. *Differentiæ in usucapione gentium* §. 199. - 205. *Accessio* §. 206. -- 208. *quorsum pertinet fructuum & fœtus acquisitio* §. 209. -- 211. *Quid de pictura, scriptura & nova specie?* §. 212. -- 229. *Summa officii aliorum hominum erga Dominum rei* §. 230. -- 238.

§. I.

POstqvam de sermone diximus, pergendum nunc est ad *Dominium*, a) cujus cum potissimus effectus in *potestate utendi rebus* b) consistat, de hâc quædam paulò altius erunt repetenda.

2. Poterit nempe eadem considerari vel in ordine ad *Creatorem*, vel in ordine ad *res*, quibus utimur, vel in ordine ad *alios homines*.

3. Priores duos conceptus quod concernit, plerumque solliciti sunt scriptores morales, quomodo facultatem illam utendi rebus

ad §. 1. a) *Pertinet ad hoc caput* Pufend. lib. 4. c. 3. & seqq. usq; ad finem libri.

b) *Nec obstat, quod usus fructus sæpius separetur à proprietate, & idem fiat in Dominio utili. Respondeo enim, semper tamen proprietatem ideò sustineri, quod spes sit, utilitatem aliquandoredituram esse ad proprietatem, aut quod interim alia quædam utilitas à proprietario percipiatur.*

rebus creatis ex *concessione divina* justificent, tum & quomodo in specie *occisionem bestiarum* ab objectionibus aliorum tueantur. *c)*

4. Nobis ita res simplicissimè videtur tradi posse, si ante omnia separemus lumen rationis à revelatione, & *facultatis* hujus indolem penitius consideremus.

5. Constat autem ex hypothesibus initio demonstratis, eam *juris* nomen non mereri in ordine *ad DEUM*; hujus enim respectu homini nullum jus competit. *d*)

6. Igitur neque demonstrandum nobis erit, quo jure facultatem hanc exerceat homo; foret enim quæstio Domitiana; sed sufficiet, si modo nihil afferri possit, quod istam potestatem impugnet.

7. Nam quod nullâ lege prohibitum est, quare pro re licita non haberi debeat, nulla subest ratio.

8. Cum ergo & homo habeat potentiam naturalem utendi rebus reliquis creatis, potentia hæc tam diu pro indifferente erit habenda, donec vel à natura vel ex revelatione adducatur limitatio eam restringens.

9. Accedit, quod *concessio divina quadantenus* etiam ex *ratiocinatione* demonstrari possit. Homo enim opus habet creaturis reliquis in hoc statu, tum ut nutrimentum ex illis capiat, tum ut adversus mala corpus suum destruentia se defendat. Unde sequitur, quod DEUS velit etiam usum earum rerum homini concedere, sine quibus vitam tanquam donum DEI conservare nequeat.

10. Sed hæc *quadantenus* saltem demonstrantur, & quoad illum duntaxat usum, qui homini est necessarius. At cum homo sæpissimè utatur creaturis reliquis ad jucunditatem tantùm & vitam commodiorem; difficulter istâ viâ, quâ onus probandi in nos suscipimus, procedemus. *e*)

11. Ne-

ad §. 3. c) *In qua re potissimum occupatus est* Puf. d. c. 3.

ad §. 5. d) vid lib. 1. c. 1. §. 102. & 108.

ad §. 10. e) *Inde paululum obscuriora sunt ea, quæ hic disputat* Pufend. d. c. 3. §. 2. p. 520. *quem §. tamen confer etiam ad §§. sequentes.*

11. Neque enim omnibus creaturis opus habet homo; neque Aristotelis, Luciani, ac aliorum Gentilium sententia applausum meretur, quasi res reliquæ frustrà essent creatæ, si homini iis uti non liceret. Nam longè compendiosius potuisset machina mundi adornari, si nihil fuerat creandum, nisi quod usum homini præberet.

12. Igitur maneamus potius in possessione libertatis naturalis, præprimis cum deprehendamus, revelationem *Scripturæ Sacræ* sententiæ huic non refragari, sed potius concessionem specialem homini factam utendi rebus creatis, solidissimè exinde posse probari.

13. Neque iis solum, quibus ad necessitatem homo habet opus (quæ quidem in *statu integro* longe minor erat ad *nutrimentum* saltem restricta, cum defensio adversus mala reliqua corpus hodiè destruentia ibi non habuisset usum) sed & ad commoditatem ac voluptatem.

14. Ista verò concessio, ut in antecessum notemus, non habet vim *præcepti*, sed indulgentiam duntaxat privilegii, quo quis uti pro lubitu potest, nec ad omnimodum ejus exercitium tenetur. Aliàs enim peccaret homo in legem divinam, si animal quodpiam liberum dimitteret, aut occasionem, idem in potestatem redigendi negligeret; id quod nemo sanus dixerit.

15. Cœterum in hoc ordine ex iis, quæ generatim de officiis hominis erga DEUM diximus, fluit præceptum negativum: NON UTERE CREATURIS AD CONTUMELIAM CREATORIS. Pugnaret enim hic usus cum *cultu DEI interno*, qui fundamentum est legum omnium naturalium.

16. Unde maximè coërcetur per hoc præceptum *abusus creaturarum*, quando eæ inutiliter & petulanter perduntur. Contemnitur enim hoc modo Creator benignissimus, quemadmodum contemtum interpretaretur homo, si ejus donum inutiliter perderem.

17. Posses huc quoque referre, quod Deus quietem diei septimi

ſeptimi etiam ad beſtias voluerit extendere. Sed hoc pertinet ad præcepta Religionis, adeoque relinquendum eſt Theologis.

18. Porro in reſpectu ad ipſas *res creatas*, quibus homo utitur, uſus iſte *juris* nomen non meretur, quoniam cum reliquis creaturis nulla homini juris communio intercedit.

19. Neque tamen mereri etiam poteſt nomen *injuriæ*; quia neque creaturis reliquis homo eſt obligatus.

20. Sive eæ ſint vegetabiles tantum, aut his inferiores, de quibus nullum eſt dubium; ſive inſuper locomotivâ gaudeant, ut beſtiæ.

21. De quibus etſi multa ſoleant objici, non opus tamen eſt, ut circa eorum refutationem nos detineamus, cum partim ea excipiant adverſus argumenta, quibus alii jus interficiendi eas probare voluerunt, à quo probandi onere, nos ut vides, abſtinemus; partim nituntur falsâ hypotheſi philoſophorum rationem beſtiis tribuentium, ſimulque præceptum de non lædendis aliis ad bruta extendentium. *f)* Nos verò ſuprà *g)* rationem ita à beſtiis exterminavimus, ut ne quidem reliquerimus ſenſum internum propriè dictum, cognitionem aliquam & ita cogitationem præſupponentem.

22. Neque per internecionem beſtiarum *injuriam DEO* fieri inde conſtat, quia DEUS ſtatûs, juris omnis expertis, inter hominem & beſtiam autor eſt. *h)*

23. Nollem tamen propterea ſtatum hunc hominis in relatione ad beſtias comparare cum *ſtatu belli*; *i)* Etſi enim aliqua inter utrumque ſtatum ſit convenientia, tamen plures ſunt rationes diſparitatis. *l)* Præterquam enim, quod bella inter homines neque ſunt univerſalia, neque perpetua, neque licentiam in infinitum concedunt; inſuper bellum eſt Status extraordinarius ex læſione juris ortus; at vero ſtatus iſte, qui eſt inter homines & beſtias

ad §. *21.* f) *Elegans locus Porphyrii eſt ap. Puf.* §. 4. p. 524.

g) l. 1. c. 1. §. 36.

ad §. *22.* h) Puf. §. 5. p. 525.

ad §. *23.* i) *Quod facit* Dn. Puf. d. §. 5.

l) *Quas agnoſcit ipſe* Dn. Puf. d. §. 5. in nova edit.

ſtias, ordinarius eſt, nullam juris læſionem præſupponens, cum inter eos nunquam ulla juris fuerit communio.

24. Pergendum nunc ad conſiderationem potentiæ utendi creaturis, hominibus competentis in ordine ad *alios homines*. Obſervari hic ea meretur, quatenus *utens aliis obligatus eſt*, tùm qvatenus *alii homines ſunt obligati utenti*.

25. *Obligatio utentis* eſt vel *indirecta* ſeu mediata & qvatenus homo ſui converſationem debet ſocialitati, vel *directa*, quatenus homo immediatè obſtrictus eſt aliis.

26. *Indirecta* hoc præcepto comprehenditur: ITA UTERE CREATURIS, UT PER ISTUM USUM NON EVERTAS BONA TUA VEL ANIMI VEL CORPORIS. Fluit hoc ex iis quæ ſuprà de officiis hominis erga ſeipſum docuimus.

27. Qvod bona animi *moralia* attinet, opera danda, ne per occiſionem, v. gr. beſtiarum animus aſſvefiat *truculentiæ* & *crudelitati*. Non enim ſolum Plutarchus obſervavit, ex aſſvefactione necandarum beſtiarum homines progreſſos eſſe ad cædes hominum & bella, ſed & obſervationem meretur, quod ſcriptura Nimrodum appellet venatorem; Pythagorici contrà manſvetudinem erga beſtias inculcarunt, ut meditationem amoris & miſericordiæ erga homines.

28. Unde non ſine causâ Athenienſes ab eo, qvi vivo arieti pellem detraxerat, & ni fallor Lacedæmonii, ab eo qvi coturnicibus oculos eruens poſtea eas dimittebat, pœnam exegerunt.

29. Qvoad bona animi *naturalia* peccat, qvi nimio cibo ac potu uſum rationis ſibi tollit, vel minuit.

30. Quoad bona deniqve *corporis* à variis intemperantiæ ſpeciebus abſtinendum erit.

31. Hinc Pythagoras, dum necare vetuit animalia, inter alias rationes diſcipulos ſuos ad faciliorem victum, unde ſanitas corporis & ingenii acumen magis augeretur, aſſvefacere voluit.

32. *Directa* obligatio hominis erga alios ea eſt: SIC UTERE CREATURIS, UT ÆQVALITATEM CVM ALIIS CONSERVES; ſcilicet NE ABUTARIS IISDEM AD SUPERBIAM; UT ALIOS ISTO USU NON LÆDAS; UT PER

PER EAS ALIIS INSERVIAS ; UT FIDEM PROPTEREA DATAM SERVES. Intelliguntur hæc facilè ex ſuperioribus diſcurſibus.

33. Taceo nunc peculiare *intereſſe reipublicæ*, cui & ipſi ſe homo accommodare debet. Intereſt enim reipublicæ, *ne quis re ſuâ malè utatur*, & ſæpius *intermiſſio certi cujusdam uſus promovet utilitatem civitatis. m*)

34. *Obligatio aliorum hominum n*) erga utentem hoc præcepto includitur : NEMO ALTERUM IN USU CREATURARUM TURBET.

35. Correſpondet huic obligationi in utente *jus*, vi cujus quietè creaturis uti poteſt, quod jus, quatenus alios ad uſum ejusdem rei admittit, *communionis* nomine venit; qvatenus vero alios ab uſu ejusdem rei arcendi facultatem tribuit, *dominium* dicitur, de qvibus nunc fuſius erit agendum.

36. Ne vero more andabatarum diſputemus, ab evolutionibus terminorum erit incipiendum. Ubi id quidem conſtat, ex hactenus dictis, per *dominium* intelligi jus in rebus terminans, *o*) quatenus rei vocabulũ actionibus mere perſonalibus *p*) contradiſtingvitur, ſed hic conceptus tamen dominii eſſentiã non exhaurit.

37. Quapropter rectius *deſcribitur*, *q*) quod ſit jus, quo res aliqua alicui eſt propria. *Proprietas* vero eſt, quando alicujus rei veluti ſubſtantia ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo non pertineat ad alium.

38. *Proprietas* enim & *dominium* hic ſunt Synonyma, etſi quandoque à Scriptoribus uſurpentur diverſimodè. *r*)

39. Eſt verò proprietas ſeu Dominium unius rei vel penes unum hominem, vel penes uno plures. Illud *Dominium ſimpliciter*

ad §. 33. m) *Exempla vide ap.* Pufend. §. 6. in fine.

ad §. 34. n) *Hic incipit* Puf. lib. 4. cap. 4.

ad §. 36. o) *vid. Alberti* cap. 7. §. 1.

p) *Scilicet quæ imperio correſpondet.*

ad §. 37. q) vid. Puf. §. 2.

ad §. 38. r) *Ut proprietas dicatur de Dominio minus pleno.*

citer vel *strictè* dicitur, v. gr. ita Tititus est dominus ædium suarum; hoc vocari solet *Dominium commune* vel *communio*; ita heredes Titii sunt in communione ædium.

40. Scilicet *communio* est, quando rei velut substantia ita pertinet ad aliquem, ut eodem modo pertineat ad alium. *s*)

41. Estqve vel *negativa*, cum res ita pertinet ad plures, ut in nullius hominis, (nec in unius nec plurium,) proprietate actu sit. Ita ex hypothesi juris Romani, feræ bestiæ sunt in communione.

42. Vel *positiva*, cum res ita pertinet ad plures, ut in plurium conjunctim sumtorum proprietate seu Dominio sit: repete exemplum de heredibus Titii.

43. Ergo *Dominium simpliciter* sic dictum est nobilissima Dominii species, quia respuit omnem communionem, *communio negativa* est nobilissima communionis species, quia respuit omne Dominium.

44. At *communio positiva* & *Dominium commune*, ut vides, coincidunt, ita ut in uno eodemque exemplo conveniant & saltem differant conceptibus. Dum enim duo hæredes Titii inter se referuntur, & considerantur ut singuli, hereditas eorum communis est; dum conjunctim referuntur ad alios homines non hæredes, hereditas ipsis est propria.

45. *Res* ipsæ vero ab his tribus juribus diversas denominationes accipiunt. Sunt enim vel *in Dominio*, vel *communes*, vel *nullius*.

46. Apparet ergo, & proprietatis & communionis terminos involvere *relationem* unius hominis ad alium hominem. Ex quo sequitur, si *unus homo* sit in mundo, etsi is pro lubitu possit uti rebus creatis, neque tamen terminum *Dominii t*) (quia nemo esset, quem ab usu ejus excluderet) neque terminum *communionis u*) (quia

ad §. *40.* s) Puf. §. 2. *Unde requiruntur ad communionem partes pro indiviso. Possunt tamen esse partes inæquales.*

ad §. *46.* t) per §. 37.

u) per §. 40.

(quia nmo esset, ad quem usus iste simul pertineret,) ad istum usum quadrare.

47. Et qui aliter posset? cum & Dominium & communio sint juris species. Suprà verò demonstravimus, *nullum jus hominum esse, nisi sint alii homines.*

48. Nam etsi istum hominem unicum referas *ad DEUM*, non merebitur tamen ille usus nomen Dominii, non solum quia in hoc respectu DEUS tantum est Dominus creaturarum, sed & quia homo nullum jus habet adversus DEUM.

49. Quod si vero referas *ad bestias*, similis erit ratio, quia inter hominem & bestias nulla est neque juris neq; obligationis communicatio.

50. Malo autem hic scapham vocare scapham, quam ejusmodi facultatem utendi creaturis unico homini competentem appellare dominium indefinitum non formaliter sed concessivè, non actu sed potentiâ. *y*) Etsi enim hæc locutio commodè explicata tolerari possit, tamen haud dubiè terminus dominii supponitur impropriè, & videtur absque ejus usurpatione doctrina dominii magis perspicuè posse explicari.

51. Quin & *si plures sint homines*, non poteris tamen terminum *dominii* neque simpliciter dicti neque communis adhibere, si nullus esset, quem reliqui jure ab usu certæ rei possent excludere. *z*)

52. Nam tum demum v. gr. hereditas Titii est in proprietate heredum duorũ, quando, ut dixi, referuntur ad alios; quod si illi heredes soli essent in mundo, non amplius esset dominium commune, sed tantum ipsis eadem esset communis. Adeoque ex *communione positiva* tunc fieret *negativa*.

53. Solent alii dominium dividere in *commune* & *privatum*; *a*) Sed ex eorum descriptionibus patet. eandem esse hanc divisionem cum nostrâ, quâ dominium diximus esse vel simpliciter

 tale

ad §. 47. x) L. 1. c. 1. §. 10.
ad §. 50. y) *Ut facit Dn. Pufend.* §. 3. & §. 11. p. 471.
ad §. 51. z) *propter* §. 37.
ad §. 53. a) *Vide quæ ex Bœclero refert* Puf. §. 12.

tale vel commune, nisi quod hi in applicatione confundant dominium commune cum communione negativa. *b*)

54. Quorum adeò mentem non penetrarunt alii, mirificè utramqve dominii speciem circumscribentes, dum statuunt; *c*) *Adamo à DEO collatum fuisse dominium commune, toti nempe humano generi competens, & simul privatum; nempe pro me, Te &c.*

55. Qvemadmodum enim in me, te &c. consistit universum humanus genus; ita non apparet, quomodo privatum dominium à communi discrepet, nisi quis forte in sublimi ista controversia, de existentia universalium citra mentis operationem, velit refugium quærere, & cruentæ pugnæ Nominalium atq; Realium se immiscere.

56. Porrò quoniam dominium simpliciter & dominium commune sunt species suo modo contradictoriæ, *d*) nimis subtiliter dicitur, utramque speciem in uno subjecto *e*) posse concurrere. Quamvis subtilitas hæc & ab aliis *f*) fuerit usurpata.

57. Qvi adeo ob jurisprudentiæ (ad hanc enim primariò termini dominii & communionis pertinet,) ignorantiam, & in eo falsos sibi formarunt conceptus, *g*) dum putarunt etiam istud jus, quo proprietatem alicujus rei acquirere valeo, propriè dominium esse, & propterea dominium in potentiale & actuale diviserunt, cum tamen *dominium potentiale* sit lux sine lumine. *h*)

58. His præmissis de *origine dominii* nunc dispiciamus; seu *an in primævo hominum statu fuerit dominium an communio, eaq; vel positiva vel negativa?*

59. Id verò statim vides, quæstionem hanc, ut sunt omnes de origine rerum vel jurium controversiæ, esse *quæstionem historicam*, multisque, si citra omnem revelationem eam velis tractare, con-

b) *Ut Bœclerus, Zieglerus &c.* vid. Puf. §. 2. p. 455.

ad §. 54. c) *Ita Alberti* cap. 7. §. 14.

ad §. 56. d) *propter* §. 43.

e) *Ut in Adamo* §. 54.

f) Vide iterum Bœcl. apud Puf. d. §. 12.

ad §. 57. g) Conf. Albert. c. 7. §. 29. Puf. §. 10.

h) *Est saltem jus ad rem. Dominium vero jus in re.*

conjecturis & per ambages quasi hîc esse opus; quamvis jam alii *i*) eruditissimè ostenderint, quomodo hæc controversia, si cum Ethnico in notitia status primævi aberrante res sit, debeat explicari; in ipsis conclusionibus non omninò vel certè parum à nobis dissentientes. *l*)

60. Nos autem, cum Christianis scribamus, & jam suprà *m*) demonstraverimus, absque confusione disciplinarum assertiones historicas etiam in evolvendis disceptationibus juris naturalis ex historia sacra desumi posse, & hic non hæsitabimus, definitiones nostras ex revelatione divina petere, simul tamen regulas bonæ interpretationis, quas nobis recta suppeditat ratio, observare.

61. Dixit DEUS ad Protoplastos: *Subjicite vobis terram & dominamini super bestias.* Acceperunt ergo hoc passu facultatem subigendi sibi creaturas inferiores, eo effectu, ut scirent, DEO non adversari, si creaturas ad utilitatem suam applicarent. Cæterum hæc *facultas dominii* nomine nonnisi impropriè insignitur, *n*) sive statuas, concessionem istam divinam Adamo ante creatam Evam fuisse factam, sive Adamo & Evæ simul significatam.

62. Ut enim neutro modo, neque intuitu bestiarum aut reliquarum creaturarum inferiorum, juris, multo minus dominii vel communionis nomen meretur; ita intuitu hominum, quamdiu Adamus solus erat, *o*) nonnisi jus in spe, quod & ipsum quà tale, improprium est, appellari poterat.

63. Creatâ verò Evâ jus exinde propriè dictum oriebatur, non tamen inde inferre poteris, ergo dominium erat, quia & communio jus est. *p*)

Nn 3 64. Uti

ad §. 59. i) *Ut fecit Pufend.* l. 4. c. 4.

l) *Ut infrà: an occupatio ultimò fundet se in pacto?* §. 90. seqq.

ad §. 60. m) l. 1. c. 2. §. 17. 18.

ad §. 61. n) *Quod facit Alb.* c. 7. §. 4.

ad §. 62. o) vid. §. 47. 57.

ad §. 63. p) *Quatenus ii qui rem communem habent, referuntur ad se invicem, ut neuter alterum turbet.*

64. Uti igitur non memini quenquam ſtatuere, quod Adamus Evam arcere juſta ex cauſa uſu creaturarum potuiſſet; *q*) aut quod Eva ad hunc uſum exercendum ſpeciali conceſſione Adami habuiſſet opus; ita ineptum foret, ſi jus Adami tum temporis dominii ſtrictè dicti vocabulo inſignire vellemus, ſed neceſſe eſt, ut fuerit *communio* eaque non poſitiva, quamdiu Adamus & Eva ſoli erant, ſed *negativa*.

65. Porrò non generarunt equidem in ſtatu Integritatis Protoplaſti liberos, pro creaſſent tamen haud dubie; *r*) Hic igitur fortè ex communione primorum parentum negativâ, factum fuiſſet *dominium commune?*

66. Imo fortè non. Nam communis ſententia eſt, protoplaſtos repræſentaſſe in conceſſione divinâ poſterôs ſuos. Ergò hi ſtatim à nativitate primâ æquale jus fuiſſent habituri ac parentes eorum.

67. Neque cauſa fuiſſet, cur DEUS in iſto ſtatu præ liberis dediſſet parentibus prærogativam, cum in æquali perfectione fuiſſent generandi; quin potius probabile eſt, beneficia parentibus indulta pertinuiſſe ad liberos, quoniam pœnæ facti ſunt participes.

68. Quin & ſuprà, *s*) ni fallor, demonſtravimus, in ſtatu integro nullum fuiſſe expectandum imperium paternum; Unde ne quidem expectanda erit reſtrictio *t*) liberorum in exercendo uſu rerum.

69. Ergo per generationem & multiplicationem generis humani *in iſto ſtatu communio negativa* non fuiſſet mutata, ſed extenſa ſaltem ad perſonas alias atque alias.

70. An verò *in hac communione manſuri fuiſſent homines*, ſi Adamus non eſſet lapſus? curioſior quæſtio eſt. Nobis ne minima quidem ſe oſtendit probabilitas, quæ ſvadeat receſſionem ab eâdem & dominiorum diſtinctionem.

71. Tri-

ad §. 64. q) *vide ſuprà* §. 37.

ad §. 65. r) vide lib. 1. c. 2. §. 32. ſeq.

ad §. 66. s) d. c. 1. lib. 1. §. 35.

t) *Ut quæ ſemper præſupponit imperium.*

71. Tritum proverbium eſt: *Amicorum omnia ſunt communia.* Quo major ergò futura erat Amicitia (futura verò erat maxima) eò magis ſperanda erat communio. Inde in primitiva Eccleſia Chriſtianorum communionis hujusmodi analogum fuiſſe legimus.

72. Adde, quod ſumma ibi fuiſſet *æqualitas*, dominii verò diſtinctio multum promoveat ſtatus hominum inæquales. Certè divites & pauperes feciſſet dominiorum diſtinctio.

73. Neque cauſæ ad diſtinctionem Dominiorum moventes aderant. Spontè proferebat omnia tellus, labor tum non erat inter moleſtias; Natura paucis contenta; Luxus exulabat; Nulla lis, nulla invidia.

74. Hinc valde errant, qui *diſtinctionem dominiorum in ſtatu integro* propter ejus *perfectionem* quærunt, *u)* quia ut omnis ordo rectæ rationi conſentaneus, ita pulcherrimus ordo poſſidendi res illi ſtatui vel maximè conveniſſet. *x)*

75. Quaſi vero perfectior ſit hodie Eccleſiæ ſtatus, in quo diu propter ceſſationem charitatis ceſſavit communio, præ altero qui erat in primitivâ Eccleſiâ.

76. Neque tamen putandum eſt, in communione iſta ſtatus integri fuiſſe ſummam *confuſionem*; *y)* ac ſi propter jus commune omnium, nemini licuiſſet ex rebus in commune poſitis quasdam ad proprios uſus ita accommodare, ut poſt earum apprehenſionem aliis non integrum fuerit easdem ipſi rurſus auferre. Quin potius in ipſa communione negativâ erat proprietas quædam, intuitu ſcilicet fructuum, quorum uſus conſiſtit in abuſu. Hi enim ſi quis eos ad cibum vel potum adhibere voluit, ſtatim ipſius poſtquam apprehenderat, erant proprii.

77. Sed

ad §. 74. u) Bœcl. ap. Puſend. IV. 4. 13.

x) *An ergo etiam fuiſſent Reges, Electores, Comites, Barones, Doctores, Licentiati, Magiſtri, Baccalaurei? Et horum eſt pulcher ordo.*

ad §. 76. y) Puf. IV. 4. 13.

77. Sed contradictionem involvere videtur, *in communione*, & vel maximè *negativâ*, quæ proprietatem excludit, *z*) *esse proprietatem*.

78. Imo verò non involvit. Manere enim potest communio seu negativa seu positiva in *toto* aut *partibus nobilioribus*, vel rebus frugiferis, etsi proprietas sit in *partibus minoribus*, *a*) vel fructibus.

79. Unde nascitur distinctio *communionis* utriusque *b*) in *absolutam* & *temperatam*. *Absolutam* voco, in qua ne minima quidem rei est proprietas. *Temperatam* ubi contrà.

80. Antequam Protoplasti ullas fruges ad abusum applicarent, communio *absoluta* erat; unâ saltem ad consumtionem arreptâ, incipiebat *temperata*.

81. Cave tamen per *absolutam* talem intelligas communionem, in quâ nulla *possit* esse proprietas. Hæc enim revera est non ens impossibile; quin potius hoc intuitu omnis communio esset temperata. At absoluta intuitu actus, saltem aliquo temporis spatio, etsi perbrevi, duravit.

82. Notanter autem dixi, *c*) in statu primævo per apprehensionem *rei fungibilis* ortum fuisse dominium, non per apprehensionem rei cujusvis. Nam si ea esset *non fungibilis*, sive mobilis, sive immobilis, sola apprehensio dominium non tribuebat, sed jus saltem momentaneum istâ re utendi, quamdiu eandem quis possideret, usu isto cessante alii æqualem potestatem habebant, vel habuissent istam rem ad suos usus accommodandi.

83. Sed jus quidem istud momentaneum non meretur titulum proprietatis, nec unquam, ut puto, à Jurisperitis eo fuit insignitum. *d*)

84. Ita

ad §. 77. z) vide suprà §. 43.

ad §. 78. a) *à potiori vero fit denominatio.*

ad §. 79. b) *Hic equidem ex professo agitur de communione negativa, sed poterit tamen facilè paucis mutatis eadem distinctio applicari ad positivam.*

ad §. 82. c) §. 76. in fine.

ad §. 83. d) Conf. §. 57.

84. Ita e. gr. Si Adamus ſub umbrâ arboris cubaret, vel cum beſtiâ quâdam luderet, non tamen propterea habebat proprietatem in iſtam arborem vel beſtiam, etſi Eva illum nonniſi ſumma injuria à loco turbare aut beſtiam auferre ipſi poſſet. Quod ſi ſponte abiret vel ludere ceſſaret, poterat ſine injuria locum vel beſtiam occupare eadem.

85. Ita ſi Eva pomum decerperet comedendi gratia, nullum jus erat Adamo, quo id auferre conjugi potuiſſet, ſed neceſſe erat, ut de alio proſpiceret ſibi, adeoque poſt apprehenſionem pomi rectè dicere poterat Eva, pomum eſſe in ipſius dominio, quoniam videlicet maritum ab ejus uſu excludere poterat in perpetuum.

86. Scilicet etſi communionem ſupra *e*) vocaverimus, quando rei ſubſtantia ita pertinet ad alium, ut eodem modo pertineat ad alterum; etſi *communio involvat jus æquale* utendi re communi; hæc tamen omnia ita intelligenda ſunt, ut ex Jure ſingulorum in rem communem non oriatur tale jus, quale eſt *jus omnium in omnia Hobbeſianum*, qvod produceret ſtatum funeſtiſſimum belli communis.

87. Fluit exinde, quod abſtrahendo *ab omni pacto* humano, ex ipſo præcepto generali de *cuſtodienda ſocialitate* & pace communi generis humani, nulla poſſit dari communio talis, in qua liceat ſocio ſocium turbare in uſu rei non fungibilis, aut auferre ei rem fungibilem, quam conſumere alter laborat.

88. Qvin & præceptum ſpeciale de *cuſtodiendâ æqualitate* idem inculcat. Peccaret enim in eam haud dubiè, qui alterum à loco, cui incumbit, depellere, aut rem fungibilem illi auferre vellet, ut ipſe in iſto loco quieſceret, vel re iſta frueretur.

89. Denique hæc demum licentia non poſſet non *ſummam confuſionem & bellum* procurare. Nam cum iſtâ admiſsâ, æqualibus liceant æqualia, ſeqveretur ſuâ ſponte, Adamum, ſi Eva licentiâ dictâ uſa ipſi pomum abſtuliſſet, eodem jure potuiſſe idem

Oo pomum

ad §. *86.* e) §. 40.

pomum auferre Evæ, & ſic reciprocè in infinitum, donec is qvi viribus eſſet ſuperior, pomum deglutiret, & ita in reliqvis; Haberes adeò bellum totius humani generis in protoplaſtis.

90. Unde qvamvis aliqvi *f*) eruditè aſſeruerint, *occupationem*, qvæ dominii cauſa eſt, vim hanc accepiſſe ex *pacto* primorum hominum *tacito*, limitationem tamen haud dubiè hæc eorum ſententia recipiet in rebus fungibilibus, ad *præſentem conſumtionem g*) apprehenſis, partim qvod in his ſine jure appropriandi per apprehenſionem fruſtrà ſit omnis communio, *h*) utpote communem uſum hominum involvens, hic verò communis uſus ipſe ſit fruſtraneus, ſi aliis mihi iterum eripere liceat, qvod ad neceſſariam conſumtionem applicare volo; partim qvod ipſi jus Hobbeſianum eruditiſſimè refutaverint. *i*)

91. Nam qvod alii *l*) objiciunt, poſitâ primævâ facultate hominum in res, non poſſe intelligi, quomodo nudus *actus corporalis* unius, qvalis eſt *occupatio*, cæterorum facultati præjudicare poſſit, niſi ipſorum conſenſus accedat; id eſt, niſi pactum interveniat; facilè removeri poteſt.

92. Initio enim occupatio, qvæ eſt actus phyſicus, proprietatem non introducit; ſed *lex* ſocialitatis de cuſtodiendâ æqualitate, *mediante hoc actu* phyſico, alios ab uſu rei fungibilis ab altero jam apprehenſæ excludit. *m*)

92. Deinde qvi hâc objectione utuntur, haud dubiè pactum pro fonte omnis obligationis agnoſcunt. *n*) At nos ſuprà legem ſup-

ad §. *90.* f) Puf. §. 5. & 9.

g) Conf. ſuprà §. 76. verbis: *ad cibum & potum.*

h) *Hæc verba ſunt ipſius Dn. Pufend.* d. §. 5.

i) *Hoc enim fecit Dn. Pufend. paſſim.*

ad §. *91.* l) *Autor de principiis juſti & decori ap. Pufend.* d. §. 5. in fine.

ad §. *92.* m) *Eadem fuit ſuprà ratio in pacto. Eadem erit infrà ratio in generatione reſpectu patriæ poteſtatis.*

ad §. *93.* n) *Eſt enim hæc hypotheſis Hobbeſii, quam defendere voluit Velthuſius, ſeu Autor de principiis juſti & decori.*

suppoſuimus, quæ ſæpè ſine pacto, ſine hâc nunquam pactum obligationem infert.

94. QVOD ſi tamen *pacti taciti* voce tàm latè uti velis, ut ſub ſe comprehendat pactum *præſumtum*, lis magis circa verba erit, quàm rem ipſam. Qvippe ſuprà *o*) demonſtravimus, pactum hoc præſumtum eſſe conventionem impropriè dictam.

95. Illud vero non omittendum erit, non ſine ratione *conſumtionis præſentis* nos feciſſe mentionem, *p*) ut indicemus, haud quaquam in ea eſſe ſententia, acſi occupatio rerum fungibilum, cum intentione eas *ſeponendi ad futuros uſus*, etiam citrà pactum, dominium producat. Nam qvemadmodum ejusmodi appropriationem neque communionis finis, neque ſocialitatis & æqualitatis cuſtodiendæ præceptum infert neceſſario; ita non concipere ejus exiſtentiam poterimus in ſtatu iſto perfectiſſimo. Ubi enim abundantia rerum ſumma fuiſſet futura, ubi perpetua ſummæ amicitiæ æqualitas, ibi nulla ratio erat ſeponendi res fungibiles ad uſus proprios; ibi hæc ſepoſitio turbaſſet haud dubiè præceptum de cuſtodienda æqualitate. *q*)

96. Pergamus ad *ſtatum lapſus*. Mutata hic rerum facies. Ager tribulos proferebat loco frugum. Labor moleſtiam afferebat corpori humano, ſine hoc vero rari fructus erant ſperandi; corpus hominis adverſus injuriam aëris opus habebat tuguriolis, veſtimentis &c. quæ ſine labore aliquo & induſtria non poterant confici, & extrui; beſtiæ ſine moleſtia non poterant occupari & apprehendi; Harum ſuſtentatio requirebat peculiarem induſtriam. Multum remiſerat amor hominum, mutuus communionis firmiſſimum ſuſtinaculum.

97. Neque tamen propterea hæc mutatio *actualem diſtinctionem*

ad §. *94.* o) l. 2. c. 7. §. 32.
ad §. *95.* p) §. 90.
q) *Haud dubiè enim hæc ſepoſitio facta fuiſſet, ut quis præ aliis hominibus prærogativam haberet.*

nem dominiorum intulit; *r*) neque DEUS post lapsum dominia rerum inter Adamum & ejus liberos de novo divisit; sed mansit concessio divina primæva, saltem in effectibus limitata & restricta. *s*)

98. Id vero inde secutum est: Non posse *salvâ pace* generis humani *communionem istam* beatissimi status amplius *observari*. Etsi enim nullæ aliæ hic adfuissent rationes ulteriorem dominiorum distinctionem svadentes, suffecisset tamen vel hæc maximè, quod, si homines quidem in commune laborassent, & in commune contulissent fructus, ac de communi acervo fuissent sustentati; non potuissent non querelæ existere ob inæqualitatem laboris & fruitionis. Et inhumanum planè fuisset, si licuerit aliis tuguriorum usum simul prætendere vel vestium, qui nihil ad eorum confectionem contulerant. *t*)

99. Non tamen propterea putandum est, *simul & semel homines à communione* recessisse; sed probabilissimè initio, quod res fungibiles concernit, conventum fuisse videtur, ut, qvæ qvisqve ex fructibus communibus spontè provenientibus comportasset, & ad futuros usus sepofuisset, jure proprietatis possideret; tum quæ ex non fungibilibus, seu mobilibus, seu immobilibus occupasset, habitandi, colendi & fructus ex iis percipiendi gratia, ut & ipsa censerentur propria, & una cum iis fructus exinde provenientes, tanquam accessoria.

100. Igi-

ad §. 97. r) *Sed causæ tantum introducendi dominii fuerunt, quamvis singulæ momentum aliquod ad introducendum dominium attulerint.*

s) *Per verba maledictionis.*

ad §. 98. t) *Hæc tum scripsi, secutus Dn. Puf.* hic §. 7. *sed vereor jam, quod hæc ratio sit suffectura. Potuissent enim hæ querelæ non existere, si bonus ordo in labore & fruitione fuisset observatus, prout ejusmodi ordinem finxit autor historiæ Sevarambes. Ergò dic potius, malitiam hominum & cessationem amoris introduxisse distinctionem dominiorum.*

100. Igitur, cum ab initio pauci fuerint homines, vastus vero terrarum sit orbis, constat, *pauca etiam initio fuisse occupata* & dominio subjecta, plura vero in communione mansisse, tamdiu donec multiplicato genere humano, & ex ipsis plurima, non tamen omnia, per occupationem aliorum proprietati accommodata fuerint. *u*)

101. Quæ *occupatio* in *statu post lapsum pactum* omne excludere non videtur. Etsi enim & hic naturalis ratio svadeat, dominia rerum distingui; etsi svadeat, occupationem esse modum litibus terminandis maximè convenientem; tamen non præcipit præcisè, ut per apprehensionem dominium adipiscamur. *x*) Est enim inter apprehensionem rei fungibilis in instanti consumendæ, & apprehensiones reliquas ingens differentia. *y*)

102. *Prior apprehensio* intendebat usum, à quo usu etiam per regulas communionis me non debebant arcere alii. At hic usus ex natura rei non intelligi poterat, si non potuissem alios excludere. In reliquarum vero *rerum apprehensione* usus meus, etsi non ita commodus, esse potest, etiamsi alios à communicatione rerum harum non arceam.

103. Quin & non improbabile est, multiplicatis hominibus, ad evitandas rixas & introducendo bono ordini, quasdam res ab ipsis mutuo consensu fuisse *divisas*, & cuilibet suam portionem propriam assignatam, hâc additâ conventione, ut quæ in primâ rerum divisione in medio forent relicta, deinceps ejus possent fieri, qvi primus easdem sibi per apprehensionem asseruisset.

104. Igitur verissimum est, dominiorum in his rebus distinctionem in statu post lapsum ortam esse maximam partem, *ut*

lites

ad §. 100. u) *Nam dantur etiam hodiè multa loca possessione vacua.*

x) *Potuisset enim etiam per divisionem, per sortem &c. fieri.*

y) *Illius acquisitio fluit ex definitione rei communis, hujus non.*

lites præscinderentur, etsi propter depravationem hominum *z*) bella sœpissimè *a*) de meo & tuo oriantur. *b*)

105. Convenit cum his quæ diximus, exactè, certè minimè iis repugnat *historia sacra*, sive filios *Adami*, sive in reparatione generis humani post diluvium *Noachi* progeniem respicias.

106. De prioribus nil memorat eadem, quam *quod Abel pastor ovium, Cain autem agricola factus fuerit.* Quæ verba uti occupationem præcedentem non excludunt, imò præsupponunt, ita multæ sunt rationes, ne statuamus, Adamo præceptum fuisse à DEO, ut in statu integro distribueret dominia rerum in liberos, hoc vero propter brevitatem temporis eum ibi facere non potuisse, fecisse ergo post lapsum, ac distribuisse partem bonorum inter Cainum & Abelem, ut ille immobilia, agros; hic mobilia, pecora campi possideret &c. *c*)

107. Nam præterquam quod istud præceptum divinum de dividendis partibus terrarum orbis in scripturâ non extat, sed ad figmenta cordis humani referendum est; supra *d*) jam ostendimus, divisionem bonorum pugnasse cum perfectione status beatissimi.

108. Neque codex sacer quicquam de divisione Adami in Cainum & Abelem, aut quod his non licuerit præter res à patre ipsis assignatas, alias possessione vacuas apprehendere.

109. Etsi enim Adamo patriam potestatem non negemus, tamen hæc, abstrahendo à legibus civilibus, nequicquam potestatem in res liberorum infert. & in adultis quales erant Cain & Abel, per infrà *e*) dicenda, exspirat sponte.

110. Istud

ad §. 104. z) *Ita idem velle firmissima amicitia est, aliquando tamen causa belli. Ita scriptura est lumen ad salutem, eadem tamen vitiis hominum depravatur ad damnationem æternam.*

a) *Plura tamen forent bella, si non introducta essent dominia.*

b) *Aliquando propter solam contumeliam.*

ad §. 106. c) *Sunt hæc verba D. Alberti* p. 138. §. 20.

ad §. 107. d) §. 70. seq.

ad §. 109. e) lib. 3. c. 4.

110. Istud vero inter jucundas speculationes referendum, *Abeli* in ista divisione contigisse *mobilia, Caino immobilia:* Quasi Cain non opus simul habuisset bove aratore, *f*) quasi nihil præter frumentum comedisset; quasi Abel non indiguisset pascuis, unde oves sustentaret, aut pane non usus fuisset in cibum. Nisi dicere velis, simul Adamum introduxisse commercia inter fratres, permutationes, *g*) conductiones *h*) &c. aut plura ad defendendas ejusmodi meditationes, scripturâ tacente, & propemodum reluctante.

111. *Noachi* ævum qvod attinet, eandem benedictionis formulam hic adhibuit DEUS, qua utebatur erga Protoplastos, *i*) ergo & eadem hujus expositio facienda, quæ illius, in quantum nempe conditio humani generis per lapsum mutata admittit. Certè nulla sculpenda erit dominii privati introductio.

112. Quod ut eo minus haberet dubii, notanter scriptura dicit, DEUM in benedictione illâ & concessione potestatis subjiciendi sibi reliquas creaturas, non ad solum Noachum verba direxisse, sed simul ad ejus liberos, indicio, hos exinde jus æquale cum patre fuisse nactos.

113. Igitur probabilissimum est, inter *Noachi posteros* etiam *mediante occupatione* paulatim rerum dominia fuisse distincta, cum Historia sacra divisionem inter eos à patre factam esse sileat.

114. Cujus verba nimium quantum torqueri oporteret, si quis ex iis exsculpere velit, ac si *Noa inter filios suos distribuerit gentes & insulas, ut suam quisq; portionem tranquillè possideret. l*)

115. Etsi enim Philastrius *m*) distributionem istam tam certam esse censeat, ut negationem ejus inter hæreses numeret, non magis

ad §. 110. f) *Et fortè ovibus vel aliis bestiis, quæ ad res mobiles pertinent.*

g) *v.g. panis cum ove.*

h) *v.g. pascui, bovis &c.*

ad §. 111. i) Gen. IX.

ad §. 114. l) *Quæ est iterum opinio D. Alberti* c. 7. §. 20. p. 138. *provocantis ad* Genes. IX. v. 26. & 27. & X. v. 32.

ad §. 115. m) Hæres 7. *Alb.* d. l. §. 21. p. 139.

magis tamen hunc hæretificem timemus, atque JCti Baldum vel quisquis ex antiquis glossatoribus fuit, statuentem hæresin esse, si quis neget, Imperatorem esse mundi dominum.

116. Uti enim istud terriculamentum non terruit Bochartum, n) quin ab illâ sententiâ recederet, o) ita jam observarunt alii, pertinere istam traditionem de divisione Noachicâ ad fabulas Pseudo-Berosi. p)

117. Et quomodo Noachus gentes potuit distribuere inter filios? Nullæ fuere gentes nisi ex ipsis Noachi liberis. An ergo jam tum tempore divisionis fuerunt integræ gentes? An Noachus ademit liberos unius filii, & transtulit in potestatem alterius? An vero gentes quædam remanserunt diluvio non submersæ, quas Noachus liberis suis assignaverit?

118. Igitur maximè hic cavendum, ne, dum interesse privatum respicimus, fingendo aliquid ad confirmandam novam & hactenus inauditam hypothesin, q) interesse commune Christianismi prodamus, adversus defensores Præadamitarum, omnem moventes lapidem, ut ostendant diluvium Noæ non fuisse universale, sed pertinuisse saltem ad terram Judæorum. r)

119. Constat igitur ex dictis, quisnam sit sensus præcepti de non turbando alterum in usu creaturarum, s) duplex nempe; vel communionem vel dominium respiciens. Priori modo obligatur quis, *ut quamdiu per occupationem vel alium dominii acquirendi modum proprietatem non quæsierit, alios æqvo secum jure in usu ejus rei frui patiatur.*

120. Po-

ad §. 116. n) Geogr. S. part. 1. lib. 1. cap. ult.

o) *Quamvis ex parte saltem, ut exponit Alb.* d. l.

p) vide Schotani Biblioth. hist. sacr. P. 2. p. 93. Conf. Perer. in Genes. c. 9. n. 206. p. 411.

ad §. 118. q) *v. g. de statu integro norma status corrupti.*

r) Schot. d. l. P. I. p. 168. seqq.

ad §. 119. s) vide suprà §. 34.

120. Posteriori vero respectu quis est obstrictus; *Ut re alterius dominio subjectâ, citra Domini voluntatem, uti,* regulariter & excepto summæ necessitatis casu, *t) non prætendat.*

121. Porrò ex caussis introducendi dominii & hujus definitione fluit adhuc aliud speciale præceptum ad communionem referendum: UT HOMO RES INEXHAUSTÆ UTILITATIS ET â QUARUM USU ALIOS ARCERE VIRES HUMANAS EXCEDAT, INTRA PRIMÆVAM COMMUNIONEM MANERE SINAT.

122. Quoniam enim omnis proprietatis finis est iste, ut quis rem communibus usibus non sufficientem, vel occasionem ad lites præbentem, si maneat in communione, sibi soli per apprehensionem acquirat, ita ut in posterum alios ab eorum usu arcere possit; inde patet, tria requiri ex parte rei dominio subjiciendæ.

123. I. Ut res *usum* aliquem hominibus mediatè aut immediatè possit præbere *u*) per se, aut per cohærentiam cum aliâ re. Nam planè inutilia sibi vindicare velle, supervacuum & ineptum esset. Quamvis fortè difficile sit ejusmodi rei planè inutilis exemplum proferre.

124. II. Ut res non præbeat naturâ suâ *usum omnibus hominibus* sufficientem citrà periculum dissidii. Quod si enim secus sit, peccaret quis contrà præceptum de æqualitate custodiendâ & in specie de vitandâ superbiâ, si ab ejusmodi rerum usu alios vellet excludere.

125. Scilicet res quædam *x*) *usum* hominibus præbent *arctis* velut finibus circumscriptum, nec cum pluribus communicari aptum, quales in proprietatem ire pacis quàm maximè interest.

126. Aliæ vero res, cum *diversos* sui usus præbeant, secundum quosdam usus *exhauriri* possunt, secundum quosdam omni-

Pp bus

ad §. *120.* t) Suprà c. 6. hujus libri §. 20. seqq.

ad §. *123.* u) Puf. §. 1. & 2. lib. 4. cap. 5. (*quod caput cum* §§. *seqq. quoque conferendum.*)

ad §. *125.* x) *Ut res fungibiles, spatia minora terræ.* Puf. §. 4.

bus abunde *sufficiunt. y*) Respectu itaque priori expedit, eas fieri proprias, respectu posteriori postulat lex de officiis humanitatis, ut isti usus aliis communicentur.

127. Huc referimus lumen caloremque Solis, aërem, flumina & similia. *z*) Igitur non malignum & inhumanum est, *a*) si quis has res proprietati subjiciat, sed usum innoxium earum aliis denegare velle, id inhumanum foret.

128. Quodsi vero res *quoad omnes usus* sufficiat omnibus hominibus, tunc demum à ratione abhorret, eam velle dividere.

129. Notanter tamen addidi, *b*) si ejusmodi usus proferat res aliqua à *natura* suâ, *quorum exercitium non det occasionem dissidiis.*

130. Unde patet, quamvis *totius terræ* tanta sit magnitudo, ut ad quemvis usum omnibus populis sufficiat, non tamen vel ideò in communione manere potuit, quoniam post lapsum maximè ad percipiendam ex ea utilitatem requiritur *industria humana*, & praetereà etiam in illis usibus, quos sine industriâ hominibus præbet, *occasio daretur litibus*, si non per partes occupare eam licuisset. *c*)

131. Sed exemplum desideras forte ejusmodi rei, quæ naturâ suâ usum omnibus præbeat hominibus citrà occasionem dissidendi? Dabo: Considera *vastum Oceanum*, magnis continentibus Europæ, Africæ, Asiæ, Americæ, terræ Australi & incognitæ

ad §. *126.* y) *ut flumina, si in iis partim ad usum piscationis, partim ad usum navigationis respicias.*

ad §. *127.* z) *Quamvis enim lumen, calor solis, aër &c. sint usus inexhausti, quatenus in se considerantur, tamen, quia his uti non possumus sine subsistentia in loco, inde hoc respectu horum usus dici poterit exhauribilis, ut ipsius terræ.*

a) *Ut opinatur* Dn. Puf. §. 2.

ad §. *129.* b) §. 124.

ad §. *130.* c) *Ita v. g. in locis calidis, ubi rarior est umbra, occasio data fuisset litigiis, si quidam semel occupato loco umbratili, ab eo iterum recedere noluissent, & alios ad fruitionem umbræ admittere, quamdiu per apprehensionem ejusmodi non licebat dominium rei sibi acquirere. Adde* Puf. §. 4.

tæ interjectum. Ex hoc quoscunque percipit usus *d*) homo, toti humano generi sufficiunt, neque industriam & culturam desiderant. Quin & occasionem dissidiis non præbent, cum non sint quotidiani, *e*) ut timendum sit, frequenter homines in usu Oceani concursuros esse.

132. III. Ex parte rei ad dominium habilis requiritur, ut res ipsa *apprehensioni* & *custodiæ* hominum aliqua tenus sit obnoxia. Quia enim proprietas includit jus alios homines ab eâ re arcendi, inutile hoc foret, nisi adversus alios in actum posset deduci, & frustrà adeò proprium sibi quis assereret illud, ubi nulla ratione prohibere posset, quo minus cœteri ipso invito de istâ participent. Quo pacto peccaretur in officium hominis erga se ipsum, quod jubet, suprà vires non esse nitendum. *f*)

133. Quo arctius igitur res aliqua veluti claudi & circumscribi potest; eò facilius *g*) effectus proprietatis adversus alios obtinentur, adeoque, quò aptior est aliqua res, ut injustæ aliorum manus ab illa excludantur, eò securiorem ejusdem proprietatem sibi spondere licet.

134. Uti tamen aliqua res non statim à proprietate est exemta, abs quâ non ita commode aliorum manus possunt arceri, ita si quid ita sit diffusum, ut vel imposibile moraliter sit custodia qualicunq; eam amplecti; aut ipsa custodia longè pluriũ sit impensarum, non solum non præsumendum *h*) est, quempiam rem tam onerosæ tutelæ sibi voluisse propriam reddere, sed & si vel maximè id quis voluerit, jure tamen voluisse non potuit. *i*)

 135. Exem-

ad §. 131. d) *Puta navigationis, piscationis &c.* Puf. §. 9.

ad §. 132. e) *Uti usus terræ. Est enim status extraordinarius eorum qui navigant.*

ad §. 132. f) vide suprà l. 2. c. 2. §. 32. adde Pufend. § 1.

ad §. 133 g) *Ut* 1. *res in specie mobiles,* 2. *immobiles,* 3. *se moventes,* Adde Puf. §. 3.

ad §. 134. h) *De præsumtione loquitur* Dn. Puf. d. §. 3.

i) *propter* §. 132.

135. Exemplum iterum cape *de vasto Oceano. l)*

136. Vides igitur, quid de controversiâ illustri de *maris dominio*, sit pronunciandum; Nempe ut paucis me expediam, partes maris, quæ ad *vastum Oceanum* referri nequeunt, per occupationem dominio subjici potuerunt, *m*) *Oceanus* jure non potest. Rem alii *n*) exposuerunt prolixius & erudite.

137. Cæterum semel introducto dominio non sufficiebat amplius *occupatio sola* ad proprietatem rerum acquirendam, cum ea tam diu saltem valeret, donec res nullius domino jam esset acquisita. Necessitas igitur humani generis atque ejus utilitas exegit, ut præter occupationem & *alii modi* usurparentur.

138. Quos ex dictamine rationis, & quatenus communiter inter gentes abstrahendo à legibus civilibus, sunt recepti, doctrinæ gratia ita commodissimè *dividere o*) posses, ut alii sint *principales*, qui peculiaribus constant regulis, alii *accessorii*, *p*) qui reliquorum omnium regulas pro diversitate circumstantiarum participant, ipsi verò novis regulis non gaudent.

139. *Principalis* modus est vel *originarius* vel *derivativus. q*) Per *illum* ab initio in rem aliquam proprietas introducitur; per *hunc* dominium constitutum ab uno in alterum transit.

140.

ad §. 135. l) *Etsi enim Dn. Puf.* §. 9. *dicat, vastum Oceanum per magnitudinẽ suam haud quicquam absolutè reddi proprietatis incapacem, tamen ibi non videtur respicere ad nostram thesin, sed magis voluisse contradicere Grotio, qui propter magnitudinem dicit in oceano deficere terminos, & propterea eum esse dominii incapacem.*

ad §. 136. m) *Quoniam istam saltem utilitatem præstant, ut possim alios arcere à terra mea.*

n) Pufend. §. 5. seqq. usque ad finem.

ad §. 138. o) *Aliter procedit Dn. Pufend.* lib. 4. cap. 6. usque ad cap. 12. *quæ capita cum sequentibus* §§. *sunt jungenda.*

p) vide §. 206.

ad §. 139. q) vide §. 156.

140. *Originarius* modus hodie *r*) est unicus, *occupatio*; hæc vero est *apprehensio rei nullius, cum animo sibi eam appropriandi*. Unde regula vulgaris: *Quicquid nullius est, occupanti cedit*.

141. Prout autem res ipsæ variant; ita variat etiam rerum apprehensio. Hinc *mobilia* manibus, *immobilia* ingressione adeoque pedibus apprehenduntur.

142. Est & alia inter hæc duo differentia; ad occupationem *immobilium* sufficit solus corporis contactus, at in *mobilibus* requiritur etiam, ut ex eo loco, ubi positæ fuerunt, dimoveantur & in locum aut custodiam nostram transferantur. *s*) Quanquàm fortè dicendum sit, & in mobilibus sufficere apprehensionem absque motione, si modo illa demonstrari possit. *t*)

143. Item res *mobiles* & præprimis *se moventes* occupantur instrumentis, v.gr. jaculis, laqueo &c. at *immobiles* jaculis v. gr. *u*) apprehendere, nunquam inter gentes receptum fuit.

144. Porrò cum *mobiles* regulariter terminos certos ac fines habeant, nullum est dubium, quin si unum rei terminum apprehendam, totius rei dominium acquisiverim.

145. At in *immobilibus* quoniam hæ ferè naturaliter sibi cohærent, distinguendum erit. Vel enim eæ fines certos acceperunt ab hominum industriâ, vel minus. In illis (quales sunt ædes, *x*) etiam præsumetur tota res acquisita, si pars apprehensa corpore sit, v. gr. si quis ædes sit ingressus. In his vero necesse est,

 ut

ad §. *140*. r) *Olim poterat etiam esse divisio*. Vide suprà. §. 102. 103.

ad §. *142*. s) *Ita etiamsi aves in nido tetigerim, abeam tamen posteà, possunt ab alio abstrahendo à legibus civilibus, occupari. Simile quid in apibus*.

t) *e. g. acquiro feram bestiam mortuam, quam primum cornua teneo; lapillum, cum manu tango*.

ad §. *143*. u) *Vide exemplum de Andriis & Chalcidensibus apud Puf*. IV. 6. §. 8.

ad §. *145*. x) *Huc pertinent etiam agri, postquam certi jam termini ipsis ab hominibus sunt positi*.

ut aliis signis corporeis declarem animum meum, quousque eas occupare voluerim. *y*)

146. Qualia signa sunt, si limites ponam, si culturam iis adhibeam &c. *z*)

147. Denique cum *mobilia* accedant immobilibus, non hæ istis, igitur abstrahendo à specialibus statutis, occupatione mobilium *a*) nunquam acquirentur immobiles. At *immobilium apprehensione* simul res mobiles his accedentes acquisitæ regulariter erunt. *b*)

148. Pro *accessoriis* autem habebuntur omnes *res nullius*, quæ in rebus immobilibus continentur, aut quarum sine immobilibus non est usus, sive sint mobiles in specie, ut res inanimatæ, sive se moventes, ut bestiæ, sive supra terram, ut aër, sive intra eandem, ut v. gr. thesaurus. *c*)

149. Sive ita sint comparatæ, ut istis statim possim uti pro lubitu, sive speciali & laboriosa apprehensione ad utendum iis sit opus. *d*)

150. Sive sciam, ubi eas deprehendere possim, sive nesciam. *e*)

151.

y) *In acquisitione nempe originaria. Nam in derivativa, si minimam partem fundi pedibus tangam, erit possessio acquisita. Nullum enim mobile potest esse fine immobili, saltem quoad usum hominis.*

ad §. 146. z) *Unde si mercator cum sua familia per naufragium ejiciatur in insulam desertam, tantum id ex insula occupasse censebitur, quantum coluit, aut limites posuit. Reliquæ partes ab aliis, qui per naufragium eò appelluntur, occupari possunt.* Adde Pufend. IV. 6. 8.

ad §. 147. a) *v. g. clavium.*

b) vide §. 206.

ad §. 148. c) *De feris bestiis & thesauro dissentit* Dn. Puf. IV. 6. §. 4. 6. 7. *Sed mihi videntur rationes ejus, quas movet circa feras bestias, etiam obstare acquisitioni bestiarum mansuetarum, alia ut jam taceam.*

ad §. 149. d) *Ut in feris bestiis.*

ad §. 150. e) *Ut in thesauro.*

151. In eo tamen inter res se *moventes* & *motas ab alio* est differentia, quod dominium rerum se moventium, [quorsum etiam refero aërem] sine speciali apprehensione sit saltem momentaneum, & quamdiu eædem seipsas non movent extra rem istam immobilem; quod si verò citrà factum humanum aliunde se conferant, desinat dominium nostrum, quoniam tùm sunt accessoriæ aliarum. *f*)

152. Alia est ratio *rerum mobilium* in specie; quoniam enim hæ regulariter non nisi ab hominibus moventur, per ejusmodi motionem dominium meum non potest interverti, neque moventes earum dominium per apprehensionem acquirere, quoniam ante apprehensionem non erant nullius.

153. Quod si igitur is, qui rerum immobilium dominus per occupationem est factus, *res se moventes g*) separatim apprehendat, & eæ manebunt in illius dominio, etiamsi posteà seipsas in alium transferant locum.

154. Cæterum uti res semel acquisitæ per *derelictionem* desinunt esse in nostro dominio, & primævam conditionem recipiunt; ita nullum debet esse dubium, earum rerum dominium quærendum esse per *occupationem*.

155. Ex dictis jam facilè responderi poterit ad quæstiones spinosas JCtorum *h*) de *acquisitione ferarum* bestiarum, *i*) ac *amissione*

---

ad §. *151.* f) *Atque hic iterum puto eandem esse rationem bestiarum ferarum & mansvetarum. Et accurate loquendo, si res nullius occupata fuerit, etsi ibi contineantur bestiæ mansveti generis, ut oves, gallinæ, revera tamen nondum essent mansvetæ, non enim degerent inter homines, nisi fortè in rebus derelictis.*

ad §. *153.* g) *Sive feras bestias, sive mansvetas. Tum enim sunt acquisitæ non amplius ut accessoriæ, sed ut principales.*

ad §. *155.* h] Conf. Puf. cap. 6. §. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 12. 13. & cap. 9. §. 8.

i] *Quod non acquirantur nisi per occupationem, quod item potuerint occupari in fundo alterius.*

sione l)) earundem, de acquisitione *gemmarum in litore maris* inventarum, *m*) de *jure principis hodierno* in easdem, utrum pro *dominio n*) sit habendum, & an subditi contra prohibitionem principis venantes *furtum o*) committant? de acquisitione item *thesauri*, utrum ad occupationem spectet? *p*) Et an eò referri debeat acquisitio *missilium*? *q*) &c.

156. Cum autem utilitas rei & in eo consistat, ut invitus rem retinere non cogi possim, sed eam pro lubitu in alium transferre queam, inde sequitur jam, ut videamus modos acquirendi *derivativos*. Atque hi omnes abstrahendo à legibus, nituntur *voluntate domini prioris* & ejus in quem dominium est transferendum; nihil enim tam naturale est, quam ut voluntas dominorum rem suam in alium transferre volentium effectu gaudeat. *r*)

157. Et de ejus quidem, in quem dominium transferendum est, voluntate raro oriuntur controversiæ: At quod *voluntatem* domini prioris attinet, declaratur illa vel *expressè* vel *tacitè*. *s*)

158. *Expressè* per *sola verba*, v. gr. si quis contestetur, quod in favorem alterius id acceptantis renunciet dominio suo. *t*)

159. Vel per *verba, quibus translatio* possessionis juncta est, qui modus una voce appellari solet *traditio*.

160. Quoniam vero vox audita perit, scripta etiam & testibus præsentibus ore prolata quoad interpretationem varias admittit

l) *Quod etiam speciatim occupatarum dominium amittatur, si in libertatem naturalē se receperint.*

m] *Quod pertineant ad privatos inventores.*

n] *Quod puto propter* §. 147. seq. *Dissentit tamen Dn. Puf. Sed vide quæ notavi jam* ad §. 148.

o] *Et hoc ergo affirmo.*

p] *Eò refert Imperator* in instit. *Sed malè. Pertinent enim magis ad accessionem.*

q] *Omninò, quamvis Justinianus referat ad traditionem.*

ad §. *156.* r] *Adhibet ipse Imperator hanc regulam* §. traditione Inst. de R. D. *Conf. quoad hunc & seqq.* §§. *Puf.* lib. 4. cap. 9.

ad §. *157.* s] §. 177. seqq.

ad §. *158.* t] *Et hic enim obtinet regula* §. 156. *Etsi dissentiat Jus Romanum* l. 20. C. de pactis.

mittit disceptationes; à possessione verò usus rerum ferè dependet, ac ipsa possessionis translatio litigiis non ita est obnoxia, inde patet, *evidentiorem* longè esse dominii translationem, quæ fit *mediante traditione.*

161. Unde rursus sine magno labore responderi potest ad quæstionem: Utrum *traditio* præcisè requiratur ad translationem dominii; an vero sit solius Juris Romani inventum? *u*) Item quibus ex rationibus Romani in quibusdam negotiis & potissimum in ultimis voluntatibus *x*) *translationem dominii, sine possessione* admiserint? Denique, cur legibus Romanis plures modi *ficta* vel *Symbolica traditionis y*) fuerint inventi? &c.

162. Porro quæ per *verba sola* fit dominii translatio, vel mediantibus *actibus inter vivos* & contractibus fit, *z*) vel mediante *ultima voluntate*, seu *testamento. a*)

163. *Testamentum* igitur hoc loco nihil est aliud, quàm dispositio verbis declarata de eo, quod quis post mortem suam fieri velit de bonis suis. *b*)

164. Nam & illud in qualecunque mortalitatis solatium, si non apud omnes Gentes, certè apud plerasque fuit receptum, ut quis vivus sua bona transferre posset in eventum mortis in eum, quem maximè amaret.

ad §. 161. u) *Non requiritur præcisè, sed est tamen melior. Distinctio Dn. Pufend. §. 7. inter dominium consideratum absque possessione, & juncta eadem, litem non tollit. Quærebatur enim, an dominium sine possessione possit transferri?*

x) *Quia hic testamentum tollit lites. Romani etiam sine traditione possessionis vacuæ inter vivos transferebant dominium, si fundus à tertio possideretur, excepta venditione.*

y) *Quia in ficta possessio jam erat translata, in symbolica signum evidentius adest, ut in traditione clavium, obsignatione.*

ad §. 162. z) *Scilicet abstrahendo à jure civili.*

a) *Hoc agnoscit ipsum jus civile.*

ad §. 163. b) *Sive sit de universis bonis, sive de quibusdam, ita ut sub se comprehendat etiam Codicillos secus ac de jure Civili. Conf. quoad hunc & seqq. §§. Puf.* lib. 4. c. 10.

165. Cœterum cum antiquiſſimis temporibus uſitatum fuiſſe videatur, ut imminente jam fato, palam ſuos heredes nuncuparent & patrimonium de manu in manum ipſis traderent, poſteà graves ob rationes multis populis aliud teſtamenti gen9 magis arriſit; ut nempe quocunque tempore placeret, ultimam ſuam voluntatem ſignificare, vel literis tacitè conſignare poſſent, quam mutare pro lubitu liceret, & ex quâ heredibus nuncupatis aut ſcriptis tùm demum jus naſceretur, quando teſtator expiraret.

166. Atque tales ultimæ voluntates licet merito magnum habeant favorem, ita tamen temperandæ erunt, prout neceſſitudinum ratio & utilitas civitatum requirit. Quæ & inde legibus ſveverunt cavere, qvomodo cuique teſtamenta ſint ordinanda. *c*) A quarum diſpoſitione qui diſceſſerit, queri non poteſt, ſuæ voluntatis non fuiſſe habitam rationem.

167. Quoniam autem ſœpius non expedit, ut totam rem meam in alterum transferam, ſed *utilitatem* ſaltem ac *commoditatem d*) aliquam, quâ opus habebat alius, proprietate mihi retentâ, inde & has commoditates vel per ſola verba, vel per conjunctam traditionem, vel per ultimam voluntatem gentes communiter transferre conſveverunt.

168. Fit vero hæc translatio ita, ut ſaltem intendatur *obligatio perſonalis*, ac nullum onus ipſi rei commoditatem illam præbenti imponatur, quod fit v. gr. in *commodato*, *locatione* &c. vel ut alter intuitu iſtius utilitatis *jus aliquod in re* noſtrâ, ſalvâ tamen nobis manente proprietate, nanciſcatur.

169. Et hoc quidem caſu vel *proprietatis* noſtræ quædam *particula*, dependens tamen atque in reſpectu ad noſtram ignobilior unà cum poteſtate utendi fruendi alteri transſcribitur; unde oritur diſtinctio inter *dominium directum* & *utile*, cujus ſpecies ſunt, jus emphyteuticum, ſuperficiarium, & Vaſalli in Feudum; vel *proprietas tota* apud nos remanet.

170. Quo

ad §. 166. c) *Hinc ſolennitates & requiſita juris civilis, quæ ignorat merum jus naturæ.*

ad §. 167. d) *Quoad hunc & ſeqq. §§. Conf. Puf.* lib. 4. c. 8.

170. Quo pacto vel intenditur in specie *securitas* ejus, qui utilitatem nobis aliquam attulit, ut indemnis servetur, & vocatur Jus *hypotheca* vel *Pignoris*; vel alia quædam quæcunque *utilitas*, & dicitur *servitus*.

171. Quod si illa utilitas principaliter *personam* alterius respiciat, nominatur servitus *personalis*, quales sunt, ususfructus, usus, habitatio, operæ servorum &c.

172. Quodsi vero respiciat primario *utilitatem prædii alieni*, dicitur servitus *realis*.

173. Et quidem, si prædium illud spectet *ad usum urbanum* ædificiorum, appellatur *servitus urbana*, si ad *rusticum*, qui consistit in agriculturâ & pecuariâ, nominatur *servitus rustica*.

174. *Servitutis urbanæ* species sunt, servitus oneris ferendi, tigni immittendi, protegendi & projiciendi, stillicidii vel fluminis recipiendi vel non recipiendi, fumi, cloacæ, luminum, ne luminibus officiatur, altius tollendi vel non tollendi prospectus, ne prospectui officiatur &c.

175. *Servitutum rusticarum* exempla sunt servitus itineris, actus, viæ, aquæ ductus, aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, cretæ lapidisque eximendi, ligna secandi, uvas premendi &c.

176. Sed de his quidem juribus explicandis maximam partem sollicita est *Jurisprudentia Romana*, quoniam ejusmodi jurium translationes frequentissimè inter privatos oriri solent. Quam adeò ob singularem æquitatem, & quia JCti Romani sæpissimè ex dictamine rectæ rationis controversias diremerunt, gentes Europææ maximam partem & in conventionibus publicis observare solent. Quatenus autem & ipsa quandoque ex rationibus merè civilibus quæstiones definivit, id commodius alibi demonstratur. *e*)

 177.

ad §. 176. e) v. g. quod in usufr. locum habeat jus accrescendi etiam respectu illius, qui partem suam amisit, quod in servitute oneris ferendi refectio pertineat ad fundum servientem, quod servitutes prædiorum non possint constitui ad tempus, quod debeant habere causam perpetuam. Conf. disput. nostr. de servit. stillucidii.

177. Ergò in viam redeamus, non neglecturi videlicet translationem dominii, quam suprà *f) tacitè* fieri diximus. Locum illa habet potissimum tum in *successionibus ab intestato*, tum in *usucapione. g)*

178. *Successio ab intestato h)* tum habet locum, si quis nullum testamentum reliquerit, vel heres testamento scriptus noluit aut non potuit heres esse. *i)*

179. Tunc igitur moribus communibus gentium receptũ est, ut res relictæ non habeantur pro derelictis & quæ occupantibus debeant cedere; partim quoniam præsumebatur potius quis mortalitate præventus esse, aut in spe sua, quam de amico quodam sibi fecerat, deceptus.

180. Quapropter ex tacitâ defuncti voluntate communiter constitutum fuit, ut is bona sibi vindicaret, qui tempore mortis *firmissimâ amicitiâ* â defuncto dilectus erat.

181. Quis vero hoc *amici* nomine insigniendus esset, *conjecturis* erat opus, difficilioribus omnino, cum homines in amicitiis suis varient maximè.

182. Et quidem cum *amicitia* nitatur vel causis *naturalibus*, communitate nempe sanguinis, vel rationibus *spontaneis* ac peculiaribus; *posterior* hæc ad præsens negotium non ita commoda visa fuit, propter summam definitionis difficultatem ac propè impossibilitatem. *l)* Cui accedebat, quod cum hæc difficultas non incognita fuerit defuncto, & vero eidem facilè per conditionem testamenti obvenire potuisset, hoc neglecto, ipse videretur declarare voluisse, non attendendos esse amicos ejusmodi.

183. Re-

ad §. 177. f) §. 157.

g) §. 191.

ad §. 178. h) *Hic jungere incipe Puf.* lib. 4. cap. 11.

i) *Quod dicitur destitutum. Ad nullum refer etiam, quod ipso jure nullum est, aut ruptum vel irritum factum est.*

ad §. 182. l) *Non solùm propter variationem, sed & , quia sæpius unus homo cum pluribus conversatur æqualiter.*

183. Remanebat itaque *prior amicitia*, ad quam cum majoribus ſtimulis actus fuiſſe præſumeretur defunctus, quo proximior fuiſſet ſangvinis communio, inde ferè communiter gentes in asſignandâ hereditate iſtam fuere ſecuti regulam, quod *proximior ſanguine debeat eandem acquirere.*

184. Porro quemadmodum regularum, quæ ex conjecturis formantur, nulla eſt ſine *exceptione*, ita & gentes, alias prioribus addentes conjecturas, exceptiones quasdam ab illâ regula fecere; quas doctrinæ causâ in *communes*, à circumſtantiâ videlicet omnibus hominibus communi deſumtas, & *proprias*, quæ circumſtantias uni genti vel pluribus peculiares reſpiciunt, *m*) dividere poſſes.

185. Nituntur utræque exceptiones diſtinctione conſangvineorum vulgatâ, in tres ordines, *deſcendentium*, *adſcendentium* & *collateralium.*

186. *Deſcendentes* ſeu liberos quod concernit, hi quidem à præfatâ regulâ *univerſalem* exceptionem fecerunt, ut videlicet, quocunq; gradu ſint, adſcendentibus & collateralibus omnibus præferantur, *n)* ob *στοργὴν* univerſalem parentum, magis ſemper deſcendentem quam aſcendentem.

187. Cui cum accederet in multis caſibus (& nempe, quoties liberi nondum eſſent adulti, *o*) ut ipſi ſibi de divitiis commodè proſpicere poſſent,) debitum naturale, *p*) quo parentes obſtringuntur liberis proſpicere de alimentis, eò magis creditum fuit, paren-

ad §.*184*. m) *Et adeò magis pertinent ad jus civile.* vide §. 188. 189.

ad §.*186*. n) *Non ſolum quoad aſcendentes & collaterales fecerunt exceptionem à regula, ſed & inter ſe, quippe nec hic proximior excludit remotiorem, ſed moribus ferè gentium communibus hic locum habet in perpetuum jus repræſentationis.*

ad §.*187*. o) *Neq; haberent jam aliunde, v. g. ex aliorum teſtamentis, unde ſe ſuſtentare poſſent.*

p) *In hoc debito ſe fundat legitima.*

parentes sine testamento defunctos liberis quam lautissimè voluisse prospicere, ac quæ sibi superfuerant, ipsis potissimum voluisse relinquere.

188. Sed quod *ascendentium* & *collateralium* ordines attinet, tam aperta ratio non fuit, uter ex his ordinibus alteri præferendus esset, *q)* cum in omnem partem non deficerent conjecturæ probabiles: sive asseras, fratres præferendos esse parentibus secundum Jus Romanum antiquius; *r)* sive fratres parentibus postponas cum Jure Saxonico; *s)* sive & parentes & fratres, cum Jure Justinianeo, simul admittas. *t)*

189. Ne ergo litibus difficilioribus ansa daretur, necesse fuit, ut vel per leges vel per pacta disputationes hæ in antecessum tollerentur. Quapropter nulla Respublica est, nulla provincia, quæ non leges vel scriptas, vel non scriptas in materiâ successionis ab intestato sequatur.

190. Quæ simul de prærogativâ *legitimitatis sexus, ætatis, agnationis, jure repræsentationis*, subinde disponunt.

191. Sequitur *usucapio, u)* quæ dicitur, cum quis rei alicujus possessionem nactus, eam diu quietam & non interruptam obtinuit. Tum enim pro perfecto ejus rei domino habetur, ita ut antiqvum dominum, si posteà rem eam vindicare velit, repellere queat.

192. Ob-

ad §. 188. q) *Habet quidem Dn. Pufendorffius* d. c. 11. *& hic aliquam determinationem, non improbabilem quidem, at non communiter receptam.*

r) *Quoniam parentes regulariter secundum ordinem naturæ non debent sperare quicquam ex bonis liberorum, & præsumebantur adeò æquo animo laturi, si fratres defuncti id auferrent. Accedit, quod naturâ major amicitia sit inter fratres tanquam pares, quam cum parentibus tanquam superioribus.*

s) *Quia nempe in concursu alimentorum præstandorum frater postponendus est patri.* Confer. infrà cap. 12. §. 134. seqq.

t) *Fratres ob amicitiam, parentes ob gratitudinem & alimentorum debitum.*

ad §. 191. u) *Hic junge Puf.* lib. 4. cap. 12.

192. Obtinet autem tùm inter *diversas gentes*, tum inter homines *privatos. x*)

193. Utrobique finis *communis* & *ultimus* eſt tranquillitas humani generis, cujus intereſt, ut dominia aliquando ſint in certo, & ne feneſtra aperiatur bellis, ſi liceret rem, quæ olim ad nos vel noſtros pertinuit, vindicare. *y*)

194. Sed rationes *ſpeciales* utriusque uſucapionis quàm maximè variant. In uſucapione *Gentium* unica eſt, *tacita z*) *derelictio antiqui poſſeſſoris*, qui, ratiocinatione à communi hominum conſvetudine petitâ, rem pro derelicto habere præſumitur, quam per longiſſimum temporis ſpatium neque vindicavit, neque ejus vindicandi deſiderium publicè declaravit.

195. Unde hujus uſucapionis ferè unicum *requiſitum* eſt *poſſeſſio alterius quieta per longiſſimum tempus*, quod adeò determinari ob circumſtantiarum varietatem nequit, in genere autem tantum ejus ſpatium reqviritur, ut demonſtrari poſſit, per id priorem dominum ſciviſſe, rem ſuam ab altero poſſideri, neqve defuiſſe occaſionem contradicendi. *a*)

196. Tale vero haud dubiè eſt tempus *centum* annorum.

197. Qvod ſi igitur quocunq; modo qvis intra id tempus poſſeſſori ſeriò *contradixerit*, non curret inter gentes præſcriptio. *b*)

198. Hinc receptum eſt, ut vel ſola *tituli uſurpatio* præſcriptionem alterius interrumpat. *c*) 199.

ad §. 192. x) *Illa juris gentium, hæc juris civilis.* vide §. 202.

ad §. 193. y) *Hinc aperta eſt injuſtitia reunionum Gallicarum.*

ad §. 194. z) *Non ergo præſumta tantum.*

ad §. 195. a) *Nam ſi hæc requiſita adſint, procedit argumentatio §. præcedentis.*

ad §. 197. b) *Quia quoties conſtat de voluntate expreſſa, toties fruſtra quæritur de tacita.*

ad §. 198. c) *Sed addi tamen hic debent limitationes, niſi ille, qui titulum uſurpat, alia facta adhibuerit, ex quibus fortiores conjecturæ contrariæ voluntatis appareant. Solet id afferri in quæſtione: An Imperator Romanus impedierit per uſurpationem tituli præſcriptionem Pontificis? Vide hic omnino Hennig.* ad Beckeri Jus publicum, *ubi eruditè diſputat contra Conringium.*

199. At inter homines *privatos*, ut uſucapione mediante quid acquiratur, *leges civiles* non primariò reſpiciunt ad tacitam alterius derelictionem, ſed hæ principaliter intendunt *coërcitionem negligentiæ* in ſubditis.

200. Unde *certum* ac *brevius* tempus, idqve pro diverſitate rerum uſucapiendarum varians, anni, biennii, triennii, decennii, vicennii, tricennii &c. determinarunt, intra qvod uſucapio perfici poſſit, etiamſi antiqvus poſſeſſor per illud *neſciverit*, ubi res ſua ſit, aut extrà judicium *proteſtatus* ſit ſœpius. *d)*

201. Ne tamen hoc modo iniquis poſſeſſoribus nimium gratificaretur, ulterius requiſiverunt in eo, qui uſucapere vult, *bonam fidem* & *juſtum titulum*, tùm & intuitu rei, ut ſit in *commercio* privatorum, neq; *furtiva* aut *vi poſſeſſa*. *e)*

202. Qvoniam igitur hoc pacto non poſſunt non multæ concluſiones quoad uſucapionem privatorum oriri, qvas ignorat præſcriptio Juris gentium, inde & JCti uſucapionem inter privatos retulerunt ad *modos acquirendi Juris Civilis*.

203. Ad qvos etiam pertinet, qvando lex *invito priore domino*, aliàs per modum pœnæ rerum dominia transfert, dum ob delicta damnatis interdum omnia bona, interdum certa earum portio eripiuntur, & vel publico vel læſo applicantur. *f)*

204. Nam inter gentes nullus modus obtinet, per quem invito domino res ſua auferatur.

205. Etſi enim in *bello* invitis res per hoſtem viribus ſuperiorem eripiuntur, raptorique acquiruntur, ad eas tamen recuperandas pari violentiâ prior dominus jus non amittit, quousque per ſubſeqventes pacis tractatus omni prætenſioni ad eaſdem renunciaverit. *g]*

206. Re-

ad §. 200. d] *Unde vides, quod hæc uſucapio non nitatur in voluntate tacita prioris domini.*

ad §. 201. e] *Quæ omnia non requiruntur in uſucapione Juris Gentium.*

ad §. 203. f] *Ut in actionibus pœnalibus.*

206. Restat ut de modo acquirendi *accessorio* quædam dicamus, qui & propterea *accessio* dicitur. *h*) Absolvitur is unâ regulâ: *Accessorium sequitur dominium rei principalis.* Unde nihil novi hic expectandum erit; sive enim res principalis per *occupationem*, sive per modum acquirendi *derivativum* fuit acquisita, eodem jure simul acquisita est res accessoria.

207. De *occupatione* suprà *i*) jam dedimus exemplum. Ita in *traditione*, cui ædes sunt venditæ ac traditæ, simul acquisita censentur ædium accessoria. *l*)

208. In *applicatione* tamen regulæ subinde oriuntur controversiæ, quænam res pro *principali*, quænam pro *accessoriâ* haberi debeat.

209. Ubi quidem id extra controversiam esse videtur, ut *fructus* rerum pro accessionibus earum habeantur, sunt enim pars rei.

210. Ex quo sequitur, quod & *Fœtus pecudum* ex naturali ratione pertineat ad dominum fœmellæ. Hujus enim pars fuit.

211. Qui vero arbitrantur, *m*) *domino maris* partem aliquam deberi de fœtu, præterquam quod iis jam alii satisfecerint, videntur dubiâ uti hypothesi, vel, acsi fœtus sit accessorium maris, cum tamen non sit ejus pars, vel, acsi generatio sit modus acquirendi dominii, quod ratione destituitur.

221. De aliis verò accessionibus major est controversia, *n*) v. gr. utrum *pictura* tabulæ, *scriptura* chartæ, *species* materiæ cedere debeant? Mihi sic videtur.

213. Quando duæ res (sub rebus vero includo & operas,) concurrunt, aut alio modo uniuntur, vel *ambæ sunt meæ*, & tum

 nullum

ad §. 206. h) *Junge Pufend.* lib. 4. c. 7. *& conf. suprà* §. 138.

ad §. 207. i) §. 147. seq.

l) *Ita in successione, usucapione &c.*

ad §. 211. m) Uti Dn. Ziegl. in not. ad Grot. Grotius ipse lib. II. cap. 8.

ad §. 212. n) *De his enim rebus controversiam fuisse inter JCtos, testantur Pandectæ & Institutiones.*

nullum est dubium, quin & eædem conjunctæ sint meæ v. gr. quando ex meis medicamentis facio emplastrum, ex meo argento poculum.

214. Vel *una harum nullius* est, altera mea, tunc postquam illius per occupationem dominus factus fui, manet etiam mea post unionem, ut, si ex carne ferinâ cibum parem.

215. Vel *una harum est alterius*, tùm si tantum scientiam dominii alieni confusam *o*) habeam, hoc est, *si prior dominus* dominium suum *probare nequeat*, ratio naturalis svadet, ut sit ejus, cujus rei adjungitur, *p*) v. gr. in alluvione, in thesauro.

216. Quod si vero dominium istius rei *possit demonstrari*, verosimilius est, abstrahendo à legibus civilibus, nihil hic novi acquiri, sed utrumque nostrûm esse rei istius dominum, adeoque *rem utrique pro ratâ fieri communem. q*)

217. Sive conjunctio rerum facta fuerit casu, sive voluntate utriusq;, sive voluntate unius, sive ex facto tertii. *r)*

218. Sed quod si uterque nostrum in communione manere nolit, alia jam est quæstio; ad quem in *communi dividundo judicio* res pertinere debeat; quæ non tam ad modos acquirendi dominii, quàm ad *officium judicis aut arbitri* pertinet.

219. Et huc respexerunt potissimum *JCti Romani* & Justinianus, cùm v. gr. de specificatione, picturâ, scripturâ, adplumbaturâ, ferruminatione &c. controversias dirimunt. *s*)

220. Quo-

ad §. *215.* o) *Confusam voco, ubi scio quod res non sit mea, nescio cujus sit.*

p) *Dum enim non apparet, cujus sit, habetur pro re nullius. Nam in moralibus non esse & non apparere coincidunt.*

ad §. *216.* q) *Id quod vult Grotius.*

ad §. *217.* r) *Quia si voluntate utriusque, intentio nostra fuit, ut fiat communis, sin; neque casus, neque voluntas unius, neque voluntas tertii poterit alteri dominium rei suæ intercipere.*

ad §. *219.* s) *Adeoque inter Grotium & JCtos Romanos non est dissensus in re ipsa, sed in modis rem efferendi.*

220. Quorum ſententiam prolixius examinare *t*) uti noſtri inſtituti non eſt; ita fortè non incommodè ſic dici poterit.

221. Vel res conjunctæ *facilem admittunt ſeparationem*, tum ſeparentur & unicuique reſtituatur ſuum. *u)*

222. Vel *non admittunt*, tum conjungens, ſi res conjuncta ſit *fungibilis*, alteri reſtituat æquivalentem, qui adeò, quod conqveratur, cauſam non habet, cum affectio non cadat in res fungibiles. *x)*

223. Quod ſi res alterius ſit *non fungibilis*, per generalia axiomata judicis officium exponi nequit, cum circumſtantiæ hic nimium quantum variare poſſint.

224. Etſi enim loco fundamenti hic ponere velis regulam, *y*) *quod id debeat pro principali haberi, ſine quo alterum eſſe non poteſt*, vix tamen eadem pro normâ univerſali adjudicandi haberi poterit.

225. Non ſolum, quod multi occurrant caſus, ubi illa regula ad utriusque res accommodari poterit, ut in ſpecificatione; *z)* neque enim forma ſine materia, neque materia ſine formâ eſſe poterit.

226. Sed & quod ſæpius attendendum ſit ad pretium rerum, ita ut pretioſioris dominus prævalere debeat, quod Juſtinianus in pictura, mores noſtri in ſcriptura ſeqvuntur.

ad §. 220. t) *Poteſt certo reſpectu defendi, & quibusdam caſibus oppugnari.* Conf. §. 224. ſeq.

ad §. 221. u) *Hoc etiam obſervat Jus Romanum in applumbatura & ferruminatione, item commixtione.*

ad §. 222. x) *Quod non obſervat Jus Romanum in charta & ſcriptura, obſervant tamen mores noſtri, obſervat Jus Romanum in pictura, quia in tabulam non cadit affectio, & poſtquam in ea pictum fuit, deſiit eſſe tabula. Item jus Romanum non obſervat in actione de tigno juncto, ubi concedit actionem in duplum, quaſi tigni ſit affectio. Non obſervat in ſpecificatione, dum poculum elegantiſſimè confectum adjudicat ei, cujus eſt argentum.*

ad §. 224. y) *Quam olim indiſtinctè JCti Romani videntur eſſe ſecuti.*

ad §. 225. z) *Item, ſi utriusque res ſit fungibilis, ut in confuſione.*

227. Neque omittenda est *indigentia prioris* domini, quæ & ipsa favorem ei addet; v. gr. si quis justo errore alterius agrum conseverit, & annonæ caritas oriatur, iniqvum foret frumentum eidem adjudicare &c.

228. Igitur in ejusmodi casibus res committenda erit prudentiæ arbitri. Ne tamen in civitate judicum cerebrinæ æquitati decisio negotiorum committatur, reipubl. interest.

229. Quo pacto melius est, si Princeps axiomata quædam præscribat judicibus, ab eo, quod plerumque procedit, desumta; etsi eadem fallant in casibus nonnullis; uti Justinianus fecit in specificatione.

230. Ex iis quæ hactenus *a*) fusius de dominio & præcepto id comitante disseruimus, patet, *summam* officii aliorum hominum intuitu domini, his punctis includi commodè posse. Vel *res apud dominum adhuc extat*, vel pervenit ad tertium. Illo casu tenetur quilibet *pati*, eum rebus suis quietè frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, intervertere aut ad se trahere. Fluit hoc ex præcepto de non lædendis aliis.

231. Quod si res ad *tertium pervenit*, tum iste est vel malæ fidei possessor, vel bonæ fidei. *Malæ fidei possessor* tenetur rem seu ejus pretium, cum omnibus fructibus omnique interesse restituere. Deducitur hæc propositio ex capite de damno dato resarciendo.

232. *Bonæ fidei possessor* vel rem *ex contractu* cum ipso domino celebrato detinet, v. gr. ex commodato, locato, deposito, & tùm secundum legem contractus rem domino restituere tenetur, quæ conclusio ex præcepto de fide data servanda derivatur.

233. Vel *aliàs* bona fide rem *cum animo sibi* habendi detinuit, ignorans videlicet, alium istius rei esse dominum. Et tum aut *res ipsa adhuc extat*, aut *fuit consumta*.

234. *Priori* casu tenetur bonæ fidei possessor efficere quantum in se est, ut illa in potestatem legitimi sui domini redeat.

235. Po-

ad §. *230.* a) §. 34. seqq. 117. seqq. *Hic incipit Puf.* lib. 4. cap. 13. *ubi tamen ferè omisit, quæ suplentur* §. *231. 232.*

235. *Posteriori* casu, si res aliena bonâ fide perta sit consumta, tantum debet restituere domino, quantum factus est locupletior. *b*)

236. Quæ duæ assertiones partim videntur fluere ex præcepto de præstandis officiis humanitatis, partim, & potissimum, quatenus bonæ fidei possessor post scientiam bonam fidem amittit, ex præcepto de non lædendis aliis.

237. Quodsi dictis rationibus addere velis universale pactum humani generis primævi, & ex eo etiam bonæ fidei possessoris obligationes deducere, non refragabimur.

238. In *particularibus autem conclusionibus*, quas Doctores *c*) de officio bonæ fidei possessoris formant, nos non detinebimus, partim quod jam alii eas optimè explicaverint, partim quod eædem prolixius soleant disputari in Jure Justinianeo, partim denique, quod illarum non paucæ raro inter gentes videantur occurrere.

CAPUT. XI.

De
Officio circa Rerum Pretia.

SUMMARIA.

Ex dominio orta commercia, §. 1. *ex commerciis rerum pretia*. §. 2. 3. 4. *Unde præceptum: UT PRETIUM CONSTITUERETUR.* §. 5. *Pretium vel vulgare est, vel eminens*. §. 6. 7. *Utriusque ortus & causæ*. §. 8.--11. *Quoad determinationem pretii præceptum: ITA COMPARA REM TUAM AD REM ALTERIUS, UT NEQUE IPSUM INÆQUALEM TE JUDICES, NEQUE DECIPIAS, NEQUE OFFICIA HUMANITATIS NEGLIGAS.* §. 12.--16. *Quid pretium affe-*

ad §. 235. b) *h. e. quantum lucratus est ultrà pretium, quod ipse dedit.*

ad §. 238. c) *Ut Grotius & ex eo Puf.* §. 7. seqq.

affectionis? §. 17. 18. *In statu naturali non datur rescissio contractus ob læsionem ultrà dimidium.* §. 19.—23. *Pretium affectionis vel est commune, vel pretium affectionis strictè dictum.* §. 24.—28. *Fundamentum pretii communis* §. 29. *non est nobilitas substantiæ,* §. 30. 31. 32. *nec usus aut necessitas humana,* §. 33.—37. *sed raritas.* §. 40.—43. *Fundamentum pretii affectionis.* §. 44. *In civitatibus rarissimum pretium affectionis.* §. 45. *Commune magis in usu est,* §. 46. 47. *& laxitatem aliquam habet,* §. 48. *unde vel infimum, vel mediocre, vel summum.* §. 49. *Origo rescissionis ob læsionem ultrà dimidium.* §. 50. 51. 52. *In civitate nova pretii species orta: Pretium legitimum,* §. 53. 54. *quod in puncto consistit.* §. 55. 56. 57. *De contractibus & eorum differentia à pactis hic non agitur,* §. 58. *quia differentia illa ex jure Romano oritur,* §. 59. *quod explicatur,* §. 60.—62. *& conclusiones inde emanantes summatim indicantur.* §. 63. 64. *Imperfectio Juris Romani.* §. 65. 66. *Ejus autoritas unde?* §. 67. *etiam in Jure naturali,* §. 68. *quam deprimere incepit Grotius.* §. 69. *Cur de modis tollendi obligationes non agatur?* §. 70.

§. I.

POst introducta rerum dominia *a*) cœperunt commercia inter homines, quæ nihil aliud sunt, quam mutationes rerum [sub quo nomine intelligo & operas,] mutuæ. Cum enim non omnis ferret omnia tellus, neque quilibet quibus opus haberet vel delectaretur, possideret, necesse erat, ut quæ sibi deessent, peteret quis ab altero, & cum non omnia gratis postulare poterat, ut pro illis rebus alteri aliam quandam rem ipsi usui futuram offerret.

2. Cœterum cum hoc pacto is, qui rem vel operam suam alteri donare nollet, regulariter intenderet, ut æquivalens pro re sua acciperet, & vero sæpissimè commutarentur res diversæ essen-

ad §. 1. a) *Huc pertinet Puf.* lib. V. cap. 1.

ſentiæ *b)*, inde ſimul ſponte ſuâ ſecutum fuit, ut conventione aliquâ ab hominibus rebus imponeretur affectio quædam, ſecundum quam res diſparis naturæ invicem comparari ac exæquari poſſent.

3. Eſt vero *exæquatio* comparatio rerum plurium ſecundum quantitatem earum, eaque vel ſecundum quantitatem *mathematicam*, ſcilicet ſecundum tres dimenſiones, vel ſecundum quantitatem *moralem*, ſeu valorem, quarum poſterior eſt hujus loci, & vocatur *pretium.*

4. Eſt igitur *pretium* valor rerum & actionum in commercium venientium, quatenus uſum aliquem & delectationem hominibus afferunt. *c)*

5. Poſtulavit itaque, ut vides, *tranquillitas* humani generis, UT PRETIUM CONSTITUERETUR, ſimul in ſpecie *cuſtodia æqualitatis* & præceptum de officiis humanitatis exhibendis, quia quilibet cum quibuslibet poſſunt commercia quædam habere, & per horum exercitium etiam ex parte aliorum commoda *d*) promoventur.

6. Cæterum pretium eſt vel *vulgare*, cum mutuo inter ſe res quæcunque & operæ conferuntur, vel *eminens*, ad quod nempe cœterarum rerum pretia vulgaria exigerentur & in quo eadem continerentur virtualiter, quod appellatur nummus vel pecunia.

7. Ita

ad §. *2.* b) *Intellige non ſolum diverſam eſſentiam genericam, vel ſpecificam, ſed & individuificam, quatenus ea differentia in diverſis individuis ejusdem ſpeciei, uſum aut affectionem earum variat.*

ad §. *3.* c) *Nam commercia omnia pro fine habent uſum vel delectationem. Alias ex uſu vel delectatione pretium non augetur vel minuitur*, vide infrà §. 33. ſeqq.

ad §. *5.* d) *Etſi enim beneficium non ſit, ſi alteri rem meam vendam, certo reſpectu tamen poteſt referri ad officium humanitatis, quatenus alter quærit utilitatem ex comparatione rei meæ, etiamſi pro pretio poſteà fiat.* Conf. ſuprà hoc libro c. 6. §. 44.

7. Ita v. gr. in *permutatione* locum sibi vendicat utrobique pretium vulgare; at e. gr. in *emtione* adhibetur pretium eminens.

8. *Vulgare* pretium *antiquius* est eminenti, & tamdiu videtur usum habuisse, quamdiu homines in simplicitate primævâ constiterunt. Quo simplicior enim fuit populus, hoc est, *e*) quo magis fuit contentus rebus ad sustentationem vitæ necessariis, eò diutius permutatione mutuâ rerum & operarum fuit contentus.

9. *Eminenti* pretio partim luxuria, partim studium augendæ civitatis primitus causam dedisse videntur.

10. Postquam enim varia homines ad commoditatem aut voluptatem desiderare cœperunt, non sane in proclivi fuerat cuivis ejusmodi res possidere, quas alter suis mutare vellet, aut quæ alterius rebus æquivalerent.

11. Porrò in Civitatibus, quæ cultæ ac moratiores præ aliis [quas barbarorum ideò nomine insigniverunt] videri volebant, necesse erat, ut cives secundum plures eosqve variantes status dividerentur, quorum complura genera vitam planè non tueri aut ægrè queant, si à luxuriâ & eminente pretio abstrahas. *f*)

12. Cœterum uti ex præcepto de custodia æqualitatis homines ad rerum pretia invenienda obligatos fuisse diximus, ita & determi-

ad §. 8. e) *Per simplicitatem non intellige vitium sed virtutem. Exemplo veterum Germanorum. Simplicitas enim non tantum est virtus Christiana, sed & Philosophica, quamvis ferè ubique exulans.*

ad §. 11. f) *Declaratum hoc exemplo infinitorum ordinum in Republica. Necessarii enim ferè sunt, quamvis diverso necessitatis gradu, agricolæ, sacerdotes, milites, præceptores, Reliqui plerumque faciunt ad solam luxuriam aut inutilem abundantiam, ut mercatorum multæ species, Theologi subtiles & rixatores, Advocati, Jure Consulti Theoretici, Philosophi subtiliores, ut puri Metaphysici &c. Ex artibus mechanicis plurimæ, ut Capillitiorum confectores, Barbitonsores, quatenus tales, seu quà Barbas tondent, Sartores, (Horum enim opera, quatenus ea ad familiam est opus, posset expediri per famulitia) desinentia in ix, ut lotrix, netrix &c.*

terminatio pretii, abstrahendo à pactis gentium & legibus civilibus, ex illo præcepto per modum conclusionis est elicienda: ITA COMPARA REM TUAM AD REM ALTERIUS, UT NEQVE IPSUM SINE JUSTA CAUSA INÆQVALEM TE JUDICES, NEQVE DOLO DECIPIAS, NEQVE OFFICIA HUMANITATIS PLANE NEGLIGAS. Primum fluit ex præcepto de vitanda superbia, alterum ex præcepto de non lædendis aliis, tertium ex lege de exhibendis officiis humanitatis.

13. Ita v. gr. contrà *primum* peccaret, qui rem suam fungibilem, *g*) v. gr. suum frumentum, suum vinum, suam pecuniam magis æstimaret alterius frumento, vino, pecuniâ ejusdem bonitatis.

14. Ita contrà *secundum* peccat, qui virtutem rei quæ non adest, commendat sciens, item qui vitium rei tacet.

15. Ita contra *tertium* peccaret, qui pauperi v. gr. carius rem suam vendere vellet, quam diviti &c.

16. Quemadmodum verò, uti simul suprà *h*) diximus, præcepta de vitanda superbia & exhibendis humanitatis officiis non semper jus perfectum producunt, & officiorum humanitatis exhibitio ulterius multas requirit circumstantias non adeò in sensus incurrentes, sic inter eos potissimum, qui vivunt in *statu naturali*, regulæ ulteriores *i*) *speciales* de *determinatione* pretii dari nequeunt, sed ulterior disquisitio relinquenda erit cujuslibet conscientiæ, & conventioni.

17. Unde, quoniam in hoc statu contrahentes manent æquales, sequitur, quod hîc utrobique locum habeat potissimum *pretium affectionis*, hoc est, quod, si licentiam exteriorem spectes, in permutatione liceat utrique venditori pro re suâ magnam pecu-

ad §. 13. g) *Aliud in non fungibili, In hanc enim cadit affectio.*

ad §. 16. h) Hoc libro cap. 4. §. 6. seqq. & c. 6. §. 16. seqq.

i) *Hæc vox probè notanda, Ergò semper in iis, quæ dicimus* §. 17. seqq. *superiores paragraphi* §. 12. seqq. *repeti debent.*

niæ summam postulare, *l)* emtori verò longe minorem eidem offerre. *m)*

18. Quorsum respexisse videntur Romani, dum dicunt: *naturaliter in emtione licere contrahentibus se invicem circumvenire.* Facit eò exemplum histrionis ni fallor, Græci, qui postquam promiserat populo, quod vellet cupidines cujusvis manifestare, verè elocutus est, *omnes cupere vilius emere & carius vendere.*

19. Igitur inter eos, qui in hoc statu vivunt, non locum habebit *rescissio contractus propter læsionem ultrà dimidium.*

20. Sive enim dolus unius contrahentium hic adfuit; tum rescissio locum habebit ex capite doli, etiam si læsio sit longè infrà dimidium.

21. Sive nullius dolus intervenit, tum, si sciens uterque contraxit, nulla causâ rescindendi adest, ne quidem ex jure civili.

22. Sin uterque errans & ignorans, non ad dimidium hic respici poterit, quoniam inter hos, qui pro lubitu æstimant, nihil est, ad quod dimidium compares; sed necesse est, ut ad ea recurramus, quæ suprà de errore in contractibus monuimus. *n)*

23. Æstimabit tamen hoc casu quilibet, in quantum imperfectè licet, ipsum obstringit lex de officiis humanitatis. *o)*

24. Sed

---

ad §. 17. l) *Modo res non sit fungibilis ejusdem speciei* ob §. 13.

m) *Modo hic non peccetur* contrà §. 15.

ad §. 22. n) *Scil. errorem in dubio semper nocere debere erranti, nisi circumstantia per modum conditionis fuerit expressa. Ergo si massa sub nomine generali metalli fuerit vendita, etsi ab utroque fuerit erratum, putantibus eam esse argenteam, cum esset stannea, puto valere contractum, cum limitatione tamen* §. 23. *Si vendita fuerit, ut argentea, quæ erat stannea, non locum quidem habebit rescissio ex læsione ultrà dimidium, sed tamen rescissio in genere ex capite erroris, quoniam circumstantia argenti hic in contractu per modum quasi conditionis fuerit expressa.*

ad §. 23. o) *Ut adeò in primo casu, quem dedi* ad §. præced. *venditor ex humanitate alteri quid de pretio debeat reddere.*

24. Sed cum per hunc æstimandi modum non multum promoveantur rerum commercia, & inter eos qui æquales sunt, æqualitatis custodia non melius observetur, quam si singuli se accommodent judicio plurium, inde non sine ratione receptum est inter gentes, ut uterque contrahentium respicere soleant ad judicia & æstimationem sui similium in similibus negotiis, eamque conventionem pro æqua habeant, ubi ista æstimatio fuit adhibita, pro iniquâ contrà, ubi fuit omissa. *p)*

25. Ergo intuitu hujus consuetudinis posses pretium affectionis distinguere in *commune*, & *pretium affectionis strictè* sic dictum.

26. *Commune* voco, cum quis in permutandâ re suâ utitur æstimatione consuetâ aliorum.

27. *Affectionis strictè* sic dictum, cum quis rem suam peculiariter æstimat, magis quam alii soleant.

28. Quod & ipsum tamen si adhibeatur, aliquando non habetur pro iniquo; si videlicet adsint peculiares circumstantiæ, non ita frequentes equidem, sed ob quas tamen & alii res suas carius æstimare consueverunt.

29. Igitur paucis exponendum erit *fundamentum* utriusque hujus pretii inter gentes recepti.

30. *Commune* quod attinet, falluntur certè, qui id quærunt in *nobilitate substantiæ* & *præstantia*, qvam una res habet præ alterâ.

31. Quod si enim hoc esset, sequeretur, majus esse pretium debere nequissimi Damæ præ equo generosissimo, pulicis præ plantâ saluberrimâ, petroselini præ gemmis aut unionibus pretiosissimis, quod est absurdum.

32. Et quomodo æstimarentur operæ hominum inter se, quoniam hæ quidem substantiam non habent?

33. Neque fundamentum hujus pretii quærerem *q)* in *aptitudine*

ad §. 24. p) *Sed ita tamen, ut violatum saltem ab altero censeatur officium humanitatis.*

ad §. 33. q) *Quod facit Dn. Puf.* de O. H. & C. I. 14. 3.

tudine rei vel operæ, quâ aliquid mediatè aut immediatè conferre potest ad vitæ humanæ necessitates, aut ad eandem commodiorem vel jucundiorem reddendam.

34. Equidem verum est: necessitatem, commoditatem aut jucunditatem rei movere contrahentes ad acquisitionem earum, non tamen movent ad determinationem pretii.

35. Unde rectè quidem dico: *r*) Res, quæ nullum planè usum præbent, esse *nullius pretii*; & rectè plerumqve dico; quod res utilitatem homini afferentes sint *alicujus pretii*. Non tamen dicere possum, quod res inter se comparatæ pro diversitate utilitatum sint *majoris* aut *minoris*, *æqualis* item pretii.

36. Quod si enim hoc foret, necesse esset, rem homini necessariam semper magis æstimandam esse in commerciis, quam rem commodam, & hanc magis quam jucundam. At quoties annona vilius emitur gemmâ vel unione?

37. Accedit, quod multæ sint res vitæ humanæ *utilissimæ*, *s*) quibus *nullum pretium impositum* est, vel quia debent esse domino vacuæ, ut sunt superiores partes aëris, æther ac cœlestia corpora, vastusque oceanus, vel quia ad permutationem sunt ineptæ, & inde à commerciis sepositæ, ut liber homo, vel quia in commerciis nunquam aliter quàm accessorium alterius rei considerantur, ut lumen solis, purus aër, amœna facies terræ, ventus, umbra &c. [quamvis & hæc augeant vel minuant pretium fundorum ac prædiorum] vel quod leges divinæ vel humanæ eas vetuerunt venire in commercium; quales sunt actiones sacræ, administratio justitiæ &c.

38. Quid ergo dicemus? Potissimum momentum in pretiis rerum afferre solet *raritas*, *t*) sive res homini necessarias respicias, sive utiles saltem aut jucundas. Unde vulgare: *Omne rarum carum*.

39. Ita

ad §. 35. r) *Quod notat Dn. Puf.* d. l.
ad §. 37. s) *Quod ipse agnoscit Dn. Puf.* d. l.
ad §. 38. t) *Vide iterum Dn. Puf.* d. l. §. 4.

39. Ita *annona* vilis est, ubi magna ejus est copia, carior, ubi minor, carissima & sæpe nullo pretio æstimabilis tempore famis.

40. Ita rebus non necessariis, & quibus vita humana commodissimè carere poterat, luxuria hominum enormia pretia posuit propter earum raritatem, & quod ex locis remotis eædem afferuntur, v. gr. *gemmis*, *unionibus*, *tulipis*, cum rariores essent &c. *u*)

41. In *rebus artificialibus* subtilitas & elegantia artis, fama artificis, operis difficultas, artificum paucitas & similia, omnia raritatem involvunt.

42. Eadem est ratio *operarum* & *actionum*, quarum pretia intendit earum difficultas, dexteritas, utilitas, necessitas, agentium raritas, dignitas, & denique ipsa artis opinio, nobilis an ignobilis illa habeatur. *x*)

43. Simul *ratio* apparet præcipua, cur gentes pro pretio eminenti communiter receperint *metalla non admodum frequentia.* Præterquam enim quod illæ substantiæ sunt valde compactæ, ut non facilè deleri queant, & divisionem in plures minutas particulas admittant; raritas potissimum earum facit, ut multis aliis rebus æquivalere possint & sic easdem per eminentiam quasi metiri. *y*)

44. *Fundamentum pretii affectionis z)* est affectus non fre-

ad §. 40. u) *Refert Erasmus Francisci historiam de rustico bulb. tulipæ pro cepa vulgari comedente & ita 600. florenos Belgicos consumente. Alia exempla pete à catellis, avibus peregrinis, cibis etiam nostratibus ante consvetum maturitatis tempus &c.*

ad §. 41. x) *Unde v. g. collegium juris plus æstimatur quam collegium metaphysicum &c. Sed nota tamen, hic sæpe plus valere opinionem quam rem ipsam.*

ad §. 43. y) *Unde absque ratione Tiberius artificem interfecit; qui vitrũ ita præparaverat, ut tanquam metallum tractari posset. Id tamen ex hoc paragrapho disce, non expedire Reip. ut publicè nota sit ars Alchymistica.*

ad §. 44. z) Conf. §. 29.

quentiſſimus equidem, ſed non paucis tamen hominibus probatus; v. gr. quod ille, à quo res in nos profecta eſt, maximi à nobis fiat, *a*) exprimendoque ipſius affectui data ſit; aut quod eidem rei adſueverimus, *b*) aut quod inſignis caſus ſit monumentum, *c*) aut ejusdem ope magnum malum declinaverimus, *d*) aut quia à nobismet ipſis confecta ſit &c. *e*)

45. Atque hæc potiſſimum obtinent in ſtatu naturali. At in *civitatibus* horum utilitas requirebat, ut tanta laxitas determinandi non relinqueretur ſubditis. Unde hîc rariſſima ſunt exempla *pretii affectionis*, utpote cujus uſus ibi non niſi, ubi de reſtitutione damni dati agitur, neque hîc tamen in univerſum, eſſe ſolet. *f*)

46. *Commune* adhuc equidem frequentatur, ut nempe reſpiciatur ad *uſum fori*, in quo præter raritatem rerum etiam ſolet adhiberi ratio laborum & impenſarum, quas mercatores communiter faciunt in mercibus adportandis & tractandis, nec non an in magnâ copiâ ematur aut vendatur, an minutatim. Subito quoquè mutatur commune pretium ex copia aut paucitate ementium, pecuniæ aut mercium. Item momentum hic affert, utrum merx quærat emtorem, utrum venditor, aliàs non venditurus, ultrò fuerit rogatus: Denique an paratam quis pecuniam offerat, an in diem differat ſolutionem.

47. In iſtis igitur rebus, in quibus præfatæ circumſtantiæ attendendæ ſunt, princeps propter miram earum variationem non poterit leges certas de pretio ſtatuere, ſed neceſſe eſt, ut determinatio relinquatur arbitrio communi contrahentium. *g*)

48. Quod

a) *Ut ſi princeps vel patronus quid donaverit.*

b) *e.g. equo, ſervo.*

c) *Ut ſi ex incendio quid ſervaverim.*

d) *Ut ſi ope equi cruentum prælium evaſerim.*

e) *Ut ſi ipſe opus mechanicum effecerim &c.*

ad §. 45. f) *Sed tum demum, ſi alter deſierit dolo malo poſſidere.*

ad §. 47. g) *id eſt eorum, qui contrahere & comparare ſimiles res ſolent, non præcisè eorum, qui actu contrahunt.*

48. Quod & ipſum arbitrium, quoniam ſæpiſſimè variat, ideò non poterit ejusmodi rerum pretium ad punctum redigi, *h*) ſed aliquatenus *laxitatem habet*, ut v. gr. ſi alius in eâdem Republicâ pro duobus ſolidis rem aliquam comparavit, alius rem ſimilem pro duobus cum dimidio, alius pro duobus dempto dimidio; omnes tres rem juſto pretio acquiſiviſſe putandi ſunt.

49. Ne verò hæc laxitas in infinitum quaſi extendatur, & ita lædentibus alios conniveatur, communis pretii *tres* communiter faciunt gradus, *infimum* ſeu pium, *mediocre* ſeu moderatum, & *ſummum* ſeu rigoroſum. Intra quam latitudinem *i*) ſi ſubſiſtatur, carius aut vilius res aliqua emi vel vendi poſſit.

50. Et eò fortè reſpexit Jus Romanum, reſciſſionem contractuum tum demum, (ſi quis adverſarii dolum probare non poſſet *l*) concedens, ſi quis *ultrà dimidium* læſus eſſet, h. e. ut ego intelligo, ſi quis ultrà alterum tantum pretii infimi *m*) dediſſet, vel ne quidem dimidium pretii ſummi *n*) accepiſſet, quoniam videlicet has metas rariſſimè excedere ſolent homines mercium periti, etſi in æſtimatione variantes.

51. Quæ conſtitutio etſi non omnibus arrideat, videlicet quod is terminus ſœpius iniquitatem ſecum ferat in rebus majoris momenti, v. gr. ſi quis ædes emerit pro 5000. thaleris, quæ communiter & quoad pretium infimum pro 3000. à nemine ultrà 4000. thaleros æſtimantur; tamen pro juſtitia legum Romanarum videtur dici poſſe, eos ſuccurrere voluiſſe iis, qvi res minoris momenti emerent, in quibus videlicet non expedit, diutius ſciſci-

ad §. 48. h) *Ut nempe de læſione alterius ad punctum poſſim conqueri.*

ad §. 49. i) *Ut fit in exemplis §.* præced.

ad §. 50. l) *Aut probare nollet. Nam aliàs etiam ob minorem læſionem læſus poterit recedere à contractu.*

m) *Ut ſi quis in caſu* §. 48. *rem iſtam comparaſſet pro plusquam tribus ſolidis.*

n) *Ut ſi quis in dato caſu accepiſſet ſaltem ſolidum cum quadrante.*

ſciſcitari de pretio; at illum, qui in rebus majoris momenti ita negligens eſſet, ut talem læſionem ſatis enormem incurreret, beneficio legum indignum fuiſſe viſum. *o*)

52. Accedit, quod in caſibus ejusmodi majoris momenti facilius alterius dolus probari poſſet, qui reſtitutionem etiam in læſione intrà dimidium operabatur.

53. Quodſi tamen princeps videat, quod ipſe rerum pretia determinare poſſit, quod potiſſimum in rebus fungibilibus & domeſticis, in operis item vulgaribus procedit, *p*) ad lites præſcindendas optimum eſt, ſi hoc faciat.

54. Oritur inde nova pretii ſpecies, eis, qui in ſtatu naturali vivunt, incognita, quæ *Pretium legitimum* appellari conſvevit.

55. Quod adeo latitudinem non habet, ſed ferè in puncto conſiſtit, ut quantulocunque exceſſu injuſtitia committatur.

56. In tantum, ut non ſolum *plus accipere*, ſed & ſæpius non liceat *plus dare*, præprimis eo caſu, *q*) ubi determinatio pretii non tam propter utilitatem ſingulorum quam ob utilitatem publicam & per modum legis ſumtuariæ facta ſit.

57. Quin nec licebit ſemper *minus accipere*, præprimis ſi determinatio pretii ad prohibitionem monopoliorum reſpexerit, aut in favorem communem mercatorum lata ſit.

58. Poſtquam de dominio & rerum pretio diximus, poſtulabat ordo, ut & de *contractibus*, qui ferè dominiorum diſtinctionem & inventa pretia præſupponunt, eorumque à *Pactis* diviſione quædam nunc diſſereremus. *r*)

59. Sed

ad §. 51. o) Nam prius inquirere debuiſſet in pretium rei tanta. Accedit, quod in rebus majoris momenti vix poſſit contingere, ut alter non ſit in dolo.

ad §. 53. p) Quia tùm ceſſant rationes §. 46.

ad §. 56. q) Aliter diſtingv. Dn. Pufend. V.I.8.

ad §. 58. r) Id quod facit etiam Dn. Puf. l. 5, c. 2. usque ad c. 11.

59. Sed si verum fateri volumus, ignorat Jurisprudentia divina istam pactorum & contractuum divisionem, cum ea tota, quanta quanta sit, originem debeat Romanis.

60. Scilicet volebant Romani antiquitus prospicere, ne subditi per nimiam promittendi promtitudinem seu gratuitam seu mutuam læderentur, quapropter *s*) statuerunt, ut ex meris promissionibus citrà dationem nulla oriretur efficax obligatio, nisi quis per solennem *stipulationem* alteri quid promisisset.

61. Unde antiquissimis temporibus sola *stipulatio contractus* fuisse, reliquæ promissiones omnes *nudorum pactorum* nomine venisse videntur.

62. Donec ab hâc regulâ, quod pactum nudum actionem producere non deberet, quædam negotia pedetentim vel propter præstationem subsecutam, *t*) vel propter eorum frequentiam & necessitatem ad promovenda commercia & quotidianam utilitatem civium, *u*) vel propter adhærentiam contractuum, *x*) vel propter singularem rationem *y*) primævæ intentioni omninò contrariam eximerent. *z*)

63. Hinc distinctiones inter *pacta nuda* & *non nuda*, horum in *legitima* & *adjecta*; adjectorum in nescio quas *subspecies* obscurissimas, *a*) quarum singulæ infinitis litigiis inter JCtos dederunt occasionem, ortæ sunt.

Tt 64. Ei-

ad §. *60*. s) *Ita quidem tùm sensi. Nunc aliter arbitror. Scilicet perpetuum studium patrum plebem subjugandi, de quo dissero* in Nævis Jurisprud. lib. 1. *etiam hanc inventionem suppeditavit, ut formulas certas promittendi per stipulationem populo imponerent &c. Dicam latius Deo dante* in comment. ad Instit.

ad §. *62*. t) *Ut contractus reales & innominati.*

u) *Ut contractus consensuales.*

x) *Ut pacta adjecta.*

y) *Ut pacta legitima.*

z) *Quod potissimum patet in pacto donationis.*

ad §. *63*. a) *Scil. inter pacta adjacentia, detrahentia, alterantia, mutantia &c.* vide Franzk. ad ff. de contrah. emt.

64. Eidem fonti originem debent divisiones *contractuum in nominatos* & *innominatos*, horum in *reales*, *verbales*, *literales* & *consensuales*, etsi non ita litigiis obnoxiæ, nisi quod divisio alia contractuum in *stricti juris* & *bonæ fidei*, b) à diviso olim prætoris & judicis pedanei officio orta, tum & subtilitates nimiæ de *formulis actionum* earumque nominibus, doctrinam pactorum & contractuum intricatiorem reddiderint &c.

65. Uti vero hæ Juris Romani difficultates nimium quantum per inconcinnam Triboniani rapsodiam *c*) auctæ sunt, ita tamen invaserunt ferè *totum orbem Christianum*; partim quod *Pontifices* multa de contractibus, paucis quibusdam rejectis, in Decretalibus suis retinuerunt, partim quod ante pauca secula, quibus studium Juris in Italia & Germania rursus surgere incipiebat, *Jus Justinianeum* simul in Academias & forum fuit translatum, interpretantibus id hominibus summâ diligentiâ præditis; sed omni literarum & historiæ studio destitutis. *d*)

66. Unde factum fuit, ut *Jurisprudentia Romano-Germanica privata* hodiè sit informe chaos, quæ in formam artis per regulas, quibus quis tutò confidere queat, redigi omninò non possit. *e*)

67. Simul tamen doctrina de contractibus & pactis in *Jurisprudentia naturali*, sed fere secundum principia Romanorum hactenus tractata fuit, partim quod *Reges Christiani* ferè unanimiter Jus Romanum ob multas regulas æquitatis *f*) inibi contentas, saltem

ad §. *64*. b) *Hanc divisionem non pertinere ad Jus Gentium, agnoscit Grotius* II. 16. 11.

ad §. *65*. c) *Ut qui videlicet multas effecit contradictiones & alios defectus, de quibus dissero* lib. 3. de Nævis Jurispr.

d) *Quales fuerunt Glossatores.*

ad §. *66*. e) *Monstro hoc* toto opere de Nævis Jurispr.

ad §. *67*. f) *Ita quidem communiter. Et hoc latius jactat Arthurus Duck* de autoritate Juris Rom. in territoriis Europæ. *Sed re accuratius inspectâ, causa vera autoritatis illius est, quod unà cum Academiis Jus Romanum simul sit in regna introductum, quod ad nævos Academiarum pertinet, de quibus fortè alio loco pluribus.*

ſaltem ex parte receperint, easque in contractibus inter ſe invicem paſſim obſervaverint.

68. Partim quod *Scholaſtici* & *Theologi Pontificii*, qui primitus & ante Grotium doctrinam Juris naturalis ut derelictam à JCtis *g*) ſibi vindicârunt, vitio iſti hominum generi frequentiſſimo, falcem miſerint in alienam meſſem, & ſub prætextu, quod de Juſtitia & jure ſcriberent, exſpatiati nimis fuerint in campum Juris Romani, ejusque minutias etiam ſecundum regulas cerebrinæ ſuæ æquitatis examinaverint.

69. Modeſtior hac parte *Grotius*, qui primus JCtis rem ab aliis hactenus vel vi, vel clam, vel precariò poſſeſſam cum ſucceſſu vindicavit, & qui hunc ſecuti ſunt, alii viri ſapientes. *h*) Qvi adeò cum jam eruditè oſtenderint, in quantum doctrina juris Romani de contractibus conveniat cum æquitate naturali, non opus arbitramur, ut jam actum agamus, ſed quæ hâc parte dicenda forent, reſervamus diſcurſibus privatis ad Jus Romano-Germanicum privatum.

70. Simul omittimus de *modis tollendi obligationes*, *i*) puta ſolutione, novatione, compenſatione, acceptilatione differere, cum & hæ fuſius tractari ſoleant à Commentatoribus Juris Juſtinianei, & hâc parte quidem illud Jus regulas æquitatis pleniſſimas nec ita obſcuras proponat.

 CAPUT

ad §. *68*. g) *Nam primi Gloſſatores ſtudium Juris Naturæ non curarunt, immerſi planè Juri Juſtinianeo.*

ad §. *69*. h) *Ut Zieglerus, Pufendorffius &c.*

ad §. *70*. i) *De quibus agit Puf.* l. 5. c. 11.

CAPUT. XII.

De

Interpretatione voluntatis Divinæ & Humanæ per verba declaratæ.

SUMMARIA.

CONNEXIO capitis. §. 1. 2. 3. *Interpretationis norma collectio mentis ex signis probabilibus.* §. 4. *Potissima signa sunt verba*, §. 5. *sed menti tamen subordinanda*, §. 6. 7. *utpote quandoque menti æqualia, quandoque latiora, quandoque strictiora.* §. 8. *Unde interpretatio vel declarativa vel restrictiva.* §. 9. 10. *Ad verba intelligenda requiritur cognitio idiotismi.* §. 11. 12. 13. *Verba sunt vel vulgaria vel technica*, §. 14. *vel perspicua vel obscura* §. 15. *Unde cognitione linguarum & artium est opus, ne interpres se prostituat.* §. 17. 18. *Obscuritas curabilis* §. 19. *ex variis fontibus oritur, & partim ex figura literarum externa*, §. 20. -- 29. *ubi potissimum naturali prudentia opus est*, §. 30. *partim ex interno verborum sensu, si verba sint obsoleta* §. 31. *nova* §. 32. *peregrina* §. 33. *ambigua* §. 34. -- 40. *perplexa* §. 41. 42. *pugnantia.* §. 43. -- 46. *Fontes conjecturarum* §. 47. 1. *à natura negotii* §. 48. -- 56. 2. *à conjunctis* §. 57. -- 62. 3. *ab effectu* §. 63. 64. 4. *ab affectione personæ* §. 65. 5. *à qualitate personarum* §. 66. 6. *à ratione legis sive impulsiva sive finali*, §. 67. -- 76. *unde hæ duæ rationes non benè distingvuntur*; §. 77. 78. *sed ratio legislatoris non confundenda est cum ratione interpretis.* §. 79. 80. *Quid si ratio ipsa legis lateat?* §. 81. -- 84. *Ratio legis vel pacti attendenda in interpretatione declarativa* §. 85. 86. *similiter in extensiva* §. 87. 88. *ubi eadem debet esse ratio non similis* §. 89. (*Quid si rationes unâ plures?* §. 90. -- 93.) *item ratio debet esse efficax* §. 94. -- 99.

Ratio

Ratio legis excludit cavillationes. §. 100. 101. 102. *De interpretatione restrictiva examinatur sententia Grotii* §. 103. -- 105. *Usus regulæ in interpretatione restrictiva,* 1. *de substrata materia* §. 106. -- 108. 2. *de effectu* §. 109. -- 116. *Si duæ leges collidantur, quænam alteri cedere debeat?* §. 117. -- 142. 3. *de ratione legis* §. 143. -- 150. *ubi tamen tres limitationes notandæ.* §. 151. -- 158. *Cur omissa sit regula de favorabilibus & odiosis?* §. 159. -- 161. *quia scilicet ea nullum habet usum, quod ostenditur contra Grotium.* §. 162. -- 176. *In obscuritate incurabili cessat officium interpretis* §. 177. -- 186. *contra quam faciunt JCti in conciliandis antinomiis occupati.* §. 187. -- 191. *Differentiæ quinque inter obscuritatem voluntatis divinæ & humanæ* §. 192. -- 199.

§. 1.

POssemus adeò finem imponere libro secundo, & statim ad officia hominum specialia in diversis societatibus transire, nisi recordaremur, superius *a)* discursum *de interpretatione* certis ex causis interruptum, ejusque supplementum post doctrinam de pactis dilatum fuisse.

2. Scilicet dixi suprà: Aliam esse *Interpretationem Legum naturalium*, aliam *legum positivarum.* Utramque quidem præsupponere certas regulas atque axiomata à primis principiis dependentia, sed naturales tamen niti perpetuis demonstrationibus *b)* etiam in conclusionibus remotis, in positivis verò conclusiones ex generali axiomate per conjecturas & argumenta probabilia deducendas esse, atque hac parte usurpandas esse easdem regulas, quibus artifices in interpretandis legibus humanis & pactis utuntur.

 3. Ubi

ad §. *1.* a) l. 1. c. 4. §. ult. *Cum hoc capite jungendum est Pufend.* l. 5. caput 12. & caput 3. meæ praxeos Logicæ, *ubi doctrinam de interpretatione reassumsi* §. 19. seqq. & *ibi multa emendavi.*

ad §. *2.* b) vide lib. 1. c. 3. §. 5. seqq. & c. 4. §. 80. seqq.

3. Ubi tamen ante omnia repetendum erit, quod loquamur de *legibus positivis salutem hominum universorum temporalem* concernentibus; Utrum enim & interpretatio mysteriorum fidei nitatur regulis communibus bonæ interpretationis, an vero ad eam specialis concursus & illuminatio divina requiratur, nostrum non est ut definiamus, qui Theologica Theologis relinquenda esse opinamur.

4. In *foro igitur humano c)* cum quilibet ad ea obligetur, quæ legislator voluit, aut ad quæ ipse se per voluntatem propriam obligari voluit, voluntas vero legislatoris [excepto Jure naturæ] & promittentis non nisi ex signis, quibus voluntatem suam declararunt, colligi ab aliis hominibus possit, inde constat, interpretationis, quam jam tractamus, *normam* & mensuram genuinam esse *collectionem mentis ex signis maximè probabilibus*.

5. Cum autem inter *signa*, quibus mens declaratur, potiora sint, quæ per *sermonem* fiunt, *d)* igitur hîc potissimum de interpretatione *voluntatis per verba declarata* erimus soliciti, præprimis cum regulæ, quas hic traditurι sumus, ferè applicari possint ad voluntatem factis declaratam, unde consensus tacitus oritur.

6. Porrò cum verba sint signa mentis, inde in universum constat, *verba menti*, non mentem verbis esse *subordinandam. e)*

7. Unde in omni quidem lege vel pacto ante omnia ad *verba* est respiciendum, simul vero videndum, annon legislator vel contrahens aliud quiddam innuere voluerit, quam locutus est.

8. Scilicet aliquando præcisè verba applicamus ad mentem nostram, *ut loquamur, quæ sentimus*; *f)* aliquando verba mentem nostram

ad §. 4. c) *De foro enim divino hic abstrahimus, ut quod magis pertinet ad vitam æternam.*

ad §. 5. d) *vide suprà* c. 8. §. 17. hujus libri.

ad §. 6. e) *Igitur etsi mentem colligamus ex signis, signa tamen ista (nempe verba) interpretamur sæpius ex mente, hoc est, (ne putes subesse assertionem in circulum redeuntem,) ex aliis signis mentis præter sermonem.*

ad §. 8. f) *e.g. dabo tibi centum thaleros.*

nostram ex parte saltem referunt, ut *minus loquamur quam sentiamus*; g) aliquando verba latiora sunt quàm mens, ut *plus loquamur quam sentiamus. h*)

9. Oritur ex his diversis loquendi modis triplex quoque interpretationis species; *i*) *Declarativa*, quæ mentem aliorum exponit, prout verba jacent: *Extensiva*, quæ verba angustiora extendit ad alium casum sub mente comprehensum: & *Restrictiva*, quæ docet, non omnia, quæ sub verbis comprehenduntur, pertinere ad mentem loquentis.

10. Quæ tres species & in eo differunt, quod declarativa respiciat principaliter *propositionem verbis declaratam*; Extensivâ vero & restrictiva *aliud quiddam*, quod verbis declaratum non est, rationem nempe, quæ aliquem ad loquendum impulit.

11. *Verba* igitur, circa quæ declarativa Interpretatio occupata est, vel considerantur ut *termini simplices*, vel ut *propositiones* aut integri discursus.

12. Uti autem omnis Interpres bonus à notione terminorum simplicium incipit, ita nullum est dubium, quin debeat idem necessario gnarus esse, quid significent ea in sensu composito, cum leges & pacta minimum propositiones sint.

13. Facit enim compositio sæpius, ut verba alio planè modo significent, quam si ponuntur, ut termini simplices. Et hoc solet appellari *Idiotismus linguæ. l*)

14. Utra-

g) *e. g. Dabo tibi centum cum comodum erit, & subintelligam* thaleros, *&* tibi.

h) *e.g. Dabo tibi centum florenos & subintelligam Belgicos.*

ad §. *9.* i) *Aliter paulò de speciebus interpretationis disserui* d.c.3. prax. Log. §. 93. seq. *ubi simul ostendi peccare JCtos, singulis interpretationis generibus singulas regulas accommodantes, quos olim & hic secutus fui. Unde poterit jam* §. sequens *omitti. Nam & declarativa interpretatio respicit rationem legis.* vide §. 85. seq.

ad §. *13.* l) *e. g. à teneris ungviculis, pedem in cymba Charontis habere. In Gallico: rompre les chiens: In Germ.* ins Graß beissen / sich in Finger beissen / den Heiligen die Füsse abbeissen.

14. Utraque verba (& termini & propositiones) sunt vel *vulgaria* seu popularia, vel *technica* seu termini artis.

15. Horum utraque rursus sunt vel *perspicua* vel *obscura*. *Perspicua* voco, quæ linguæ alicujus vel artis peritis satis dilucide & distinctè mentem loquentis exponunt. *Obscura*, quæ à peritis vel difficulter vel planè non intelliguntur.

16. *Perspicua* quod concernit, uti & ipsa illis, qui artis vel linguæ haud sunt gnari, etiam obscura sunt, (unde Philosophi obscuritatem in *subjectivam* & *objectivam* distinxerunt) ita hæc obscuritas facilè tolli potest, partim si quis iis, qui linguas docent, se fideliter informandum tradat, partim si ab artificibus discat principia & regulas artis, nec utrobique negligat lexica & dictionaria huic usui inservientia.

17. Porrò sicut in alterutro horum parum proficiet, qui αὐτοδίδακτος hic esse velit, ita qui linguam vel artem non didicit, *ab interpretatione abstinere* debet, ne seipsum aliis deridendum prostituat. *m*)

18. Ita expositiones terminorum, quibus *Theologi* in exponendis mysteriis fidei utuntur, ipsis à Jureconsultis & Medicis relinquendæ*) sunt; Ita v. gr. *Lex Aquilia, SCtum Vellejanum & Macedonianum, dominium bonitarium & Quiritarium, superioritas territorialis, Vasallagium*, &c. nihil attinent Theologos & Medicos. Ita *Alcali* & *Acidum*, & infinita morborum ac symptomatum termini ad Theologos & JCtos non pertinent. Omnium horum explicatio non spectat ad Philosophos &c. 19.

ad §. 17. m) *Ut fit plerumque in iis, qui libros vertunt. Comparatæ hic versiones Gallicæ & Germanicæ autorum classicorum.*

ad §. 18. *) *Intellige totum paragraphum, si quis aliam artem vel disciplinam non didicit. Ut si Theologus v. g. Jurisprudentæ terminus ignorans systema juris naturæ scribere & ibi multa de dominio, jure in re, contractibus &c. absque judicio immiscere velit. At vero si quis callet aliam disciplinam etsi ei non ex professo ut dicitur incumbat, inde non est arcendus sub studio prætextu, quod vocationem ad eam non habeat. Dixi* cap. 2. Prax. log. n. 2. seq.

19. *Obscura* verba vel laborant obscuritate quæ tolli potest, vel ita sunt obscura, ut nemo possit intelligere, quid loquens voluerit. Prior est hujus loci, ut fusius probabimus infra *n*)

20. Provenit verò obscuritas ista partim à *figurâ externâ* literarum, partim ab *interno verborum sensu*. *o*)

21. *Figura externa* verborum formatur vel *linguâ* vel *scripturâ*. *p*)

22. Quæ *lingua* formatur, sonus dicitur, *q*) cui nisi plane sit ἄναρθρ☉ & inarticulatus, *r*) non debet interpretatio denegari. Nam & is, qui difficulter loquitur, pro loquente haberi debet, quod maximoperè usum habet, si qui in ultimo mortis articulo non satis intelligibilibus verbis supremum & nunquam rediturum arbitrium profundunt, *s*) v. gr. si quis dixerit: servus meus *Cratinus* liber esto, & habeat solum servum *Cratistum*. *t*)

23. Ejusmodi obscuritas, quatenus per interpretationem tollenda est, iisdem ferè regulis subjacet, quas circa internam obscuritatem removendam trademus. *u*)

24. Obscuritas ex *figurâ scribendi x*) aut iis quæ scriptioni *extrinsecus* adveniunt, orta, provenit vel quod quis obscuris & *inartificialibus ductibus* literas formaverit, quod vitium multis eruditis commune est, ut in proverbium abierit, *nos docti malè scribimus*. Ita notum exemplum Medici, qui dum *apium* præscribere volebat, literas sic duxerat, ut pharmacopœus pro apio legeret *opium*.

25. Vel quod scribens *signorum* sive *notarum* obscuritates & compendiosa ænigmata, quæ *abbreviaturas* dicimus, adhibuerit,

Uu quas

ad §. 19. n) §. 186. seq.

ad §. 20. o) Rebhahn. disput. de interpret. jur. obscuri. th. 23. 24.

ad §. 21. p) Conf. l. 38. de O. & A.

ad §. 22. q) Rebhahn. d. th. 23.

r) l. 7. in fine de suppell. leg.

s) l. 15. C. de testamentis.

t) *Respondit Scævola, Cratistum liberum esse debere* l. 54. pr. de manum. testam.

ad §. 23. u) §. 47. seqq.

ad §. 24. x) Rebhahn. d. th. 23.

quas propterea non sine ratione severè prohibuit in describendis legibus adhibere Justinianus. *y*) Ita aliquando imperitus clericus legebat: *Otto DEI gram.* &c.

26. Vel si librarius in *transscribendis* verbis erraverit. *z*)

27. Vel si scriptura *lituris, inductionibus, superinductionibus,* vel quolibet alio modo ita cancellata fuerit, ut oculis perspici non benè possit. *a*)

28. Vel si scriptura initio incuriâ scribentis, *b*) vel postmodum temporis vitio *mutilata* sit. *c*)

29. Vel si lectio, quamtumvis sana & recta, quod ad voces attinet, solâ *interpunctione* laboret, aut interpunctio *omissa* ambiguitatem pariat, ut in vulgato: *Porta patens esto nulli claudaris honesto.* &c. *d*)

30. In his & similibus obscuritatibus, etsi non parum adjuvent regulæ mox tradendæ, tamen non diffitendum est, potissimum adjumentum ex *naturali prudentia* & singulari dijudicandi facultate, quâ unus præ altero excellit, petendum esse, unde & qui in ejusmodi interpretationibus felices sunt, *Criticorum* titulo ab eruditis insigniri solent.

31. Igitur pergo ad obscuritatem, quæ *ex interno verborum sensu* legibus aut pactis accidit. Provenit illa inde, quod loquens adhibuerit vocabula I. *obsoleta*, sive ea adhibita fuerint eo tempore, quo clara & usitata erant, qualia occurrunt in *LL. XII. Tabularum*, item in Legibus Longobardorum & aliorum populorum

ad §. 25. y) l. 1. §. 13. l. 2. §. 22. l. 3. §. 22. C. de V. I. E.

ad §. 26. z) l. 92. de R. I. l. 24. C. de testam. *Ita typographus ex errore pro:* grande decus patriæ *in carmine aliquo gratulatorio posuerat:* grande pecus patriæ.

ad §. 27. a) l. 1. seqq. de his, quæ in testam. delentur l. 1. si tabb. testam. nullæ extab.

ad §. 28. b) *Ut si quid omissum sit.*

c) l. 97. §. 9. l. 77. §. 22. de leg. 2. l. 7. C. de testam.

ad §. 29. d) vide l. 3. ff. de Offic. Prætor. Rebhahn. d. th. 2. in fine. Adde l. 2. §. 23. & 24. de vi bon. rapt.

rum antiquorum Germaniæ, *e*) sive eo tempore quo usurpantur, sint *antiquata*, ut in istâ viri docti responsione; *Rebare te fari scio* &c.

32. II. Et vocabula *noviter conficta f*) sæpius obscuritatem pariunt, cum non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri soleant, sive quis significatum vocum in *novum sensum* privato ausu detorqueat, ut si quis escarium argentum, aut penulas, aut togas sub *supellectilis* voce comprehendere solitus fuerit; *g*) sive quis ad exprimendos fortè idiotismos alterius linguæ vel aliâ de causâ in suâ linguâ novos per compositionem aut alio modo *formet terminos*, quorsum fortè referre possis, quando quis milites vocat:

Bombardagladio funehastaflamma loquentes.

Et Scholasticorum *perfectihabeam*.

33. III. Obscuritas facilè contingere potest, si quis adhibeat in sermone vocabula *peregrina*. Quemadmodum igitur, ut ea evitetur, optimum est, ut congrua eorum periphrasis simul addatur, quod observarunt diligenter leges Romanæ, dum *Scopelismum* & *chomata* memorant; *h*) ita obscuritas augetur, si ab imperitis abusivè usurpentur & in sensum alienum detrudantur, quod nostris Gallo-Germanis perquam familiare est. *i*)

34. IV. Potissimum tamen obscuritatem pariunt vocabula *ambigua*, quæ ita videlicet comparata sunt, ut duas vel plures res significent. *l*) Uti enim non insaniendum est cum Scepticis, omnia quæ existunt, & multo magis quæ verbis proferuntur, ad ambiguitatem & incertitudines referentibus, ita explosa est jamdudum Diodori sententia, contra Chrysippum defendentis; Nullum verbum ambiguum esse, cum plures omninò sint res quàm

ad §. 31. e) Rebhahn. th. 25.
ad §. 32. f) Rebhahn. th. 26.
g) l. 7. §. 2. de supellect. leg.
ad §. 33. h) l. 9. & 10. de extra-ord. crimin.
i) v. g. es ist ein galanter Pantoffel.
ad §. 34. l) Rebhahn. th. 26.

vocabula, & ingens copia rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alienis commodatisque. *m)*

35. Dum verò vocabulum plures res significat, aut horum significatuum unus est *proprius*, alter *improprius*; aut *uterque proprius*. Ita *Bibliotheca* propriè significat locum, in quo libri collocati sunt, impropriè & per tropum libros ibi locatos. *n)* Ita *arma* propriè instrumenta, quibus in bello utimur, impropriè viros armatos: ita *ferrum* propriè certi generis metallum, tropicè arma ferrea denotat.

36. Si uterque significatus est *proprius*, tum aut unus sub altero *continetur*, aut *neuter continet* alterum.

37. Illud accidit, vel quòd nomen *generis* peculiari speciei applicetur, v. gr. quando *mulieres* sæpius opponuntur virginibus, *o)* item *adoptio* & *cognatio* diversimodè usurpantur; vel quod nomen *speciei* supponatur pro individuo, v. gr. quando *homo*, *equus*, &c. promittuntur; vel quod unum *nomen proprium* pluribus individuis commune sit, ut si quis plures Stichos habens *Stichum* legaverit; *p)* vel quod vox *masculina* sæpiùs sub se comprehendat sexum fœmininum, e. g. *homo*, *equus*; vel quod *usus artis* latius pateat, quàm usus populi, exemplo *mortis* &c.

38. Illarum vero significationum variantium, quarum *neutra continet alteram*, infinitæ sunt, v. g. cum *Gallus* avem & hominem, *jus* offam aut certum locum &c. notant. Ita *meum* & *tuum* ambiguè significant in isto Poëtæ: Carmina Paulus emit, recitat *sua* carmina Paulus: Jurat capillos esse, quos emit, *suos* Fabulla, &c.

39. Est porrò nonnunquam & in verbis *conjunctis* seu in contextu sermonis ambiguitas, quæ plerumque contingit ex nimiâ *brevitate*, si omissa sint, quæ ad absolvendum sensum omninò

m) Vide Kulpis. ad Grot. p. 86. lit. c. Script. ad Herenn. II. 15. Gell. XI. 12. l. 4. de præscript. verb. Senec. II. de benef. 34. Quintil. 7. Instit. Orat. 9.

ad §. 35. n) l. 52. §. 3. de leg. 3. Rebhahn. th. 26.

ad §. 37. o) Pufend. V. 12. §. 5. adde Rebhahn. th. 26.

p) l. 32. §. 1. de Leg. 1.

no pertinebant, ut: Heres meus uxori meæ vaſorum argenteorum pondo centum, *quæ volet*, dato. *Cum commodum erit*, habebis centum. *q*)

40. Poterit tamen etiam abundantibus & *ſuperfluis* verbis gravatus ac involutus ſermo verborum intellectum ambiguum reddere, aut obſcurum; ut ſi quis fundum ita ut inſtructus eſt, legaverit, & adjecerit: *cum ſupellectili & mancipiis*; aut ſi legatâ ſupellectili, *ſpecies quaſdam* ex abundantiâ per imperitiam nominaverit; aut ſi quis ſtipulanti reſponderit; *Arma virumque cano*, ſpondeo. *r*)

41. V. Obſcuritatem parit ſermo *perplexus*. Dum ſcilicet, quicquid ex duobus verum conſtituerimus, per interpretationem falſum apparet. Oritur verò perplexitas illa vel ex *ſolâ verborum inſpectione*, v. g. ſi quis heredes ſibi faciat: *Si Titius heres erit, Sejus heres eſto; Si Sejus heres erit, Titius heres eſto. s*)

42. Vel ex *ſupervenientis cujusdam caſus circumſtantiis*, v. gr. Lex eſt: *Rapta raptoris mortem eligat aut nuptias.* Eſt qui duas rapuit, quarum altera mortem, altera nuptias elegit. Lex eſt: *vir fortis quod volet poſcito.* At ſunt jam duo viri fortes, qui eandem poſtulant virginem. Lex eſt: *qui ſeditionem incepit, pœnas luat, qui finivit, poſcat præmium*: Idem ſeditionem & incepit & finivit, ac præmium petit. Teſtator dixerat: *Titio do lego fundum meum, ſi legi Falcidiæ in teſtamento meo locus non erit.* Erat fundus iſte dignus centum aureis, præter hunc verò jam trecenta legaverat, & cum moreretur, ultra quadringenta non habebat. Alius: *Titiæ textores meos omnes, præterquam quos teſtamento alii legavi, lego: Plotiæ vernas meos omnes, præter quas alii legavi, lego.* Aderant ſervi vernæ iidem & textores. *t*)

43. VI.

---

ad §. 39. q) l. 125. de V. S. Rebhahn. th. 27.

ad §. 40. r) l. 12. §. 46. de inſtr. vel inſtr. leg. l. 9. pr. de ſupell. leg. l. 65. pr. de V. O. Rebhahn. th. 27.

ad §. 41. s) l. 16. de condit. inſtit. l. 85. pr. ad l. Aquil. Rebhahn. th. 28.

ad §. 42. t) l. 88. pr. ad L. Falcid. l. 36. pr. de leg. 1. Pufend. V. 12. 6.

43. VI. *Duarum etiam orationum* contrarietas & *pugna* obscuritatis causa est. Deprehenditur verò ista contrarietas initio in applicatione legum diversarum *verbis non contradicentium*, ad casum talibus circumstantiis præditum, ut utraque lex simul locum invenire nequeat, v. g. Lex una est: *Tyrannicidæ statua ponatur in gymnasio:* Altera: *Ne mulieri in Gymnasio statua collocetur.* At fœmina est, quæ tyrannum occidit. Lex est: *Qui tyrannum occiderit, quamcunque sibi rem à magistratu deposcito, & magistratus ei concedito.* Et altera lex: *Tyranno occiso, quinque ejus proximos cognatione magistratus necato.* Tyrannum uxor sua interemit, præmiique loco filium suum, quem ex Tyranno habebat, sibi deposcit. Lex est: *Ne quis die feriato cum armis in publico versetur:* Altera: *Ne quis signo audito tumultus indice domi se contineat, sed cum armis magistratui in foro præsto sit.* Jam tumultus die feriato oritur. &c. *u*)

44. Uti verò ex exemplis apparet, hanc contrarietatis speciem maximè affinem esse modò præcedenti ultimo perplexitatis generi; ita si paulò intensius utriusque naturam speculemur, fortè non adeò commodè utramquè speciem ad *verborum obscuritatem* & *interpretationem declarativam*, cujus gratia eam doctrinam præmittimus, retulimus; sed vel ad *obscuritatem subjectivam* eædem erunt referendæ, vel ad aliud interpretationis genus, & omnium maximè ad *restrictivam* interpretationem. *x*)

45. Præprimis cum ejusmodi obscuritas accidere possit & sœpius accidat, in collisione *duorum præceptorum Juris naturalis*, quatenus vel à DEO publicatione repetita sunt, vel à Juris Naturalis scriptoribus communiter efferri solent, aut etiam ob externarum circumstantiarum advenientiam, unius legis sensum perplexum reddentem. Lex est: *Dandas esse Eleemosynas:* Altera: *Non*

ad §. 43. u) Puf. V. 12. 6. & §. ult. p. 816.

ad §. 44. x) *Non opus est amplius, ut nos in hac observatione torqueamus, postquam* in Praxi Logices c. 3. §. 104. & 107. *ostensum, distinctionem interpretationis in extensivam, restrictivam, & declarativam non habere usum intuitu regularum interpretationis.*

Non faciendum esse furtum. Furtum commisit quis, ut daret eleemosynas. Lex est: *Benefico beneficium redhibendum.* Concurrunt pater & qui te ingentibus beneficiis affecerat, patronus; Ita verò res tuæ sunt comparatæ, ut unum alteri postponere habeas necesse &c.

46. Magis igitur ad præsens negotium videtur quadrare ista contrarietas, dum duæ propositiones *ad se relatæ* citra respectum ad casum specialem, ita contradicere videntur, ut quod una affirmat, neget altera: [quamvis & hæc species videatur declarativæ interpretationi cum restrictiva communis esse] sive contrarietas hæc occurrat *in uno contextu*; [v. g. si testator in uno testamento aliquem modò purè, modo sub conditione heredem scribat, aut legatum det & adimat, aut cum Ulpianus alicubi dicit; *y)* patrem *prius sibi debere heredem scribere,* deinde filio substituere, nec convertere ordinem scripturæ: & mox subjicit; tamen valere substitutionem, *si quis prius filio substituerit,* deinde sibi heredem scripserit: licet conversa scriptura filii testamentum fecerit] sive in *diversis locis*, cujusmodi contradictionum exempla infinita occurrunt in Legibus Romanis.

47. His præmissis videndum jam erit de *fontibus conjecturarum*; quibus utendum ad obscuritatem verborum obvenientem tollendam. Aut igitur talis est obscuritas, quæ regulis bonæ interpretationis *tolli potest*, aut eadem nullum admittit *remedium.*

48. *Priori* casu respiciendum est *z)* 1. ad negotium & ejus naturam, de quo legislator vel paciscentes egerunt: Unde regula: *Verba sunt intelligenda secundum substratam materiam.* Cui affine est effatum Logicorum: *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur à suis subjectis.* Quamvis nostra sit latior, ubi non solum prædicatum æstimamus à naturâ subjecti, sed & nonnunquam subjectum determinatum à prædicato, v. gr. dum dicitur: *Canis ardet. Gallus volat*, &c.

48. Ex-

ad §. *46.* y) l. 2. §. 4. & 5. ff. de V. & P. substit.

ad §. *48.* z) Puf. V. 12. 7. Rebhahn. th. 34.

49. Extendit verò se hujus regulæ usus in omnis obscuritatis generibus. Nam sæpius in verbis *obscuro sono* & dubiis *literarum figuris* propositis, non infeliciter hariolamur sensum vocis ex substratâ materiâ. Ita si dubitem, an qui mecum loquitur vel qui scripserit, *merx* dicere voluerit, an *merces*, si de emptione sermo fuerit, prius, si de locatione, posterius vocabulum erit intelligendum. Ita si nesciam, utrum *evictum* scribere voluerit, an *edictum*, si materia sermonis fuerit emptio, pro illo erit præsumtio, nisi fortè de vitiis rei venditæ disseruerit, uti facilè contingere potuit, ut de *edicto* voluerit loqui. *a*)

50. Deinde in verbis *obsoletis*, *novis*, aut *peregrinis* nonnunquam substrata materia lucem affert. Ita plerumque qui ex adultioribus lingvas discunt, cum magister non est ad manus, & lexicorum evolutio tædiosa est, ex verborum circumpositorum notitia incognitæ vocis significationem cum successu conjectantur. Ita v. g. dum Scriptor aliquis in idiomate Germanico voces Gallicas immiscere adsvetus scripserat; Einer der eine alte aber doch reiche Weibes Persohn umb Geldes willen heyrathet/ erlustiget sich hernach gemeiniglich zu Hause mit *Caton*. *b*) Substrata materia ostendit, eum id voluisse significare, quod ejusmodi homo se delectet cum juvencula quadam domestica; non ut alius ineptè publicâ periphrasi sensum exprimere voluit, er belustigte sich zu Hause mit Caton, das ist/ mit einem Catonianischen ernstlichen sauer sehen. &c.

51. Porrò & *ambiguitatem* sæpius tollit materia substrata. Ita si *bibliotheca* v. g. *c*) *legata* fuerit, præsumendum erit pro libris, si *biblio-*

ad §. 49. a) *Huc pertinet* l. 13. §. 1. de pign. act. Venit autem in hac actione & dolus & culpa, ut in commodato; venit & custodia: vis major non venit. *Ubi non malè à quibusdam emendatur textus Ita:* at in commodato venit & custodia.

ad §. 50. b) *Habes exemplum vocis & peregrinæ & novæ; debuisset enim dicere:* Catin. *De obsoletis inquirenda exempla in legibus Longobardicis.*

ad §. 51. c) Conf. §. 35. Grot. II. 16. 5.

bibliotheca extrui juſſa, intelligendus erit locus. Ita *ferrum deponere* juſſi, ſatisfecerunt, ſi arma ferrea poſuerunt. Ita ſi quis tertio *arma inferre* fœdere prohibitus ſit, intelligentur milites, ſin hoſtes *arma tradere* juſſi, intelligentur inſtrumenta bellica.

52. Ita ex eodem materiæ ſubſtratæ loco aliquando dijudicandum erit, utrum quis ſignificatum vocis *laxiorem* an *ſtrictiorem* intenderit? Sic v. gr. in materiâ feudali vocabulum *heredis* denotabit maſculos, non quoscunque heredes allodiales, &c. *d*)

53. Ita cum dicitur, *Gallum ſubegiſſe provinciam, e)* apertum eſt, de homine quem loqui, non de ave. Ita ſi dixero: *hic liber meus eſt,* ſine dubio intelligetur, ejus dominium à me eſſe acquiſitum. At ſi quis de *ſuis capillis* loquatur, communiter denotabitur, non eſſe eos aliunde quæſitos, &c.

54. Ita in exemplo ſuprà adducto: *) Heres meus uxori meæ vaſorum argenteorum pondo centum, *quæ volet*, dato, ubi nimia verborum brevitas [quam uno verbo teſtator evitare potuiſſet: quæ volet *ipſe* vel *ipſa*] obſcuritatem pariebat, ſubſtrata materia & cauſa nempe *legati*, inter alia oſtendit, pro uxore, non pro herede eſſe pronunciandum.

55. Ita ſi voces *abundantes* **) ambiguitatem pariant, momentum afferet materia ſubſtrata. Unde putarem v. gr. ſi quis promiſerit *ſupellectilem*, & ſimul ſpecies quasdam recenſuerit, non tamen omnes, abſtrahendo à reliquis circumſtantiis, in promiſſione gratuitâ deberi ſaltem ſpecies expreſſas, in onerosâ etiam reliquas.

56. Cogitandum nunc erit ulterius de exemplis, in quibus ſermo *perplexus* aut *pugnans* ex hâc regulâ interpretationem conſequi poſſit, hæc enim quæ hactenus attulimus, ſpeciminis loco potuerunt ſufficere.

Xx 57. Affi-

ad §. *52.* d] Conf. §. 37.
ad §. *53.* e] *Aliud ſi dicam: Gallus ſubegit Gallinam.* Conf. §. 38.

ad 54. *] Conf. §. 39. Puf. §. 5.

ad §. *55.* **] Conf. §. 40.

57. Affinis huic primæ regulæ est, *f*) atque sub eadem contineri videtur & alia, quam communiter Doctores separatim tradunt, & ex conjunctis loco petitam asserunt: *In omni sermone interpretando accuratè ad antecedentia & consequentia esse attendendum, quibus interjecta attemperari & respondere præsumuntur.* Quorsum pertinet, quod Celsus inculcat: *Incivile esse, nisi totâ lege perspectâ, una aliqua ejus particula proposita, judicare vel respondere. g*)

58. Nam ideo potissimum contextus est considerandus, ut constet de materiâ substratâ.

59. Quodsi tamen accuratius eandem pensitemus, apparebit, *affinitatem* saltem aliquam inter conjecturam à substrata materia, & conjecturam à conjunctis loco desumptam esse, non *idenditatem*, cùm regula de *substrata materia* locum habere possit, ubi nulla sunt antecedentia vel consequentia, & regula *de contextu* usum suum exerere possit, etiam citra respectum ad substratam materiam, puta, cum sensus uterque vocis ambiguæ ad substratam materiam quadrat; vel de omni sensu dubitatur.

60. Prioris exemplum esto, si dicam: *Gallus coquitur. h*) Posterioris, si instrumentum v. g. super stipulatione confectum referat; stipulatum esse Primum *frumentum* à Secundo, Secundum spopondisse: in præfatione verò faciat mentionem, de *decem modiis* inter contrahentes actum fuisse. *i*)

61. Quapropter 2. in genere ex loco de *conjunctis* ista sit regula: *Obscuræ locutiones explicandæ sunt ex sermone ejusdem autoris alibi planè & perspicuè expresso, sive in eodem loco*, in antecedentibus puta & consequentibus, [quæ propriè *conjuncta loco* vocantur,] *sive in diversis & alio tempore prolatis*; quæ appellantur *conjuncta origine.*

ad §. *57.* f] Puf. de O. H. I. 17. 7. ex Grotio. Rebh. th. 35.

g] l. 24. ff. de LL.

ad 60. h] *Notanter hoc exemplum elegi. Si enim dicas: Gallus volat, alas movet, deplumatur, dubium esset, annon sub voce Galli intelligeres etiam hominem.*

i] Conf. l. 134. §. 1. de V. O. *Alios textus adducit Puf.* V. 12. §. 9.

gine. v. g. ſi in Teſtamento alicui *partem tertiam* ædium legaſſem, & in codicillis ſcriberem: Titio præter *partem* ædium do lego centum. *l)*

62. Et hujus regulæ uſum ſe diffundere arbitror in quodcunque obſcuritatis genus, ut etiam verba *obſoleta*, *nova*, *peregrina*, *perplexa*, *pugnantia* quandoque ex illâ exponi poſſint. Similiter judico de regulis ſequentibus, quod adeò ſemel monuiſſe ſufficiat.

63. 3. Ab *effectu* porrò regula deſumitur. *m)* *Verba ita explicanda erunt, ne nullus inde oriatur effectus, & negotium pereat, aut ne effectus cum abſurditate quadam ſit conjunctus, quod ſit, ſi expoſitio pugnet cum jure divino vel humano.*

64. Ita per cavillationem Athenienſes in fœdere promittentes, quod *agro Bœotorum* vellent cedere, negarunt poſtea agrum eſſe Bœotorum, quem ipſi cum exercitu inſiderent. Ita cum lex ſub gravi pœna prohiberet alteri *in platea ſanguinem elicere*, abſurdum fuiſſet, ſi ſecundum ejus verba barbitonſor, qui in platea alteri venam ſecuerat, fuiſſet punitus. *n)* Ex eâdem regulâ etiam erat definienda controverſia inter *Protagoram* & *Evathlum* pro Protagorâ. Huc quoque pertinet caſus de eo, qui *Cratinum* liberum eſſe volebat, cum ſolum haberet Cratiſtum.

65. 4. Magnum momentum etiam in interpretatione affert *perſonæ affectio*. Unde regula: *Verba obſcura ex affectione cujusque capiunt interpretationem.* Ita ſi quis *Titium* hæredem inſtituerit, inter plures Titios is hæres erit, quem conſtat à defuncto maximè dilectum fuiſſe. *o)*

ad §. 61. l] *Puf. de O. H. I. 17. 7. Rebh. d. §. 35.*

ad §. 63. m] Puf. V. 12. 8. Rebh. th. 34. 35. 38.

ad §. 64. n] Pufend. V. 12. 19. Conf. ſuprà §. 22.

ad §. 65. o] Rebhahn. th. 34. l. 168. §. 1. de R. I. l. 62. §. 1. de hered. inſtit. *Aliud exemplum* in l. 45. ſolut. matrim. *ubi expreſsè JCtus hanc regulam applicat.*

66. 5. Affinis præcedenti est conjectura, p) quæ ex *qualitate personarum* desumitur: Nam *sæpius verba dubia exponenda erunt secundum conditionem aut dignitatem personæ, quæ loquitur aut ad quam sermo dirigitur.*

67. Ita si *studiosus q)* alicui universas *chartas* reliquerit, libri debebantur, quamvis aliàs sub chartarum nomine propriè libri non contineantur. Ita si quis *dotem* promiserit, aut *alimenta* reliquerit alteri, determinanda erunt utrobique secundum conditionem & dignitatem personæ, cui relinqvuntur aut promittuntur.

68. 6. Sed potissimum considerari meretur *ratio* legis aut pacti. Hinc: *Illa interpretatio legis est sequenda, quæ rationi legis congruit, & contrà rejicienda, quæ ab eadem discrepat. r)*

69. Cæterum ratio legis duplex potissimum est, una, quæ legislatorem impulit ad legem condendam, altera, quam per legem intendit.

70. Quemadmodum verò *intentio* legislatoris *occasioni*, quæ eum ad legem condendam impulit, plerumque si non semper, ex adverso opposita est; ita facile constat, ad *utramque* in præfatâ regulâ respici debere. s)

71. Ita cum agricolæ per exercitium judiciorum impedirentur in percipiendis agri fructibus, occasionem id dedit Romanis ad *ferias messium* concedendas, eâ intentione, ut impedimenta hæc cessent.

72. Ita caritas annonæ & ejus timor principem quandoque impellit, ut *frumenti exportationem* prohibeat, quo illa annonæ caritas evitetur.

73. Ne-

ad §. 66. p] Rebh. th. 35.

ad §. 67. q] l. 52. §. 4. de Leg. 3.

ad §. 68. r] Puf. de O. H. §. 8. Rebh. th. 34. *Ita si princeps dixerit, ob caritatem annonæ prohibitam esse exportationem frumenti, ratio legis ostendit, prohibitam esse non exportationem omnem, sed exportationem vendendi causa factam.*

ad §. 70. s) Hoc etiam putat Rebh. d. th. 34.

73. Neque obstat dictis, quod sæpius lex applicari soleat ad istum casum, ad quem causa impulsiva non quadrat. Ita feriæ messium etiam prosunt illis, qui nullos fructus agrorum percipiunt aut colligunt.

74. Meminisse enim debebis & in hâc & in reliquis regulis, nos tradere conjecturas voluntatis tacitæ, quæ cessant, quoties legis verba expressa aliud docent, ut in dictâ materiâ feriarum.

75. Quin etsi aliæ circumstantiæ concurrant, quæ suadeant præter intentionem aut occasionem legislatoris esse interpretationem faciendam, fortè ut evitetur multiplicatio litium, vel quæ possunt esse similes, nec illæ sunt omittendæ. Conjectura enim cum conjectura conferenda est.

76. Ita quasi ususfructus inventus erat, ne legata corruerent, posteàquam tamen inventus erat, non malè sentiunt, qui arbitrantur, eundem etiam per pacta inter vivos posse constitui.

77. Simul tamen illud patet, quod dum in legibus Romanis ut regula inculcatur, falsam causam legatis adjectam, non vitiare legatum, *t)* & tamen non desunt quidem casus, in quibus eædem leges vitiari legatum per falsam causam admiserunt, non eruditè ad tollendam hanc apparentem repugnantiam, vel potiùs ad ostendendam inter ista duo differentiam, à communi Dd. scholâ proferatur distinctio inter falsam causam impulsivam & finalem, quasi non illa sed hæc legatis noceat; sed longè alias explicationis rationes hic esse afferendas. *u)*

78. Ita v. gr. si dixerit testator: Titio, *quia negotia mea curavit*, do lego centum. Finge falsam causam fuisse. Sed quid ope distinctionis istius definies? Utrum valebit legatum an minus? Nam si vera fuisset causa; gestio negotii erat causa impulsiva, remuneratio istius causa finalis. Et ita in similibus casibus duplex hoc causarum genus concurret.

ad §. 77. t) Vide §. 31. Inst. de leg. ibique Vinnium in notis, ut & Noricum in addit.

u) *Scilicet in legatis causas appositas plerumque non esse veras, sed prætextus, saltem, nisi circumstantiæ ostendant, testatorem eas ut veras respexisse.*

79. Non confundendæ tamen ſunt cum rationibus iſtis duabus legum vel pactorum, *rationes*, quibus utuntur JCti in demonſtratione concluſionum ſpecialium ex legibus generalioribus, e. g. dum affertur ratio, *x*) cur partus ancillæ non ſit in fructu, quia fructus omnes hominum gratia conditi ſint, vel, ut alibi rectius & magis prudenter, qvia ancillæ non ideò comparantur ut pariant. &c.

80. Nam 1. jam agimus de ratione legis aut pacti *interpretandi*, non de ratione *interpretationis* jam factæ. 2. quærimus de interpretatione, qvæ nititur argumentis *topicis* & probabilibus, non de interpretatione quaſi *demonſtrativa*, ex axiomate generali, (v. g. quod uſusfructus eum in finem conſtituatur, ut uſufructuarius omnes fructus, cujus gratiâ res comparari ſolet, percipiat) concluſiones particulares deducente.

81. Quod ſi igitur ratio legis aut pacti ipſi pacto vel legi fuerit *inſerta*, tum interpretatio non adeò erit difficilis. Sed ſæpius *latet* eadem, unde novis conjecturis erit opus ad eliciendam rationem, antequam interpretatio ſecundum eandem fieri poſſit.

82. Qvæ qvidem regulis vel ideò non videntur commodè inculcari poſſe, quoniam ob circumſtantiarum hic occurrentium infinitam varietatem, & ipſarum qvoqve infinitia eſt variatio. *y*)

83. Unde ad earum felicem indagationem inſignis reqviritur *prudentia Politica*, qvantum ad legum & pactorum publicorum interpretationem attinet, qvantum verò ad pacta privatorum, eximia *prudentia œconomica*, ac ſi ita loqvi licet, *mercatoria*, in interprete reqviritur, qvæ non in Academiis & Scholis, ſed in converſatione politica atqve familiari cum aliis in eo genere Prudentibus acqviri poteſt.

84. Magnum qvoqve præſidium potiſſimum in pactorum qva

ad §. *79.* x) §. 37. Inſt. de R.D. ubi Vinnius in notis. *Uſus hujus obſervationis: A ratione legis vel pacti non debemus in interpretatione recedere: A ratione Interpretum & JCtorum poſſumus recedere, ſi ſint inepta.*

ad §. *82.* y) Conf. Rebh. th. 34. in fine.

quia publicorum, qvà privatorum interpretatione afferet eruditio ex lectione diligenti *historiarum* comparata, tum notitia peculiaris eorum, qvæ pacta aut fœdera antecesserunt. Unde paciscentium, qvi bonâ fide v. g. ad fœdera pacifica accedunt, omnino interest, acta pacificationis publicè nota facere. *z*)

85. Sufficere hæc possunt de *interpretatione declarativa*. Non enim planè negligendæ sunt reliqvæ duæ interpretationis species, *a*) *extensiva* puta & *restrictiva*, in qvibus qvantũ ad extensivam, uti priores qvinqve, quas dedimus, interpretationis declarativæ regulæ, non ita frequenter fortè occurrent; *b*) ita regula modo exposita de legis ratione, tribus istis interpretationis generibus satis evidenter est communis.

86. Quodsi enim de verborum obscuritate quâcunque tollendâ agatur, tum in dubio is vocabuli vel phraseos obscuræ sensus erit retinendus, qui maximè rationi legis congruit. Quod vel maximè tum usum habet, *si duplex* vocis sensus sit, laxior alter, alter strictior. Hinc v. g. si Princeps *frumenti* exportationem prohibuerit, sub voce frumenti vel universæ species frumentariæ, vel saltem triticum aut aliud genus comprehendetur, prout nempe in omnibus aut in quibusdam saltem annonæ caritas timetur, quæ Principem ad legem condendam impulerat.

87. Quodsi verò verba legis vel pacti *perspicua* sint, nec ambiguitate laborent, tunc sæpius species emergunt sub legum verbis vel comprehensæ vel minus, de quibus tamen non sine causâ dubitatur, an ad eas lex applicari debeat, an non?

88. Atque hic ferè unicè ad *rationem* legis erit recurrendum. Adeoque interpretatio extensiva maximam partem isto nititur cano-

ad §. 84. z) *Unde instrumentum Pacis Monasteriense & Neomagiense magnam lucem accipit ex actis præcedentibus & Historia.*

ad §. 85. a) *vide supra* §. 9, 10.

b) *Mutavi hic quædam, quæ aliter posita erant in prima editione, ubi nimis adhuc usum triplicis interpretationis in regulis ipsis quæsiveram. Ad §. verò sequentem ad necessarium mentis meæ intellectum quædam initio addidi, incuria typographi in prima editione omissa.*

canone: c) *Ubi eadem est ratio, ibi eadem est juris dispositio.* Vel: *Identitas rationis facit, ut lex & pactum applicari debeant ad casum similes sub verbis eorundem non comprehensos.*

89. *Eadem* verò debet esse ratio, non saltem *similis*, etsi casus emergentes relati ad verba legis casibus sub lege comprehensis sint saltem similes, non iidem. *d*)

90. Cum verò sæpius obveniant occasiones *una plures* ad legem ferendam, & secundum tradita etiam Philosophorum unius rei plures possint esse fines, quorum singuli vel sunt æquè *principales*, vel unus *primarius*, reliqui secundarii, inde non in universum necesse est, ut ratio legis, secundum quam fit extensio, sit unica. *e*)

91. Sed hæc observatio tum saltem locum habebit, ubi *unum* tantum finem intendit legislator.

92. Quod si *plures* sint rationes unius legis, tunc si istæ sint æquè *principales*, sequitur, omnes quoque in extensione conjungendas, ne committatur aliàs fallacia divisionis, non aliter ac in rebus naturalibus, ubi necesse est, ut omnes causæ concurrant, si effectus produci debet.

93. Quodsi verò ex istis una sit *potissima*, putarem sufficere, si modo ista ad casum similem quadret.

94. Uno verbo: Causa ad quam fit extensio, debet esse *efficax*, eademque considerata esse à legislatore in suâ generalitate, ita ut eandem ad præsentem quoque casum voluisset applicare, si quidem eum prævidisset, aut de eo cogitasset; idque quia alioquin lex fuisset inutilis aut iniqua.

95. Ita si lex *aratrum* accipere pignori prohibeat, neque licebit vomerem accipere, si jubeat eum qui, *patrem* interfecit, culeo insui, insuendus & qui matrem interfecit; ex *domo* in jus educere si non licet, non licebit etiam ex tabernaculis. Sic si pactum sit

ad §. *88.* c) Puf. V. 12. 17.

ad §. *89.* d) *e. g. Frumenti exportatio est prohibita ob caritatem annonæ. Jam exportat quis farinam.*

ad §. *90.* e) *Quod post Grotium vult Dn. Puf. d. l.*

ſit inter vicinos populos, ne intrà certum ſpacium liceat locum *muris* cingere, neque terreo aggere cingi poterit, ſi prohibitionis ratio fuerit, ne iſte locus ad vim prohibendam fieret idoneus. Sic ſi aliquis in teſtamento caveat: Titius heres eſto, ſi poſthumus meus [quem utique expectabat] ſit *mortuus*; etiam hoc caſu Titius heres erit, ſi contingat illi teſtatori mortuo nullum poſthumum naſci.

96. Pertinet huc elegans caſus à Luciano propoſitus. Lex eſt: *Tyrannicida præmio afficiatur.* Eſt qui in arcem deſcenderit, ut tyrannum necaret; Aſt tyrannum non reperit, ſed filium ejus, quem etiam interemit, relicto in vulnere gladio. Adveniens mox tyrannus ut filium vidit occiſum, præ dolore animi eodem ſe gladio interfecit. Petit itaque is, qui filium tyranni ſuſtulerat, præmium, tanquam tyrannicida.

97. Atque hic quidem non contemnendo artificio præmium petentis partes defendit *Lucianus*, f) potiſſimum ex eo, quod communiter eadem ſit ratio illius qui interfecit, & qui mortis cauſam præbuit.

98. Sed nec etiam quicquam omiſit, quod ad oſtendendam petiti illius iniquitatem facit, *Eraſmus Roterodamus* aliâ Oratione pro adversâ parte conſcriptâ, non ita conciſâ quidem ut Luciani, ſed ubi facile tædium ex prolixitate oriundum compenſare poſſit erudita variarum bonæ interpretationis regularum ad præſens negotium applicandarum expoſitio.

99. Cujus adeò opinio magis placet, potiſſimum quòd fuſius oſtenderit, factum id prætenſi tyrannicidæ nullo modo pro tali eſſe habendum, quod veram & moralem interfectionis cauſam morti tyranni præbuerit. g)

ad §. *97.* f) *Et cum hoc Dn. Puf.* d. §. 17. *Lucianus inter alia urget, duplex præmium deberi tyrannicidæ, quoniam duos tyrannos interfeciſſet.*

ad §. *99.* g) *Nam erat ſaltem cauſa per accidens. Et potuiſſet tyrannus ſe non interimere, ſed necem filii cum periculo totius civitatis graviter vindicare. Deinde cum tyranni*

100. Vides verò ex adductis exemplis, quod interpretatio extensiva locum habeat in legibus tam *affirmativis* quam *negativis*: In *his* vero insignem affert usum circa diluendas quasvis *cavillationes* ac reprimendas *fraudes*, quæ à malè feriatis hominibus excogitari solent eludendis legibus.

101. Quare non malè JCtus istam inter hæc duo ponit differentiam, *h*) quòd contra legem faciat, qui facit id, quod verbis legis [rationi videlicet ejusdem correspondentibus] adversum est, in fraudem legis vero, qui salvis legis verbis committit ea, quæ cum intentione legislatoris pugnant.

102. Communiter vero ejusmodi *fraudis quatuor species* faciunt Dd. *i*) Primam, quæ fit commutatione *rerum*, ut si lex prohibet *pecuniam* mutuò dare filiofamilias, fœnerator vero det mutuo frumentum, vinum, &c. item si princeps vetet *frumentum* exportari aut *lanam*, & quis farinam vel oves exportet: secundam, quæ fit commutatione *personarum*, ut cum *conjuges*, qui invicem donare nequeunt, alias personas quæ donent, substituant; tertiam commutatione *contractuum*, ut si iidem conjuges res pretiosas *uno nummo* sibi vendant invicem, si fœnerator filiofamilias mutuo dandi gratia res quasdam *vendat*: quartam denique commutato *modo* contrahendi, ut si mulier, quæ *fidejubendo* non obligatur, animo intercedendi pro altero mutuum ipsa contrahat; quanquam hæc species parum differat à tertiâ, & cogitandum sit ulterius, annon plures modi, quibus quid in fraudem legis committitur, reperiri possint.

103.

ranni filium interfecit, non potuit probabiliter habuisse intentionem tyrannum interficiendi, sed saltem dolore aliquo ipsum afficiendi, si non planè præ timore id fecit, ne filius ipsum Patri detegeret. At præcisè Tyrannicidam præmio afficere volebant leges. Denique lex volebat forte factum præmio afficere, hoc factum erit timidum.

ad §. *101.* h) l. 29. 30. de LL. Puf. §. 18.

ad §. *102.* i) Puf. d. l. Ziegl. ad Grot. p. 392. *Exempla plura, ubi quid fit in fraudem legis, vide ap. Puf.* d. §. 18. *Talis cavillator depingitur in fabula Ulenspigelii.*

103. Interpretationem *restrictivam*, quæ adhuc restat, *Grotius* petendam esse ait *l*) ex defectu voluntatis originario, aut ex casus emergentis cum voluntate repugnantia. *Prius* fieri vult ex alio aliquo signo voluntatis, si nimirum verba alio loco posita cum præsenti lege aut pacto per incidentem casum peculiarem pugnare videntur, &c.

104. Hic uti in conclusionibus ipsis non adeo multum dissidemus; ita videtur methodus & connexionis ratio non saltem aliquatenus esse obscurior, verum & certo respectu perplexitatem *m*) inferre. Cum enim, ut reliqua mittam, omnis interpretatio debeat fieri secundum probabilem voluntatem ejus qui locutus est, neq; tamen eam, quam unquam antea habuit, aut post sermonem fortè habiturus est, sane suâ sponte fluere videtur, quòd restrictiva semper se fundare debeat in defectu voluntatis originario, nunquam ex casus emergentis [subsequenti aliqua] cum voluntate repugnantia, defectui originario voluntatis opposita.

105. Rursus cum restrictiva interpretatio ferè intendat, legislatorem plus locutum esse quam senserit, & de casu, de quo sermo est, tum non cogitasse, adeoque ita semper præsupponat casum emergentem voluntati loquentis repugnantem, non video iterum, quomodo defectus voluntatis originarius repugnantiæ casus emergentis queat opponi. Tentabimus itaque, annon res ipsa commodius hoc modo possit proferri.

106. Extensiva interpretatio ferè *unicè* ad rationem legis vel pacti respicit; At restrictiva etiam *reliquas regulas* interpretationis declarativæ admittit. Unde 1. quæ supra *n*) diximus de *substratâ materiâ*, hic quoque locum habent, utpote quæ semper intelligenda est obversari animo loquentis, etsi verba videantur latius patere.

ad §. 103. l) *Et ex eo retinet Pufend.* de O. H. l. 1. c. ult. §. 11. seqq.

ad §. 104. m) *i. e. contradictionē.*

ad §. 106. n) §. 48. seqq. Puf. V. 12. 19. in fine.

107. Ita si feudum sit concessum alicui pro se & *descendentibus masculis*, non intelliguntur nepotes ex filia, quia natura ejusmodi feudi repugnat, quæ fœminas & descendentes ex iis planè excludit.

108. Ita cum patronus prohibetur adigere libertum *jurejurando* ne uxorem ducat, materia substrata ostendit, intelligendam esse legem de liberto, qui liberos tollere potest, neque puniri patronum, qui à liberto castrato juramentum exegerit. *o)*

109. Deinde 2. quod supra *p*) notavimus, non ita interpretanda esse verba, ut nullus, aut absurdus vel iniquus *effectus* sequatur, etiam in restrictivâ interpretatione usum suum exerit. Nam nemo mentis compos absurda velle credendus est.

110. Ita si lex sit: *Vir fortis, quæ postulet, habeto*, & unus qui fortia facta perpetravit, postulaverit agrum concivis sui, hic vero post aliquod tempus in præmium fortitudinis agrum suum à priore repetat, vitatio absurditatis suadet, ut lex explicetur, ne viris fortibus sua præmia iterum eripiantur. *q*)

111. Inde decidenda etiam controversia inter *Protagoram* & *Evathlum*, ut hic, si à judicibus ad solvendam mercedem fuisset condemnatus, haud quicquam se exceptione pacti tueri potuisset; quo conventum erat, ut magistro merces non debeatur, quousque discipulus causam non obtinuerit, cum absurdum sit, aliquem suo pacto hoc egisse, ut illud ipsum obstet, quò minus obtineri possit, quod ex eodem debeatur.

112. Pertinet huc interpretatio legis *secundum æquitatem*, *r*) quæ est correctio ejus, in quo lex deficit ob universalitatem, ubi nempe ex naturali ratione ostenditur, casum quendam peculiarem sub universali lege non comprehendi, eò quòd alias, & si literam legis præcisè quis sequatur, orietur inde aliquid legibus naturali-

ad §. *108.* o) l. 6. §. 2. de jure patron. Puf. d. l.

ad §. *109.* p) §. 63. Pufend. d. §. 19, initio.

ad §. *110.* q) *Quia aliàs effectus legis esset frustraneus.*

ad §. *112.* r) Puf. V. 12. 21.

turalibus & divinis repugnans, quod meritò pro absurdo habetur, cum ad talia nemo possit obligari.

113. Ita si lex jubeat peregrinum, qui *mœnia adscenderit*, *s*) capite plecti; & peregrinus in obsidione muros ascenderit & hostem subeuntem scalis dejecerit, aut si lex pœnâ capitali *mulieres à certo quodam loco* arceat, eædemque tempore oborti incendii, ejus extinguendi gratiâ, locum istum ingrediantur, cessabit utrobique pœna, quia lex naturæ dictitat, beneficium præmium mereri, non pœnam.

114. Eò refert etiam Grotius, *t*) si verba sequi non quidem per se & omninò illicitum sit, sed æquè rem æstimanti *nimis grave* & *intolerabile*; sive absolutè spectatâ conditione humanæ naturæ, sive comparando personam & rem de quâ agitur, cum ipso fine actûs.

115. Sic qui rem *ad dies aliquot* commodavit, intra eos dies repetere eam poterit, si ipse valde egeat. Sic qui *auxilium* fœderato promisit, excusabitur, quamdiu ipse domi periclitatur, in quantum copiis opus habet. Et concessio *immunitatis vectigalium* & tributorum intelligetur de quotidianis anniversariis, non de iis, quæ summa necessitas exigit, & quibus carere Resp. non potest.

116. Sed putarem has conclusiones magis perspicuè deduci ex regula de *materia substrata*. Sane ipse Grotius earum rationem in eo quærit, quod actuum beneficorum ea sit natura, ut non credendus sit quisquam ad magnum suum incommodum se voluisse obligare.

117. Commodius forte ad præsens punctum referri posset, si *verba alio loco posita* cum præsenti lege aut pacto, non quidem directè pugnant, sed propter certam temporis circumstantiam hic & nunc simul observari nequeunt, tunc enim necesse erit, ut

 una

ad §. 113. *s*) *Puf.* §. 6. *deducit ex defectu rationis. Alia exempla vide apud Grotium* II. 16. 26. *Ita gladius depositus non reddendus furenti, aut non Domino, si Dominus concurrat.*

ad §. 114. t) Grotius d. l. §. 27. Puf. §. 22.

una in favorem alterius restringatur, ne aliàs neutra habeat effectum, quod *absurdum* foret. *u*)

118. Sed quænam ex istis duabus tunc cedere debeat alteri, quæstio est. *x*) In genere *y*) videtur ea norma observanda, quoniam leges libertatem humanam restringunt, & una tamen magis alterâ, *ut ista lex quæ arctius ligat voluntatem hominis, præferatur isti, quæ vinculum laxius imponit.*

119. Referri possunt eò regulæ speciales hâc parte à Dd. traditæ. 1. *Permissio cedit ei quod jubetur & vetatur. z)* Ratio est evidens, quia quod permittitur, planè non vincit libertatem, adeoque, ut jam ab initio notavimus, permissio propriè non est effectus legis.

120. Ita si lege dispositum sit : *Concubinam habere cuivis civi Romano liberum esto*, & aliâ lege ita sit constitutum : *Mulierem in castris miles non habeto*, apparet, ad militem non pertinere licentiam legis prioris.

121. 2. *Quod jubetur, cedit ei quod vetatur. a*) Nam arctius limitatur libertas hominis per negativa præcepta, quàm per affirmativa, ut suprà jam demonstravimus, quoniam videlicet negativa semper omitti possunt, at affirmativa certis temporibus in actum qveunt deduci.

122. Ita præposterum genus pietatis *corium furari*, & calceos pauperibus *eleemosynæ* loco dare; qvanqvam hoc exemplum magis pertineat ad regulam seqventem qvartam. Magis accommodum erit exemplum, si paululum immutes: Non licet furari, ut creditori tuo solvas.

123.

ad §. *117.* u) Conf. §. 44. & 109. Grot. II. 16. 28. seqq. Puf. V. 12. 23.

ad §. *118.* x) *Tractat hanc materiam Grotius* II. 16. 29. *ex Cicerone, cujus locum tradit Pufend.* V. 12. 23. *ubi & regulas Grotii supplet.*

y) *Hunc canonem generalem omittit Grotius & Dn. Pufend. Desumitur autem ex definitione legis.*

ad §. *119.* z) *Hic comparatur id quod non est lex cum lege.* Ziegl. ad Grot. p. 395.

ad §. *121.* a) *Hic comparatur lex affirmativa cum negativa.*

123. Qvod loco rationis in præcedenti regulâ attulimus, etiam alibi qvam in concursu negativi præcepti cum affirmativo potest usum habere. Unde 3. *qvod faciendum est certo tempore, præfertur ei, qvod qvovis tempore fieri potest. b*)

124. Ita *sanctificatio Sabbathi* præferenda officiis qvotidianis. Ratio est iterum ea, qvod præceptum ad certum tempus respiciens illo tempore magis stringat libertatem qvàm alterum.

125. Quod si verò duæ præstationes certo temporis articulo collidantur, ut vel utraque in isto tempore sit obeunda, vel neutra commodè differri possit, tum 4. *Obligatio imperfecta cedit obligationi perfectæ. c.*) Cum enim in perfectâ sit major obligationis gradus, magis qvoqve eadem libertatem nostram vincire censetur.

126. Ita *solutio debitorum* præferenda dationi eleemosynarum.

127. Qvodsi utraqve obligatio sit perfecta, 5. *Obligatio antiqvior præferenda noviori*; cum per antiqviorem libertas mea jam fuerit restricta tempore novæ obligationis. Ita debitum antiqvius prius erit solvendum.

128. Nisi fortè uni obligationi perfectæ adhæreat obligatio alia ex alio capite imperfecta, etiam intuitu ejus, cui sum obligatus, nam tunc 6. *Obligatio duplex vincit simplicem etiam antiqviorem*, propter regulam qvæ est in ore omnium, qvod duplex vinculum fortius liget. *d*)

129. Ita *debitum novius* prius solvendum homini *egeno*, qvàm aliud etiam antiqvius diviti.

130. Quodsi

ad §. *123.* b) *Hic comparatur una species legis affirmativæ cum altera. Et separat hoc à priori Dn. Puf. p. 735. Grotius vero conjunctim tradit.*

ad §. *125.* c) *Hoc iterum specialius priori, ut & sequentia. Præcepta tamen hujus* §. *ut &* §. 127. & 128.

ad §. *128.* d) *Ita pauperi quamvis posteriori debitori magis teneor solvere quàm diviti anteriori, quia dives ipse est obligatus, ut pauperi det eleemosynas.*

130. Qvodsi vero utraqve obligatio sit imperfecta, tum 7. *Lex beneficentiæ cedet legi gratitudinis, e)* qvoniam ut supra diximus, ad gratitudinem qvis præter legem communem humanitatis exhibendæ, etiam ex accepto beneficio tenetur, adeoqve iterum hic est duplex vinculum.

131. Ita si concurrat Patronus egenus cum paupere etiam cognato, hic Patrono erit postponendus.

132. Modo tamen uterqve egenus sit. Nam si dives Patronus à me donum, pauper alius eleemosynam desiderat, pauper Patrono erit præferendus, qvia qvo major est indigentia in eo, qvi officia humanitatis à me postulat, eò magis qvoq;, ut superius diximus, obligatio mea accedit ad perfectam; igitur tum recurrendum erit ad regulam qvartam.

133. Unde facile constat, quid in concursu patris & filii, quorum uterque alimenta à me postulat, dicendum sit. Ita enim arbitror: Quamdiu filius nondum est educatus, præferendus erit patri, quia ipsi perfectè obligor, patri imperfectè. Sin jam ex potestate dimissus, patri erit postponendus, quia pater gratitudinem postulat. &c.

134. Si autem plures qui me beneficio non affecerunt, à me beneficium desiderent, tum 8. *Quò arctiori vinculo aliqua persona nobis conjungitur, eò præstationes, quæ ipsi debentur, aliis præponderant. f)* Ratio jam iterum latet in thesi. Ita uxor præferenda fratri, frater patruo. &c.

135. In universum tamen, quæ hactenus traditæ sunt regulæ, videntur limitationem accipere à sequentibus: 9. *Inter leges quæ à potestatibus subordinatis proficiscuntur, lex inferioris potestatis cedit legi superioris. Ubi utrique simul satisfieri nequit. g)* Inde Deo oportet magis obedire quam hominibus. Et jussa regum jussis patrum familias præponderant.

136.

ad §. 129. e) Puf. p. 737. reg. 8.
ad §. 134. f) Puf. d. l. n. 11. *ubi citat textus scripturæ.*

ad §. 135. g) Puf. p. 737. n. 9. *Regulæ priores desumtæ ab objecto, has à causa efficiente.*

136. 10. *Inter conventiones legesque cætera æquales peculiaris præfertur generaliori & quæ propius ad rem accedit.* Nam generalia per ſpecialia ad certi quid determinantur.

137. 11. *Prout cujusque legis materia aliam nobilitate, utilitate aut neceſſitate ſuperat, ita regulariter una alteri præponderat. h)* Nam inferiori obligationi velut hæc exceptio intelligitur addita, ut præſtetur, ſi per majoris momenti obligationem fieri queat.

138. Ita ſi lex una ſit, *ne quis die feriato cum armis in publico verſetur*, altera; *ne quis ſigno audito tumultus indice domi ſe contineat, ſed cum armis magiſtratui in foro præſto ſit*, & tumultus die feriato oriatur, dicendum erit, poſteriorem legem habere ſe inſtar exceptionis in ordine ad priorem, hoc modo: ne quis die feriato cum armis in publico verſetur, niſi tumultûs causâ â magiſtratu evocetur. *i*)

139. Plura ejusmodi axiomata ſuppeditantur à Grotio, non ita aperta tamen, ſed de quibus dubitare non ſine ratione liceat. Tale eſt illud: *l*) *Ut in prohibitionibus, illa quæ pœnam adjunctam habet, ei, quæ pœnâ vacat, &, quæ majorem pœnam minatur, ei, quæ minorem, præferatur.*

140. Quemadmodum enim prohibitio ſine ullâ pœnâ nullius videtur momenti, *m*) ita regula, quod ex duobus malis minus ſit eligendum, in malis moralibus non procedit.

141. Ita quod addit Grotius: *n*) *Juratum pactum ſi concurrat cum alio, cui abeſt jurisjurandi religio, huic præferendum eſſe*, fluit ex iſtâ hypotheſi, quod Grotius arbitratur, jusjurandum

ad §. 137. h) *Quoad 10. & 11. regulam confer Puf.* ibid. n. 4. 5. & 10.

ad §. 138. i) *Alia exempla repete ex ſuprà dictis* §. 43.

ad §. 139. l) Grot. II. 16. 29.

ad §. 140. m) Puf. p. 736

ad §. 141. n) d. §. 29. *Sed exemplum, quod in notis ibidem adducit, planè nihil probat. Addit equidem Puf.* d. p. 736. *iſtam limitationem, niſi pacto jurato injuratum tanquam exceptio & limitatio ſit inſertum. Sed hoc non intelligo, & exemplum deſidero.*

novam obligationem promisso superaddere, cujus contrarium jam suprà demonstravimus.

142. Denique dum concludit: *Id quod postremo dictum est, debere vincere*, non tam ad interpretationem restrictivam pertinet, & casum, ubi duæ leges apparenter colliduntur, sed ubi omnis interpretatio cessat, & vera subest antinomia.

143. Sufficiant hæc ad ostendendum usum regulæ de vitandâ absurditate ac iniquitate in restrictivâ interpretatione. *o*) III. denique *ratio legis* maximopere ad restringenda verba legis generalia momentum affert. Unde axioma vulgatum: *Cessante ratione, cessat ipsa legis dispositio.*

144. Uti verò suprà *p*) quoad interpretationem extensivam fecimus, ita & hic quoque distinguendum erit, utrum unica fuerit ratio legis vel pacti, an plures: *Si unica*, tum si ea cesset, restringendam etiam esse legem, nulla restat dubitatio.

145. Verum ubi legis *plures* fuerint rationes, non statim unâ earum cessante, reliquæ expirant aut minus validæ sunt ad sustinendam legis efficaciam: interdum tamen *unicâ* saltem deficiente ratione restrictio procedit. *q*)

146. Nimirum si lex aut pactum plures habeat rationes *æquè principales*, *r*) sufficiet ad restrictionem, si vel una earum deficiat.

147. Unde faciliùs possunt emergere casus, in quibus recta ratio suadeat interpretationem coarctari, quàm extendi. Scilicet ut in omnibus rebus ut effectus non sequatur, satis est unam causarum deesse; sed ut nascatur, omnes convenire oportet, ita in actibus obligationem producentibus ut interpretatio restringatur, satis est, unam causam deficere, sed ut extendatur, omnes congruere necesse est. *s*)

148. Sed

ad §. 143. o) vid. §. 109. Adde Pufe ad §. 10. 17. 19. 20.

ad §. 144. p) §. 90. seq.

ad §. 145. q) Puf. §. 10. *ubi tamen hac ultima omisit, ut & rationem disparitatis inter hæc duo.*

ad §. 146. r) Conf. §. 92.

ad §. 147. s) *Poterit declarari exemplo pulchritudinis, lineæ rectæ &c.* Conf. suprà §. 92. Puf. §. 17.

148. Sed si ex pluribus rationibus una sit *principalis*, reliquæ *secundariæ, illa* modo cessante non abstinebit â coarctatione interpres, etiamsi ex his aliquæ ad casum obvenientem queant applicari. Sed harum una cessante non locum habebit interpretatio restrictiva, si modo principalis applicari possit.

149. Exemplum interpretationis restrictivæ ob rationem deficientem dabit species ista. Lex est; *qui propter tempestatem navim reliquerunt, omnia perdant; eorum navis cæteraque sint, qui in navi remanserint.* Magnitudine tempestatis omnes perterriti navem reliquerunt, & in scapham conscenderunt præter unum ægrotum, qui propter morbum exire & fugere non potuit. Casu navis in portum incolumis delata est. Illam ægrotus possidet. Navim petit, cujus fuerat.

150. Hic sane *ratio legis* fuit, ut qui ob navim servandam vitam suam periculo exposuit, aliquo præmio gaudeat. Quod ægrotus hic prætendere non potest, qui neque eo fine in navi remansit, neque ad eam servandam quicquam contulit.

151. Notandæ tamen sunt limitationes quædam regulæ nostræ. 1. Accidere sæpius, ut legis alicujus ratio sit non solum *ignota*, sed & talis, ut generalis aliqua æquitatis regula *aliud svadere* videatur. Si tamen voluntas superioris hâc parte se perspicuè determinaverit, subjectis meritò pro ratione esse jubetur, & ad producendam obligationem sufficiet, donec ipse Princeps, cui hoc soli relinquendum est, ex æquitate legem correxerit. *t*)

152. 2. Valebit regula nostra tum demum, si ratio ejus cesset *in universum*, hoc est, in aliis casibus similibus sæpiùs evenientibus, non si in casibus certis rarissimè contingentibus.

153. E.g. Lex est: *Impubes ne faciat testamentum*; Ratio, quia nullum est ejus animi judicium. Datur impubes, cui est prudentia ante pilos: Quæritur, an possit testari? non potest. *u*)

ad §. *151.* t) Puf. §. 10. Huber. posit. ad Pand. tit. de LL. n. 12. 13. *Huc pertinet exemplum de non manu mittendo servo uxoris adulterii suspectæ, etiamsi longè abfuerit.*

u) Hub. d. l. §. 14. & 15. Conf. omninò Grotium l. 3. 5. sect. 3.

154. Aliud: lex eſt; *ne bona minorum alienentur absque necesſitate*, idque commodo illorum conſtitutum eſt, ne rebus ſuis temerè ſpolientur. Datur caſus, quo ſit utile minori rem alienare citra neceſſitatem: quæritur, an id liceat judici? Non licet.

155. *Magnam* affinitatem cum præcedente obſervatione habet x) 3. Quod non ſufficiat, ſi ratio legis, quoad *actum* ceſſaverit, ſed ſatis ſit ad interpretationem reſtrictivam impediendam, ſi non deficiat quoad *potentiam*.

156. Senſus eſt: Lex vel conventio, in quâ legislator vel paciſcentes reſpexerunt rationem aliquam, puta ut periculum aut incommodum evitarent, non ſolum in iis caſibus valet, quando iſtud revera eſt ſecuturum; ſed in illis qvoqve, ex quibus probabiliter aut ſalten non adeò difficulter exiſtere poſſe creditur.

157. Ita ſi lex ſit; *ne qvis noctu cum facibus per plateas ambulet*, non excuſatur quis, ſi dicat, ſe ita circumſpectè iis uti, ut nemini damnum inde proveniat.

158. Ita ſi inter duos populos fœdere cautum ſit, *ne exercitus aut claſſis intra certum locum deducatur*, licet ratio conventionis fuerit, ut ne inde damnum actu alicui inferretur, haud quicquam tamen licebit exercitum aut claſſem eò deducere, utut animus nocendi abfuerit. Nam ſufficit, qvòd alteri facilè noxa qveat inferri ab eo, qvi intra illum locum verſatur.

159. Penè obliti fuiſſemus regulæ, qvæ & uſitatiſſima eſt, & communiter ambitu ſuo ampliſſima eſſe creditur, ut in omni interpretationis ſpecie ſibi locum vindicet, qvæ nimirum in diviſione materiæ, prout hæc vel favorabilis eſt, vel odioſa, nititur.

160. Qvippe qvod interpretationem *declarativam* concernit, nihil notius eſt, qvàm qvòd dici ſoleat: *Favorabilia eſſe latius, odioſa ſtrictius interpretanda*. y)

161. A qvo alterum parum differt: *Favorabilia eſſe extendenda, odioſa reſtringenda*; niſi qvòd hoc magis ad interpretationem *extenſivam* & *reſtrictivam* reſpiciat.

162. Sed

ad §. 155. x) Puf. d. §. 20. 16. 10. Puf. V. 12. 12. & de O. H. 1. 17. 9.
ad §. 160. y) Vide Grotium II.

162. Sed neſcio, an hujus axiomatis is ſit uſus, qvi communiter creditur, & non potiùs rectius ſit, ſi in datis regulis maneamus, & entia præter neceſſitatem non multiplicemus.

163. Nam ſi initio *fundamentum* ejus reſpicias, nititur id diviſione materiæ, de qva ſermo eſt; adeoqve nihil obſtat, qvo minus hoc intuitu id referre poſſis ad regulam de materiâ: qvod verba ſecundum materiam ſubſtratam ſint intelligenda.

164. Deinde ſi diſqviras, qvid ſit *favorabile*, qvid *odioſum*, deprehendes nimium qvantum variare Dd. Grotius tres ſpecies dicit eorum, qvæ *promittuntur*, alia *favorabilia*, alia *odioſa*, alia *mixta* ſive media.

165. *Favorabilia* vocat, qvæ æqualitatem in ſe habent, & qvæ communem ſpectant utilitatem, qvæ qvò major ſit atqve latiùs pateat, eò majorem ait eſſe promiſſi favorem. Ergò eorum qvæ ad pacem faciunt, majorem eſſe, qvam eorum qvæ ad bellum; belli item ob tuitionem ſuſcepti majorem, qvàm aliis de cauſis.

166. *Odioſa* autem eſſe ſtatuit, qvæ partem alteram tantum aut plus alterâ onerant, qvæ pœnam in ſe continent, & qvæ actus faciunt irritos, & qvæ de prioribus aliqvid immutant.

167. Qvodſi *mixtum* ſit aliqvid, ut mutans qvidem priora, ſed pacis cauſâ, id pro magnitudine boni & mutationis modo favorabile, modo odioſum cenſeri, ita tamen, ut cæteris paribus favor cenſeatur potior.

168. Hìc igitur ſi *primò* ſpectes, qvod Grotius diviſionem hanc in *promiſſis* adhibeat, dubium oriri poſſit, an eadem etiam in legum interpretatione habeat locum? Sanè qvæ Grotius de æqvalitate & inæqvalitate affert, ad leges, qvæ ſemper inæqvalibus feruntur, accommodari neqveunt. Et tamen nihil freqventius eſt, qvàm qvòd JCti eandem regulam ad leges extendant, dum v. g. aſſerunt: *Beneficia Principis eſſe extendenda; Leges pœnales reſtringendas*, item: *ſtatuta & omnem legem derogantem admittere ſaltem interpretationem reſtrictivam.*

169. *Secundò* cum negotiis humanis ſic eſt comparatum, ut nullum reperire qveas, qvod *ex omni parte favorabile aut odioſum*

 appella-

appellare possis, z) cum hi termini non rei ipsius essentiam, sed relationem ad utilitatem aut damnum, qvod homines inde sentiunt, exprimant, & verò ubiqve qvod uni damnosum est, alteri utilitatem afferat; aut si vel maxime hoc contingere possit, unam eandemque rem pluribus utilitatem afferre, inter hos certè nulla desuper erit contradictio, ut interpretatione pacti aut legis ad eam tollendam sit opus.

170. *Tertio*. Etsi verò Grotius in eo occupatus sit, ut *regulas* certas de discernendis favorabilibus ab odiosis tradat, vereor tamen, an eæ magnum momentum afferant, si à regulis, qvas supra dedimus, abstrahas. Ita qvod *favorabilia* concernit: qvid si in fœdere pacis conventum sit *captivos utrinqve restitui? a*) Et una pars, qvæ longè plures captivos detinebat, pro singulis singulos velit reddere, altera vero omnes pro omnibus; ex Grotii notis hæc posterior pro se afferet, *favorabile* esse negotium, cum *ad pacem ineundam* sit directum, adeoqve extendendam esse locutionem; prior verò urgebit, *odiosum* ità pactum esse, qvæ partem alteram *plus alterâ oneret*, atqve adeo in se non habeat utilitatem.

171. Ita si fingamus legem esse, qvæ *frumenti exportationem prohibeat, pœnâ gravi in exportantem statutâ*, & qvis *farinam exportaverit*, si regulam de favorabilibus & odiosis qvis hic applicare velit, facilè videri potest, exportantem non esse puniendum, qvia lex ista ad *odiosas* ex dictis Grotii referenda esset, non solum qvia de priori licentia aliqvid immutat, sed & quia *pœnam* in se continet; cum tamen certum sit, legem illam ad præsentem casum, ob rationis identitatem, pertinere.

172. Non eqvidem ignotum est, in legibus Romanis sæpius ex favore rei decisionem peti in ambiguis, b) ut in causis *libertatis, dotis* &c. Sed tum vel in applicatione simul ad unam regularum præcedentium respicitur, vel, qvod ita decidendum sit, juri civili

ad §. 169. z) Inde natum mihi corollarium: Favorabilia definiri non posse, & ob istud corollarium controversia cum Clarissimo Placcio, de qua vide appendicem post finem hujus lib. II.

ad §. 170. a) Conf. Puf. V. 12. 13. p. 722.

ad §. 172. b) Vid. omninò Rebhahn. th. 36.

civili debetur, determinanti qvid pro favorabili habendum sit, citra qvam determinationem si fuisset, negotium non potuisset expediri. At jam qværimus de regulis interpretationis ex dictamine rectæ rationis solùm hauriendis.

173. *Qvartò:* Quod regulas concernit, quas Grotius de *usu* favorabilium &c. in doctrinâ interpretationis format, (& in summam contractæ id volunt. *c*) 1. In *non odiosis*, h. e. ut intelligo, in *mixtis*, sumenda verba in usu populari & latissimo. 2. In *favorabilibus*, si artifex sit, qui loquatur, verba etiam in sensu artificibus peculiari, non tamen planè improprio, nisi ad evitandam absurditatem vel iniquitatem, accipi poterunt. 3. In *odiosis* sermo figuratus aliquantulum admittitur, ut onus vitetur:) ad illas cum uno saltem vel duobus exemplis universalitatem haud quaquam inferentibus illustret, multæ instantiæ dari poterunt, in quibus si solum regulas istas applicare velis, *d)* dubium & obscurum sermonem tollere non poteris, aut si applicatio cum dictamine rectæ rationis non pugnet, etiam citra istas ex superioribus regulis de materiâ substratâ, effectu, ratione &c. isti dubio satisfieri possit.

174. Ita dum jus Romanum pollicetur actionem, si quis de possessione rei suæ *dejectus* est, rectè Grotius notat, id etiam extendendum esse ad eum, qui vi *vetitus* est ad suum accedere; sed non tam ex ratione regulæ primæ, de *non odiosis*, quam ex *ratione* legis, quia jus Romanum omnem violentiam privatam voluit hoc modo coercere.

175. Ita dum Caligula eorum, qui pro se & *posteris* civitatis jus impetraverant, *nepotibus* jus civitatis negabat, quasi non intelligi deberent posteri ultra primum gradum; non opus est ad convincendum iniqvitatis Caligulam ad primam Grotii regulam refugere, sed sufficit, quòd in *posterorum* voce nulla sit obscuritas, ipse

ad §. *173.* c) Grot. II. 16. 12. Puf. V. 12. 13. *ubi ex his facit quinque regulas.*

d) Conf. §. 171. juncta regula 3. hic.

ipſe vero Caligula omni ratione, quæ reſtrictivam interpretationem ſuadeat, deſtituatur.

176. Ita ex regulâ ultimâ de *odioſis* defendere nollem *e*) factum Aureliani, qui eo tempore, quo proficiſcebatur ad bellum Orientale, *bilibres coronas* populo promiſit, ſi victor rediret, poſt reditum verò ſuum *coronas de panibus ſiligineis* ſingulis donavit. Erat enim hoc evidens verborum cavillatio, quamvis neque populus à ſtultitiâ excuſari poterit, quod ſperaverit aureas.

177. Quæ hactenus dicta ſunt, procedunt in *obſcuritate*, quæ ſic comparata eſt, ut adhibitâ arte rectæ interpretationis legitimo aliquo modo ſuperari exponique poſſit *f*) nam in cæteris quæ adeò obſcura ſunt, ut humano intellectui *nullam* diſcernendi facultatem relinquant, fruſtra ſuam curam operamque interpres conſumſerit.

178. Puta v. g. ſi quis loquatur planè *ſine ullâ vocis ſignificatione*, ſi id quod ſcriptum eſt, *prorſus legibile non ſit*, neque oculis poſſit perſpici, neque intelligi, quid ſignificet. *g*)

179. Si deficiat item *omnis conjectura voluntatis*. *Ut ſi* teſtator *Titium* liberis ſuis tutorem dederit, ſintque Titius pater & filius, nec appareat, quem dederit, neuter Tutor erit. Aut ſi dixerit: *Si Stichus heres non erit, liber & heres eſto*, non valebit ſubſtitutio. *h*)

180. Aut ſi voluntas loquentis *nullum exitum* invenire poſſit, ut in verè perplexis, quorſum etiam referre poſſis exemplum modò memoratum de Sticho ſibimetipſi ſubſtituto.

181. Ita Julianus illam inſtitutionem: *Si Titius heres erit, Sejus heres eſto; ſi Sejus heres erit, Titius heres eſto*, ut perplexam ſcribit eſſe inutilem, cum conditio exiſtere non poſſit. *i*)

182. Mihi

ad §. 176. e) *Defendit tamen Puf.* d. p. 723.

ad §. 177. f) Vide ſuprà §. 74. Rebhahn th. 16.

ad §. 178. g) Rebhahn. th. 43. l. 7. de ſupell. leg. l. 9. de Ædil. Edict. l. 1. pr. de his quæ in teſtam. del. l. 2. de his quæ pro non ſcript. hab.

ad §. 179. h) l. 30. de teſt. tut. l. 10. §. ult. de V. & P. S.

ad §. 181. i) l. 16. de condit. inſt. conf. ſuprà §. 41.

182. Mihi verò, quod pace Juliani dixerim, videtur Testator non id voluisse, ut neuter *ante alterum* heres sit, quomodo Julianus eum intellexit, sed ut neuter *sine altero* heres esset, ac si dixisset: *Titius & Sejus heredes sunto; si unus eorum heres non erit, nec alter heres esto. l*)

183. Nam cum verba institutionis & hanc interpretationem admittant, putamus eam expositioni Juliani esse præferendam, quoniam magis convenit cum regulâ, quam supra *m*) ex loco de effectu inculcavimus.

184. Magis ad hunc locum videtur spectare illustre exemplum conventionis inter *Paridem & Menelaum*. Conventum fuerat, ut *victori* cederet Helena; In repetitione ejusdem ante pugnam dictum erat: Ut ei cederet Helena, qui alterum *interfecisset*. Paris succumbens fugâ sibi consulebat. Petebat Menelaus sibi Helenam adjudicari ut *victori*, contradicebat Paris, quod ipse adhuc *viveret*. Quæstio erat, *an posterior repetitio conventionem priorem ambiguam explicuisset, utrum in posteriore mentio interfectionis saltem exempli loco facta fuisset?* Pro utraque sunt conjecturæ non contemnendæ, *n*) ac, ut nobis videtur, decisionem ejusdem in æquilibrio suspendentes.

185. Similiter si *manifestè sunt pugnantia* in sermone aliquo, cessat interpretatio, quia nemo eodem tempore contraria potuit voluisse. Hinc leges Romanæ inculcant: *Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum esse. Scripturas* etiam *diversas*

ad §. *182.* l) *Ita v.g. contingere potest, ut unus amicus ad alterum dicat: si tu vis exspatiari, & ego volo.* Et *alter respondeat eodem modo.*

ad §. *183.* m) §. 63. *Adde, quod conditio hæc, etiamsi subtiliter loqui velimus, possit habere exitum. Quid si enim Sejus & Titius simul & uno momento se declarent, quod velint heredes esse. Item: conditio impossibilis habetur pro non adjecta. Nisi dicere velis, conditionem impossibilem differre à perplexa.* Conf. suprà §. 179.

ad §. *184.* n) vid. Pufend. §. 9.

versas fidem invicem sibi derogantes ab unâ eâdemque parte prolatas nihil firmitatis habere. o)

186. Nisi forte unus sermo sit altero posterior. Nam *quod posterius inter contrahentes placuit, derogabit prioribus, & ubi duæ contrariæ leges sunt, semper antiquæ obrogat nova.*

187. Peccatur vero contra hanc ultimam observationem de pugnantibus, etsi graviter, communiter tamen ab interpretibus juris Romani, qui nullas *antinomias* in legibus Justiniani deprehendi asserunt.

188. De iis loquor, qui vel legem in aliâ parte corporis Justinianei aperte abrogatam cum abrogante, vel leges in unâ eâdemque parte sibi invicem aperte contradicentes mediis quibuscunque conciliare allaborant.

189. Nollem adeò JCto alias magni nominis, *p*) dum contrà Wissenbachium disputat, sæpiùs excidisse has voces: Ad evitandas antinomias potius quibuscunq; distinctionibus pugnam esse dirimendam.

190. Scilicet hæc est ἰδία ἐπίλυσις, *q*) quam alii rectè contrariis bonæ disputationis accensent, quâ quis ad ejus voluntatem quam suscepit interpretandam, suum intellectum non accommodat, sed, ad suam voluntatem alterius intellectum detorquet.

191. Sed de eo alibi fusius. Tu modo disce, hâc viâ impossibile esse, ut quis evadat JCtus; cum ea à tramite interpretationis justæ deflectat, sed fieri aliquem Sophistam, & verborum cavillatorem.

192. Antequam huc abeamus, monendum, ne quis ea, quæ hactenus tradidimus indistinctè arbitretur, ad *voluntatem divinam* esse applicanda. Etsi enim supra *r*) assertum fuerit, legibus divinis exponendis easdem inservire interpretationis regulas, quibus

ad §. 185. o) Puf. §. 6. l. 188. pr. de R. J. l. 14. C. de fide instrum.
ad §. 189. p) Strauchio in dissert. Justin.
ad §. 190. q) Rebhahn. th. 43.
ad §. 192. r) §. 2. & 3. hic.

bus utimur in expositione sermonis humani; non tamen putandum est acsi quoque omnia, quæ de obscuritate verborum, ejusq; divisione fusius disseruimus ad voluntatem divinam pertineant.

193. Manet enim *scripturæ perspicuitas* illæsa, & si unus alterve ejusdem locus sit explicatu difficilior, *s*) in quibus regulæ bonæ interpretationis vel ideo addibendæ erunt, tùm ut *ignorantia* tollatur nostra, tum ut evitemus verborum Scripturæ *cavillationes*.

194. Sunt igitur multæ *differentiæ* inter obscuritatem *voluntatis divinæ & humanæ*, quarum quasdam saltem brevitatis studio tangemus.

195. I. Obscuritas voluntatis divinæ magis est in *intellectu humano*, quam in sermone divino: At in voluntatis humanæ declaratione sæpius vitiũ hæret *in scripto & verbis*, non in interprete. *t*)

196. Unde II. Scripturæ difficultas confundit aliquando *indoctos* & *Sophistas*; obscuritas vero voluntatis humanæ *doctissimos & sapientissimos* plus unâ vice in angustias redigit. *u*)

197. Itaque III. Si adhibeas regulas interpretationis, & maximè ex loco de conjunctis origine petas subsidium, difficultatem istam in præceptis divinis *x*) *facilè superare* poteris. At obscuritas voluntatis humanæ sæpiùs est *inexplicabilis*.

198. Neque enim IV. *perplexitatem* deprehendes in legibus divinis, bene tamen in legibus & pactis hominum.

199. Neque V. *pugnam genuinam* in præceptis DEI poteris ostendere, infinita verò ostendi poterunt in legibus humanis; quicquid etiam hic protestetur Tribonianus quispiam &c.

Reliqua pete à Theologis.

FINIS LIBRI II.

ad §. 193. s) II. Petr. 3. v. 16. Dannh. Hermen. Sacr. p. 50. 51. Calixt. de præcip. cap. relig. disp. 4. th. 81. seqq. p. 83.

ad §. 195. t) Dannh. d. l.

ad §. 196. u) II. Petr. 3. v. 16.

ad § 197. x) *Aliud in præceptis divinis*, Dannh. d. l.

APPENDIX

Ad Librum II. Institut. Jurispr. Divinæ:

Quæstio inter Clarissimum Placcium & Autorem: De Definitione favorabilium & odiosorum &c.

HISTORIA CONTROVERSIAE.

FEre Triennium est, cum per postam Hamburgensem literas acciperem à Pseudonymo ad me scriptas,& sigillo figuram confusam arabicis literis non multum absimilem representante signatas. Referebat in iis autor, quanti me & mea studia æstimaret,non tamen potuisse omittere ex amore virtutis & pietatis, quin me amice admoneret de insigni & impio errore in Institutionibus Jurisprudentiæ divinæ à me commisso, utpote qui (in cap. ult. lib. 1. prioris, & cap. 1. lib. 2. præsentis editionis) negarem, cultum Dei externum ex jure naturæ esse demonstrabilem. Igitur orabat, ne ægrè ferrem, quod notas ejus ipsi in lectione libri mei ortas mecum communicaret, & me certiorem jubebat esse, quod nemo sciret quæ mecum ageret,cum in mei gratiam ipse manu propria omnia ista ad me scripserit ,nec amanuensis sui opera voluerit uti. Insequebantur scholia ad dictum caput libri mei de officio hominis erga Deum,liberius & videlicet non ea deliberatione conscripta, quæ in epistola fuerat adhibita , cum eo tempore haud dubie non cogitaverat, quod ea aliquando mihi exhibere vellet. Summa eorum eo respiciebat, quod ea, quæ ibi differo de insufficientia luminis naturæ ad demonstrationem cultus divini externi, cum in

in ſenſum acceperat, acſi ex lumine naturæ negare voluiſſem, Deum cultu externo eſſe honorandum, & quod reſponſiones meas & inſtantias ad argumenta, quæ quis forte pro aſſertione cultus externi formare poſſet, ita interpretatus erat ac ſi argumenta mea eſſent pro demonſtranda negatione cultus externi, quo pacto non poterat non ſententia mea ſana aliàs & innoxia, in peſtilentisſimam ac planè impiam detorqueri, unde in ipſis ſubinde ſcholiis allocutiones ad me & adhortationes tanquam atheum & blaſphemũ legebantur. Claudebat literas iſtas Epilogus, in quo per mixturam blanditiarum & minarum me adhortabatur, ut ſcandalũ publicè datum publica confeſſione & revocatione tollerem, promittens, ſi id facturus eſſem, quod tum verum nomen ſuum profiteri vellet, quod ſi in impia ſententia eſſem perſeveraturus, publice eum me accuſaturum eſſe. Ego vero facilè errorem Autoris hujus ejusque originem detegens, cauſam mutandi ſententiam meam nullam videbam, ſimul miſerebar hominis, qui, quicunque etiam eſſet, toto literarum contextu ejusmodi animum proderet, qui ex præcipitantia, hypocriſi & pertinacia eſſet compoſitus. Lubentiſſimè reſpondiſſem, ſi ſciviſſem, cui literæ meæ inſcribendæ fuiſſent. Igitur inquirendo in autorem, monſtrabam aliquibus ex auditoribus meis illam Epiſtolam, & cum inter ipſos etiam Hamburgenſis aliquis eſſet, perſvadere is mihi conabatur, ductus literarum eſſe iis ſimillimos, quos Clarisſimus Placcius ſcribendo efformaret. Sed credere nolebam, partim quod mihi imaginari non poſſem, virum jam olim doctrinam de interpretatione præceptis includentem, tam inſignem agere verborum meorum cavillatorem, partim quod mores, qui ex literis ad me datis elucebant, non videbantur quadrare moribus, quos in Clariſſimo Placcio ante aliquot annos Hamburgi ipſe me obſervaſſe putabam, & quos de ipſo alii fando retulerant mihi. Interim cum aliter Pſeudonymo iſti ſententiam meam declarare non poſſem, & verò tum temporis videlicet *d. 4. April. 1691.* publica à me habenda eſſet diſputatio *de Nævis Jurisprudentiæ*

 Roma-

Romanæ ex Historia Juris ab ejectis Regibus ad publicatas leges XII. Tabularum deductis, corollaria sequentia dictæ disputationi adjeci, quæ ob rationes mox dicendas hic apponam integra. I. *Omnis cultus religiosus ex revelatione ortus est, nec datur Religio naturalis, per ea quæ latius deduxi in Institut. Jurisprudentiæ Div. lib. 1. cap. ult.* II. *Cum officium JCti consistat in justa legum interpretatione, cavendum ipsi maximè est ab erroneis interpretandi regulis vulgò receptis, quæ vel obscuræ sunt, & ipsæ interpretatione difficillima habent opus, atque sic magis asyla ignorantiæ & clypei sophistarum sunt, quàm arma, quibus JCtum decet esse armatum, vel apertè falsæ.* III. *Talis est illud brocardicum JCtorum & vulgaris cynosura interpretationis extensivæ & restrictivæ: Favorabilia esse extendenda odiosa restringenda: neque enim definiri potest, quid sit favorabile, quid odiosum.* IV. *Sequentes autem rivuli ex illo fonte deducti apertè falsi sunt. Scilicet: Leges pœnales & statuta particularia non admittere interpretationem extensivam, sed esse restringenda, quia pertineant ad odiosa.* V. *Item illud vulgare: Beneficia Principis tanquam favorabilia esse extendenda & latè explicanda. Quod tamen à regulis præcedentis numeri in eo differt, quod illarum saltem quædam exempla quamvis pauca, nec ad axioma inde formandum sufficientia dari possint, hujus verò, fremant omnes licet, hactenus ne unicum quidem exemplum verum & adæquatum reperire potuerim.* VI. *Talis etiam est ista communis regula, qua utuntur in interpretatione declarativa: Verba in dubio propriè sunt exponenda, nisi necessitas nos adigat ad interpretationem figuratam, vel ex propria significatione sequatur absurdum.* VII. *Illi denique & ista ex priori deducta: Testamenta non admittere acceptionem verborum impropriam seu figuratam.* Ex his corollariis, ut facilè intelligis, primum directè oppositum erat Pseudonymo isti, ut videlicet ipsi, cum aliter non possem, publicè declararem, quod hypocritica ejus epistola ad publicam, quam à me exigebat, revocationem me non movere potuerit, & ut ipsi indicarem, quod si me doctrinam meam non revocantem, secundum minas epistolæ, publicè accusare velit, id quantocyus facere possit. Reliqua

qua autem corollaria tùm quidem eâ occasione mihi enata erant. Tractaveram jam in prima editione Jurisprudentiæ meæ divinæ *lib. 2. cap. ult.* de falsitate regulæ vulgaris in doctrinâ de interpretatione receptæ: favorabilia esse extendenda, odiosa restringenda. Tum vero de aliis similibus pseudoregulis non cogitaveram. At successu temporis deprehenderam adhuc alia vulgata juris brocardica non melioris momenti esse quam istam regulam. Igitur ut occasionem darem Consultissimis JCtis, quibus jam tum temporis municipium hoc abundabat, ut in majori frequentiâ mecum publicè opponendo conferrent, summatim istam doctrinam de pseudoregulis corollariis istis inclusi, putans fore, ut sententiam adeò paradoxam eo plures oppugnarent, quanquam ne unicus quidem opposuerit, sed vel ob evidentiam assertionum mearum, vel aliis ex rationibus tacendo eas approbaverint. Sed ut ad Pseudonymum meum redeam, nihil post aliquod tempus, vel publicè quantum mihi constat ab eo editum fuit, quod meam sententiam publilcè accusaret, vel per alias literas ad me scriptum, quod mihi patefaceret, quomodo perseverantia mea in doctrina semel proposita ipsi placeret. Sed ut causam tamen ipsi etiam redderem, quæ me moverit, ut per objectiones ipsius non commotus fuerim, simul vero fundamentum erroris ipsi placidè commonstrarem, totam doctrinam de officio hominis erga DEUM publicè reassumendam, & ea, quæ Pseudonymo occasionem errandi dare potuerant, sine ejus mentione tamen, clarius ponenda esse duxi. Unde quemadmodum quæ in corollariis reliquis de falsis interpretationis regulis succinctè asserueram, paulum distinctius posteà exposueram in *Praxi Germanica Logices, capite 3. §. 107. seq.* ita anno 1692. *in introductione Germanicâ ad Ethicam c. 3. n. 33. seqq.* ita tractavi & explicavi sententiam meam de cultu externo DEI ex solâ ratione non demonstrabili, ut putaverim, Pseudonymo isti jam ex asse esse satisfactum, & scrupulos omnes, quos prætendere poterat esse exemptos. Sed non sivit me diu manere in istâ opinione,

quam

qvam de ipso conceperam. Quin potius mox alias ad me, sed breviores literas dedit, cum prioribus & ductu literarum & sigillo omnino convenientes, nisi quod in posterioribus ex Pseudonymo se mutaverit in Anonymum. Placet autem epistolam illam secundam referre totam, si tamen epistola dicenda est, quæ nonnisi quæstionem continet: *J. N. J. C. Quæritur: Anwon Clariss. Dn. Christianus Thomasius in Jurisprudentiâ suâ NB. divinâ inscriptâ, & introductione ad Philosophiam Moralem, Germanicè postmodum divulgatâ docens: DEUM quidem, ut Ens perfectissimum interno amore cultuque, ac paritione vi lucis naturalis venerandum agnosci: negans interim, pro summo Bono eundem habendum, vel externo cultu prosequendum ex eâdem posse perspici; participet de peccato Gentilium inexcusabili atque contradicat Apostolo: Rom. I. v. 21?* Videbam ex hac quæstione, Anonymum legisse cum cura introductionem meam ad Philosophiam moralem: Videbam, eum nihil deprehendere ibi potuisse, per quod objectiones suas primas sustinere valeret; sed interim tamen veritati cedere noluisse, verum objectionem aliquam satis inconvenientem illã quidem anxiè conquisivisse, ut impietatis notam mihi inureret, cum tamen apertè Apostolus dicto loco contrà eos disputet, qui cultum externum juri naturali etiam repugnantem adhiberent, & idololatria maximè irrationabili se commacularent. Quamvis autem objectio ista per modum nudæ quæstionis esset proposita, facilè tamen colligere licebat, quærentem non ea intentione quærere, ut ipsi responderetur. Quomodo enim responderetur anonymo, qui nec ubi degeret, in literis adnotaret? Accedebat, quod gravior aliqua suspicio scribentem oneraret, eum magis sollicitum esse, ut famæ meæ apud viros honestos detraheret, quàm ut inquireret veritatem, cum eandem omninò quæstionem & illud instar literarum ad Theologum aliquem pium & eruditum, cuius amicitiâ maximè delector, eodem die transmiserat, quod certè quâ intentione factum fuerit, quilibet non longè quæsitis conjecturis assequi potest. Publicaverat postea anno superiori Clarissimus Placcius opuscula

ſcula quædam Juridica, ſecundæ editioni de JCto perfecto adjecta, inter quæ ſextum in ordine refutando meo corollario de favorabilibus & odioſis deſtinatum videbam. Cui paulo poſt in quæſtionibus promiſcuis Hiſtorico-Philoſophico-Juridicis modeſtè reſpondi. Repetiit quæſtionem iſtam meam Vir Clariſſimus non ita pridem, ad eamque annotationes quasdam imprimi curavit. Simul vero literas ad me dedit, quas ubi evolvi, ſtatim agnovi ductum literarum eundem cum eo, quem Epiſtolæ Pſeudonymi & Anonymi exhiberent, agnovi ſtylum ſimilem ei, quo prima epiſtola conſcripta erat, ſcilicet blandientem, meticuloſum & pacem ac pietatem ferè ubique præ ſe ferentem. Jam quid facerem lector? Si ante aliquot annos talia mihi accidiſſent, fortè tali modo reſpondiſſem Clariſſimo Placcio, qui Pſeudonymo iſti & Anonymo diſplicuiſſet. Nunc cum alia mens ſit, & vanitatem vindicationum ejusmodi per DEI gratiam agnoſcam, nil mitius excogitare potui, quam ut Lectori quæſtionem iſtam meam cum ſcholiis Clarisſimi Placcii & ſuccinctis meis reſponſionibus, tùm & ejus epiſtolam ad me eapropter ſcriptam communicem, non alium in finem, quam ut doctrina iſta de inanitate regulæ vulgaris de favorabilibus & odioſis modeſtè corroboretur, & ſi Anonymus iſte fortè ad alios de me ſic inſidiosè ſcribere vel loqui pergat, lector veram cauſam cognoſcat, cur mihi ſine cauſa lites iſtæ fuerint motæ. Ipſe vero Clariſſimus Placcius non ægrè feret hanc reſponſionem, præprimis ſi illud penſitaverit, quod ob multas rationes ex dictis non difficulter colligendas, inpoſterum ipſi nihil amplius ſim reſponſurus.

* Quæſtio mea à ſcholiis Clariſſimi Placcii, quia ſeparata eſt, facilè diſtingvi poterit. Reſponſiones autem meas ad iſta ſcholia, notatione alicujus literæ ex alphabeto ſcholiis Placcianis, brevioribus tamen lineis ſunt addita.

QUÆRO.

An Favorabilia & Odioſa * in doctrina de interpretatione definiri poſſunt? Non videtur.

I. N. J. C.

IN doctrina de interpretatione.) *Quorſum hæc* Status Controverſiæ immutatio? *a*) *Sane* in Corolla-

a) Ignoſcet mihi Clariſſimus Vir. Statum Controverſiæ non mutavi. Hoc ſophiſtarum eſt. At vero verba diverſa idem ſignificantia in diverſis locis adhibere, vel certè talibus uti, quæ ex antecedentibus aut alibi dictis facilem interpretationem admittunt, ſi non incidant in manus interpretis præjudicio occupati, id non eſt ſtatum controverſiæ mutare. Egi in capite ultimo libri II. Inſt. Juriſpr. divinæ de interpretationis regulis & ſubinde in tractatu iſto indicavi, quod putem easdem eſſe regulas interpretandi pacta & leges, aut alia negotia hominum, in quibus voluntatem ſuam verbis declarant. Dixi *ibid.* §. *160. ſeqq.* quod falſa regula interpretationis ſit; favorabilia eſſe extendenda odioſa reſtringenda. Dixi *in* §. *169. ibid.* quod nullum negotium humanum reperiri poſſit, quod omni ex parte favorabile, aut odioſum appellari posſit. Dixi *in* §. *170. ſeqq.* quod κριτήρια quæ Grotius de diſcernendis favorabilibus ab odioſis ſuppeditat, ſint inſufficientia. Ergo dum poſteà in corolla-

corollariis aſſerui, quod regula de favorabilibus & odioſis ſit erronea in interpretatione juris vel legis, non mutavi ſtatum controverſiæ. Si enim eſt erronea in interpretatione in genere, etiam erronea erit in interpretatione juris.

rio (1.) reſtringebantur *hæc*, *ad doctrinam de interpretatione Juris ſolam*: *b*) quæ nunc *ad omnem inter-*

b) Nollem hæc tanta fiducia aſſereret Vir Clariſſimus, quæ apertè falſa ſunt. An enim usquam in corollario particulam reſtrictivam vel extenſivam adhibui? An oblitus fuit Vir Clarisſimus: Unius poſitionem non eſſe excluſionem alterius?

pretationem extenduntur. *c*) (2) Generatim *definiri poſſe*

c) Ergo hic nulla eſt extenſio, ſed potius propoſitio quæſtionis, uti ab initio fuit propoſita in Inſtitutionibus Juris divini, quas ſe legiſſe Vir Clarisſimus non poteſt diffiteri.

Favorabilia & *odioſa* negabatur. Nunc in doctrina de interpretatione ſola. *d*) *Quod adeo nec ſatis aſſequi me fa-*

d) At in inſtitutionibus §. *169. 170.* ita perſpicuè diſſerui, ut quilibet intelligere poſſet, me id velle, quod non habeantur definitiones tales favorabilium & odioſorum, ut in applicatione regulæ illius vulgatæ per eas favorabilia & odioſa diſcernere poſſimus. Si vero etiam in Inſtitutionib9 mentem meã non ita explicuiſſem: Annon regula veræ interpretationis eſt: verba, etiam generalia, id eſt in præſenti negotio indefinitè poſita, intelligenda eſſe ſecundum ſubſtratam materiam.

teor, *qua mente fiat*. *e*) *Certe vereor*, *ne ad alias*, *nec dum*

e) Homo ſuſpicax ſine juſta ſuſpicionis cauſa, aliis de ſe ſuſpicandi occaſionem præbet.

hactenus inter nos agitatas, *& agitatu magis ambàgioſas*, *& tortuoſas quæſtiones*, *hinc à prima*, *& unica mihi cum Cla-*

rissimo Thomasio invite f) admodum agitari cœpta, auffera-

f) Sed quæ causa noluntatis? Et quænam violentia aut necessitas Virum Clarissimum adegit, ut controversiam istam *p. 269. de JCto perfecto & p. 176. Opusc. Jurid.* vel mihi moveret, vel circa eam litem publicè contestaretur?

mur. g) Nempe (1) Annon bene, ac philosophice definita se-

g) Nulla vero causa, ut vidimus, verendi ista aderat. Nec sum ille, qui tortuosas, & ambagiosas quæstiones amat. Certè has tres, quas ipse Vir Clarissimus hic excogitavit, ne quidem omnes intelligo.

mel: tam in doctrina de interpretatione, quam alibi, maneant bene definita? An (2.) si definiri possint maxime favorabilia, & odiosa; in doctrina de interpretatione definiri queant: tum absolute, quod ad suam naturam; tum (3) respective, quod ad methodum docendi non violandam? &c.

§. I.

IN omnium ore sunt regulæ, dum de interpretatione pactorum & legum agitur: *Favorabilia esse latius, odiosa strictius interpretanda:* Item: *Favorabilia esse extendenda, odiosa restringenda*, quarum explicationem potissimum suscepit Hugo Grotius *in capite de interpretatione Libri II. de J. B. & P.* Intendi vero *in Institutionibus meis Jurisprudentiæ divinæ Lib. II. cap. 11. §. 160. usque ad 176.* ostendere, has regulas nullum habere usum in materia interpretationis, quin (*) potius aptas esse, ut sub earum prætextu interpretationes cavillatoriæ & ineptæ possint salvari. Rationes ibi vide. Est vero inter eas non infima, quod obscurissimum sit, quid sit favorabile vel odiosum, cum omne, quod uni favorabile est, alteri odiosum sit, adeoque favorabilia & odiosa non possint describi. *vid. d. l. §.*

d.l.§.169. Postea cum Halæ Anno 1691. de nævis quibusdam Jurisprudentiæ disputarem, inter corollaria disputationis sententiam illam repetii: *Falsum esse Brocardicum JCtorum de favorabilibus extendendis & odiosis restringendis, neque enim definiri posse, quid sit favorabile, quid odiosum?*

Ad §. 1.

Potius aptas esse.) *Hoc commune habent cum omnibus rebus humanis optimis, quæ pravo usu pessimæ evadunt: per se interim nihilominus, ob usum optimum optimæ permanent, & excoluntur, ac æstimantur. b)*

b) Nescio, quid hac Glossa velit Vir Clarissimus. Dixi: regulas illas nullum habere usum, *quin potius* aptas esse ad salvandas ineptas interpretationes. Hic evidenter istud: *quin potius* non est particula causalis rationem reddens prioris assertionis, sed amplians & augens. At si glossa Viri Clarissimi me ferire debet, debuissem asserere: *ideo* inutiles esse, *quia* aptæ sint &c. Ergo necesse est, ut Vir Clarissimus hic vel officium boni disputatoris vel officium boni interpretis neglexerit.

§. II.

Res autem ipsa ostendit, hic non agi 1. de definitione favoris & odii, sed de definitione favorabilium & odiosorum, (*) neque sequi, definiri posse favorem, 1
ergo & favorabile, non magis quam definiri posse amorem, ergo & amabile. Etenim non sufficit dicere, quod favorabile &c. sit objectum favoris, (*) non enim quæ- 2
rimus notionem generalem conceptûs nostri de favorabili, sed definitionem rei ipsius, ita ut per eam favorabilia ab odiosis in exemplis omnibus aut certe plerisque (*) discernere possimus. Deinde cum favorabile 3
vel notet ens favore dignum aut favorem merens, vel

ens, quod pro favorabili ab hominibus habetur, quorum illud possis appellare favorabile juris, hoc favorabile facti; patet 2. favorabile juris pertinere ad Philo-
4 5. sophiam (*) moralem, & à præsenti quæstione (*) esse
6 alienum, cum interpretatio pertineat (*) ad Logicam, & quærat, non quid homines pro favorabili habere de-
7 beant, sed quid in pactis aut legibus pro favorabili (*)
8 habuerint. Nam interpretatio non quærit (*) primario, quid alter dicere debuerit, sed quid voluerit. 3. Adeo-
9 que ad favorabile facti (*) pertinere etiam id, de quo
10 agit Jus humanum. Quia legislatores non solum (*) non semper in legibus id observant, quod debebant, sed & quod leges humanæ versentur in rebus indifferentibus, ad utilitatem Reipublicæ pertinentibus, quæ utilitas cum variet, & res, quibus faveant in ferendis legibus, variare necesse est.

Ad §. 2.

1 Neque sequi.) *Imo vero* sequitur, *i*) *vel ex eo inter*

i) E. peto à Viro Clarissimo ut det mihi bonam definitionem & perspicuam amabilis.

alia, quod Paronymorum, sicut in se alias ordinario; ita hic præcipue, tam affines sunt conceptus: ut vel pro iisdem l) *habeantur; m*) *& Doctores tam* favorabilia *quam* favores *extendi, tam odia quam* odiosa *restringi, ut æquipollentia, dicant. n*)

l) An ergo affines conceptus possunt esse iidem?

m) An quicquid pro eodem habetur, idem quoque est?

n) An quicquid Doctores dicunt, verum & rectè dictum est?

2 Non enim quærimus.) *Ego vero non quæsivi*, nec quærendum *scivi* aliud *unquam nomine definitionis*, (*ne dum*

dum descriptionis, qua vel sola contentus est Vir Clarissimus §. prox. præcedente,) quidquam, præter conceptum generalem rei definitæ distinctum, o) id est, à confusione cum aliis notionibus p) mentes præmunientem.

o) Bene quod hanc vocem addat. At ita mihi non contradicit, qui dico, me non quærere notionem generalem conceptus nostri, hoc est, ut contextus ostendit, confusam nec distinctam.

p) Addendum erat: à confusione cum aliis *rebus* etiam mentes præmunientem. Quid enim juvaret notiones distinctas habere, res notionibus notatas non posse discernere.

Discernere possimus.) *Hoc genus* definitionis, *quod singulis exemplis, non aliunde realiter cognitis, inde solum discernendis sufficiat; fateor me ignorare:* illiusque exemplum *saltim unicum desiderare. Nec aliud enim à meis definitionibus, aut aliis philosophicis ullis habeo polliceri: quam ut exempla, sive singularia sub iisdem comprehensa, vitio confusæ notionis universalis, confundere prohibeant, cum aliis æque notis singularibus. E. gr. virtutem ac virtuosum definiendo, non id assequor, ut quemlibet hominem inspectum, nec aliunde notum, queam illico virtuosum, aut vitiosum pronunciare. Sed ne ob confusum conceptum virtutis, etiam probe cognitos virtuosos, cum vitiosis confundam, v. gr. prodigos cum liberalibus &c. q)* 3

q) Mirè hic ludit Vir Clarissimus. Finis omnis definitionis est ut res ita reddatur clara, ut mediante definitione ista possim omnia singularia sub ista definitione comprehensa ab aliis singularibus secernere. Et nescio, quid velit per suam cognitionem realem aliunde venientem, nisi fortè intelligit initium perceptionis, quod per sensus fit, de quo planè

plane hic sermo non est. Ipse suppono casum interpreti satis esse cognitum & notum, & tamen nego, quod applicare statim possit definitionem favorabilis aut odiosi ad istum casum. At vero si virtutis aut vitii accuratam definitionem & claram possideam, necesse est, ut eâ virtutem in virtuoso secernere possim à vitio in vitioso. Quod autem ait, per definitionem virtutis & vitii me non assequi, ut quemlibet hominem inspectum nec aliunde notum queam illicò virtuosum aut vitiosum pronunciare, in eo seipsum ferit, dum ad §. 1. dixerat ab unô Paronymorum sequelam necti posse ad alterum. Videt adeò conceptus affines non esse eosdem ac Doctores favorem & favorabilia non benè pro iisdem reputare.

4 Moralem.) *Late sumtam, ut omne Jus naturale, qua publicum, qua privatum complectatur. Quippe cujus etiam ex principiis, vel maxime favores, & publici, & privati, qua per se, qua ex ratione status multiplici, debent speciatim deduci. r)*

r) Admitto hoc scholium.

5 Esse alienum.) *Non magis quam à studio Juris, & interpretationis Juridicæ, studium Philosophiæ moralis. s)*

s) Qualis cavillatio hæc est in voce *alieni?* Sensus est evidens. Quæstio à me proposita est Logica, favorabile juris autem pertinet ad Philosophiam moralem, ergo ab hoc loco est alienum, id est, in quæstione non intelligitur, sed favorabile facti. Longè alia quæstio est, an studium Philosophiæ moralis sit à studio juris alienum?

6 Ad Logicam.) *Neque totam, neque solam; t) sed maxime Juris interpretatio (de qua potissimum hic agitur, neque per mutatam initio Quæstionem me abstrahi nunc patiar) u) ex*

t) Imò. Dixi *in cap. 3. Praxeos Logicæ.*

u) Sed dicta lit. a. ostendunt, istam mutationem esse merum ens rationis.

Jure

Jure atque Philosophia Practica sibi vendicat plurimum, vel Clarissimo Thomasio ipsomet alibi, si memini recte, sic docente. x)

x) Nil aliud docui, quam in interprete omni requiri notitiam ejus disciplinæ, ad quam interpretatio Logica debet applicari. At hoc Virum Clarissimum non adjuvat: Etsi enim v. g. ipsi cognitum sit, quid sit frumentum? quid exportare? Tamen exinde definire non poterit, an prohibita exportatio frumenti sit favorabile an odiosum?

Habuerint.) *Imo utrumque. y)* 7

y) Nego. Logicus non quærit, quid alter velle debuerit, hæc quæstio moralis est, sed quid voluerit. Loquor autem de Logicâ verâ, non de syllogisticâ.

Primario.) *Ergo saltim secundario. Quod tantisper mihi concessum hic suffecerit. z)* 8

z) Nec hoc aliquid proderit Viro Clarissimo. Dum enim dico: Interpretationem non quærere *primariò*, quid alter dicere debuerit, per *primariò* intelligo, quatenus est Logica, utpote quæ species interpretationis *primaria* est, adeoq; hîc Logicam interpretationem oppono interpretationi Legali. *Vide omninò, quæ dixi d. c. 3. Prax. Log.* §. *153. seq.* At interpretatio Legalis ad hanc quæstionem non pertinet. Ergo hoc non sufficiet pro Viro Clarissimo.

Pertinere etiam.) *Utique, sed non solum. a)* 9

a) Imò solùm: ob rationem quam do, quia utilitas Reip. quam respiciunt Leges humanæ, maximè variat, ad quam nihil respondet Vir Clarissimus. Unde non opus habeo, ad Scholion sequens aliquid addere.

Non semper.) *Attamen sæpe, imo, quæ possunt*, ut plurimum. 10 *Quod* in practicis solum habet locum. *Imo & in dubio, vel obscuro, præsumuntur id fecisse, donec contrarium probetur. Quibus ergo casibus omnibus*, Favorabile

Juris *philosophice definitum*, coincidet cum positivo, facti dicto, *& neutiquam erit à præsenti quæstione alienum.*

§. III.

Quibus ita præmissis, ad oculum patet, sententiam meam à natura rei esse petitam. Ea, quæ facti sunt, non possunt definiri, quia infinitis modis variant affectus humani, neque certam normam seqvuntur. Unde & laudabile, & amabile, & favorabile, & in genere omnia affectuum humanorum objecta nullâ definitione possunt comprehendi, sed uti quid laudatur ab his, culpatur ab illis, ita & rei alicui favetur ab his, non favetur ab illis. Adde quod, cum dixerimus, omne, quod in pactis & legibus uni favorabile est, alteri odiosum esse & vice versâ, & vero, etiamsi concedamus, à potiori faciendam hic esse denominationem, tamen libra expendendi id, quod potius est, hîc deficiat; etiam inde illa impossibilitas definitionis elucescat, cum duo possint pro diversitate affectuum, unam eandemq; rem diverso favoris & odii gradu prosequi.

Ad §. 3.

1 *Ignoscat, quæso, Clarissimus Thomasius, si post tantam lucem, nobis in hoc argumento, de iis, quæ demonstrari, ac definiri possint, vel non possint, jam ab Aristotele in Analyticis olim accensam; & à Feldeno, (cujus operi illustrando hanc meam opellam nunc recusam præcipue, vel titulus, & tot hinc inde loca tam aperte præ se ferunt) illustratam: non cogitavi, quenquam unquam Professorem Philosophiæ fore, qui illa, quæ facti sunt meri, philosophice statueret definienda. b)*

b) Ignoscat Vir Clariss. quod ego non capiam, quomodo hæc lucis Aristotelicæ prædicatio me feriat. An ego, qui nego, ea, quæ facti sunt, definiri posse, unquam statui, quod possint definiri?

Unde

Unde in illam ſententiam detorquere generalem negationem definitionis, (*atque nunc etiam deſcriptionis*) *ejuſcemodi, favorabilium & odioſorum*, contra communes nobis *inter nos* regulas interpretandi, non debui. *c*) *Interim*

c) Hoc *unde* planè non concludit. Inverto. Si non potuit cogitare Vir Clariſſimus, quenquam unquam Profeſſorem Philoſophiæ fore, qui illa, quæ facti ſunt meri, ſtatueret definienda, cogitare ſecundum communes interpretationis regulas debuit, eum qui favorabilia definiri poſſe negat, ita intelligi debere, quod loquatur de favorabilib⁹ facti, quia in dubio ſequenda eſt interpretatio, ne ſequatur abſurdum. At abſurdum fuiſſet, ſi negaſſem definitionem favorabilium juris. Accedit, quod apertè in Inſtitutionibus Juris divini me ita explicuerim.

quoniam nunc *d*) *ita lubet, ſuam auctori mentem reſtringe-*

d) Hoc *nunc* cavillatorium eſt ob dicta *ad tit. lit. a.*

re: lubens accepto. *Nec quidquam amplius inter nos hac in parte Controverſiæ, ſed omnis res in vado eſt: & veritas utrinq; æque ac animus pacis amantiſſimus, & qvietis, ac benevolentiſſimus meus erga Dominum Auctorem, conſpirat amice. Nempe* de favorabilibus & odioſis facti, ſenſit ipſe. *Quod* ego non intellexi. *An mea, vel illius culpa: haud in magno equidem nunc diſcrimine, certe non in lite ponam. Judicent lectores, e*) *ut volunt, & valent.* De Favorabilibus

e) Præprimis ex dictis hîc *lit. c.*

& Odioſis Juris, ego præcipue ſenſi. *Quod* ipſe largitur, *initio §. VI.* Itaque Pax inter nos eſto. *f*) *Quam quo for-*

f) Sed an unquam bellum fuit? An pro bello habet Vir Clarisſimus, ſi quis modeſtè ipſius ſententiæ contradicat?

te minus vel imprudens violem: non deducam nunc, qualiter etiam circa ea, quæ meri ſunt facti, ſæpenumero ex mente, &

voluntate facientis declarata, (ut explicite fit vel inprimis in Jure, etiam mere positivo, nec moralis juris confirmatorio, per leges publicatas,) ad analogiam scientificarum definitionum procedi quandoque possit: g) *saltim ne* non possint describi, *h*)

g) Fateor, me hæc planè non intelligere. Aliàs quærerem ex Viro Clarissimo, *an* dum hæc scripsit, *cogitaverit, quenquam unquam Professorem Philosophiæ fore, qui illa, quæ facti sunt meri, philosophicè statueret definienda?*

h) Video valdè scandalizare Virum Clarissimum, quod descriptionem & definitionem secundum lucem Aristotelicam non distinguam. Sed hoc ideò fit, quod non curem subtilitates regularum Aristotelicarum de definitionibus, ut dixi *in introductione ad Logicam cap. 12. n. 42. 43. 48. 49. 50.* Unde licebit mihi aliquando cum pace Aristotelicorum descriptionem & definitionem synonymicè usurpare, quas aliàs & ipse evidenter distinxi. *d. l. n. 47. 48.*

quod §. 1. dicebat V. Cl. Donec ubi ne hoc quidem potest, historia mera incipiat: ubi Philosophia, & quidquid illi analogum est, desinit. Quæ tamen ipsa etiam historica notitia, non unam, ex philosophica præmissa, opem, interpretationi suæ sperare possit.

§. IV.

Quæ cum ita evidentissime se habeant, fateor, me mirari, quid moverit Clarissimum Placcium, ut in nova editione tractatus *de JCto perfecto, non solum capite IX. p. 269.* hoc corollarium meum notaret, sed & in adjunctis eidem Musis Juridicis huic corollario meo refutando peculiare opusculum in ordine sextum, cui titulus: *Idea Tractatus Juridici Methodici Theoretico-Practici de favorabilibus & odiosis in jure* (*) destinaverit, cum tamen nil minus ibi disseruerit, quam quod sententiæ huic

meæ

meæ contradicat, sed revera aërem verberaverit, non meum corollarium. Age videamus. *Ego vero*, ait, *p. 177. Musar. Jurid.* postquam corollarium meum recensuisset, *jam dum ante annos bene multos Ideam hanc in chartam conjeceram, & cum auditorum meorum aliquibus, etiamnum eandem asservantibus, communicaveram, & ODII, atque FAVORIS affectus in Rhetoricis meis excerptis, quin & Ethices compendiolo ita definitos dederam, ut nihil inde facilius existimarem, quam definitiones FAVORABILIUM & ODIOSORUM conficere, vel certè quod confici possint, videre. Neque sine meis hisce scriptis, vel ex Aristotele adeò, idem non confici etiamnum posse mediocri meditatione, putem. Et si quidem non possint talia definiri: de totius Ethices & Rhetorices optimis partibus scientificè tradendis desperata res foret. Quippe quæ non minus facilium definitu affectuum, distincta notitia & scientifica, sine accuratis definitionibus nullo habenda modo, nituntur. Imò & de illâ ipsâ, quam vel præcipuè Vir Celeberrimus, ut sibi primitus constitutam vindicat, latentes animi affectus & mores divinandi arte, conclamatum foret omninò.* Quid opus tot verbis in adstruenda possibilitate definitionum favoris & odii? Quis eas negavit? Cur fluctus in simpulo movet Vir Clarissimus? A favore autem & odio ad favorabile & odiosum jam negavi consequentiam §. 2. quam si non ostendat, uti propter dicta § 3. (*) ostendere nequit, verba illa omnia modò recensita in cassum sunt prolata.

Ad §. IV.

Destinaverit.) *Nihil vero minus.* i) *Antequam Cla-*

i) Nimis audax hæc negatio. Cum istam non solum refellat istud; *quamobrem*, quod legis *initio §. sequentis 5.* Sed

 &

& diserte istam destinationem confessus fuerit Vir Clarissimus initio dicti opusculi *p. 176. Ex dictis in JCto meo perfecto - apparet, quæ potissimum* causa hujus tractatus Ideam publicare *me præ aliis -- maximè nunc* impellat. *Nempe quod -- Christianus Thomasius &c.* Et tamen jam negat, se istud opusculum corollario meo refutando non destinasse. Quid ipse faceret Vir Clarissimus, si tam audacem facti mei negationem susciperem ego? Sed condono hæc cum reliquis ipsius affectui animum occœcanti.

rissimum Thomasium natum scirem, hujusce jam opusculi mihi fuisse conceptam Ideam, p. 269. JCti mei videre est. l)

l) Sed quo pudore hæc ad negotium præsens afferuntur? An ego hæc negavi? Annon assertionem eandem in §. ipso hoc quarto, ipsius verbis adductis fassus sum? An antequam natus essem ego, etiam destinavit eam, ut additamentum fieret secundæ editionis tractatus de JCto perfecto, & inter Musas ibidem Juridicas legeretur? Atqui de hoc mihi sermo erat.

Ostendere nequit.) *Imo* quivit *§. II. n. 1. & seq. m*)

m) Imò nequivit *per dicta §. 2. lit. i, l, m, n.*

§. V.

Pergit: *Quamobrem operæ omninò pretium duxi, hacce meditamenta mea oppidò quàm imperfecta modestè proponere, ut Practicæ Philosophiæ Rhetoricæque artis tam nobiles partes, æquè ac JCtorum tot numero tantæque autoritatis consensum, à suspicione tam indigna ipsis & noxia liberarem: aut certe in quonam illud ἀδύνατον definiendi tam obvia consisteret, amplius edocerer. Cui sanè rei non suffecerit fortè meas definitiones vellicasse vel evertisse, si fieri queat etiam, penitus; sed solidâ demonstratione ostendisse oportebit, meliores etiam & sufficientes, vel speciatim saltem explosis adeò novè, regu-*

lis

lis interpretandi, iisdem superstructis, nullas dari. Quod qui fecerit, næ is erit mihi magnus Apollo, meque illi Minerval debere, nunquam diffitebor. Equidem mihi nec cum Philosophia Practica, nec cum Rhetorica hîc quicquam negotii (*) intercedit. Loquitur ipsum corollarium, quod 1
in regulis interpretandi aliquid moneam. Autoritatem tot JCtorum istam Pseudoregulam adhibentium si defendere voluisset Vir Clarissimus, non debuisset committere (*) aut affectare ignorantiam Elenchi. Vix enim 2
mihi imaginari possum, quod Vir Clarissimus revera ignoraverit, de qua re agatur. Etsi enim objectiones suas saltem contrà corollarium direxerit, multas tamen rationes habeo, quæ mihi persuadent, Institutiones meas Jurisprudentiæ divinæ ab ipso non obiter (*) fuisse 3
lectas. Ipsa (*) obliqua censura, qua *p. 116. in Idea JCti* 4
Romano-Germanici perfecti, quæ & ipsa pars est Musarum juridicarum, doctrinam meam de Jure divino positivo universali notat, id abunde testatur. In specie verò caput meum de interpretatione ipsi probè lectum esse, ostendit censura similis *in ipso tractatu de JCto perfecto c. 2. p. 27.* Jam si legerat, quæ in dicto capite de interpretatione *§. 164. 169.* dixeram, cur favorabilia & odiosa definiri nequeant, rationes illas meas (*) aggredi, & Grotium, 5
contrà quem ibidem disputo, defendere debuisset, non inanes querelas contra me movere. Definitiones ipsius non vellicabo, quia nihil ad me. Demonstrationibus non amplius opus, quia (*) jam factæ sunt. Et tamen nec 6
minerval exigo à Viro Clarissimo, nec ut me pro magno Apolline habeat, postulo contentus, si me sinat esse Thomasium, & monitiones has meas, ut promisit, non
ægrè

7 ægrè ferat, aut ad §. *3.* hujus disputationis (*) respondere velit.

Ad §. V.

1 Intercedit.) *Imo vero* intercedit. *Nec enim sine his, Interpretatio Juris, (nedum, uti nunc Quæstio habet, Interpretatio in genere,) scientifica artis & erudita, non plebeja, vel dialectica mere, unquam absolvetur. n)*

n) Respondi ad hoc Scholion jam *lit. s. & y. §. II.*

2 Aut affectare.) *Istud* asperum nimis. Aliud lenius sodes! *Quid enim me, quæso, impulerit, affectare ignorantiam, ut Clarissimo, & Amicissimi Patris Amico Filio publice contradicerem, in hoc genere scribendi exercitatissimo: Me, tantopere ab hoc genere contentioso scribendi abhorrentem; ut hucusque viventium nulli me publice impetentium plurium, quidquam publici opponere scripti sustinuerim. o)*

o) Si id asperum nimis est, cogitare potest Vir Clarissimus, annon mihi magis asperum visum fuerit, dum legerem in literis Pseudonymi & Anonymi, me accusari impietatis, blasphemiæ, peccati inexcusabilis &c.? Et poterit Vir Clarissimus valde probabiliter impelli ad affectandam ignorantiam Institutionum mearum divinarum, ne videretur esse una persona cum isto Pseudonymo vel Anonymo.

3 Fuisse lectas.) *Fuere lecta utique. p) Sed qua sum infelicitate memoriæ, toto tempore libri hujus mei reconcinnati, non fuisse me recordatum ejus loci, sancte testor. q) Quod ut*

p) Præter rationes, quas in thesi adduco, erant & illæ rationes conditionales, si Vir Clarissimus esset Autor iste Pseudonymus & Anonymus.

q) Credo tamen, quod Vir Clarissimus, quantâ etiam infelicitate memoriæ laboret, non oblitus sit doctrinæ meæ de officio hominis erga DEUM. Cur ergo memoria in una doctri-

doctrina mea retinenda felicior eſt, quam in altera? Et cur Vir Clariſſimus, cum Inſtitutiones meas de favorabilibus & odioſis legeret, quam lectionem fatetur, non ſcandalum inde ſumſit, dum ibi *d. §. 169. ſeq.* doceo, non reperiri negotium omni ex parte favorabile vel odioſum, nec dari criteria ſufficientia favorabilia ab odioſis ſecernendi? Cur demum in lectione Corollariorum iſtorum aſſertio mea Viro Clarisſimo affectum movit? Si idem eſt Vir Clariſſimus cum Pſeudonymo meo & Anonymo, contra regulas bonæ interpretationis non peccabo, ſi iſtam conjecturam afferam, quod in corollariis iſtis primum, quod ibi poſui de repetita aſſertione mea de officio hominis erga Deum, Viro Clarisſimo ita animum commoverit, ut paradoxior ipſi apparuerit doctrina mea de favorabilibus, quàm apparuerat in Inſtitutionibus Juris Divini. Accedit, quod, etſi infelicitas memoriæ Virum Clarisſimum impediverit, ut in lectione Corollariorum non recordatus fuerit loci illius, officium tamen boni Interpretis requiſiverit, quærere doctrinæ in corollariis ſuccinctè poſitæ uberiorem explicationem in tractatu, in quo non poterat non ignorare de interpretatione ex profeſſo à me tractari. (Adde notata *infrà ad §. 10. lit. s.*)

eo magis mihi accredatur: addo, etiamſi ante oculos habuiſſem eum locum; cur quidquam debuiſſem immutare, nondum me perſpicere. r)

r) Ergo meum eſt, ut operam dem, quò jam perſpiciat. Si ante oculos habuiſſet locum *d. §. 169. ſeq.* vidiſſet Vir Clariſſimus, quod agam de favorabilibus juris. Nec opus habuiſſet dicere, quod ſuprà ad §. 3. dicit. *De favorabilibus & odioſis facti ſenſit ipſe, quod ego non intellexi.* Non opus habuiſſet de me ſuſpicari, quod ſtatum controverſiæ mutaverim.

Obliqua cenſura.) ***Si tamen ἐπέχειν eſt obliqua cenſura, s)***

s) Hæc ſunt verba Viri Clariſſimi *d. l. Id quod* (jus nempe divinum poſitivum merum ac indemonſtrabile, attamen communiter obligans) *ſuperioribus annis V. C. Chriſtianus Thomaſius editis peculiaribus Inſtitutionum Juris divini cum naturali conjunctim uno quidem opere, at ab invicem planè tamen diſtinctum, repræſentare ſategit. Cujus tamen ſatis nec dum aſſentientes etiam alios operæ pretium ſit hic examinare, non modo antequam ipſius jurisprudentia divina prodiiſſet, verum & poſt illam editam ſcribentes. Ubi quidem omnis Quæſtio, ni fallor eò recidet: Annon ea quæ pro communi jure merè poſitivo divino habentur à Clariſſimo Thomaſio, poſſint vel ad naturale vel ad Forenſe ac Politicum Hebræis peculiare penitus revocari? Ut adeò tota illa ſpecies merè poſitivi communisque ſimul omni humano generi Juris divinitus ſanciti in nihilum recedat? Quam hic decidendam nobis NONDUM ſumimus.* Atqui hoc *nondum* non eſt ἐπέχειν. Et ſi eſſet iſtud ἐπέχειν Rhetoricum, non eſt ἐπέχειν morale. Quidſi quis dicat v. g. *Multi de Titio loqvuntur, quod hoc vel illud delictum perpetraverit. Quæſtio omnis eo recidet: Annon Titii defenſiones pro ſua fama poſſint in nihilum redigi? quam nondum decidendam mihi ſumo.* An putat Vir Clariſſimus, hoc eſſe ἐπέχειν & non obliquam cenſuram? Judicent alii.

5 Aggredi.) *Id* ſuperfluum *credidi, & adbuc credo, intelligentibus ea, quæ per me dicta ſunt hic, & antea docta circa hac, toto præcedente tractatu. Multo* minus ad me *quidquam* pertinet, Grotium, *quem ipſe hac in parte neutiquam probo*, contra *Clariſſimum* Thomaſium defendere. *t*)

t) Dixi: *Debuiſſet; ſi legerat.* Et tum omnino id ſuperfluum non fuiſſe, oſtendunt dicta *lib. q. & r.*

6 Jam. factæ ſunt.) *Ubi quæſo? u*)

u) *d. §. 169. ſeq. Inſtit. Jurispr. div.*

Reſpon

Reſpondere velit.) *Factum puto, quantum opus, ſuperioribus annotatis, x)* 7

x) Nihil factum eſſe, docent reſponſiones *meæ add.* §. *III. lit. b, c. d. e. f. g. h.*

§. VI.

Ergo tranſeant illa omnia, quæ Vir Clariſſimus *pag. 179. 180. 181.* de favoris & odii definitione, deque favorabilibus & odioſis in jure diſſerit, quippe quæ ſalvâ ſententiâ meâ, vel rectè vel ſecus (*) ſe habere poſſunt. 1 Propius ad me pertinent (an pro me planè contrà ipſum Virum Clariſſimum faciunt?) quibus ideam hanc claudit. Ita enim infit. *Quamvis autem ex hiſce fundamentum peti poſſit omnium favorabilium & odioſorum juris: quia tamen 1. varia in eandem perſonam, rem, & actionem coincidere poſſunt, quorum alia ſunt odioſa, alia favorabilia, 2. in actionibus plerisque plures perſonæ conveniunt, aut opponuntur, aliæ aliis minus odioſæ vel favorabiles, 3. varii ſunt gradus favoris & odii, prout magis aut minus egent ac merentur perſonæ vel earum actiones: Hinc multa adhuc meditatione in iſtis omnibus comparandis, ac decidendis, opus erit, ad ſpecialia, imo ſpecialisſima, proindeque praxi circa ſingularia verſanti demum maxime accommodata præcepta, methodicè ſcientificeque elaborata ſiſtenda. Neceſſe namque fuerit, certas favorabilium ſingulorum proportiones, certa momenta ſive pondera, & fortasſis horum iterum certos gradus conſtituere. Quod ipſum ſanè perquam erit difficile, quemadmodum illud expertus eſt Claramontius, in cauſis moralis Semeiotices lib. 4. ponderandis.* Atqui hoc ipſum eſt, de quo *in Inſtit. Jurispr. div. d. c. 11. lib. 2. § 169. & hic §. 3.* conqueſtus ſum, niſi quod ego dixerim, talia definire eſſe impoſſibile, Vir Clariſſimus

2 mus autem (*) difficile esse saltem judicet. Accedit,
3 quod (*) ego, ut dixi, loquar de favorabilibus facti, ipse autem apertè de favorabilibus juris differat. Unde novum meæ sententiæ accedit robur. Si enim Vir Clarissimus valde difficile esse confitetur definire favorabilia juris, quid dixisset, si perpendere voluisset, sententiam meam de favorabilibus facti esse conceptam, aut quid ipse asseruisset, si modo considerare voluerit illam
4 infinitam variationem favorabilium (*) facti?

Ad §. VI.

1 Se habere possunt.) *Accepto. Et multo minus, quam credideram, inter nos erit litis. y) Vide* supra *notata* ad §. III.

y) Atqui lis nunquam fuit, sed amica disquisitio.

2 Difficile esse saltim.) *An ergo hæc parum differunt? Quorum illud omnem, etiam idoneis, & pronis ad superandæ difficultatis gloriam, spem successus adimit: quod expresſius fit adhuc §. VII. Hoc vero etiam excitat, incrementa scientiæ interpretandi molituros. z)*

z) Melius excitaret, si Vir Clarissimus ipse hic aliquid auderet, nec, ut de se scribit *ad §. 7. n. 4. haberet causas sonticas, graves & benè multas, partim nec publicandas, quo minus id agere posset.*

3 Ego, ut dixi, loquar.) *Si nunc a) de illis solis:* Pax inter nos esto. *Vide* supra *notata ad §. III.*

a) Non nunc saltem, sed semper.

4 Facti.) *v. §. II. not. 3. b)*

b) Et vide ibi à me dicta *lit. q.*

§. VII.

§. VII.

Sed fortè novum argumentum adversus me desumi poterit ex illa norma, quam Vir Clarissimus suppeditat circa justam definitionem etsi difficilem favorabilium juris. Age ex ipsomet cognoscamus. Ita enim suam hanc Ideam Tractatûs Juridici Methodici Theoretico-Practici de Favorabilibus & Odiosis in jure claudit: *Qua de causa lineolas hasce ulterius deductas, nedum coloribus suis vivis illustratas, dare nunc prohibemur: aliis otio & ingenio prævalentibus id laboris etiam relinquentes. Quem non parum sublevabunt collectanea tot ab aliis edita, nec omnia aquè inordinata & confusa, quin huic nostræ methodo satis facilè queant adaptari, tum de favorabilibus & odiosis in genere, tùm de personis & rebus actibusque certis variis speciatim, quæ ex Lipenii aliorumq; Bibliothecis, meisq; excerptis describere, ac disputationes non contemnendas, eodem pertinentes, ex mea etiam Bibliotheca illis adscribere, nunc non vacat. Usuro tamen cuiq;, & hoc opus aggresſuro, non denegabo. Cui, ut quam optimè labor hic cedat susceptus, ex animo precabor etiam, & quæ posse me siverit ipse, Deusq;, adjuvabo & lubens.* Mallem, talia non excidisse Viro Clarissimo. Mallem, considerasset, quod titulus opusculi promittat ideam tractatus de favorabilibus, adeoque Lectorem haud quaquam (*) spe inani lactasset. Qui certè nil minus expectare potest in hac idea, quam generalia saltem & communia de favorabilibus in genere, de quibus nemo dubitat, sed titulum hunc legens, vel maxime expectat primas saltem lineas circa modos istam difficultatem definiendi favorabilia in specie. Ergo hic Rhodus erat. Quid dixisset Vir Clarissimus, si ego ideam tractatus cujusdam

 (*) ad-

2 (*) adversus ipsum promisissem, & posteà ubi ad rem perventum esset, & potissima capita, alios ad id opus conficiendum promissione libellorum meorum aut locorum communium, vel ablegatione ad Bibliothecam
3 Lipenii fuissem adhortatus? Hoc non est Ideam (*) justi tractatus delineare, sed alios ad formandam sibi aliquam ideam de re, cujus nos ipsos ideam non habere inviti profitemur, excitare. Ego verò suadeo illis, qui otio & ingenio abundant, ut ea non frustrà impendant, cum apertè videant, neque Lipenium, neque excerpta, neque disputationes, Viro Clarissimo quicquam profuisse, ut ipse sibi justam ideam de favorabilibus & odiosis for-
4 mare (*) fuerit ausus.

Ad §. VII.

Spe inani.) *Quia temere concepta: per adstringere volentem ad ideam justam, justi tractatus, illum, qui diserte fuerat præfatus, de* meditamentis oppido quam imperfectis, *nec unquam perficiendis sibi*, sed derelictis elaborationi volentis ac valentis ulteriori, (*quæ ipsius jam tituli verba sunt*,) Ideam *promisit solam. Quæ sane, quantumlibet rudis, & confusa; tamen ideæ nomen retinebat: ac adeo ne typum quidem delineatum, nedum characterem systematicum, multo minus his omnibus aliquid etiam perfectius, sperare jubebat. c*)

c) Fateor me non intelligere, quid sit Idea injusta & confusa Tractatus Juridici *Methodici* &c. Et manet quæstio, an ideæ nomen mereantur generalia & communia, de quibus nemo dubitat?

Adversus ipsum.) *Pernego*; negatum *jam* supra
2 *not. 2. §. IV. d*)

d) Sed qua fronte, dixi ibidem *lit. 1. & l.*

Justi

Justi tractatus.) *Nec hoc* promisi, *e*) *sed* contrarium, 3
vid. not. 1. b. §.

e) Sed ita est titulus: *Idea tractatus Juridici Methodici Theoretico-Practici &c.* Inter ejusmodi ideam & ideam justi tractat⁹ &c. nullam scio differentiam, nisi quis tractatum Juridicum Methodicum Theoretico-Practicum injuste seu ἀμεθόδως elaborare vellet, quod absurdum foret.

Fuerit ausus.) *Non ad audendum vero, sed si auderem,* 4
quod non ausurum prædixeram, v. not. 1. b. §. ad perficiendum debebant prodesse. f) *Nunc quo minus circa id occuper, causæ*

f) Confundit semper hic Vir Clarissimus ideam tractatus cum tractatu ipso. Hic debebat perfici & elaborari. At illa promittitur tanquam jam formata, & posteà non præstatur. Secundum hæc effugia titulus debuisset esse: *Idea ideæ tractatus Juridici &c.*

sunt sonticæ, graves, & bene multæ, partim nec publicandæ: neque tamen eo minus Viro Clar. si tanti foret ea cognoscere, privatis ad eum literis approbandæ. g)

g) Mea non interest: At præstet saltem & exhibeat Vir Clarissimus publice *Ideam* discernendorum favorabilium ab odiosis, aut fateatur, se eam ipsummet ignorare. Quæ enim causæ sonticæ hic possunt esse, ut ideam istam, si haberet, publicè non declararet. Ferè enim moraliter impossibile est, ut per hanc propalationem aut religio, aut imperium Romano-Germanicum, aut civitas Hamburgensis, aut ipsius res familiaris possit damnum incurrere.

§ VIII.

Quanquam & id monitum addere jubeat suprà §. 2. exposita negotii, de qua agitur, natura, Virum Clarissimum & in titulo & in operis delineatione non debitè *) 1
distinxisse favorabilia juris moralis, à favorabilibus juris positivi. Definitiones in delineatione traditæ pertinent ad

ad favorabilia juris moralis. At quæ in tractatu *de JCto perfecto cap. 9. p. 269. seq.* prolixè de interpretatione favora-
2 bilium (*) collegit, ad favorabilia juris positivi pertinent. *Ex mente itaque*, ait *p. 271. seu Justiniani, seu Triboniani, favorabilia sunt* &c. quæ nos merito supra *d. §. 2.* ad favora-
3 bilia facti (*) retulimus. Aliud enim est scire, quid Justinianus pro favorabili habuerit, aliud, quid pro favorabili habere debuerit. Favit Justinianus in favorem Conjugis sexui muliebri in mitiganda pœna adulterii, qui favor tamen non magis ac error jus facit. Nec est, quod opponas, favorabilia tamen hæc, etsi facti, per dicta à nobis *d. §. 2.* pertinere ad doctrinam interpretationis. Nam respondeo. Si ipsa lex dicit & inculcat, Justinianum rei
4 alicui in legibus favisse, interpretatio hujus legis (*) Grammatica est, non Logica, quam quærimus. Neque poterit iste favor in regulis interpretationis Logicæ adhiberi, si non velimus dare occasionem interpretationi calumnianti. Ita notum est, quàm ineptè, quàm impiè sæpius Pontificii, favorem causarum piarum (quem & ipse Vir Clarissimus *p. 271.* in catalogo rerum favorabi-
5 lium refert,) adhibeant ad extensiones nescio quas. (*) Ita rideretur, si qvis seductus favore Justiniani erga sexum fœmineum, illum vellet adhibere ad mitigationem pœnæ in delictis aliis, &c.

Ad §. IIX.

1 Distinxisse.) *Non credidi, cuiquam hac me scribere, qui Jus naturale & positivum sine me distinguere: ac intelligere, in utroque favorabilia, & odiosa fore memoranda, non valeret. h)*

h) Mira

h) Mira excuſatio. Ita omnis amethodia excuſabitur, ſi quis dicat, ſe credidiſſe futurum lectorem tam methodicum fore, ut ipſi confuſio iſta non noceat.

Collegit.) *In exempla nempe, & documenta uſus Philoſophiæ Practicæ, & univerſalium ſuorum, in Jure Civili: vel in horum exemplorum plerisq;, cum moralibus, & jure Naturæ congruente.* 2

Retulimus.) *Vide* ſupra *not 7. & ſeqq. §. II. i*)

i) Et reſponſiones noſtras ibidem *lit. y. z. a.*

Grammatica eſt, non Logica.) *Imo & hujus generis, & Philoſophica Practica eſſe queat, multis modis. l*) 4

l) Crederem, ſi probaſſet Vir Clariſſimus.

Ita rideretur.) *Et* merito. *Nempe contra Reg. 119. m*) 5

m) Ego tot centurias regularum in interpretatione non agnoſco, ſed quinque ſaltem aut ſex. Et ejusmodi ineptæ extenſioni non oppono regulam. Sed dico ſaltem, eam eſſe irrationabilem, quia nulla nititur regula. Et quia regula non eſt: Favorabilia eſſe extendenda.

adhibens, loco affectuoſæ Interpretationis, rationabilem. Quod idem fieret, ſi favorabile Juſtiniano judicatum, ex opinione erronea, vel ratione ſpeciali Politica, vel alia cauſſa, tanquam naturaliter & moraliter favorabile interpretaretur. Qua occaſione id etiam, ad ſatisfaciendum, *ſi fieri queat, aliqualiter* poſtulato *n*) Clariſſimi Amici *§. VII. vel ſaltim ad*

n) Ego vero nihil *in d. §. 7.* poſtulavi à Viro Clariſſimo, ſed ſaltem oſtendi ipſius opuſculum non convenire titulo. Unde ignoſcet mihi, ſi non intelligam, quorſum iſta, quæ jam ſeqvuntur in hac nota.

probandum *illi* deſiderium *ſatisfaciendi, qua nunc licet, (non licet autem, niſi obiter, ac in tranſitu,) hoc addere lubet.*

bet. Quod ad Jus positivum Civile applicaturo *doctrinam*, *mibi* Philosophice *potissimum fere* delineari, tenuiter nimis (*fateor*,) ac imperfecte *adhuc*, cœptam, de Favorabili & Odioso: sit observandum (*præter moraliter, & per omnes Juris naturalis partes, adeoque species consortiorum, & negotiorũ inibi definitas, talia,*) *Quid sit* favorabile & odiosum *habitũ* Legislatoribus Reip. Romanæ, *vel simalis nunc*, Romano Germanicæ, à Jure *morali &* naturali diversum.

1. Ex politica speciali, *Reip. Imperii, ad Politicas rationes.*

2. Ex opinionibus *Legislatoris.*

3. Ex affectibus, *quo pertinet exemplum Clarissimi Auctoris.*

4. Ex consuetudine.

5. Ex vi *aliqua, & necessitate accidentaria: totidem inde mibi distinctis interpretationum speciebus nempe adjuvandis.*

§. IX.

Addo: neque cohærere regulas Viri Clarissimi de interpretatione favorabilium & odiosorum. Ex pluribus, quæ in hanc rem afferri poterant, pace ipsius unum saltem exemplum affero. *P. 274.* dicit Vir Clarissimus: *Odiosa strictius esse interpretanda*, & inter odiosa ibidem refert *pœnarum inflictionem* earumque exasperationes. Ipse tamen *in Musis Jurid. opusc. 1. p. 27.* inter erroneas regulas refert illam: *pœnales leges non esse extendendas.* Scio quidem, ex communi sententia posteriorem hanc propositionem pertinere ad interpretationem extensivam, priorem ad declarativam (secundum Virum Clarissimum *Musar. Jurid. p. 94. 95. 96.* ad interpretationem hypercri-

percriticam electitiam internam perfectivam,) adeoq; non videri contradictionem subesse. Sed scio etiam, communiter Doctores, qui statuunt pœnalia tanquam odiosa strictius interpretanda esse, dicere: Pænalia non esse extendenda, à quibus adeò Vir Clarissimus per istam distinctionem non bene videtur dissentire. Si enim (*secundum ipsum*) pœnales leges rectè extenduntur, multò magis (*contra ipsum*) eædem in laxiori significatione sunt explicandæ. Rem declaro exemplo. Lex pœnalis est: qvi frumentum exportat, puniendus est. Hæc lex qvamvis pœnalis, recte extenditur ad farinæ exportatores. Cur ergo eadem non etiam in lata acceptione esset explicanda, ut sub se omnes frumenti species comprehendat, si modo ratio legis non obstet. At si hæc obstat, tum stricta interpretatio certe non desumetur ab eo, qvod lex est odiosa.

Ad §. IX.

Per accidens in hoc exemplo *o) qvod* fit; *eo, qvia*

o) Miror, cur Vir Clarissimus saltem ad exemplum respondeat, taceat ad vim rationum mearum. Hoc est effugium utcunque quærere, ut non cogamur fateri, nos errasse.

sensus latior, & rationabilior hic coincidunt: id ubi non accidet eos coincidere, (qvod plerumpue non fiet) aliter sese habebit; & distinctionem harum regularum evidenter necessariam probabit. p) E. gr. Lex pænalis de fundente sangvinem innoxium,

p) Cur non & ipse unicum saltem exemplum affert, ubi regula de Odiosis restringendis genuinum usum habeat.

extendetur q) recte ad occidentem noxios, in qvos ipsi nullum

q) Fortè non, prout erit ratio legis. Ergo regula de ratione legis definiet controversiam, non favor, non odium, non lex pœnalis.

erat jus coërcendi: at non recte ſanguis lato ſenſu capietur, ut venæ ſectionem quoque contineat: r) vel ipſo Clariſſimo Auctore alibi recte monente.

r) Sed non ob favorem, neque ob odium, ſed ob vitandam abſurditatem. Ergo exemplum hoc valde quidem impertinens eſt, nec ullum uſum præbet, niſi, ne Vir Clariſſimus videatur nihil ad hunc §. repoſuiſſe.

§. X.

Eadem obſervatio ſuppeditat adhuc aliud monitum
1 circa totum ejus tractatum. (*) Suggillat Vir Clariſſimus
p. 27. tractatus & Dn. Pufendorffium & me, quod cum
meliora Grotio dare deſperaverimus, ferè κατὰ πόδα eum
ſequamur. Sit ita, quamvis adhuc non pauca adverſus
hæc regerere poſſimus. Quæro ex Viro Clariſſimo:
2 (*) Quem uſum habeat ipſius tractatus de JCto perfecto,
3 ſeu de interpretatione Legum? Lego in indice (*) cen-
4 tum ſpecies interpretationis, (*) quas ipſe excogitavit,
5 ad quas intelligendas (*) minimum anno opus eſt. Pu-
6 tatne Vir Clarisſimus, (*) effictione terminorum novorum melius Grotio ſe illuſtraſſe doctrinam de interpretatione? Putatne, meliores progreſſus facere juvenem, ſi diſcat: regulam aliquam pertinere ad interpretationem hypercriticam electitiam internam perfectivam, quam ſi notet ſecundum doctrinam communem, eam pertinere ad interpretationem declarativam? Atqui
7 hoc eſt (*) rem intricare, non explicare. Porro regulas interpretationis in tractatu numerat omninò 344. Quanto tempore putat Vir Clariſſimus opus eſſe, ut juvenis eas non dicam, intelligat, (nam pleræque nihil ſigni-

significant, & sunt meri (*) sine mente soni,) (*) sed me- 8.9
moria teneat, & si teneat, cui usui? (*) Non jacto mea, 10
sed si quæ bene posui, divinæ gratiæ ea adscribo, si quæ male, mihi. Interim ut paucis me expediam: Repetii post Grotium & Pufendorffium, Duumviros de interpretatione optimè meritos, doctrinam meam de interpretatione *in Praxi Logices cap.3.* Constat tota doctrina paucis pagellis, & regulis omnino quinque vel sex, ostendique ibidem, doctrinam de speciebus interpretationis rem obscurare potius. Jam suppeditet Vir Cla-
rissimus (*) exempla, quæ non æquè benè & longè faci- 11
lius ex paucis regulis meis, quam ex suo apparatu tanto possint definiri, aut, si quæ sunt, quæ quis ex regulis
meis interpretari nequeat, quæ ex ipsius tractatu (*) re- 12
solvi possint? Quod si hæc facere nequeat, cogitet, quid
communes interpretes Juris de ipsius libro (*) dicturi 13
sint, contra quos *Musar. Jurid. p. 27.* sic disserit: *Nos hasce tricas, tanquam cruces ingeniorum superfluas & sine ratione excogitatas, meritò rejicimus: contenti, nostra præcepta suis fundamentis superstruxisse.*

Ad §. X.

Suggillat.) *Verbum meo facto* durius, *certe mea sen-* 1
tentia. Si tamen ita velit vel alteruter vestrum, jam nunc deprecor. s)

s) Verba Viri Clarissimi hæc sunt: *Propius ad Juris interpretationem Philosophicam accessit tandem incomparabilis Grotius, incomparabili de Jure belli & pacis scripto. — Quem,* cùm meliora dare meritò desperaret, *apertius hic etiam atque in reliquis omnibus & κατὰ πόδα fere sequi se non dissimulat Pufendorffius -- & qui alicubi*

etiam refutando quasi deterit Grotiana Thomasius lib. 2. c. 11. (Et tamen non erubuit suprà ad §. 5. n. 3. asserere Vir Clarissimus: *Sed qua sum infelicitate memoriæ* toto tempore libri hujus mei reconcinnati *non fuisse me recordatum ejus loci sancte testor.*) Deprecatione autem non est opus. Vota eruditorum in Republica literaria de scriptis aliorum sunt libera. Et si quis durius quid de altero pronunciet, non eum, contra quem dictum est, sed dicentem ista durities afficere censendum est.

2 Quem usum.) *Eum qui non assequitur, ex ipsa lectione totius operis, & præfationum; neque hic spes mihi est efficiendi ut assequatur: nisi quatenus sibi tantisper satisfieri patiatur annotationibus 7. 9. & 12. h. §. t)*

t) Videbimus & quæro hic usum talem, qui non æquè benè ex quinque vel sex regulis capi possit.

3 Centum species.) *Imo* nomina, *quæ vel dena, vel* plura uni speciei *possint applicari. u*)

u) Eo major ergo est confusio.

4 Quas ipse excogitavit.) *Imo vero* improbavit, *x*) explosit magnam partem earum, *y*) *certe* paucissimas *primus* denominavit ipse.

x) Ego vero collectivè loquor, quod nemo hactenus qui de interpretatione scripsit, tot species vel specierum nomina effecerit.

y) Remanent tamen in indice plus minus sexaginta interpretationis species (ut ipse index nominat) Viro Clarissimo definitas & typo à speciebus Doctorum secretas.

5 Minimum anno.) *Neminem adbuc tam stupidum auditorem habui, quin* paucis horis, *z*) *me interprete, species à me excogitatas intellexerit omnes. Vid.* Mus. jurid. *p. 199. in fine.*

z) Non

z) Non equidem invideo: Quamvis allegata p. 199. Musar. Jurid. quadrimestris spatii mentionem faciat. Sed repeto quæstionem *lit. t.* cui usui?

Effictione terminorum novorum.) *Illos vero me nemini obtrudere, diserte monui cap. IX. §. ult. nedum illi, qui anno opus habeat ad illos intelligendos. Is rem ipsam capiat, si capere potest. Relinquat terminos, soli expeditiori repetioni, vel communicationi, cum eosdem recipere volentibus, servituros. a)* 6

a) Repeto quæstionem cui usui?

Rem intricare.) *Vetus ea, & trivialis querela est illorum, qui accurationem non ferunt philosophicam, & vere artificialem: b) sed sola facilia, juvenibus, & festinantibus &c.* 7

b) Sed an accuratio philosophica & verè artificialis est, quæ rem intricat, non explicat & nullius est usus? Ista accuratio philosophica & verè artificialis effecit, ut sapientiam veram & divinam & humanam amiserimus, & fastuosi, invidi, rixatores, adulatores, hypocritæ &c. facti simus.

idonea, c) quando Philosophi accurati, d) summam humanæ

c) At veritas sola facilis & idonea ac utilis est. Quicquid difficile & nemini idoneum est, cur id discamus?

d) Quinam vero sunt illi? Certè non ii, qui res in infinitum in intellectu distingvunt, ad agendum vero & utilitatem doctrinæ monstrandam causas sonticas & graves prætexunt.

naturæ possibilem in quoque perfectionem, e) etsi viris demum,

e) At summa humanæ naturæ perfectio non consistit in abstractionibus infinitis, sed in reali usu humani generis.

imo senibus, potissimâ sui parte profuturam, f) quærere la-

f) Sed quæro jam & quæstionem sæpè iteratam repeto: ad quid profit Viro Clarissimo jam viro vel seni intricata ista de interpretatione doctrina?

borant.

borant. Unde tamen & juvenibus, imo vel pueris, & incapacioribus aliis, ob facultatem & voluntatem deficientem, sua cuique pars, ad captum & votum potest decerpi: docendo κατ' ἄνθρωπον, introductiones, compendia, breviaria, typos, ideas g) deniq; ac elementa sola proponendo.

g) Hoc nihil ad me: Et an fortè usus in eo consistet, ut distingvamus inter ideam justam & non justam, aut confundamus ideam tractatus cum tractatu ipso. *Vide notata suprà ad §. 7.*

8 Sine mente soni.) *Id vero* inopinatum plane, *atq;* horrificum *auditu mihi accidere fateor: non* in me *solum, sed in consona meis dicentes* Imperatores, JCtos, Legislatores, Interpretes, *qua* veteres, *qua* novos *h*) pronunciatum! *Quos*

h) Sed quis horum dixit interpretationem hypercriticam electitiam internam perfectivam & similia?

uti copiose satis ad plerasque regulas margo inferior exhibet: ita infinito plures quomodo liceat coacervare, i) ac alias etiam

i) At coacervatio non est actio Philosophi accurati sed Sophistæ.

regulas plerisque iisdem firmare, sub finem præfationis posterioris habeo commonefactum. Cum hisce omnibus, imo vel cum solo Feldeno, damnari me à Clarissimo Thomasio, annon gloriosum l) sit æque, ac illi olim cum Phocione? Interim annon hic verba sua reddam Auctori *tempestive multum?* Mallem talia non excidisse Viro Clarissimo. Mallem considerasset, *quod favorabiles etiam sint infortunati conatus, modo alias boni, nedum publice bene mereri occupati. m*)

l) Ergo quid queritur Vir Clarissimus?

m) At hoc in quæstione est. Ego nihil agnosco publicè esse bonum, quod non est publicè utile.

Et

Et quidem in scientia tanti momenti promovenda. n) Unde

n) Sed hoc iterum in quæstione est, an scientia hæc tanti momenti tot inutilibus interpretationis speciebus & regulis promoveatur?

nil magis amovere meliores me possit, quam tot annorum labor tali contemtu o) exceptus. Sed ne favorabile hic etiam

o) Contemtus non est, si eum, qui tot annis sine fructu in labore aliquo est occupatus, admoneamus, ut ad utiliora se conferat. Misericordia est, officium humanitatis est. Sed ita comparatum est in vita humana, ut sincera admonitio pro injuria, blanditiæ & adulationes pro beneficio habeantur.

odiosum videatur, & inanium querelarum *denuo accuser, taceo.* Quamvis adhuc non pauca adversus hæc regerere possimus.

Sed memoria teneat.) *Nec illud exegi unquam ab iis, qui æque parum ad hoc, atque ego, vel à natura, vel ab artificio sunt instructi.* Sufficit, *si secretis* ad hoc *ipsum typo majori*, primariis regulis, *vel horum saltim universalioribus, quousq;* memoriæ vis *unicuique permittit, procedant.* Specialiora, *quoties opus sit,* per caussas, *unde sunt demonstratæ, specialius ipsimet* prompte deducere: vel *quoties nec hoc possint; & tamen de applicatione sint specialiori dubii:* tanquam Lexico Philosophico, specialissimis *hic* demonstratis, (*& ut ulterius etiam, & exactius, ei usui deducantur, optatis,*) uti norint. *Ecce usum unum, ni fallor, satis illustrem, & magnum. p)*

p) Non vero operis quod melius Grotio doctrinam de interpretatione illustret, aut JureConsultum perfectum reddat, sed Lexici varias variorum regulas de interpretatione coacervantis & subtiliter (sed absque usu in ipsa interpretationis applicatione) distingventis, & nomen adeo scientiæ interpretandi non merentis.

10 Non jacto mea.) *Annon suspecta hæc sententia in propria caussa absolutoria, q) ab accusatione, & lite nondum* mota*, nedum peracta?*

q) Sed quis pro sententia absolutoria venditavit? Assertio est, & vera assertio. Unde poterat cavillatione hac abstinere Vir Clarissimus.

11 Exempla) *Ea vero non longe forent petenda. r) Suf-*

r) Cedo unum Vir Clarissime. Hic enim Rhodus. Alias quilibet præjudicio vacuus, legendo hoc scholion sibi persvadebit, quod nullum invenire potueris, & ita causa cecideris.

fecerint interpretationes meorum dictorum à Viro Clarissimo facta, & suorum, contrariæ meis, obtrusæ. s) Sed oporteret

s) Hæc vero responsio nimis putida. Ostendunt id responsiones nunc meæ.

me omnem Prognosin Semeiotices moralis decoxisse, si huc prolaberer. t) Vel sola hoc §. dicta ex adverso, amovent manum de tabula.

t) Potius caveat Vir Clarissimus, ne lector putet, ipsum omnem verecundiam perdidisse, dum ad incitas redactus, veritatem tamen & humanitatem (cum errare humanum sit) confiteri non vult, sed potius omnia alia tentat, ut pertinaciam obtegat.

21 Resolvi possint.) *Siquidem vestra facultas, vel naturalis ingenii felicitate, vel exercitatione, vel utraque pollens, u) eo porrigatur usque; ut ex quinque vel sex illis regu-*

u) Minimè omnium, sed simplicitatem veritatis humiliter sequens, neque veritatem in subtili & fastuosa, inutili tamen accuratione quærens.

lis, nulli non x) de hoc argumento aliquid ex professo molito-

x) Atqui hoc ipsum angit Pseudo-Eruditos, quod veræ sapientiæ studiosi ex rebus vulgaribus, ac à Philosophis istis accuratioribus contemptim habitis utilia humano generi efficiant vel agant. Ignorantes videlicet, veritatem esse vulgare qvid & ubivis obvium.

rum, inter alias memoratis, sine specialiori deductione, dextre positis obscuras leges omnes interpretari, gratulor. Nobis non datur esse tam beatis. Nedum ut erudite, id est, distincte, explicite, ordinate, scientifice, ad conscientiam non modo nostram, sed & aliorum convictionem, per suas caussas possimus deducere, quare sic, & non aliter in quolibet casu interpretemur. Plebejum in morem confuse, vel dialectice saltim; imo & accedente ad naturalem ingenii præstantiam exercitatione longa, tandem soliditatem aliquam, sed implicitam tamen & confusam, nec satis ad redarguendos obloquentes semper valituram suppeditante, id agere: vel sine ullis adeo præceptis contigit aliis, item bonis, imo continget, taliter instructum à natura ingenium exercentibus, universis. Vid. Arist. Nic. VI.8. & Metaph. c.1. Quemadmodum in omni arte prius artifices, quam artis præcepta, satis illustres fuisse, notum est, & alibi etiam in hoc argumento monui diserte. Interim non hic magis, quam in omni alia Scientia, demonstrationum solidarum, & scientificarum usus erit frustraneus. y) Neque hæ ob-

y) Utinam Vir Clarissimus affectus seponere & considerare vellet, quantum sophistam hic agat, & quantam occasionem suppeditet omnibus, qui stultitiam vanæ Philosophiæ per divinam gratiam cognoscunt, ut ejus ex animo misereantur. Debebat exemplum suppeditare quod non ex simplicioribus & paucis illis regulis æquè benè si non melius resolvi possit ac ex ipsius farragine & lexico regularum. Nullum exemplum afferre potest. Ut vero non cogatur inanitatem Philosophiæ, cui insenuit, agnoscere, putat lectorem facilè occœcari posse, si Aristotelem, si demonstrationes solidas & scientificas ac convincentes crepet, atque alios id quod ipse crepat, re ipsa præstantes plebejos, confusos, dialecticos & ita porro nominet. Ego repeto quæstionem sæpè factam. Cui usui Vir Clarissime

tam intricare doctrinam interpretationis simplicem & planam? Cedo exemplum. Aut si non potes, agnosce vanitatem Pseudo-Philosophiæ. Relinque Aristotelem, qui tibi in anxietate hac constituto nullam responsionem convenientem suppeditare potest, & reliquum quod Tibi restat temporis, ad utiliores meditationes etsi plebejas impende.

jectiones magis me, quam omnes circa interpretationem Juris, aut aliam, imo circa nullam non Scientiam Practicam fusius quid, & accuratius molitos premunt. z) Quarum nulla non,

z) Sed si æquè premunt ac te, nec melius inde se expedire possunt, mihi id non imputabunt, quod non fusius quid sed confusius, non accuratius quid, sed subtilius, sed inutile, sed sophisticum, sed miserandum moliti fuerint. Solamen miserum, socios habuisse malorum, in quæ ipsi nos propria culpa conjecimus, nec aliis admonentibus, inde nos extricare volumus.

paucis præceptis, imo nullis, at egregia natura, & experientia instructo, queat in laudabilem praxin deduci. Nec eo dein minus, si vel æque ac Poëtica, sine arte à natura cunctis suppeteret, interpretandi facultas. (Quemadmodum nimis multi male capiunt illud tritum, quo natura omnes judices fecisse perhibetur) verum manebit illud Ciceronis *pro Archia:* Cum ad naturam eximiam atque illustrem, accessit ratio quædam, confirmatioque doctrinæ: *(quo scientifica magis, hoc confirmatiorem se probatura & suum etiam Discipulum redditura,)* tum illud, nescio quid præclarum, atque singulare solere existere. *Quod hic locus longius adducere nunc non permittit. a)*

a) Neque enim jam desideratur à Viro Clarissimo, ut locum hunc Ciceronis explicet. Desideratur, ut usum tra-

ctatus ſui de interpretatione oſtendat, & exemplum aliquod, ut diximus, ſuppeditet. Atqui hoc non poteſt.

Dicturi ſint.) *Nempe alii alia, pro ſuo quisque captu,* 13
& affectu: Soli ſaniores, & intelligentes id, quod res eſt. Nempe illas tricas merito rejectas, ut earum loco ſcientifice demonſtrata b) ſubſtituerentur.

b) Sed nullum uſum habentia.

§. XI.

Credo & ſpero, Virum Clariſſimum reſponſiones has meas atque brevia monita non ægre laturum, ſed promiſſionis publicæ *Muſar. Jurid. p. 178.* recordaturum eſſe. Rationes adhibui, non verba iniqua. Quodſi tamen & in ipſa veritate amarum quid propoſitum fuit, id tanquam præter intentionem factum deprecor, eumque invito & rogo: velit id, quod *Muſarum Jurid. p. 116.* obliquè indicavit, proximè expedire, & rationes ſuas
proponere, (*) per quas putet, demonſtrationem juris 1
poſitivi univerſalis à me in Inſtitutionibus Jurisprudentiæ divinæ tentatam, in nihilum redigi poſſe. Cedam ſemper rationibus firmis, ipſique valde obſtrictus ero, ſi
me errantem in veritatis ſemitam (*) reduxerit. 2

Ad §. XI.

Per quas putet.) *Non* ſcripſi *c*) me *putare, ſed ex-* 1

c) Benè. Non ſcripſit. Sed contextus tamen verborum *ſuprà ad §. 5. lit. p.* recenſitorum oſtendit, quod ita ſenſerit.

preſſe, decidendam hanc quæſtionem mihi nondum ſumere. *Quo jure ergo demonſtratio à me exigatur? d*)

 d) Non

d) Non exigo, ſed invito & rogo. Intereſt Reipublicæ literariæ, ut, ſi iſta demonſtratio mea in nihilum redigi poſſit, id fiat, quia ab ea dependent multæ quæſtiones utiliſſimæ & quotidiè obvenientes. Quod ſi ita honeſtè invitatus id detrectet præſtare Vir Clariſſimus, facile Lector ſuſpicari poſſet, iſtum Viri Clariſſimi locum ex jactantiæ affectu prodiiſſe.

2 Reduxerit.) *Hoc infeliciter, ut video, nimis tentatum ſemel, e) iterare publice, qui ſuſtineam? Quin potius grates*

e) Ubi Vir Clariſſime, & quando? Ego quidem non poſſum non hæc aliter interpretari, quam quod ad literas Pſeudonymi & Anonymi reſpicias. Quod factum nollem. Nam iſtæ quidem in errorem me ducere voluerunt, ne quid acerbius dicam.

ſolennes hic & publicas ago: quod durius non ſim tractatus. f)

f) An conſcientia Virum Clariſſimum admonuit, quod Pſeudonymus & Anonymus duriora fuerit meritus? An ego is ſum, qui mecum controvertentes durius tractavi? Delicatis ingeniis & qui alios contradicentes ferre nequeunt omnis veritas dura eſt.

Obſtrictum etiam beneficio novo, & magno me habiturus: ſi ulterioris publicæ concertationis onere, ac invidia exſolvar. g)

g) Per me quidem licebit. Et quis Virum Clariſſimum adegit, ut ſcholia hæc pararet? Non veritas, ut oſtenſum, ſed affectus & amor erga fœtum ſuum.

Ne non ut hactenus feci, pacate philoſophando, h) circa tam

h) An ipſi bellum intuli? An pacem ipſius turbavi?

multa etiamnum inelaborata, pro virili pergam. Quod ſane perquam honeſte fieri nunc poteſt. Poſtquam de principali quæſtione, in qua poſſim aggreſſor habitus eſſe, quantum exigebatur,

batur, concessi. i) Quod ad nova cœtera vero, etiam acer-

i) Scilicet cum ad ipsam rem ventum est, Philosophiam accuratam crepando, & plebejos animos ac fiducia ingenii fretos publicè prostituendo.

bius ingesta, non tam mea sit caussa, quam communis tot aliorum. l) Quos me nominatim propugnatore publico nec egere

l) Nec hos timet veritas. Et poterat interim à tot aliis exemplum petere Vir Clarissimus, ad demonstrandum usum communis causæ.

puto præ aliis, nec an gavisuri sint, satis ausim polliceri. Privatim si qua de re mea expetetur sententia: quantum potuero, & ex amicitia nostra putavero, ad eandem aperiendam, semper, ut & ad omne aliud officiorum genus, me paratissimum exhibebo. m)

m) Ego vero & ad publica & ad privata officia me semper paratum fore publicè promitto, istud officii genus publicè repetens, ut Virum Clarissimum admoneam, velit tempus quod ipsi restat, studio & praxi veræ sapientiæ, relicta inani & inutili, impendere.

I. N. J. C.

I.N.J.C.

J. N. J. C.

INCLYTO
Varia Virtutis, ac Eruditionis laude VIRO
CHRISTIANO THOMASIO
VINCENTIUS PLACCIUS
S. P. D.

DEstinaveram Tibi Exemplar JCti mei ligatum, una cum Epistola. Sed elusit me lator earundem, abiens me insalutato: non tam sua culpa, quam casu. Eo quod rusticatum digressus ex Urbe, morbo corporis reditum ultra tempus constitutum distulissem. Vides fatum. Absq; quo si fuisset, credo scriptionis tuæ publicæ amarulentiam, quam ipsemet agnoscis, sed veritati, (eam quidem meo judicio non deposcenti,) vis imputatam, deprecari opus non habuisses. Certe enim illis lectis, ignorantiæ me affectatæ nunquam incusavisses. Multo minus Disputatiunculæ illi nostræ, litem novam totuplicem, imo de totius mei operis inutilitate, infamem mihi sententiam impingere, publice unquam, credo, sustinuisses. Quo sane convitio, quid durius in me statuere potuisses, si quam gravissime Te antea offendissem, non video. Et vero ni multis jam abhinc annis, hoc omni cura egissem sedulo; ne quis mihi sensus ad ejuscemodi superesset: erat hic mihi longe acerbissimus unus omnium facile futurus. Quo ne nunc quide nullo penitus me tangi, tanto dissimulare

lare debeo minus: quanto & Te, & candorem apertum deamo magis. Unde maluissem qvoqve hanc disceptationem privatis litteris, ut alias hactenus omnes, etiam publice mihi notas, componere: nisi non tam impetitum, quam impetiisse visum, offerente se provocato, pugnam detrectavisse nimis ignaviter, me judicatum iri a plerisque, prævidissem. Quam tamen, quanta depugnaverim moderatione, judicabis ipse. Certe ut facerem, non modo, quantum in me, conatus sum fideliter: sed adhibito etiam in consilium pari amicorum, facile hujus Civitatis, & in hoc genere studiorum, & pietate, ac modestia præ multis eminentium. Quos exoravi, ut quidquid in hisce meis extemporalibus Notis vel minimæ offensiunculæ tuæ ansam præbiturum ullo modo suspicari possent, id, quanta vellent scrupulositate, scrutarentur. Neque vel subinnuere quidquam adeo minutum potuerunt: quin expungerem illico, aut, quoad ipsis probaretur, emollirem. Quamvis talia erant omnia, ut nondum putem eorum quidquam revera ægre te laturum fuisse. Quo certius nunc ab ingenuitate tua mihi promitto, imo spondeo, Te agniturum satis: quantum amicitiæ nostræ, & pudori tuo, ac opinioni maxime apud tuos Auditores, cui vel tantillum me nocere, summa mihi sit religio, parcitum iverim. Idque cum detrimento etiam certo famæ apud plerosque meæ. Qui non poterunt non palmam a me Tibi publice traditam judicare. Quandoquidem nullatenus, ut potuissem, ac vel tuo exemplo, debuissem, *in ipsa veritate amarum quid propositum* volui. Ostentando puta effugiorum illorum naturam, ac indolem, quibus uteris; Quando definitionem favorabilium, non nisi quatenus facti meri sunt, citra omnem universalis rationis respectum, vis negavisse. Quin imo tale genus definitionum exigis: *quale nec est, nec erit, dum res humana rotabit.* Hæc si ego Tibi affinxissem: quid diceres de mea interpretandi ratione, tam omnibus tuis & meis regulis adversante! Ne quid nunc addam de noviter motis a Te litibus, Quibus abstineri profecto præstitisset longe. Nec §. IX.

examinem, cujus exemplum ſane multum abeſt a recta interpretandi ratione, ſive extenſiva, ſive declarativa. Cujus adeo vi, vel capite plecti poſſit innoxius maxime. Ut alias, ſi expetis, privatim clariſſime demonſtrabo. Nam §. X. plane non tango: ne moveam Camerinam. Quam, ſicuti reliqua multa, preſſi etiam publice, quantum potui: ne quis facile vel ſubodoraretur. Nempe ad hoc unum omnia: ut pacem & quietem publicam, quovis precio mercarer. Imo, ſi fieri poſſet, optima inter nos, ex hoc principio, etiam non nimis bono, familiaritas, ut ſœpe fit inter bonos, coiret: privato inter nos literarum commercio, rectius longe, ſi quid ſupereſt, aut denovo naſcetur diſſenſionis (quod diſpariter tractantibus idem argumentum, non fieri non poteſt) compoſituris. Ad quod ipſum Te adeo quam humaniſſime nunc, & humillime invitatum volo. Vel ad hoc inprimis, ut ſi quid eſt, aut fuit aliquando a me factum, ſcriptum, aut dictum, quod Te offenderit, aut pro tali ad Te relatum ſit ab aliis: hoc prius, æque ac modo ipſe, quid in Te deſiderem, aperte des ſignificatum. Ne quid ulceris non expurgati utrinque remaneat. Crede mihi, privatim in me licebunt Tibi omnia, in Te mihi nihil, niſi quod voles. Cœteroqui, fateor, me non videre, quid disjungere animos noſtros vel minimum debeat, ſi vel maxime de multis philoſophicis diſſentiamus. Cum & tanto terrarum intervallo, & ratione docendi, ac ſcopo, & Auditorii natura ſimus tantopere ſeparati. Nempe ſubtiliſſimam ego, ſecundum Analytices præcepta, utique accurationem, ſenibus dignam, quæro. Tu Juventuti tuæ idonea, & ad praxin properantibus neceſſaria, quam ingenioſiſſime, & jucundiſſime proponere allaboras. Euge! pergamus utrinque ἀνεμποδιστοι invicem inoffenſo pede: nec alter alterius detrahamus induſtriæ. Sine me ſaltim pacate tam infelicem eſſe, ut in hoc piſtrino, in quod divinitus ſum conjectus, inhonoratus, & obſcurus ſatis, ſine ulla remuneratione me fatigem; Dum ego Te ſino eſſe Thomaſium, ut poſcis; hoc eſt, ſummo cum fructu, applauſu, & lucro docere minus tetrica, & difficilia.

Hæ

Hæ ſi placent, uti ſpero, imo confido, pacis & amoris inter nos conditiones: erimus utrique magis quam omni alia ratione, hac in parte quidem, (quæ ſane Tibi ex tuamet ipſius doctrina, facile humanarum omnium potiſſima eſt,) beati. Ego certe deſideria tua, qua potero, implere, imo, ſi potero, ſuperare fideliter annitar. Utere me, meiſque meditationibus, ut lubet. Exige, poſtula ulteriores, quibus par eſſe queam. Videbo quantum in me ſit, ne lactaſſe ſpe inani vota tua videar. Quod ne verbis ſolis, ſed re ipſa vel extemplo faciam: Ecce adjuncta quæpiam Excerpta de Subſtantiæ & Accidentis natura, quam ſollicite adeo indagas, prima & ultima doctiſſimarum tuarum Diſputationum. Ea num aliqualiter tuæ ſatisfaciant voluntati, ſcire ſi me feceris: an publice ſint proponenda, ſtatuam. Poteruntq; tum hæ laciniæ, ni tenues nimis atque ſoloces videantur, aſſumenta fieri, cujuſcunque tuarum texturarum volueris. Interim tamen iſta premi rogo. Nec enim quidquam tam reformido, quam cruda huic arguto ſeculo propalare. Qualia mea omnia reputo, donec publicationi a memetipſo ſint præparata; quantumvis alias, Flacco monente, nonum in annum preſſa. Quemadmodum ſane illa, ex quibus hæc ſunt Excerpta, Annotata Ethici Syſtematis mei plenioris, quorum margini nunc etiam tuarum Diſputationum citationem appoſui, uti vides, bis nonum annum, & amplius jam apud me latent. Hæc ſi non diſpliceant, addam proxime alia etiam plura: fortaſſis etiam, quæ petiiſti Exempla Interpretationum mearum: ac monita inſuper ſub finem hujus Diſputationis, quæ cupis, alia ſuper ſcriptorum tuorum philoſophicorum locis diverſis: Speciatim de Vanitatis quoque definitione, cujus indaginem peculiari Diſputatione dignatus es, meam ſententiam, ſi jubes, dabo: imo definitionem ipſam, pluſculis jam abhinc annis conceptam, quanta licuit Analyticorum præceptorum Ariſtotelis obſervatione philoſophica. In qua ſola, & in nullo ſtudiorum genere alio, patiar me cum eruditis aliis componi: nedum Tecum, cujus ego præ multis aliis

ingenium excellens, & industriam commendabilem *suspicio, venerorq; lubens.* At enim cœtera omnia παρέργα mihi fuere mera: hoc ἔργον triginta nunc amplius annis. Postquam Feldenianis Msstis, & ipsius Textus Aristotelici Græci Analyticorum priorum & posteriorum resolutione accuratissima, Disciplinarumque Mathematicarum notitia nonnulla instructus, accessi ad hocce saxum. Quod volvendo nitens omnibus nervis, tam parum adhuc promoveo: ut plus mille definitionibus philosophice elaboratis, nondum eo rem perduxerim: quin reformare, vel reformari ab aliis earundem aliquas subinde optem; Examinari certe semper ab intelligente quovis, in lucro ponam. Tua melior longe sors est interim: tot aliis jucundioribus hoc, ut πάρεργον, intermiscentis. Sed jamdudum ambigo, satisne recte hæc ad Te scribam. Quæ quo animo a Te legantur, fateor, me ope totius Semeiotices Moralis meæ, pro certo nondum definire posse. Hoc solum scio: sine ardentissimo amore Tui, & pacis, atque amicitiæ colendæ si foret; me tota hac scriptione supersessurum. Quæ ratione corporis, & animi, publice, privatimque nunc impedito magis, quam alio forte tempore, accidit laboriosa. Quo vehementius deprecor: ne saltim eo animo hæc accipias scripta, quo accepturus esses, si ego inutiles tuos labores, & plerosque nihil significantes, meros sine mente sonos scripsissem: quibus tamen Tute post Præceptoris tui professium publice ultra quinquaginta annorum laborem, supra tricesimum annum insudasses. Quod sane in te mihi cum nolles, an satis Christiane in me scripseris, Tibimet examinandum relinquo. Equidem haud invitus credo, Tibi ac tuis Auditoribus hæc inutilia maximam partem esse. Qui, quantum video, id non agitis: ut ad Analytices exquisitissimam accurationem resolvere, ac interpretari textum ullum ita contendatis: ne ulla mentis operatio, non ad præcepta, solide per suas caussas demonstrata, tanquam ad normam mathematicam examinetur, atque dijudicetur; qualis sit, an, quomodo, quare, quatenus cohæreat, necne. Ut reflexiva tali notitia quam plenissime,

nissime, distinctissimeque, conscientiæ nostræ & alienæ satisfiat, caussis, quare satisfiat, scientifice reddendis. Quod tantum abest, ut ab omnibus, etiam eruditissimis alias, exigendum pronunciem: ut non nisi paucissimos id laboris vel tentare saltim debere, lubens concedam, imo sæpe contendam, defendam semper. Interim illis, qui ad hoc divinitus sunt vocati pauci, tanto minus erat contemtu publico illudendum. Potius eorum labore, quemadmodum Mathematicorum subtilissimorum, ad praxin omnigenam, erat utendum grato animo, erga ipsos, & magis erga Deum, datorem nobis eorum munerum, sine nostro tam scrupuloso, tetrico, scholastico, aut quocunque velis dicto labore: impendendo interim Tibi ut facilioribus, sic utilioribus ad multos, majori cum gloria, & lucro. Qualia proin deamantes præ meis, etiã Juvenes plerosque omnes, merito tuæ potius, quam meæ informationi commendo, & commendabo semper; modo ne mea interim publce dehonestare pergas. Vale, Vir Inclyte, ac imminentis anni novi Calendas auspicatissimas, plurium auspicatissimorum anteambulones habe.

Dab. Hamburgi 1693.
d. 23. Decembris.

* POssem in singulis paginis observare atque ostendere, querelas Viri Clarissimi nullo fundamento niti, atque subinde sub mediis blanditiis, quibus Epistola hæc repleta est, me durius tractari. Sed nolo Virum Clarissimum ad omnem veritatem valde impatientem irritare. Condono publicè injuriam mihi in Pseudonymi & Anonymi Epistolis factam, & valde ipsius vices doleo, publicè confitentis, se in pistrino laborare, & saxum Aristotelicum per tot annorum spatium volvendo, tam parum adhuc promovisse, ut plus mille definitionibus philosophicè elaboratis nondum eò rem perduxerit, quin reformare vel reformari ab aliis earundem aliquas subinde optet. Doleo serio, quod pistri-

num hoc nihilominus pro accuratiore ſapientia ac Dei dono venditet, doleo, quod in id divinitus ſe conjectum prædicet. Precor animitus, velit Deus Optimus Maximus, qui veræ ſapientiæ & non Pſeudo-Analyticæ iſtius ac carnificinæ humani generis autor eſt, oculos mentis Viri Clariſſimi aperire, ut peſtem iſtam & animi & corporis abjicere, ex piſtrino Gentilis Philoſophiæ exire, & ad unicam, veram, humilem, perſpicuam, utilem, atque ſalutarem ſapientiam ſe convertere quàm proximè incipiat.

Exaudi me DEUS, qui ipſe ſapientia es.

Amen.



INSTI-



INSTITUTIONUM JURISPRUDENTIÆ DIVINÆ LIBRI III.

CAPUT. I.

De *Officio Hominis erga socios in genere.*

SUMMARIA.

Connexio. §. 1. 2. *Naturales societates duplicis generis.* §. 3. 4. 5. 6. 7. *Non ex appetitu corrupto provenit, quod homo magis appetat societatem nuptialem, quam civilem.* §. 8. 9. *Societates finibus discernuntur.* §. 10. *Fines trium societatum simplicium,* §. 11. *à quibus Finis societatis domesticæ non differt realiter.* §. 13. 14. *Fines vici vel pagi,* §. 15. 16. *item civitatis.* §. 17. *Differentia communis inter vicum & civitatem examinatur.* §. 18. -- 32. *Societas gentium etiam est naturalis, & falsum, civitatem esse societatum omnium perfectissimam,* §. 33. 34. *quod ostendit etiam societas*

cietas Fœderatorum, §. 35. 36. *Ratio methodi dicendorum* §. 37.--45. *Probatur, dari societatem Gentium*, §. 46. 47. 48. *eamque esse naturalem*, §. 49. 50. *nec confundendam cum societate mundi*, §. 51. *nec commodè dici universalem Rempublicam omnium hominum*. §. 52. *Societas Gentium est imperfectior civitate*. §. 53. *Dari posse societatem inter homines ignotos*. §. 54. 55. 56. *Praeceptum officia sociorum in societate mixta in genere dirigens: HOMINI, CUI IN ISTA SOCIETATE COMPETIT IMPERIUM, PARE*. §. 57.--62. *Non omne imperium ex pacto est*. §. 63. 64. 65. *Aliud praeceptum: FAC EA, QUÆ FINEM CUIUSQUE SOCIETATIS NECESSARIO PROMOVENT, ET OMITTE EA, QUÆ ISTUM NECESSARIO TURBANT*. §. 66.--70. *Tertium: SI CERTUM SIT, à PERSONIS, QUÆ SOCIETATEM INIRE VOLUNT, FINEM SOCIETATIS PRIMARIUM OBTINERI NON POSSE, NULLA ERIT SOCIETAS*. §. 71.--75.

§. 1.



Onsideravimus hactenus *a*) officium hominum quorumvis in quacunque societate viventium, jam pergendum ad præcepta dirigentia *societates singulas*.

2. *Quid* sit *societas* & *quotuplex*, initio exposuimus. *b*)

3. Ubi simul *species naturalium* societatum recensuimus, *nuptialem, paternam, herilem, domum, vicum, provinciam, rempublicam*, denique *societatem gentium*.

4. Ex his quædam *naturales* dicuntur, quod homo à *naturâ*, etiam *citra voluntatem* suam in iisdem sit constitutus, talis est societas Gentium. Quædam verò sic appellantur, quod *natura* homi-

ad §. 1. a) vide suprà lib. 2. c. 3. §. 1.
ad §. 2. b) l. 1. c. 1. §. 91. seq.

hominem eò ducat per ſpecialem inſtinctum, qui hominem ad eandem *ex voluntate* obeundam impellit.

5. Atque hic *inſtinctus* vel eſt *utrique ſtatui* & integro & corrupto communis, quorſum pertinet ſocietas *nuptialis* & *paterna*, vel *ſtatui corrupto* proprius, quò ſpectant *herilis*, *vicus*, *municipium*, *provincia*, *reſpublica*. Quorum utrumque jam ab initio demonſtravimus. *c*)

6. Poſſes etiam priorem inſtinctum commodè vocare *internum*, cum à DEO homini ſit concreatus, poſteriorem vero *externum*, cum indigentia & metus periculorum eum potiſſimum elicuerit.

7. Atque ut hoc quidem fuſius deducemus infrà, ubi de ſocietate civili agendum erit, ita de priori non ſinit dubitare hiſtoria ſacra.

8. Ut adeò in divinum Numen & in hiſtoriam ſtatus integri maximè injurii eſſemus, ſi ſtatuere vellemus, ex appetitu *corrupto* provenire, quod homines magis *ſocietatem nuptialem*, quam civilem appetant, quaſi nempe jucunda magis, quam honeſta proſequantur. *d*)

9. Quod ipſum etiam Ariſtoteles, *e*) etſi Ethnicus, agnovit. *Homo*, ait, *magis ad conjugium factus eſt à naturâ, quam ad ſocietatem civilem, & tanto quidem magis, quanto prior magisque neceſſaria eſt domus, quam civitas, quantoque filiorum procreatio animantium omni generi communior eſt.*

10. Quemadmodum vero in moralibus potiſſima ratio in *fine* negotiorum ſita eſt, ita & *ſocietates* inter ſe quam maxime à *finibus* diſcernuntur, certè diſcerni debent.

11. Ac de *tribus ſimplicibus* quidem nullum fere remanet dubium, *conjugalis* enim *liberorum procreandorum*, *paterna educandæ*

 ſobo-

ad §. *5*. c) d. l. §. 95. 97.

ad §. *8*. d) *Ita Alberti* P. 2. c. 10. §. 1. n. 2.

Ad §. *9*. e) Nicom. VIII. 12. p. m. 269. edit. Rachel. *Provocat tamen ad hunc Philoſophi locum Alberti d. l. Sed videtur deceptus eſſe ab iis, quæ poſuit B. Pater* Tab. 39. Phil. Pract. *quem adeo abſque judicio exſcripſit.*

sobolis & herilis comparandarum rerum ad vitam necessariarum gratiâ initur.

12. De *compositis* videndum distinctius. Quod *domum* seu familiam attinet, non disquiremus prolixè, utrum *paterna* societas ad eandem requiratur, nec ne? Verius: ad perfectam familiam requiri triplicem conjunctionem Patrisfamiliâs cum uxore, liberis & servis. Deficiente ex his uno fieri imperfectam familiam magis aut minus, prout deficiens membrum magis aut minus est necessarium. *f*)

13. *Finis domus* dicitur esse *usus quotidianus* patrisfamiliâs, quo ipso vel idem finis, qui est in herili societate, intenditur, vel, quod probabilius, conjunctio trium finium, quos observant societates simplices; nam & generationem sobolis & educationem non male usum quotidianum patrisfamiliâs appellare possis. *g*)

14. Revera igitur novus finis intuitu domus non inculcatur, aut diversus à societatum fine simplicium.

15. Sequitur *vicus* seu *pagus*. Etsi enim hæc duo secundum nonnullos ita differre dicantur, ut *vicus* sit, in quo nihil est, quam vicinitas incolarum sine ullo magistratu vel Rectore proprio, *pagus* vero certo regendi ordine consistat, *h*) tamen communi philosophantium usu hæ voces usurpantur promiscue, ut pro diversitate hypotheseos vel de vico affirmetur regimen, vel etiam id negetur de pago. *i*)

16. Con.

ad §. *12*. f) Conf. Patr. Tab. 37. Huber. de jure Civit. l. 2. c. 1. th. 17. 19. p. 353. Albert. c. 13. §. 1. In utramque partem sunt loca apud Aristotelem l. 1. Polit. c. 1. p. m. 4. & c. 3. p. 9. Edit. Conring.

ad §. *13*. g) *Non, quod quotidie obveniat, sed quod quotidie, id est tempore incerto, obvenire possit.* Conf. Patr. tab. 37. & disput. de minim. num. pers. famil. th. 6. seqq.

ad §. *15*. h) Huber. de jure civit. lib. 2. c. 12. n. 3. & 4.

i) Vide Patr. annot. 186. Conf. infrà §. 23. *Inquirendum tamen esset, annon antiquitus Græcis illa differentia fuerit inter pagum & vicum, ut vicus denotet* ein Dorff / *pagus districtum*, eine Gow / *& constaret ex pluribus vicis.* Vide Meursium de pagis Atticis. *Ita eodem sensu in antiqua Germania Historia vox pagi sumitur.*

16. Constituitur verò à Peripateticis *finis vici, usus non quotidianus;* scilicet, ut arceatur ab ovilibus *lupus*, & pellatur à tecto *fur nocturnus*, ut *incendia* restinguantur, & erigantur *sepes* vento dejectæ &c. *l)*

17. At *civitatis fines* duo proponuntur, *m)* unus ultimus, εὐδαιμονία, id est, vera beatitudo civilis, non uni homini sed toti populo insinuanda, subordinatus alter, αὐτάρκεια sive bonorum & præsidiorum externorum sufficientia, ut scilicet paulo elegantius, quam in pago vivamus, nec furunculum modo nocturnum, sed & validam latronum manum arcere queamus.

18. Ex dicta itaque finium discrepantia oritur ipsis etiam differentia *materiæ* inter *vicum & civitatem. n)* Nempe *vici materiam* esse *familias una plures*, numero indefinito, quod nimirum ad usum non quotidianum sufficiant, *civitatem* vero constare ex *pluribus vicis*, cum plures utique familiæ hic requirantur, quam in vico, tam ad priorem finem, quia sine justa multitudine nec magistratus varii commodè haberi, nec legibus vis coactiva firmiter conciliari potest, tàm ad posteriorem, quia præter agricolas, qui pago utcunque sufficiunt, oportet esse mercatores, opifices, milites.

19. Nobis autem sententiam hanc profundius expendentibus, videtur eadem non omnibus carere dubiis. Initio enim non accuratè *terminis effertur ista finium differentia*, quoniam haud dubie etiam αὐτάρκεια referri poterit ad usum hominum non quotidianum, ut adeò hac parte finis pagi à fine civitatis non tam specie quam gradu differat.

20. Deinde etsi regerere velis, in eo tamen manere ingentem differentiam, quod unicus vici finis sit, usus non quotidianus, at αὐτάρκειαν esse saltem civitatis finem secundarium, adeoque hic magis ad beatitudinem civilem tanquam finem ultimum esse respiciendum, qui in vico non possit obtineri, quoniam in hoc, ut vicinus vicinum ex viro malo bonum reddat, nulli vici

 qua

ad §. 16. l) Vid Patr. tab. 38. & d.disp. th. 46.

ad §. 17. m) Pat. tab. 39.
ad §. 18. n) Pat. tab. 38. 39.

qua talis conventione comprehendatur, *o*) tamen & hic quæ respondere possumus multa, suppetunt.

21. Uti enim per *beatitudinem civilem* nulla alia intelligi potest, quam pax & tranquillitas communis; quacunque etiam periphrasi ejus utaris, ita vel maximè tranquillitas hæc per præsidia externa contra violentiam ad turbationem ejusdem promovetur; quæ adeo magis ad εὐδαιμονίαν referre velim, quam ad αὐτάρκειαν; at & hæc suo modo obtinebitur in vico, quam vis impari rursus gradu, dum videlicet dicitur, ad finem vici pertinere propulsationem *furis nocturni*, ad civitatis, defensionem contra validam *latronum* manum. *p*)

22. Accedit, quod nec vici qua talis conventioni adversum videatur, *ut vicinus vicinum ex viro malo bonum reddat*. Qui enim id adversum esse inculcant, præsupponunt, ad vici qua talis, constitutionem requiri, æquales esse vicinos, ut nulli in alterum jus competat puniendi. *q*)

23. Sed hæc quidem ratio non solum petit id, quod est in principio, sed & ipsum Aristotelem habet dissentientem, qui videlicet inculcat, *r*) *maximè ex natura pagum esse coloniam domus, ac uti domus omnis regatur ab eo, qui maximus natu est, ita & colonias regi propter cognationem.*

24. Tertio quod exempla attinet, quibus à Peripateticis *usus non quotidianus* vici explicatur, videas & hic à nonnullis *s*) talia afferri, quæ nullam ferè, certè exiguam inter vicum & civitatem relinquant differentiam, dum eo referuntur *emere, vendere, pugnare, arare, mercari &c.* qui adeo supra *t*) memoratis, ad pagum solos *agricolas* requirentibus, satis apertè contradicunt.

25. Quar-

ad §. 20. o) Pat. tab. 39. lin. 30.
ad §. 21. p) Vide suprà §. 16. 17.
ad §. 22. q) *Vide omnino Patrem* annot. 176. ad philos. pract.
ad §. 23. r) I. Polit. 1. c. 1.
ad §. 24. s) Vid. Manitii disp. de societ. compos. th. 6. n. 2.
t) §. 18.

25. Quarto, quinimo & ipsa exempla superius *u*) adducta, parum discernunt vicum à familia, præprimis si illa non sit redacta ad minimum personarum numerum. Cur enim *paterfamiliàs* aliquot servis instructus, non posset *lupum* arcere, *furem nocturnum* fugare; *incendium* obortum, cæteris paribus, extinguere, *sepes* erigere? &c.

26. Porrò ut ad *materiam vici & civitatis* pergamus, quemadmodum quintò non audent Peripatetici *minimum numerum familiarum* ad pagi constitutionem requirendarum exprimere, *x*) ita sextò id universale non erit, quod ad civitatem necessariò requirantur *plures vici*.

27. Quid enim obstat, quo minus in uno vico tot possint congregari familiæ, ex quibus quidam patresfamilias magistratuum vices gerant, alii agricolarum, mercatorum, opificum, militum. *y*)

28. Exemplo sit *Respublica Romana*, initio suo uno vico circumscripta, quam pro civitate qui habere nollet, is negaret civitatem, ubi esset respublica, hoc est essentiam rei, ubi adesset forma.

29. Hinc diximus supra, *z*) civitatem modo immediatè ex pluribus familiis, modo ex pluribus vicis, modo ex pluribus provinciis componi, indicio, *vicos* & *provincias* non tam à civitate differre specie ac finibus, quam ut partes à suo toto.

30. Prout enim civitas magna aut parva est, plures vel pauciores etiam partes habet; sic ut quandoque eam in plures provincias, provincias in plures vicos, vicos in plures familias dispescere possis, quandoque etiam, si adhuc diffusius sit territorium, provinciæ in plures *diœceses* seu districtus; hi demum in plures vicos dividi possint. *a*)

ad §. 25. u) §. 16.

ad §. 26. x) Vid. Patr. dict. disput. th. 16. & 21.

ad §. 27. y) Conf. Patr. annot. 157. n. 1. & annot. 173.

ad §. 29. z) l. 1. c. 1. §. 97.

ad §. 30. a) Conf. Huber. de jure civit. lib. 2. c. 12. n. 12.

31. Atque hæc etiam fortè fuit ratio, cur Aristoteles in politicis post considerationem trium simplicium societatum statim pergeret ad tractationem de Republica, ac domus & vici saltem summatim & quasi obiter mentionem injiceret, *b*) nullam plane provinciarum, & quæ possunt aliæ esse magnarum civitatum particulæ, quoniam nempe hæ societates destituuntur *peculiari fine* à civitate diverso.

32. Igitur nec à nobis aliud expectabis, quam ut perpensis *officiis hominum in societatibus tribus primis*, statim pedem promoveamus ad *civitatem*.

33. Et in hac quidem subsistunt communiter Peripatetici, ultra non pergentes ad *societatem gentium*, etsi & hæc, ut mox apparebit, ad societates naturales pertineat. Causam istam tradunt, quod *civitas sit societatum omnium perfectissima*, pro fine videlicet habens beatitudinem civilem, quæ in aliis societatibus civitate majoribus non obtineatur. *c*)

34. Nos vero hac ratione non obstante tendemus ulterius, partim quod ea nihil firmi videatur inferre, partim quod adhuc dubium sit, civitatem in universum esse societatem perfectissimam.

35. Etsi enim facile majorem perfectionem ei concedamus, quam societati gentium communi, propter modo dicenda, non tamen propterea omnibus societatibus majoribus præferenda est, certe non præferri meretur societati, quæ est inter *plures respublicas confœderatas. d*)

36. Fœdera enim plerumque ineuntur propter *commercia*, aut propter *auxilia bellica*. Ista αὐτάρκειαν intendunt, hæc εὐδαιμονίαν. Utraque declarant, civitates solas sæpius non esse aptas ad finem suum consequendum, unde tum non erunt societates perfectissimæ.

37.

ad §. 31. b) l. 1. c. 1. & 2. Polit.

ad §. 33. c) Conf. Epstein ad Horn. p. 228. Patr. tab. 39. membr. 3. & lin. 33. añot. 157. n. 4.

ad §. 35. d) *Quod tamen putat Pater* d. annot. 157. n. 4. junct. n. 3.

37. Itaque etsi fœderatorum societas non sit naturalis, sed arbitraria, etsi novum finem præ civitate non intendat, quoniam tamen civitatis fines sæpius melius obtinet, & inter arbitrarias quam proxime ad naturales accedit, & *de fœderibus* post civitates quædam dicemus.

38. Neque supersedebimus adeò post fœdera *de officiis in societate communi gentium* disserere, etsi hæc civitatis perfectionem non attingat, ista enim ratio, quod alterum erat, nobis non sufficit.

39. Nam alias nec de *societatibus simplicibus* aliquid dicendum foret.

40. Nec obstat, quod in *statu naturali* dicatur satis esse, si quis progrediatur usque ad perfectissimum. *e*) Jam enim suprà *f*) removimus Peripateticorum sententiam, quasi qui disciplinam aliquam traditurus est, ideam sibi formare debeat status cujusdam perfectissimi.

41. Majus dubium nobis, ut ab hujus societatis tractatione abstineremus, injicere poterat, quod eadem præ civitate novum finem non videatur habere, sed *solam tranquillitatem seu beatitudinem* intendat.

42. Sed salva res est. Aliud enim est *beatitudo civilis*, aliud *beatitudo communis* humani generis.

43. Hoc tamen diffiteri non possumus, talia *præcepta specialia*, quæ in reliquis societatibus simul occurrent, non expectanda esse in *societate gentium*, quoniam nempe hujus societatis finis est norma communis finium reliquorum in societatibus minoribus, unde, quæ hic valebunt axiomata *generalia*, necesse quoque est, ut valeant in reliquis societatibus.

44. Hæc vero nulla alia erunt, quam quæ jam *libro præcedenti* præoccupavimus.

45. Neq;

ad §. *40*. e) Pater annot. 157. n. 4.

f) l. 1. c. 4. §. 44. seqq. Conf. l. 1, c. 2. §. 47. 48.

45. Neque tamen & sic sterilis futura erit disceptatio de *officio gentium inter se*, cum occasionem nobilissimam ex præceptis istis generalibus conclusiones speciales formandi, suppeditatura sint duo capita Juris Gentium potiora, Legatorum inviolabilitas, & jus sepulturæ. *)

46. Ast, inquies, frustrà hæc omnia disputabuntur, *si non datur societas gentium.* Ita est equidem, sed *datur utique* societas inter gentes, quia universum humanum genus natura unitum est ad certum aliquem finem. *g*)

47. De *fine* jam diximus, quod sit pax communis & tranquillitas. *Unio* vero hominum quorumcunque ad hunc finem exinde demonstrari potest, quod inter omnes homines sit juris quædam ad istum finem obtinendum communio, *h*)

48. Videlicet ligat hanc societatem gentium si non aliud, certè præceptum absolutum de æqualitate conservandâ & quatuor inde dependentia vincula, quæ præcedenti libro indicavimus.

49. Quæ quoniam sunt absoluta & omnem conventionem humanam antevertunt, simul innuunt, *societatem inter gentes* vel maxime *naturalem* esse, non arbitrariam. *i*) Convenientissime adeo eam Grotius *l*) *societatem rationis & sermonis* appellat, & nos hactenus eandem sub voce *status naturalis* simpliciter positâ, quatenus opponitur statui civili, denotavimus.

50. Agnovit ea, quæ posuimus, Camillus apud Livium, *m*) *sibi cum Faliscis eam esse societatem* asserens, *quam ingeneravit natura*, & universi generis humani societatem ex sapientibus sæpius inculcat Cicero. *n*)

51. Non

ad §. 45.*) *Disputo ad hominem. Nam ex mea opinione non datur jus sepulturæ.* vide cap. penult. hujus libri.

ad §. 46. g) *Atqui hæc erat definitio societatis* l. 1. c. 1. §. 91.

ad §. 47. h) Conf. d. c. 1. §. 100. seq.

ad §. 49. i) *Dissentit Boxhornius.* Vide Epstein. ad Horn. p. 227.

l) Grotius III. 19. 1. Conf. Osiandr. ad Grot. p. 238. seqq.

ad §. 50. m) l. 5. c. 27. Grot. d. l.

n) *Loca Ciceronis allegat* Epstein. d. l.

51. Non confundenda tamen est hæc societas cum *societate mundi*, cujus plus una vice mentionem injiciunt Philosophi Gentiles, & Stoici potissimum, *o)* quippe quam adhuc latiorem esse societate gentium opinabantur, comprehendentem nimirum complexu suo Deos pariter & homines; Quod uti erroneum est, ita de societate hominis cum Deo, quantum ad jurisprudentiam divinam sufficit, pauca præsupposuimus, & fusius eandem explicavimus alibi. *)

52. Neque convenienter locutos esse opinamur, qui hanc gentium societatem nomine *universalis Reip. omnium hominum* insigniverunt. *p)* Non est Resp. sine imperio, at Societas Gentium imperio caret humano, & sola inter naturales in statu post lapsum *æqualis* est. *q)*

53. Et vel ob hoc ipsum societas Gentium est *imperfectior civitate. r)* Etsi enim hæc societas libertatis nomine & immunitatis ab omni subjectione insigniter blandiatur, eadem tamen in hoc corrupto statu præ civitate plurima habet adjuncta incommoda, cum securitati parum ibi sit consultum. *s)* Ibi enim quisque propriis tantum viribus protegitur, in civitate omnium; ibi fructus ab industriâ suâ nemini certus, hic omnibus; ibi imperium affectuum, bellum, metus, ignorantia, feritas; hic imperium rationis, pax, securitas, scientia, benevolentia.

54. Nec est, quod dicas, *inter eos non esse societatem*, quorum unus alterum quoad faciem, vel famam, vel alio quocunque modo non novit; quales v. g. sumus nos & homines in Nova Zembla.

 55. Nam

ad §. 51. o) Loca vide apud Patrem ann. 157. n. ult. *Adde Horn.* de civit. II. 1. 15. 38. p. m. 193. *Confundit hæc duo Epstein* ad Horn. d. l. p. 227.

*) l. 1. c. 1. §. 92. seq. & conf. disp. nostr. de philos. juris.

ad §. 52. p) *Quod facit Boxhornius* ap. Horn. p. 189. 192.

q) Suprà l. 1. c. 1. §. 98.

ad §. 53. r) Conf. Epstein. d. l. p. 228.

s) Conf. Puf. de O. H. l. 2. c. 1. §. 9.

55. Nam hæc objectio id ſaltem infert, in hâc ſocietate non ita *arctam eſſe amicitiam*, ut in aliis, ut plane nulla ſit ſocietas, non inde inferri poterit.

56. Si enim inter concives imperii, v. g. inter Saxonem & Bavarum, ſi inter concives unius Principis v. g. inter Lipſienſem & Dresdenſem, ſi inter concives municipii unius eſt ſocietas, uti profecto eſt, etſi neuter alterum unquam noverit, cur non & inter homines iſtâ ratione non obſtante, ſocietas eſſe poſſet?

57. His ita præmiſſis, inquirendum nunc paucis in *præcepta*, quæ *officia ſociorum in genere* dirigunt, ubi nullum quidem ſupereſſe arbitror dubium, ex iis, quæ *præcedenti libro* prolixius oſtendimus, omnia ac ſingula præcepta ibi incultata obtinere etiam in ſingulis hominum ſocietatibus.

58. Præter ea, ante omnia reſpiciendum ad ſocietatis *diviſionem*, quâ ſuperius *t*) eam diximus eſſe vel *mixtam*, vel *æqualem*, (nam *inæqualis*, qualis eſt ſola inter Deum & homines, ad hunc librum nunc pertinet.) *u*) In *æquali* enim, ſeu ſocietate gentium iſta præcepta ſufficiunt.

59. At in *mixta*, quales ſunt naturales reliquæ, quatenus ea *imperium* in ſe continet, accedit prioribus præceptum aliquod ſpeciale, ad inferiores & ſubjectos pertinens: HOMINI, CUI IN ISTA SOCIETATE COMPETIT IMPERIUM, PARE.

60. Fluit hoc non ſolum in genere ex *primo*, quod initio *x*) demonſtravimus, *principio practico*, ſed in ſpecie ex *definitione ſocietatis mixtæ*, *y*) quæ talis non eſſet, ſi imperanti à reliquis non foret præſtanda obedientia.

61. Tum & ex *cuſtodiâ ſocialitatis*, quoniam pax & tranquillitas humani generis nimium quantum turbaretur, ſi in ſocietatibus ſpecialibus humanis inferiores ſuperioribus nullam præſtarent

rent

ad §. *58*. t) vide c. 1. l. 1. §. 93.
u) *Prabet enim illa fundamentum omni Jurisprudentiæ divinæ, ut libro primo indicavimus.*

ad §. *60*. x) l. 1. c. 3. §. 34.

y) *Quam vide* lib. 1. c. 1. §. 93. Conf. d. c. 3. §. 35.

rent obedientiam, cum ſic finis plerarumque *z)* iſtarum ſocietatum, de quo mox plura, in hoc corrupto ſtatu non poſſit obtineri.

62. Quid quod & præceptum *de pactis* ſervandis ſæpiùs hanc paritionem ex parte inculcat, quoniam imperia *plerumque* mediantibus pactis introducuntur.

63. Dico: *plerumque*. Hic enim vitanda erunt duo extrema, unum ejus ſententiæ, quæ ſtatuit, *omne imperium oriri ex pacto;* alterum opinionis huic adverſæ: Omne imperium oriri *immediatè ex voluntate divina* circa pactum. *a)*

64. Nos vero quoddam *immediatè à DEO*, quoddam *mediante pacto*, (eo videlicet modo quo ſuprà aliquoties pactum ad productionem juris vel obligationis alicujus concurrere diximus) produci opinamur. Res optimè patebit ex dicendis in ſingulis ſocietatum ſpeciebus.

65. Sed iſtud tamen hâc occaſione ſimul notandum, non confundendam eſſe *originem legis*, quæ jubet, imperanti eſſe parendum, cum ipſa *imperii origine*. Lex enim hæc in univerſum naturalis eſt, & ex ratiocinatione cognoſcitur, citra revelationem, vel divinam, vel humanam. At imperium huic vel illi in ſocietate competere, non ſemper ratiocinatione aſſequi poteris, ſed quandoque erit, ut notitiam conventionis habeas, in quem videlicet per pactum imperium ſit translatum, ut in civitate, quandoque etiam revelationem divinam præſupponit & jus poſitivum univerſale, ut in ſocietate conjugali.

66. Porrò inter ſocietates mixtas tres *ſimplices*, & ex compoſitis *reſpublica* ſpecialibus gaudent finibus, ut hactenus demonſtravimus. Igitur harum ſingulis accedit præceptum ſpecialiſſimum Juris naturalis: FAC EA, QUÆ FINEM CUJUSQUE SOCIE-

ad §. 61. z) Excipio enim ſocietatem conjugalem.

ad §. 63. a) *Prima ſententia, ni fallor, Hobbeſii eſt, ad quam ferè inclinat Dn. Pufendorffius. Poſterior eſt Hornii.*

SOCIETATIS NECESSARIO PROMOVENT, ET OMITTE EA, QVÆ ISTUM NECESSARIO TURBANT.

67. Aliàs enim *ſocietas non eſſet ſocietas*; quia finis eidem dat eſſentiam.

68. Aliàs peccaretur contra *primum principium Jurisprudentiæ divinæ*, quod DEO ſit parendum, qui ſocietatis alicujus autor eſt, aut etiam contrà præceptum de *pactis ſervandis*, quatenus ſocietates à pacto ſumſerunt originem; vel contrà aliud præceptum ſpeciale libri præcedentis, v. g. *de officiis humanitatis*, quatenus finis ſocietatis cujusdam in illo præcepto nititur. *b*)

69. Cum vero unius rei *plures* poſſint eſſe *fines*, & idem in ſocietatibus etiam obtineat; ut unus earum finis ſit principalis, alius vel alii ſecundarii, recta ratio dictitat, canonem noſtrum procedere de *fine primario*; quia ab hoc ſocietas ſpecificatur.

70. Unde & hic in concurſu cum finibus ſecundariis ſemper iis erit præponendus.

71. Quin & reſpectu conſtituendæ ſocietatis, SI CERTUM SIT, À PERSONIS, QUÆ SOCIETATEM INIRE VOLUNT, FINEM SOCIETATIS PRIMARIUM OBTINERI NON POSSE, NULLA ERIT SOCIETAS, neque admittenda eadem, etiamſi poſſit obtineri finis ſecundarius; ſi hic extrà ſocietatem illam aliàs non toleretur.

72. Dico: *ſi certum ſit.* Si enim ſpes adſit mediis naturalibus à perſonis ad tempus impeditis finem primarium aliquatenus poſſe obtineri, etſi melius ſit, ut perſonæ à ſocietate tunc abſtineant, admitti tamen eadem poterit.

73. Deinde loquor de *conſtituenda ſocietate.* Si enim à perſonis initio capacibus ſemel inita ſit ſocietas, non ſtatim ceſſabit eadem, etiamſi poſtea perſonarum una vel utraque fiat incapax, citra ſpem recuperandæ habilitatis; neque enim tum licebit in univerſum uni alterâ invitâ à ſocietate recedere, quin aliquando ob prohibitionem ſuperioris, non licebit utrisque conſentientibus.

74. *Uſus*

ad §. 68. b) *Ut de conjugali dicemus in cap. ſeq.*

74. *Usus harum observationum* se passim exeret in singulis societatibus, maximè in conjugali.

75. In quibus adeò, quantum ad Jurisprudentiam naturalem, nihil ulterius expectare debes, quam ut præcepta hactenus summatim exhibita, ad *easdem applicemus*, partim *speciales conclusiones* inde formando, partim *quæstiones* quasdam *controversas* ex iisdem definiendo.

CAPUT. II.

De

Officio Hominis Intuitu societatis conjugalis.

SUMMARIA.

Causæ difficultatis doctrinæ de societate conjugali. §. 1.--4. *Hypotheses hucpertinentes ex superioribus repetitæ.* §. 5.-- 12. *Consensus Gentium non probat jus naturæ.* §. 13.--20. *Instinctus hominis ad conjunctionem cum sexu diverso, quatenus differat ab instinctu bestiarum,* §. 21.-- 37. *Et quam hic cæcutiat ratio sibi relicta.* §. 38.--41. *Instinctus hominis ad conjugium ineundum.* §. 42.--46. *Unde primum præceptum: INEUNDUM ESSE MATRIMONIUM:* §. 47.-- 51. *quod ex natura sua non singulos, nec omni tempore obligat.* §. 52.--59. *Transitus ad definitionem matrimonii:* §. 60. *Fines matrimonii generatio sobolis & libidinis extinctio.* §. 61.-- 64. *Prior est finis primarius, posterior secundarius.* §. 65.--73. *Quatenus mutuum adjutorium sit finis conjugii.* §. 74.--80. *Ex finibus formantur duo axiomata de matrimonio:* §. 81. 82. (I.) Societatem quæ generandæ sobolis gratia initur, esse nuptialem. *Ex quo deducitur* [1.] *Consensum facere nuptias,* §. 83. 84. *qui excludit metum,* §. 85. *dolum,* §. 86. *errorem, non tamen omnem.* §. 87.--97. [2.] *Abstrahendo à Lege positiva, non minus fœminam quam marem posse*

sibi peculiariter sobolē quærere. §.98. [3] *Ad eum vero finem obtinendum nec continuam cohabitationem, nec imperium unius conjugis in alterum necessario requiri.* §.99. [4] *Neque adeò ad essentiam conjugalis pacti necessario requiri, ut fidem det viro fœmina, quod nemini præterquam ipsi corporis sui usuram velit concedere.* §. 100. 101. [5] *Aut ut uxor viro continuam cohabitationem promittat.* §. 102. 103. 104. [6] *Neque ex pacto matrimonii resultare marito imperium propriè dictum in uxorem.* §. 105 -- 110. [7] *Non obstare tamen aliquid quo minus per pactum possit imperium in maritum transferri.* §. 111. 112. 113. [8] *Maritum ex jure naturæ nihil habere potestatis in bona uxoris.* §. 114. [9] *Non pertinere ad essentiam societatis conjugalis, ut ineatur ad dies vitæ.* §. 115. -- 122. [10] *Nullo tempore determinato nihil obstare, quo minus fine conjugii semel obtento, conjux à conjuge etiam invito recedere possit.* §. 123. -- 130. [11] *Pacto conjugali ad dies vitæ inito, licere tamen à societate abire ob malitiosam desertionem, & pertinacem debiti conjugalis denegationem,* §. 131. *aut, si fœmina contra pactum alteri copiam corporis fecerit,* §. 132. *aut, si sterilitate laboret conjux,* §. 133. *aut ob mores intolerabiles,* §. 135. 136. *neque hic cognitam esse separationem quoad thorum & mensam.* §. 137. (II.) Non habendam esse eam societatem pro nuptiali, quæ non intendit generationem sobolis. §. 138. *Unde hic agitur de moralitate libidinis,* §. 139. *quæ definitur,* §. 140. *& dividitur* §. 141. *in scortationem & concubinatum.* §. 142. *De quibus asseritur* [1] *scortationem non esse conjugium.* §. 143. [2] *Non tamen inde inferri posse eam esse societatem inhonestam* §. 144. [3] *nec hoc probari exinde, quod socialitas turbetur si scortationi unicè & semper operam dent homines.* §. 145. -- 150. [4] *Horrendum Sodomiæ crimen parū aptè exinde demonstrari, quod in eo applicentur membra contra naturam:* §. 151. 152. *Neque enim usum membrorum contrà naturam semper peccatum esse.* §. 153. -- 156. [5] *Idem crimen neque ex doctrina de pudore & dignitate hominis exactè oppugnari posse.* §. 157. 158. [6] *Neque posse ex solaratione responderi Gentili, licentiam scortationis asserenti,* §. 159. -- 164. *aut in certo casu ejus*

bone-

honestatem defendenti, §. 165. & *à nobis permissam conjunctionem cum uxore gravida urgenti.* §. 166. 167. [7] *Denique ex Lege naturæ non posse concubinatum oppugnari.* §. 168. -- 172. *Circa personas præceptum : EAS CONTRAHERE DEBERE CONJUGIUM PER QUAS GENERATIO SOBOLIS OBTINERI POSSIT.* §. 173. 174. *Ergo requiri marem & fœminam*, §. 175. 176. & *à matrimonio excludi infantes*, §. 177. *Eunuchos*, §. 178. *arctam*, §. 179. (*Respondetur ineptis defensoribus conjugii Eunuchorum.* §. 180. -- 187.) *non tamen inde planè arceri spadones, steriles, senes ac vetulas*, §. 188. 189. *nec improbanda esse conjugia in ultimo mortis articulo.* §. 190. *Ex hac tamen assertione nihil accedere sententiæ defendenti conjugia Eunuchorum.* §. 191. -- 199. *Ostenditur : Polygamiam non esse jure naturali prohibitam, neq; virilem*, §. 200. -- 205. *neque muliebrem.* §. 206. -- 213. *Resolvitur quæstio : An mero jure naturæ liceat inire matrimonium cum ea, quæ jam alteri nupta est, aut eo, qui jam uxorem habet?* §. 214. 215. *Quo respectu adulterium juri naturali repugnet?* §. 216. 217. 218. *an & lenocinium?* §. 219. *Incestum ex jure naturali non posse impugnari.* §. 210. -- 224. *Ubi ostenditur : incestum parentum & liberorum vulgò malè impugnari*, §. 225. *ex ætatis disparitate*, §. 226. *ex confusione vocabulorum necessitudinis*, §. 227. 228. *ex communione sangvinis*, §. 229. *ex reverentia debito*, §. 230. -- 237. & *pudore naturali*, §. 238. -- 246. *multò minus incestum reliquarum personarum ex jure naturali posse oppugnari.* §. 247. *Matrimonii definitio* §. 248. *Præceptum de officiis conjugum : FACIENDA ESSE AB UTROQUE CONJUGE EA, QUÆ PRUDENTIA DICTAT, AD PROPAGATIONEM SOBOLIS, ET POST HANC AD LIBIDINIS EXPLETIONEM ESSE APTA.* §. 249. *Unde deducuntur officia specialia mariti*, §. 250. *uxoris*, §. 251. *utriusq;* §. 252.

§. 1. Inci-

§. 1.

INcipiemus autem à *simplicibus societatibus*, quoniam ex his componitur civitas. Inter eas maximè naturalis eſt *societas conjugalis, a*) quia communiter omnes homines in ſe deprehendunt *inſtinctum* ad eandem ineundam.

2. Cujus intuitu quodnam *officium* cuique incumbat, tanto *difficilius* eſt exponere, quanto intricatius hoc negotium reddidere illuſtres controverſiæ à Theologis, JCtis, Philoſophis in utramque partem acrius ſæpè & ſubtiliter magis, quàm perſpicuè & diſtincte ventilatæ.

3. Videtur verò ejus *difficultatis ratio* potiſſimum in eo ſita eſſe, quod plerumque jura *divina humanis* fuerint mixta, & maximam partem jus *naturale* cum *jure poſitivo univerſali* ex ignorantia confuſum, aut *eorundem ſeparata tractatio* nonnunquam ex inſtituti ratione & operis argumento fuerit omiſſa.

4. Si enim fateri volumus, quod res eſt, nulla eſt ex humanis ſocietas, quam divinum numen tot ſpecialibus præceptis muniverit, quàm conjugalis, quam adeò ſedulo dabimus operam, ut à legibus naturalibus ſecernamus, *ab his initium facturi*, ut eò melius poſteà declarare poſſimus, quid revelatio rationi ſuperaddat.

5. Repeto autem ante omnia ex *hypotheſibus* hucuſque demonſtratis præcipuè iſtas. 1. Per *legem naturalem* nos haud aliam intelligere, quam eam, quam ſuperius *b*) definivimus, & cujus fundamentum demonſtravimus ſitum eſſe in neceſſaria convenientia & disconvenientia cum natura hominis ſociali, id eſt, pacifica. *c*)

6. 2. Concluſiones vel *quæſtiones*, quæ hic occurrent, examinandas eſſe ſecundum ductum *axiomatum præcedenti* capite indicatorum, quæ omnia ex fonte illo propullulant.

7. 3. Ex quo ſuâ ſponte fluit, actuum hic tractandorum *juſtitiam* aut *injuſtitiam* ex iſtis regulis fore dijudicandam, illosque adeò, ad quos eædem plane non pertinent, abſtrahendo à revelatione divinâ, pro *licitis* eſſe habendas. 8. 4. Hoc

ad §. *1.* a) *Junge cum hoc capite Pufend.* lib. *6.* c. 1.

ad §. *5.* b) l. 1. c. 2. §. 97. c) l. 1. c. 4. §. 64. & *69.*

8. 4. Hoc tamen probe notandum erit, cum actionis *licita* vocabulum non sit absolutum, sed respectum ad legem habeat, denotetque eam, quæ nec lege præcepta est, nec prohibita, *d*) cavendum tibi esse, dum in priori hujus capitis parte terminum actus *liciti* audis, ne putes, eum omni jure naturæ esse licitum, cum saltem de jure naturæ loquamur, multa verò lege positiva severissime sint prohibita, ad quæ lex naturalis non attingit.

9. 5. Ulterius etsi ea, quæ *licita* dicuntur, inter præcepta & prohibita quasi *intermedia* jaceant, tamen istud *medium* non intelligendum esse in puncto, sed cum aliqua laxitate, ita ut modo prohibitioni, modo præceptioni sit propinquior, ferè ut Peripatetici mediocritatem suam virtutis explicant.

10. Nam quæ socialitatem aut finem societatis alicujus etsi non necessario, *promovent*, sed *per accidens*, à *præceptis* propius absunt, quæ è contrario *turbant per accidens*, *prohibitioni* propiora sunt, adeoque abstrahendo à revelatione divina, illa laudabilius committuntur, hæc omittuntur. Igitur & hic *gradum licentiæ* simul adjiciemus.

11. 6. Non mirari tamen debes, si *posterior pars* ostenderit, etiam ea, quæ mero jure naturæ *præceptis propiora* videbuntur, à DEO lege positiva esse prohibita. Non enim metienda est divina prudentia secundum regulas prudentiæ humanæ, & sufficere nobis debet, quod actus ejusmodi ad socialitatem non sit necessarius, præprimis cum sæpius accidere possit, ut in uno actu plures occurrant circumstantiæ, quarum una magis ad promotionem, altera magis ad turbam pacis communis inclinet, quo pacto, si absque revelatione divina foret, fluctuaret profecto ratio nostra sæpius, utrum laudabilius esset, ejusmodi actionem committere an omittere.

12. Neque illud 7. omittendum, quod supra *e*) inculcavimus; non valere *istam illationem*: Hic actus in sacris literis præ-

ad §. 8. d] vide lib. 1. c. 1. §. 146.
ad §. 12. e] lib. 1. c. 2. §. 70.

ceptus aut prohibitus, etiam *à Gentilibus* fuit pro honesto vel turpi agnitus, ergo ejus *determinatio à lege naturali* provenit.

13. Unde non sine causa commentatoribus suis vapulat Grotius, quod *ad probationem juris naturæ* putaverit *f) adhibenda esse testimonia Philosophorum, Historicorum, Poetarum, Oratorum.* Etsi ipse hoc argumentum pro demonstrativo aut quod indiscretè adhibendum sit, non ventilet.

14. Nam quod ait: *Ubi multi diversis temporibus & locis idem pro certo affirmant, id ad causam universalem referri debere, quæ in quæstionibus juris alia esse non possit, quam aut recta illatio ex naturæ principiis procedens; aut communis aliquis consensus; illam jus naturæ indicare, hanc jus gentium, quorum tamen discrimen non ex ipsis testimoniis, sed ex materiæ qualitate intelligendum sit;* id plures meretur observationes.

15. Initio enim id valde dubium restat, quod dicit: *affirmationem multorum diversis temporibus & locis factam à causa quadam universali oriri.* Per istos enim *multos*, per Philosophos, Historicos, Poetas, Oratores ad quos provocat, haud dubiè intelligit scriptores Græcos aut Romanos. At horum consensus si alia argumenta deficiant, ut causæ universali adscribatur, nulla persuadebit ratio, quoniam isti populi haud longâ terrarum intercapedine à se invicem discreti ex perpetuo commerciorum usu belli pacisque publicis negotiis & vitæ quâdam atque morum convenientiâ facile in quasdam conditiones tacito consensu transire potuerunt. g)

16. Deinde dum Grotius causas universales testimonia Gentium elicientes recenset, insufficientem earum enumerationem tradit, dum saltem ad *dictamen rectæ rationis & communem consensum* provocat, sui videlicet ipsius oblitus, quod initio eruditi sui operis inter leges universales totum humanum genus adeoque & gentes obligantes, etiam recensuerat *legis divinæ voluntariæ aliquam*

ad §. 13. f] In Proleg. n. 40.
ad §. 15. g] Vid. Henniges ad Grot. d. l. p. 37.

quam speciem, quam neque ad illationem ex naturæ principiis, neque ad communem consensum gentium referre poterit ipse.

17. Atque hanc plus una vice causam fuisse testimoniorum à Philosophis gentilibus petitorum, simul ostendimus superius. *h*)

18. Ubi simul rejecimus, *i*) *jus gentium proprie dictum à jure naturali specie differre*, quare non opus est, ut adversus id quidquam urgeamus amplius, quod porrò Grotius de *consensu & jure gentium* hic immiscet.

19. Denique ipse Grotius fatetur, non tam ex testimoniis Gentilium quam ex *materiæ qualitate* dijudicandum esse, quid sit juris naturalis, quid non, quo pacto evidens evadit, tutius isto argumento de consensu Philosophorum Gentilium hic abstineri.

20. Et ista quidem vel ideò paulo fusius hic fuerunt monenda iterum, quod sæpius scriptores, qui officia conjugalia exponere aggressi sunt, in definiendis controversiis difficilioribus, dum actum aliquem jure naturali prohibitum esse asserunt, nullam prohibitionis rationem tradunt, sed quasi re bene gestâ, loco *rationis* exhibent *testimonium Philosophi gentilis*.

21. Jam ad rem. Quilibet homo, dum seposita revelatione naturam suam meditatur, deprehendit in se *occultam quandam propensionem & acres stimulos ad conjunctionem cum individuo diversi sexus*, cujus & ipsius inclinationes si inquirat, cognoscit, affectum istum à DEO, ut *mutuum* utrique sexui inditum esse. *l*)

22. Cognoscit ulterius, stimulos istos magis *à dispositione corporis quam animi* ortum suum ducere, non solum, quod sæpè eos alia omnia cogitando sentiat, aut plerumque cogitationes suas antevertere & excitare percipiat, sed & quod similes ejusmodi stimulos inveniat in *bestiis*, unde occasionem nanciscitur hoc passu naturam suam conferendi cum bestiarum structura. *m*)

 23. *Has*

ad §. 17. h] l. 1. c. 2. §. 70.
ad §. 18. i] l. 1. c. 1. §. 104.
ad §. 21. l] Puf. §. 2.
ad §. 22. m] Conf. Cumberland. de LL. Naturæ. p. m. 119.

23. *Has* equidem videt *certis anni temporibus* à ſtimulis iſtis actos conjungi, eamque conjunctionem naturaliter *ad generandum ſui ſimile* eſſe deſtinatam. Eâ vero peractâ videt maſculum ferè derelinquere fœmellas, hasque ſolas poſteà *onus edendi fœtus*, editumque *nutriendi* ferre.

24. *Suas* vero propenſiones *non limitatas* eſſe ſentit ad certa anni tempora, ſed quodammodo perpetuas, conſiderat *ſangvinis ſui* partes agiliores, & majorem vim *vaſorum ſuorum*, deſtinatorum tamen etiam *ad ſobolem* per ſimilem conglutinationem *generandam. n*)

25. Ulterius penſitat, cum inclinatione iſta *in ſe* conjunctum eſſe *affectum beſtiis incognitum, amorem* videlicet, vi cujus etiam citra corporum communicationem in benevolentiâ certæ cujusdam perſonæ majorem felicitatis ſuæ partem poſitam eſſe credit quàm in benevolentia aliorum, ob odium verò aut averſationem ejusdem contriſtatur, ipſius delectationibus ferè magis afficitur quam propriis, doloresque ejusdem graviter ſentit ipſe.

26. Porro cum beſtiæ nullum diſcrimen faciant *individuorum*, in *ſe* deprehendit homo nimium *variantes inſtinctus*, quorum cauſas plerumque reddere non novit, *o)* ut nimirum erga unum individuum vel nullos planè, vel adverſos etiam ſentiat amoris ſtimulos, eosdem viciſſim magis ad hanc quàm ad iſtam perſonam inclinantes.

27. Præterea & *maſculi* in ſe detegunt ſingularem quandam *inclinationem in ſobolem* à fœminâ *conceptam* pariter *&* *editam.*

28. Denique in *ſe* communiter utriusque ſexus homines *peculiarem ad concubitum ſtimulum* ſentiunt, etiam quando ſobolem per eum generare aut concipere non poſſint, ut ſi fœmella jam ſit gravi-

ad §. *24*. n] Cumberl. d. l. p. 152.

ad §. *25*. o] *Huc pertinet illud Poëtæ :* Non amo te Voluſi &c. *quamvis arbitremur, illam ignorantiam inde provenire; quod non nos ipſos nec affectus noſtros cognoſcamus. His cognitis cauſam amoris facile poſſe reddi.*

gravida, aut ubi vitæ civilis vel tranquille vivendi ratio non ferat, ut societatem generandæ sobolis gratia ineant, sentiunt utique & singularissimam in generationis actu *delectationem*; quæ fere istius irritamenti primariò movens causa est, p) quæ omnia si exactè rem pensitent, *in bestiis aliter se habere* cognoscunt.

29. Nam & difficulter mutum animans *post conceptionem* ingressorem admittit, & bestias *nulla vitæ civilis* aut tranquille vivendi *ratio*, utpote quâ destituuntur omninò, *impedire potest*, ut instinctum naturalem generandi traducant in actum.

30. Et si loqui volumus, quod res est, *nullam* proprie percipiunt bestiæ *delectationem* ex congressu, quoniam videlicet ratione & sensu interno easdem destitui suprà diximus, sed *simulacra* saltem ut rationis, ita ejusmodi *delectationis* in bestiis apparent. q)

31. Quilibet enim propriâ experientiâ in se deprehendere poterit, *delectationem esse cogitatinem* vel simplicem vel cum meditatione conjunctam, *voluptatis* vel *præsentis*, vel *præteritæ*, vel *futuræ*. Neutrum *de bestiâ* prædicare poteris, quia eadem nullo modo cogitat vel meditatur.

32. In eo tamen inter has *tres* delectationis species est differentia, *præsens* voluptas miris modis hominem præ aliis afficit, suique recordationem specialem phantasiæ & memoriæ hominis imprimit, quâ dum *præteritam* voluptatem profundius cogitat, sæpius etiam absente objecto vehementer ad appetendum de novo irritatur, & ad cogitationes prolixiores *futuræ* delectationis disponitur.

33. Quod si vel maximè delectionem *hominis* hac parte cum delectationis simulacro, quod in *bestiis* deprehenditur, comparare velis, deprehendes, *actum* ex quo delectatio illa oritur, ita *communem esse homini cum bestiis*, ut rationis (quæ hominem alias à brutis secernit) imperium quam maximè excutere nitatur idem, & sæpissime excutiat.

ad §. 28. p] *v. g. si liberos & uxorem quis non possit alere, si quis jam laboret abundantia liberorum, si quis concubitum appetat cum uxore gravida vel aliena &c.*

ad §. 30. q] Conf. Puf. §. 2.

34. Quemadmodum enim *bestiæ* ita fortiter stimulis generandi aguntur, ut, si acrius iisdem sint commotæ, vix verberibus aut vi majori, faciliùs aliàs ipsorum inclinationes reliquas reprimente, retineri possint; Ita profectò in *hominibus* momentum præsentaneæ jucunditatis tam svaviter ideam ejus homini repræsentat, ut nullum majus in isto momento bonum concipere valeat, etsi mox ratio à delinimentis illis liberata, contrarium evidentissime eidem demonstret.

35. Quin & *frustratum* diutiùs *conjunctionis desiderium* ita aliquoties homines extrà se rapuit, ut res nunquam aliàs committendas perpetraverint.

36. Nam etsi & *aliorum affectuum* excessus subinde homines ad actiones, quæ cum rationis dictamine pugnant, abripiant, tamen istius rei ratio vel pravæ educationi aut consvetudini, vel certè peculiari alicui circumstantiæ, quam facilè homo minimum aliquo ante excessum tempore reprimere poterat, describi potest.

37. Ast *libidinis œstrum* [de quo hactenus *r*) locuti sumus] ita *commune* est omnibus hominibus, ita aliquando *homines bene educatos* & *ratione suâ rectè utentes*, à rationis tramite avertit, ut parum à *furore* differat.

38. *Originem* vero hujus rei homo revelatione carens ignorat, *s*] unde non poterit non, si ratiocinatione sola hic uti velit, inferre *physicam libidinis* uti *furoris* esse causam.

39. Quid quod, cum sentiat *furorem* à rationibus specialioribus provenire, *libidinem* vero omnium hominum naturæ cohærere, istam inter hæc duo necessariò faciet comparationem, ut *furorem* pro accidente præter vel contra naturali, libidinem pro naturali affectu habeat.

40. Denique cum sciat, hominem non habere naturam suam à seipso, uno absurdo admisso id ex consequentiarum connexione sequetur, ut putet, *conditorem hominis* ipsi hunc affectum tribuisse.

41. Vi-

ad §. *37.* r] à §. 28.

ad §. *38.* s] *Quia ignorat statum integritatis, ut lib. 1. probavimus.*

41. Vides ergo, quantum *ratio nostra lumine scripturæ destituta cæcutiat*; Unde jam non difficulter præsumere poteris, an semper solidi quid sperare debeas, si meditationes præcedentes, quarum veritatem cuilibet proprius demonstrabit sensus, conferas *cum præceptis juris naturalis & regulis ejusdem* hactenus expositis.

42. Equidem si initio *officium hominis circa ineundum conjugium* consideres, non aberrabit adeo à voluntate divinâ ratio tua, quatenus adhuc recta est, si eam sequaris. Dictabit enim *discrimen sexus & naturalis facultas* hominibus indita commixtis corporibus sese propagandi, *voluntatem creatoris esse*, ut hanc potentiam naturalem traducant in actum. *t*)

43. Idque eò magis, quo *majorem in se præ bestiis agnoscit esse sexuum in se invicem propensionem* mutuam, simulque ardentissimum *in prolem affectum*, cujus rationem inter alia & in eo sitam esse videt, ne fortasse per incuriam aut ob molestias partus vel educationis, & quia liberi sæpe materiam dolendi, semper laborum & curarum præbent, nobile istud opus omitteret, citra, quod mortalium genus durare non poterat.

44. Ut itaque circa alia, ad quæ *naturali appetitu* homo fertur, ut est *conservatio sui* ipsius, *amor & educatio sobolis*, jus naturale præcepta cordibus hominum inscripsit, ita & iidem sentiunt circa *generationis actum obligationem* quandam sibi esse inditam.

45. Neque enim putandum est, in his & similibus actibus lege non fuisse opus, cum jam antea *instinctus & appetitus sensitivus* in talia sat valide propellat; quin potius invertenda erit ratiocinatio, naturam ista, utpote incolumitatem generis humani immediate conservantia, quam accuratissime voluisse observari, dum velut diffisa soli rationis dictamini eidem succenturiari jussit instinctum ita vehementem, ut difficulter admodum homo in contrarium niti queat.

46. Secernendi tamen hic probe sunt *instinctus*, ne quis nobis affingat, ac si indistinctè ab instinctu hominis metiremur ejusdem obligationem. Qui *incolumitatem humani* generis non inten-

ad §. 42. t] *Ad hunc & seqq. §§. vide Puf. §. 2. 3.*

intendunt, qui ex *facto aliquo illicito* oriuntur, qui *pugnant cum lege naturali* jam demonſtrata, ut vides, ab intentione noſtra alieni ſunt. Unde fruſtrà nobis oppones *inſtinctum matris ad prolem interficiendam* ex metu & fuga infamiæ ortum. *u*)

47. *Primum* itaque Præceptum, officia hominis circa ſocietatem nuptialem dirigens erit iſtud: INEUNDUM ESSE MATRIMONIUM.

48. *Generalis* ejus *ratio* conſiſtit in præcepto de *cuſtodienda ſocialitate*. Cum enim ſocialis vitæ fundamentum ſit matrimonium, homines quoque ad idem obligabuntur, prout tenentur ad omnia, quæ ad eum finem neceſſariò faciunt. *x*)

49. In *ſpecie* autem præceptum de cuſtodienda *æqualitate* illam obligationem elicit. *y*) Uti enim unum par hominum ad vitam in hoc ſtatu tranquille agendam non ſufficit, ſed multiplicatione generis humani ad eam obtinendam eſt opus, qua obligatione inducti noſtri (quicunque & quotcunque ſimus) parentes nosmet generarunt; ita æqualitatis ſtudium nos impellit, ut & nobis & ſociis noſtris de futuris iterum proſpiciamus ſociis, cum alias, quotidie aliis poſt alios per mortem abreptis, facile evenire posſit, ut omnium longævisſimi vitam ducerent miſerrimam.

50. Simul vero hæc ratio oſtendit, ad quam claſſem præceptorum ex axiomate iſto generali æqualitatem inculcante, præceptum noſtrum referri debeat, nempe ad legem illam, quæ *exhibitionem officiorum humanitatis* inculcat, quia per ſobolis generationem indiſtincte & etiam citra pactum *aliis* proſumus.

51. Neque illis ſolummodo, qui nobiscum jam *ſocietate aliqua* juncti ſunt, ſed & ipſis *poſteris noſtris*, in lumbis noſtris adhuc conſtitutis, nam & hi, ſecundum regulam vulgatam, quoties de ipſorum commodo quæritur, habentur pro jam natis.

52. Indicant autem rationes allatæ, præceptum noſtrum ad *inde-*

ad §. *46.* u] *Obſcurius ad hanc objectionem reſpondet Puf*. d. §. 3.

ad §. *48*. x] Puf. §. 7.

ad §. *49*. y] *Hanc rationem omiſit Dn. Pufend.*

indefinita & *indeterminata* pertinere, quæ non *singulos* necessario & *quovis tempore* obligant. *z*)

53. Nam non solum *in genere* præcepta *affirmativa* ad sui impletionem requirunt occasionem, sed & in specie hic repetenda sunt ea, quæ supra de *præstatione officiorum humanitatis*, quod eadem obligent imperfectè & cum respectu ad commoditates proprias, distincte inculcavimus. *a*)

54. Hinc *matrimonii contrahendi occasio*, non ex sola ætate aut generandi aptitudine metienda est, sed ut copia quoque sit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem nascituram, ac ut mas quoque sit idoneus ad gerendum partes patrisfamilias. Aliquando etiam præsentium temporum & incumbentis functionis conditio de matrimonio cogitare non patitur. *b*)

55. Igitur non modo non est necessarium, sed stultum insuper, *juvenes animum ad uxores applicare*, qui sibi suisque nil nisi strenuam esuritionem possint polliceri, ac civitatem mendicabulis sint impleturi, aut qui ipsi suprà pueros parum sapiunt.

56. Imo recte faciunt, *qui matrimonium differunt*, quo commodius per cœlibatum animum excolant, ac ad præstanda egregia societatis humanæ ministeria sese præparent, id quod uxoratis per mores civitatis aut genium fœminarum non ita licebit.

57. Nec reprehendendus erit illorum *cælibatus*, qui probabiliter prævident, sese in cœlibe vita, ad quam per continentiam exigendam habiles se deprehendunt, plus humano generi aut civitati suæ utilitatis posse præstare, quam uxoratos, qui adeò ne-

LII quid

ad §.52. z] Puf. d. §. 7.

ad §. 53. a] *Priorem rationem tradit Dn. Puf.* d. l. *de qua suprà egimus etiam* lib. 1. *Posteriorem omisit.* vide l. 2. c. 6. §. 17. seqq.

ad §. 54. b] *Ad hunc* §. *usq; ad* §. 60. conf. Puf. §. 7. *Huc refer dictum sanè explicatum, Virum Politicum carere debere uxore, & institutum primorum Christianorum, quo non quidem interdicebatur sacerdotibus conjugium, sed pro præstantiori tamen vita habebatur, si quis abstineret.*

quidquam putandi sunt per naturam obligari, ut omnino præclaris suis conatibus per muliebres illecebras velut remoram injiciant.

58. Multo minus reprehensio metuenda est illis, qui cum ex priori matrimonio liberos habeant, hisce prægravem *novercam aut vitricam superinducere nolunt*, quanquam propterea *secundæ nuptiæ* non sint habendæ pro illicitis, cum non semper malè per eas liberis prius genitis consulatur.

59. Hæc omnia tamen sic intelligenda sunt, ut *non turbetur humanitas*, ut non turbentur *fines* matrimonii.

60. De quibus adeo ordo postulat, ut jam dispiciamus. Non enim sufficit, ut sciamus, præceptum esse de ineundo matrimonio, nisi etiam cognoscamus, *quid sit matrimonium*. Hujus autem, ut in aliis societatibus fieri diximus, *essentia* dependet *à fine*.

61. Jam constat, inter gentes communiter nomine *matrimonii* venire illam *societatem, quæ concumbendi gratia* initur. Itaque quos *concubitus fines* esse natura dictitat, sequetur etiam, *matrimonii fines* esse habendos.

62. At jam supra diximus, *duplicem* ob causam hominem ad appetendam conjunctionem ferri, ut *generetur soboles*, ut *libido reprimatur*.

63. Horum utrumque homo sibi relictus pro *naturali* habet. *Illum*, quoniam videt, seminis humani nullum alium esse usum, quam ut ex eo formetur fœtus. *Hunc*, quoniam communiter omnes homines instinctu intrinseco ad voluptatem illam capiendam ferri, per experientiam docetur.

64. Unde sequitur, ut idem istos duos fines pro *veris* matrimonii finibus habeat. *d*)

65. At plerumque evenit, ut in veris finibus uno pluribus unus magis intendatur, aut intendi debeat, quam alter, quorum ille finis *principalis* appellatur, hic *secundarius*, ergo

ad §. *62*. c] §. 21. seqq.
ad §. *64*. d] *Non pro fine per accidens, ut dicemus de mutuo adjutorio*,

ergo & de hoc diſcrimine in iſtis duobus matrimonii finibus nunc inquirendum erit.

66. Si ex ſola comparatione naturæ humanæ cum beſtiali *obiter* inſpectâ res definienda foret, videri poſſet, *ſedationem libidinis matrimonii finem primarium* eſſe, quoniam ſupra *e*) diximus, procreationem ſobolis homini cum brutis eſſe communem, libidinis irritamentum homini ferè proprium.

67. Verum non patiemur, ut hæc caligo lumen veritatis obnubilet. Nam initio ſimul ſupra oſtendimus, in beſtiis, etſi non ſit libido propriè dicta, eſſe tamen eidem valde affine libidinis ſimulacrum. *f*)

68. Quod ſimulacrum uti ibidem *g*) hanc ſimilitudinem cum libidine hominum habere aſſeruimus, ut libido fere rationis imperium excutiat, ita id, *quod magnopere rationi adverſatur, non poterit ſocietatis rationalis eſſe finis primarius.*

69. Quapropter & communiter non ſolum latino, ſed & aliorum populorum idiomate, vel eminentiores concubitus merè libidinoſi, vel in genere omnes, *beſtialitatis* nomine audiunt.

70. Denique in quæſtionibus juris naturalis definiendis non reſpiciendum eſt primario ad ſecundarias & accidentales eſſentiarum inter hominem & beſtias differentias, ſed ad *primariam*, quæ conſiſtit in *ratione*, ratio in *ſocialitate*, ſocialitas in *tranquillitate*, hæc in *praeceptis* generalibus hactenus expoſitis.

71. Quæ omnia cum colliment *in utilitate communi humani generis*, ſecundum quam utilitates ſingulorum erunt ordinandæ, ſimul neceſſario ſequetur, *ſobolis generationem matrimonii principalem* eſſe finem, *libidinis extinctionem ſecundarium.*

72. Nam *illa* generi humano prodeſſe ſtudet, *hæc* ſingulis ſeorſim.

73. Cui & hoc adde, quod *generatio ſobolis ſimul extinguat libidinem*, non vice verſa *omnis libidinis extinctio generet.* Igitur

 ille

ad §. *66.* e] §. 28. ſeqq.
ad §. *67.* f] §. 33. 34.
ad §. *68.* g] vide §. 33.

ille actus magis naturalis erit, quam hic, cum in eo & communis & singulorum utilitas sit conjuncta.

74. Præter hos duos conjugii fines communi eruditorum consensu, additur *tertius, mutuum* nempe *adjutorium*, quod ut rectius intelligas, notandum, societatem nuptialem vel considerari *in se*, absque respectu ad alias societates, vel *in ordine ad familiam*, cujus pars est.

75. *Priori* modo duobus istis finibus absolvitur. *Posteriori* intendit simul mutuum adjutorium in familia.

76. Sed hic iterum *mutuum* istud *adjutorium* distinguere posses in *ordinarium*, quod semper in familia societatis nuptialis proprium est, & *extraordinarium* seu subsidiarium, quod supplet defectum alterius societatis.

77. *Ordinarium* illud voco, dum amor adjutorium præbet marito in educandâ sobole, regendis servis, acquirendis vel conservandis bonis.

78. *Extraordinarium* est, si paupertate v. g. laboret paterfamilias, ut servos & ancillas alere non possit, tum enim ob defectum *societatis herilis* necesse erit, ut maritus servi vices gerat, uxor ancillæ.

79. Puto autem ex dictis apparere, *utrumque* hoc mutuum adjutorium inter *secundarios* conjugii fines esse numerandum, *prius*, quod afficiat matrimonium in relatione ad extra, *posterius*, quod præsupponat defectum.

80. Hoc tamen jam velut obiter notes, per *mutuum adjutorium* communiter à scriptoribus indicari aliquid à prioribus finibus duobus distinctum.

81. Cum igitur societates humanæ specificentur à finibus primariis, & vero hactenus demonstratum sit, generationem sobolis esse finem primarium societatis nuptialis, inde facile sequens axioma conficitur: Societatem, quæ generandæ sobolis gratiâ initur, abstrahendo à revela-

velatione) **esse societatem nuptialem.** Itemque: **Non habendam esse eam societatem pro nuptiali, quæ non intendit generationem sobolis.**

82. Antequam itaque ad præcepta conjugibus observanda progrediamur, necesse erit, ut ostendamus *conclusiones*, quæ per optimam consequentiam ex istis duabus positionibus inferri possunt.

83. *Affirmativam* quod concernit, initio ex doctrina de societatibus in genere id apertum est, *essentiam* societatis nuptialis *non incipere ab adimplemento finis*, & ipso actu conjunctionis, sed hic valere regulam vulgatissimam; finem esse primum in intentione, ultimum in executione, adeoque *statim post consensum interpositum de hoc fine impetrando subsistere nuptias.*

84. Atque huc pertinet assertio communis JCtorum: *Consensus, non concubitus facit nuptias*, quâ tamen non solum id, quod modo diximus, innuitur, sed & quod *concubitus absque consensu* pro societate conjugali haberi nequeat, quoniam tum videlicet non constat, utrum primario cum intentione procreandæ sobolis, an saltem libidinis extinguendæ gratia factus fuerit, de quo mox in expositione positionis posterioris negativæ videbimus. *h*)

85. Porro quæ supra quoad naturam pactorum in universum de consensu notavimus, ea quoque hic in consensu de societate nuptiali erunt repetenda, quapropter in contrahentibus debet *sufficiens usus rationis* adesse, nec minus abesse debet *metus* ab alterutra parte injuste incussus. *i*)

86. Eadem erit ratio *doli mali*, *l*) ut abstrahendo à revelatione divina & moribus gentium, non distinguamus, an dolus inci-

ad §. 84. h] *Ad hunc & præcedentem §. vide Pufend. §. 14.*
ad §. 85. i] Puf. *§. 16.*

ad §. 86. l] *Dolum ab errore seorsim hic non considerat Pufend.*

ciderit in essentiale conjugii, an in ea, quæ vocantur accidentalia, ut si persvaserit una pars alteri, se esse *divitem*, *nobilem*, *virginem &c.* Nam ut de iis nullum est dubium, quin nulla sit societas nuptialis, ita quoad hæc ad definitionis identitatem nos ducit regula suprà exposita, *m*) qnod nunquam dolus prodesse debeat lædenti, sed quod in arbitrio læsi sit, utrum negotium rescindere, an ad supplementum læsionis alterum adigere velit.

87. Nec circa *errorem* mutamus quicquam, quatenus nempe dolo contradistingvitur. Diximus enim ibidem, *n*) Errorem in dubio semper nocere debere erranti, nisi circumstantia illa, in qua erravit, expresse promisso per modum conditionis fuerit adjecta.

88. Ex hoc inferimus: *o*) *Errorem circa personam*, si *dolus* unius ex contrahentibus interveniat, quidem nullum reddere matrimonium, quale quid contingebat Jacobo, sed si *hic absit*, subsistere matrimonium, ut si quis v. g. Titiæ promittat nuptias, quam putet esse Cajam, modo non dixerit, quod velit cum ipsa tanquam cum Cajâ contrahere.

89. Deinde *errorem circa virginitatem*, si sponsus de eâ in promisso non injiciat sermonem, mero jure naturali non præjudicare conjugio. *p*)

90. Aliud, si erratum fuerit in *sexu* vel *generandi potentiâ*, quia sic non potest finis conjugii obtineri, adeoque hæ duæ qualitates semper adhærent promisso per modum conditionis.

91. Quod si circa *pulchritudinem*, *nobilitatem*, *divitias &c.* erratum fuerit, si quis non expressè v. g. de certâ dote convenit, sed tacitâ duntaxat spe sponsæ suæ opes non investigatas devoravit, non licebit ei dissolvere nuptias, vel earum ritè pactarum consummationem detrectare.

92. Si

m] Vide lib. 2. cap. 7. §. 49. seqq.

ad §. 87. n] d.c. 7. lib. 2. §. 40. seq.

ad §. 88. o] *Dn. Pufend.* §. 26. *indistinctè errorem circa personam dicit vitiare matrimonium.*

ad §. 89. p] *Videtur dissentire Pufend.* d. §. 26.

92. Si vero *per modum conditionis* & has qualitates quis pacto matrimoniali inseruerit, jure naturali nihil obstabit, quo minus errore deprehenso retractari possit societas inita, ut si dixerit; *repudiabo te*, si tantum dotis mihi non attuleris.

93. Ita si quis promisso hanc clausulam expresse addiderit, eâ lege sibi aliquam *fore uxorem*, si nobilis sit genere, si tantum dotis attulerit, utique non prius ad matrimonium consummandum tenebitur, quàm illa conditio appareat.

94. Quin & si quis neglectâ inquisitione in conditionis istius existentiam, matrimonium consummaverit, non videbitur tacite isti conditioni renunciasse; adeoque si, quæ sperabantur, deinceps non repræsententur, putarem, sufficientem divortio præberi causam. *q*)

95. Neque enim regulariter *renunciationes* tanquam odiosæ ita facilè præsumuntur, neque inter pares *negligentia* poterit aliquem jure alias competente privare, præprimis si eadem *dolo* alterius fuerit elicita, qui hic fere abesse non poterit, si conditiones istæ pacto fuerint additæ.

96. Neque obstabit etiam, in dato casu non ita fuisse contractum; *repudiabo te*, si tantum dotis non attuleris; sed ita: *non ducam te. r)* Nam & hoc ultimum sufficiet, quia & hoc modo deficiet consensus, si illa tantum dotis non attulerit.

97. Atqui, inquis, *consummavit tamen matrimonium*, dum concubuit. Fuit inquam, non vera consummatio, quia modo notavimus, concubitum absque consensu non facere nuptias. *s*)

98. Porrò cum *pacta*, quibus societatem aliquam inimus, nullam aliam *essentiam* ex naturâ rei habeant, quam *quæ dependet à fine societatis* utpote hujus essentiam absolvente, constabit, si inter homines in naturali æqualitate & libertate constitutos matrimonium

---

ad §. 94. q] *Dissentit Dn. Pufend.* d. §. 26.

ad §. 96. r] *Quam objectionem urget Dn. Pufend.* d.l.

ad §. 97. s] vide modò §. 84. & Puf. ipsum §. 14.

nium ineatur, contingere posse, ut *non minus fœmina t) quàm mas sibi peculiariter sobolem cupiat quærere*, in quam ipsa jus obtineat. Cui fini necessarium est, ut pactum inter marem & fœminam ineatur *de præbendo invicem corpore.*

99. Hoc pactum itaque si simplex tantum fuerit, solam *procreationem* respiciens, & non conjunctam habeat conventionem circa *continuam cohabitationem*, neque uni in alterum *imperium* conferet, & neutri in alterum quicquam juris erit, præterquam ad præbendum corpus procreandæ sobolis gratiâ.

100. Ex quo sequitur, mero jure naturæ *ad essentiam conjugalis pacti* non requiri, ut ante omnia *fidem det viro fœmina, quod nemini præterquam ipsi, corporis sui usuram velit concedere. u*)

101. Nam etsi afferre velis, conditionem humanæ naturæ exactius examinanti videri, utriusque *sexus indoli* magis congruere, ut pactum connubiale *à viro incipiat*, adeoque vir quærat uxorem, non uxor virum; ex quo pateat, *virum sibi quærere sobolem propriam*, non suppositiam aut adulterinam; vereor tamen, ut quæ de *initio pacti conjugalis* à maribus faciendo adducta sunt, ex *natura sexus* demonstrari queant, & non potius moribus gentium, educationi fœminarum, aut aliæ causæ ex revelatione hauriendæ sint adscribenda.

102. Neque istud *ad essentiam pacti* connubialis naturaliter requiri arbitor, *ut uxor viro continuam cohabitationem* promittat, eidemque domicilii constitutionem liberam relinquat; adeoque non possit *uxor invito marito peregrè abire aut secubare. x)*

103. Nam sicut hæc assertio aliquatenus â priori hypothesi dependet, ac si naturaliter maritus uxorē in suam adsciverit familiam, non vice versâ, cujus ille utique caput & director existat; ita præter ea, quæ modo regessimus, maritus *non à naturâ familiæ caput* est, sed aliunde.

104. Ita-

ad §. *98.* t] *Quoad hunc & seq.* §. conf. Puf. §. 9. *ubi exempla de Thalestri, Regina Saba, & Amazonibus.*

ad §. *100.* u] Dissent. Puf. §. 10. *cujus objectionem recenseo* §. seq.

ad §. *102.* x] Dissent. Pufend. §. 10. *ob rationes, ad quas respondeo* §. 104.

104. Itaque etsi non diffiteamur, à *decoro ordine* multum abhorrere vitam vagam ac desultoriam, incerto lare, nullla fortunarum sede; tum communis sobolis educationem commodissimè institui posse conjunctis utriusque parentis operis, ac præterea cohabitationem continuam plurimum continere jucunditatis inter conjuges benè compositos; tamen hæc omnia saltem ostendunt *perfectius esse pactum*, ubi hæc promittuntur, præ altero simplici, simplex istud naturæ ad versum esse non ostendunt; ac præterea rationes has vir non solum adversus uxorem urgere poterit, sed & sibi easdem dictas esse arbitrabitur.

105. Deniq; mero jure naturæ ex principali pacto matrimonii perfecti non resultat *imperium proprie dictum in uxorem, y*) etiamsi concederemus, uxorem à naturâ obligari ad fidem marito dandam de corporis usu alii non concedendo, & continuâ cohabitatione.

106. Nam non statim imperio alterius est subjectus, qui in certo actuum genere ipsius voluntatem sequi tenetur. Inde, utut in negotiis matrimonio peculiaribus uxor ad voluntatem mariti se componere teneretur, non tamen statim quoad alias quoq; actiones imperium huic in illam necessariò competeret.

107. Deinde *matrimonii finis* non, uti civitatum, est defensio & securitas hominum, quæ sine imperio non poterunt obtineri, neque adeo civitates sine imperio intelligi, sed propagatio generis humani, quæ solo pacto & amicitiâ *citra imperium* contineri posse videtur.

108. Id tamen, si ad præcedentia ista duo uxorem obligari à natura statuamus, sequetur, pactum conjugale naturam *fœderis inæqualis* æmulari, in quo uxor marito observantiam maximè, hic illi protectionem debeat.

109. At cum & illa rejecerimus, consequens est, ut asseramus etiam, *istam inæqualitatem*, non à natura provenire, sed abstrahendo à revelatione dependere à liberâ paciscentium voluntate.

ad §. *105*. y) Consent. Pufend. §. 11.

110. Neque licebit ad *naturalem prærogativam sexus* hic provocare. z) Nam etsi & hæc foret; produceret saltem majorem aptitudinem in marito ad recipiendam observantiam, obligationem in fœmina, ut marito per pactum observantiam promitteret, non operaretur. a) Jam autem valde vereor, ne communiter philosophi, qui sexui masculino prærogativam naturalem attribuunt, vel laboraverint ignorantia historiæ sacræ de lapsu primorum parentum, vel iterum educationem communiter à gentibus receptam, quæ genuina causa imperfectionum est in sexu muliebri, confuderint cum natura sexus.

111. Ergo mediâ viâ hic incedentes, non putamus tamen jure naturali quicquam obstare, quo minus uxor etiam *per pactum* propriè dictum *imperium* mariti subeat.

112. Nam istud argumentum, *b) quod uxor non habeat potestatem maritalem*, ergo per pactum etiam non possit eandem in maritum transferre, jam sæpius ab aliis est excussum.

113. Scilicet vulgatus canon: *Quod quis non habet, in alium transferre nequit*; valet tantummodo in juribus quæ terminantur *in rebus. c*) Nam si de iis quæ *in personis* terminantur, quale est imperium, eundem velis intelligere, infinitæ dari possent instantiæ. *d*)

114. Si igitur maritus à naturâ non habet imperium in personam uxoris, multò minus quicquam potestatis *in bona uxoris* ipsi

ad §. *110*. z) *Quod facit* Dn. Puf. d. §. 11.

ad §. *112*. b) *Quod urget Hornius ap. Pufend.* §. 12. *ubi & eidem respondet, quamvis paulo aliter ac nos.*

ad §. *113*. c) *Neque tamen & hic in omnibus. Ita res propria nemini servit, & tamen jus servitutis per consensum meum in alium transfero. Valet ergo potissimum in translatione dominii.*

d) *De omni jure ad petendum factum. Nemo enim à seipso potest factum petere. Ita consensus sponsæ, patris, sacerdotis dant jus concumbendi cum sponsa, quod non habent sponsa, pater, sacerdos. Ita singuli non habent Harmoniam, & tamen ex collatione vocum ea oritur.*

ipsi à natura competet, sed itidem hoc punctum ex conjugum conventione aut legibus positivis dependebit.

115. Porro nec minus acriter disceptatur hæc quæstio, an jure naturæ matrimonium sit *societas solubilis?* ubi duo momenta videntur secernenda esse, *e*) initio an lex naturæ dictitet, *ad essentiam societatis nuptialis* pertinere, ut eam contrahentes pactum ineant, quod velint in illa *ad dies vitæ* permanere? deinde; an non posito, quod ejusmodi pactum inverint, possint justæ quædam existere causæ, quarum intuitu non obstante isto pacto una pars possit ab altera *invita facere divortium.*

116. *Prius* quod attinet, id equidem moribus communibus omnium gentium receptum est, ut *momentanea* quasi *cohabitatio* unius saltem conjunctionis causa facta pro matrimonio nusquam fuerit habita, videlicet, quod, & si etiam in ista unica conjunctione congredientes procreationem sobolis intenderint, certi tamen esse nequeant, an finem conjugii unica ista corporum communicatione obtinuerint, sed hæc res longius aliquod temporis spatium, & sæpius frequentatam conjunctionem desideret.

117. Cui accedit, quod in genere, quamcunque societatem respicias, ea vix societatis nomen mereatur, si saltem ob consortium momentaneum facta sit, unde forte & Ulpianus dubitavit, an contractum societatis admitteret inter eos, qui communi consensu rem emerunt, ut statim eandem dividerent. *f)*

118. Non tamen exinde opus est, ut in alterum dilabamur extremum. Haud quicquam enim ita procedit illatio, societas conjugalis non potest esse momentanea, ergo debet esse perpetua; sed potius mero jure naturali societatis conjugalis nomine non indigna erit illa societas, ubi paciscentes *post conceptam sobolem recedunt iterum*, obtinuerunt enim societatis finem.

119. Neque enim putandum est; legem naturalem homines obligare, *ut in infinitum procreent sobolem.* Nam si certis cas

 sibu-

ad §.115. e) *Quæ non ita expressè secernit Dn. Puf.* §. 10.
ad §. 117. f) l. 31. ff. pro socio.

sibus, quos supra enumeravimus licite facit, qui planè hanc societatem non init, poterunt quoque casus existere, quo quis legi naturæ satisfecit, si unicam prolem generavit, adeoque etiam pro societate nuptiali habenda erit, quæ in hunc saltem finem initur.

120. Deinde, etsi quis indistinctè obligaretur ad multiplicationem generationis, non tamen lex naturæ dictitat eam esse præcise cum uno individuo iterandam; ergò posset hoc non obstante vir aut mulier post finem illum primum intentum novas nuptias cum aliâ personâ inire.

121. Quod si igitur liceret à societate, tam citò recedere, multo magis, pro societate nuptiali habenda esset *cohabitatio viri & uxoris continuata, donec proles edita sit*, & adhuc magis, *donec eadem sit educata*, omnium tamen maximè, *si ad dies vitæ matrimonium ineatur.*

122. Ergo differrent quidem ex ratione naturali istæ societates, variis modis initæ, *gradibus perfectionis*, neutra tamen habenda esset pro irrationabili.

123. Quo præsupposito vel vir & uxor initio societatis initæ *determinassent tempus*, quamdiu in eadem permanere velint, vel non determinassent.

124. Hoc si factum fuisset, nullam sufficientem rationem obstare video, cur non licere debuisset uni conjugum ex mera ratione naturali, *fine conjugii vel semel obtento*, etiam *ab invito* altero recedere. *g*)

125. Nam etsi objicias; id habere quodvis pactum ut una pars *ab eodem non possit discedere*, nisi alterius consensu aut pacto ab altera parte violato; ergo hoc utique juri naturali repugnare, si unus conjugum ab altero invito discedat, ubi ab hoc nullum caput pacti matrimonialis fuerit violatum, tantum ut meliorem sibi conditionem paret, aut quia sic placet; responderem tamen, obje-

ad §. 124. g) Exempla Gentium hæc ita observantium vide apud Pufend. §. 10. p. m. 784. *ubi & illas rationes profert, ad quas respondemus* §§. 4. sequentibus.

objectionem istam à diversis inferre, cum conjux in casu prout à nobis formatus est ab altero invito discedens, non recedat à pacto suo, sed recedat saltem à societate, ad quam perpetuo continuandam nunquam se obligavit.

126. Quod si forte contingat, ut per illam societatis renunciationem alteri conjugi damnum inferatur, præceptũ quidem de non lædendis aliis obstringeret renunciantem ut alteram partem indemnem præstet, ad omittendam renunciationem tamen non obligaret.

127. Ulterius, quamvis in matrimonio utrique conjugum in alterius corpus jus fuerit quæsitum, nemini vero invito jus suum auferri debeat, in quæstione tamen hoc loco versatur, an jus istud fuerit perpetuum, an temporarium vel revocabile?

128. Denique si afferres, ne quidem consensu mutuo matrimonia dissolvenda esse citra gravissimam aliquam causam, quoniam id indecens & noxium sit, cum sc. per ejusmodi divortiorum licentiam non possint non & familiæ & publicus civitatum decor gravissime convelli, regererem, nos jam sollicitos esse de justo non de decoro.

129. Item nos jam occupari in expositione societatis nuptialis abstrahendo à statu civili, adeoque interesse civitatis, ad quod respiciendum est in legibus civilibus, non miscendum cum fine societatis nuptialis, de quo nunc agimus. *h*)

130. Eadem porro dicenda esse ad interesse familiæ, quæ etiam est societas separata à conjugio, ad quam directè non pertinet finis conjugii primarius, *i*) quanquam necdum evidens sit, in quo familiæ decor per istud divortium, quod bona gratiâ fit, detrimentum capiat.

131. Nunc de *posteriori* membro videndum, si videlicet vir ad dies vitæ se fœminæ, ac hæc ipsi obligasset, aut alio modo determinatio temporis facta fuerit, annon ab hoc pacto ex justis

 causis

ad §. 129. h) *Quæ duo distinxit ipse Dn. Puf. §. 11. vide quæ ex eo adduximus suprà §. 107.*

ad §. 130. i) *Conf. quæ suprà de mutuo adjutorio diximus.*

causis una pars posteà recedere potuisset. Ubiquidem mero jure naturali *l)* alter conjugum vinculo pacti haud dubie liberaretur propter *malitiosam* alterius *desertionem*, ut & pertinacem atque ultroneam *debiti conjugalis denegationem*, quoniam ad finem conjugii obtinendum necessaria est corporum præbitio, & hoc omnibus aliis pactis inter pares commune est, ut ubi illorum capita saltem primaria ab altero fuerint violata, pars læsa nanciscatur facultatem ab iisdem discedendi.

132. Eadem ratio suadet, ut, si vir cum fœmina convenerit, *m)* ut ipsi prolem tollat, non adulterinam, item ut & extra procreationem sobolis & nave jam onerata vectores non admittat, pro justâ causa divortii habeatur, si uxor *alteri ultrò & non coactè corporis sui copiam* faciat.

133. Cæterum cum in omnibus societatibus personæ eadem ineuntes pacta ad societatis finem dirigant, inerit quoque pactis jure naturali exceptio tacita, *si finis obtineri non possit*; indé putarem abstrahendo à lege positivâ etiam *infœcunditatem* aut sterilitatem alterutrius, qui alias ad copulam idoneus est, sufficere ad *divortium, n)*

134. Nam etsi fœcunditatem præstare penes hominem non sit, ex eo tamen sequitur saltem, quod sterili nulla culpa sit imputanda, sed infœcunditas pro casu haberi debeat. At casum regulariter is sentire debet, quem proximè afficit; neque adeo posset postulare conjux sterilis, ut alter consecutione finis, quem frustra in illâ societate quærit, defraudetur, nec aliunde eum ipsi invenire liceat.

135. Quod si ulterius, *o)* ut naturaliter fieri solet, cum procreatione sobolis, personæ matrimonium ineuntes, stipulentur fami-

ad §. *131.* l) Puf. §. 21.

ad §. *132.* m) *Nam modo demonstravimus* §. 98. seq. *à natura rei has conditiones pacto non inesse.*

ad §. *133.* n) Dissent. Dn. Puf. d. §. 21. *ad cujus rationem respondeo* in §. seq.

ad §. *135.* o) Puf. *quamvis paulo aliter* §. 22. *quem & confer* ad §§. *duos seqq.*

familiarem & amicam converſationem, jure naturali propter *intolerabiles mores ſævamve tractationem*, liceret vinculum conjugale plane abrumbere, neque neceſſe eſſet, cohabitatione continua & familiari ceſſante, propagationem ſobolis continuare.

136. Etſi enim in genere, ſi pactum ineatur pluribus capitibus conſtans, eidem clauſula addi poſſit, ut, licet ab uno fuerit diſceſſum, in cæteris explendis pergatur, adeoque licet uxor ad cohabitationem continuam importunis moribus ſe reddiderit ineptam, præſtationem ejus debiti, quod ad prolem procreandam pertinet, continuare poſſit; tamen quia non eſt probabile, ad hoc debitum ſe ſat commodam præbituram, cujus converſatio fuit intolerabilis, aut aliquem non penitus averſatnrum corpus, in quo tam tetricus hoſpes ſtabulatur, cum vix quiſpiam optet prolem tollere ex ea quam odit, inde in ejusmodi pactis ubi ſimul de præbendo corpore & familiari converſatione conventum eſt, hæc duo ita mutuo velut implicita judicari debent, ut cum uno quoque alterum ſimul abrumpi videatur.

137. Inde Juri naturali repugnat ob mores intolerabiles & nimiam ſævitiam conjuges ſeparare *à conſortio menſæ thorique*, ſalvo tamen vinculo matrimonii, quo de alia conditione ſibi proſpicere prohibeantur; niſi fortè ad tempus & in vicem caſtigationis ea ſeparatio ſit injuncta frangendæ pertinaciæ, & ut penitius exploretur, an aliqua morum emendandorum ſpes ſit.

138. Venio ad alteram poſitionem, eamque negativam, quam ſupra *p)* ex doctrina de fine ſocietatis nuptialis formavimus: *eam conjunctionem corporum, quæ non fit propagandæ ſobolis gratiâ, haud eſſe pro ſocietate conjugali venditandam.*

139. Cæterum cum conjunctionis ejusmodi nullus alius poſſit eſſe finis, quam expletio libidinis, ut ex ſuprà *q)* deductis conſtat, inde jam ad difficillimam quæſtionem prolapſi *de moralitate libidinis* ex dictamine rationis abſtrahendo à revelatione divina

ad §. *138.* p) §. 64.
ad §. *139.* q) §. 21. ſeq.

vina deducendæ, operam dabimus, ut nos breviter, ſuccinćte tamen expediamus.

140. Itaque per *libidinem* intelligimus deſiderium primario delectationem percipiendi ex actu venereo.

141. Quæ adeò erit *duplex*, vel ut planè *non intendatur* ſobolis generatio, vel ut ea *intendatur* quidem, ſed *per accidens*.

142. Unde melioris diſtinctionis gratia actum illum, qui libidinem *prioris* generis intendit, vocabimus *ſcortationem*, (voce hic late accepta, ut ſodomiam, ſtuprum, & fornicationem aliasque ſpecies ſub ſe comprehendat, *r*) qui *poſteriorem* pro fine habet, appellabitur *concubinatus*. De *ſcortatione* vero faciemus initium.

143. Atque hic pro ejus turpitudine demonſtranda non ſufficit, ſi dixerimus, eam non dirigi ad finem conjugii primarium; non tam ex ratione ea, quod jam ſupra oſtenderimus, extinctionem libidinis etiam eſſe finem conjugii, quamvis ſecundarium, quam quod illa ratio ſaltem inferat, *ſcortationem non eſſe conjugium*; non vero inde concludi poſſit, omnem actum vel omnem ſocietatem, quæ non eſt conjugium eſſe ſocietatem inhoneſtam.

144. Porro id quidem non erit diffitendum, ſi in univerſum reciperetur, *s*) ut omnes ſibi membra generationi deſtinata SOLI libidini exercendæ data crederent, eique uſui UNICE applicarent, decoram inter homines & tranquillam ſocietatem ſubſiſtere non poſſe; ſed an hæc ratio ſufficiens ſit ad probandum, jure naturali eas *libidines in univerſum* prohiberi, plures rationes ſunt, quæ id tuto affirmari poſſe mihi quidem diſſuadere videntur.

145. Nam ratio prioris aſſertionis, haud dubie in eo fundatur, quod ſi SOLI extinctioni libidinis UNICE vacarent homines, peccaretur contra præceptum ſuperius traditum, quod inculcat, ineun-

ad §. *142.* r) *Ita uſurpat etiam hanc vocem Lambertus Velthuyſius de principiis juſti decori, & peculiari tractatu de ſcortatione.*

ad §. *144.* s) *Qua ratione utitur Pufend.* §. 4. p. 753.

ineundum esse conjugium; at hoc periculum non est timendum, si *quandoque* saltem quis libidinem suam expleat.

146. Deinde jam supra notavimus, esse illud præceptum indeterminatum & generale, quod non *perpetuam & continuam* obligationem intendat, sed cujus effectus nonnunquam cessent.

147. Ulterius idem præceptum deduximus ex fonte de exhibendis officiis humanitatis, quæ si in universum cessarent, turbaretur quidem tranquillitas humana, non autem, si remittatur earum præstatio ad tempus.

148. Igitur sive res *licitas*, sive *præceptas* jure naturali consideres, videtur istud axioma: *Quicquid turbat societatem humanam, si ei soli & unice homines incumbant, id in universum est prohibitum*; multas pati instantias. *t)*

149. Ita v. g. aliquam ex cibo & potu capere jucunditatem, lucrum aliquod per mercaturam acquirere, ludere &c. rebus indifferentibus facile annumerabuntur, etsi societas humana haud dubiè damnum pateretur, si illis rebus solis & unicè homines darent operam.

150. Ita defensor libidinis, facile spicula adversus nos ipsos retorquens, procreationem sobolis, quam præceptam tamen esse demonstravimus, eodem argumento ut turpem impugnare posset, quia profecto nimium quantum turbaretur tranquillitas humani generis, si nihil aliud agerent homines, quam ut genus suum propagarent.

151. Neque magis dubitationem omnem tollunt, quæ communiter pro demonstrandâ injustitiâ flagitiosæ illius fœditatis, quâ quidam in *brutorum* corpora aut *parem in sexum* feruntur, solent afferri. Summa eo redit: Reliquas libidinis species minori gradu esse peccaminosas, quoniam membra ibidem adhibeantur *præter finem* à naturâ destinatum, ad hoc crimen nefandum

ad §. 148. t) Adducit quidẽ Puf. in N. Edit. p. 835. *sententiam Cumberlandi, sed ea huc non pertinet, quia non continet istud UNICE & SOLI. Deinde Cumberlandi proposito est affirmativa, Dn. Pufendorffii negativa.*

omnem excedere turpitudinis notam, quia in eo applicentur membra *contra naturam. u*)

152. Nam etsi ut plurimum de hujus rationis veritate non inquiramus, quoniam videlicet de conclusionis assertione sumus convicti, reverâ tamen erudito homini multum interest, ut veram assertionem non deducat ex falsis præmissis, tum ne ipse à regiâ veritatis inquirendæ viâ in devia seduci se patiatur, atqve sic admisso uno absurdo involvatur pluribus, tum ne ab hominibus impiis, quaslibet veritates hodiè oppugnare paratis, ad eas angustias redigatur, ut, si præconceptam opinionem dimittere nolit, quod tunc quidem non adeò decorum foret, cogatur in quibuscunque distinctionibus reverâ nihil significantibus & apud eruditos, qui neutrarum sunt partium, prostituentibus ipsum, *x)* miserum ignorantiæ suæ effugium quærere.

153. Igitur inquirendum, *an usus membrorum contra vel præter naturam semper peccatum sit*, & tale quidem, quale nefandum istud esse perhibetur? *y*) *Os* & *stomachus*, *gula* & *œsophagus* facta sunt ad hominem nutriendum, & nos docent & ducunt ad sumenda alimenta per os, & ad ea deglutienda & demittenda in stomachum: Sed an ideò tantum nefas est hominem nutrire per clysteres, quemadmodum medici quidam in magnis morbis talem clysterum usum commendant? Aut an peccatum contra naturam esset, infusione lactis in venas hominum nutrire & recreare, quia natura alia nutritionis & sangvificationis organa fabricavit.

154. Fa-

ad §. *151.* u) *Conf. Pufend.* §. 4. initio, *ubi exempla Gentium, quæ hoc crimen admiserunt.*

ad §. *152.* x) *Quales sunt pleræque in controversia de prohibitione polygamiæ à nostratibus adhibitæ, & propterea acriter exagitatæ à Theophilo Alethæo in Polygamia Triumphatrice.*

ad §. *153.* y) *Quæ sequuntur* usque ad §. 158. *desumta sunt ex Velthuysio* de scortatione p. 197. 199.

154. Fabrica humani corporis talis eſt, ut cibus per os ſumtus & in ſtomachum demiſſus per *alvum* excernatur. Eſtne tantum crimen deſtinato vomitu illum rejicere per os?

155. *Lingua* homini data ad exprimendos animi ſenſus, *manus* ad machinationes & artes. An itaque is peccatum contra naturam committit, qui manibus vice linguæ utitur ad ſua cogitata proximo declaranda?

156. Quamvis vero aliqui, ut has objectiones evitent, reſpondere ſoleant, exempla hæc ab inſtituto eſſe aliena, quia *ad Venerem* non pertineant, revera tamen horum reſponſio eſt obſcurior, quamdiu rationem diſparitatis claram & diſtinctam non proferunt, cur in actionibus venereis iſte canon ſaltem procedat, fallat in reliquis.

157. Quod ut faciant, ſolent provocare in genere ad *pudorem* homini inditum & *dignitatem hominis*, addentes: uſurpationem partium naturalium alienam à primo ſuo uſu, cujus in exemplis modo memoratis facta eſt mentio, non eſſe ponendam in vitio, quia in illâ nihil committatur contra pudorem naturalem; neque aliquid in eâ culpandum eſſe, ſi oſtendi non poſſit eâ hominis dignitatem naturalem imminui. Aliam rationem eſſe, delictorum Venereorum, utpote quibus vel peccetur contra *pudorem*, quo referunt *pudendorum revelationem* & *inceſtum*, vel certè contrà *dignitatem hominis*, quod & fieri ſtatuunt per *ſcortationis* genera & *polygamiam*.

158. Verum quemadmodum iſta quidem methodus demonſtrandi à pudore & dignitate hominis deſumta, multa mihi videtur petere concedenda, quæ ſunt in principio, & arripere multas aſſertiones pro veris, quas magis per aſſvefactionem, aut aliorum perſvaſionem imbibimus, quam ut demonſtrationis trutinam ſuſtineant, adeoque ſi erudita analyſi in ejusdem hypotheſes inquiras, non adeò firmo eædem nitantur fundamento; ita forte facilè oſtendi poſſet, ſaltem ad hominem diſputando, vomitum per os factum & contra pudorem naturalem eſſe & dignitati hominis repugnare.

159. Itaque vulgatæ rationes, quæ scortationi objiciuntur, vereor ut Gentilem Terentianâ sententiâ imbutum, quâ, non esse turpe adolescentulum scortari statuit, convincere valeant, timendum potius, ne personam respondentis hactenus non malè non sustinens eò audaciæ progrediatur, ut ex respondente fiat opponens.

160. Quid enim, inquiet, rationi adversaretur omnis libidinis extinctio? cum *affectum istum omnibus hominibus inditum* esse cognoscam, z) quomodo verò inditum esse poterit ejusmodi quid, quod cum ratione, hoc est cum essentiâ hominis pugnet.

161. Nec est, quod dicas (ita perget) instinctum istum tendere ad procreationem sobolis, ergo huic eundem esse subordinandum, cum ipse suprà *a*) concesseris, sentire homines stimulos istos acriter, etiamsi certum sit, non posse per concubitum procreationem sequi, aut ubi civilis ratio non ferat ut conjugium ineat; cum concesseris, *b*) hoc ultimo casu non obligari hominem ad ineundum matrimonium; An igitur his saltem casibus legi naturali quid adversum committet homo, si impetum non peculiarem, qui â perversa educatione oriri poterat, sed communem humano generi, & ipsos etiam homines justissimos agentem, sequatur, & voluptatem aliquam ex eo, ad quod natura ipsum fert, capiendo, Veneris œstrum reprimat.

162. Quod si urgeas, dictare rationem tamen, turpe id esse, cui adeò obsecundandum non sit, quod sæpius homines *extra se rapiat*, ut actus alios legi naturæ vetitos committant, *c*) regeret, effectus hos non tam affectui ipsi & inclinationi, sed pertinaciæ, quod homo istam inclinationem reprimere conatus fuerit, esse adscribendos, adeoque invertendam potius esse illationem, ac vel ideò in tempore laxandas esse habenas stimulis urgentibus, ne rationem de throno turbare queant.

163. Ita

ad §. *160.* z) *Conf. suprà* §. 28.
ad §. *161.* a) d. §. 28.
b) §. 35. seq.
ad §. *162.* c) Conf. §. 35.

163. Ita *cupido* naturalis, sic illustrabit sententiam suam', *edendi & bibendi* naturalis est, neque lege naturæ prohibita, at si cibum & potum non suppedites stomacho, fames inde orietur & sitis, sæpius homines eò adigens, ut æque magna, si non majora, scelera perpetraverint.

164. Ergo *tum demum*, inferet, *scortatio legi naturali adversa erit*, si per eandem quis bona sua corporis aut animi destruat, si contumeliam alteri aut aliam læsionem inferat, si pacta violet.

165. Quo pacto parum aberit, quin progrediatur ulterius, & quam modo pro indifferente & licitâ saltem venditavit, *honestatis specie* commendare audeat. Quid si enim ad officia humanitatis provocet, & *teneram proponat virginem*, ex defectu concubitus graviter ægrotantem & *vitæ periculum* subeuntem? Quid si ad utilitatem reipublicæ provocet, *cujus intersit lupanaria erigi*, ut matronarum ac virginum honestarum pudicitia paucioribus insidiis foret obnoxia. *d*)

166. Addet denique per modum corollarii quæstionem; an putemus, *concubitum mariti cum gravidâ esse peccatum rationi adversum?* petetque ut ex ratione ipsi demonstremus, cur hic actus, etsi pro fine habeat solum extinctionem libidinis, mediis adscribi mereatur, neque id tamen extendi debeat ad actus alios similes.

167. Hic profecto sentiant alii quod velint, & Philosophi nomine me judicent indignum, cogor fateri, rationem meam, omnibus licet disputandi regulis, omnibus ratiocinandi principiis suffultam, succumbere, & nescire quomodo ex hoc labyrintho se expedire queat, nisi filum Ariadneum ipsi suppeditet Jurisprudentia Christiana.

168. Unde facilè jam prævidere poteris, quæ de *concubinatu* *e*) ex legibus naturæ dicenda restent. Denotat is regulariter consortium viri & mulieris continuatum libidinis explendi gratiâ, ita tamen, ut generatio sobolis non excludatur, quod adeò à matrimonio strictè sumto maximam partem duratione differt, quod

 hoc

ad §. *165*. d) Conf. Pufend. §. 4. in fine.

ad §. *168*. e) Conf. suprà §. 142. Puf. §. 36.

hoc ſit perpetuum, illud quandocunque contrahentibus placuerit, diſſolubile, & quod in concubinatu præſumptio ſit, eum principaliter propter ſtupri conſvetudinem contrahi, in matrimonio contra ſit præſumptio, id principaliter iniri ſobolis generandæ gratiâ, etſi reverà ſæpius conjuges primariò intendant expletionem libidinis.

169. Quod itaque *diſſolubilitatem concubinatus* concernit, cum ſuprà *f*) dixerimus, lege naturæ ad matrimonium individuam vitæ conſvetudinem non requiri, patet, etiam hac parte in concubinatu vitium ex rationis dictamine demonſtrari non poſſe.

170. At quod *intentionem primariam libidinis explendæ attinet*, peccabitur utique à concubinariis, quod ductum naturæ ejusq; fundatoris invertant, & cum conjunctionem ſuam ad procreandam pariter ſobolem & extinguendam libidinem dirigant, illam tamen ſecundario ſaltem & per accidens deſiderent, cum tamen ſciant ex ductu rationis, eam eſſe finem matrimonii primarium.

171. Cæterum cum hic magis peccetur intentione quam actu exteriori, inde ſimul patet, quod abſtrahendo â revelatione, hoc delictum magis violet præceptum primum Jurisprudentiæ divinæ in genere, & *officium hominis erga Deum*, quàm ut pertineat *ad Jurisprudentiam naturalem* ſtricte dictam, actiones externas hominis erga hominem potiſſimum reſpicientem. *g*)

172. Solet & *concubinatus* nomen aliquando uſurpari pro matrimonio ſecundario, *h*) in quo vel uxori vel liberis non tanta relinquuntur bona, aut tam abundantia alimenta ſuppeditantur, quanta alias ipſorum conditio vel dignitas requiſiviſſet, quam legi naturali non eſſe adverſam, non niſi ab hujus diſciplinæ imperitis dubitari poteſt.

173. De

ad §. *169.* f) §. 115. ſeq.

ad §. *171.* g) *Adde elegantem locum Auguſtini adductum* in diſp. de crim. bigam. §. 34.

ad §. *172.* h) Puf. d. §. 36.

173. De fine conjugii hactenus plus satis diximus. Sed cum in qualibet societate præter finem etiam *personæ* considerationem mereantur, restat, ut de his quoque dispiciamus, ita tamen ut & hic utroque oculo ad finem conjugii adhuc respiciamus, quia commune dicterium Philosophorum est, secundum finem dirigendam esse societatum materiam; ita enim personas appellant.

174. Adeoque Thesis primaria hic erit: EÆ PERSONÆ SOCIETATEM CONJUGALEM CONTRAHANT, PER QUAS GENERATIO SOBOLIS OBTINERI POTEST. Fluit ea exinde, quod hæc sit finis principalis nuptiarum, in capite vero præcedenti *i*) jam adstruxerimus, ab hoc fine in societatibus personarum electionem dependere.

175. Ergo requiruntur *mas* & *fœmina*, non *masculus* & *masculus*, neque *fœmina* & *fœmina*; nam hæ quidem generare sobolem nequeunt.

176. Nisi forte statuere velis, fœminas per fortem imaginationem concipere posse, aut absque semine maris, quorum utrumque absurdum est.

177. Porrò necesse est, ut fœminæ pariter & mas *habilitate generandi* polleant. *l*) Unde excluduntur *infantes*, qvi nondum ad annos pubertatis pervenerunt.

178. Neque conjugium est cum *Eunucho*, cui nempe vel membrum generationi destinatum planè est ademtum, vel quem vasa seminaria deficiunt, quorum illud apud populos Orientales, hoc apud Europæos magis receptum est.

179. Neque cum *arcta*, quæ scilicet tali corporis vitio laborat, ut congressum maritalem, ob nimiam angustiam, planè non admittat.

180. Ac de hac quidem ut & Eunuchis orientalibus nullum est dubium, quoniam neque ad generationem, neque ad libidinis expletionem apti sunt.

181. At de *Eunuchis Europæis* sæpius acriter disceptatum fuit, *m*) quo-

ad §. *174*. i) cap. 1. §. 72.
ad §. *177*. l) Puf. §. 25.

m) quoniam hi, etsi ad prolis generationem sint inepti, tales tamen plerumque sunt, ut custodia Gynæcei ipsis commendari tuto non possit, strenui videlicet scortatores & pseudoadulteri.

182. Mihi secundum ductum præcedentium id quidem demonstratum esse videtur, conjunctionem eorum cum fœminis neque ex dictamine solius rationis *pro matrimonio* esse habendam, ob deficientiam finis primarii.

183. Quod vero in contrarium à quibusdam affertur, sufficere eosdem *ad libidinis extinctionem*, initio à multis in dubium vocatur, prætendentibus, siccis ejusmodi congressibus libidinem excitari magis quàm extingui; quamvis mihi quidem contrarium videatur verius.

184. Demus ergo dissentientibus, hæc ita esse, an unicum societatis exemplum afferre poterunt, quæ aperte deficiente fine primario à secundario denominationem admiserit.

185. Et mirandum profectò, quod scortationem aut stuprum iidem non habeant pro matrimonio, quoniam & hic libido expletur.

186. Magis ridiculum est, quod ad *mutuum adjutorium* provocent, in gubernatione puta familiæ & curâ corporis; quasi matrimonium foret, si mas cum masculo, aut fœmina cum fœmina hujus rei gratiâ inierint societatem.

187. Alia quæstio est, *an jure naturali societas Eunuchi cum fœmina ideò, quod nuptialis esse non potest, plane non sit toleranda.* Ubi repetenda erunt, quæ modo de libidine disseruimus in genere, & reliqua quæstionis hujus decisio ad sequens caput erit differenda.

188. Restant *spadones*, *steriles*, *senes* itidem ac *vetulæ*, quorum conjugia cum admittant mores nostri, & de his quædam dicenda erunt, præprimis cum Patroni Eunuchorum inde sententiæ suæ nimium quantum accedere arbitrentur.

189. Nam

ad §. 181. m) *Vide responsa varia in hac materia de conjugio Eunuchi, collecta ab Hieronymo quodam Delphino.*

189. Nam si his, ajunt, conjugia permittuntur, etsi in universum nec ipsi propagent sobolem, etsi senes ne quidem ad libidinis extinctionem apti sint, sed solum mutuum adjutorium utcunque obtinere queant, cur Eunuchi præcludendi forent, qui præter adjutorium delectationi ex asse satisfaciunt. *n*)

190. Fateor, multos exercuisse speciem hujus objectionis, præprimis cum simul viderint, comunibus Gentium moribus admitti *conjugia in ultimo mortis articulo* celebrata, præprimis in legitimatione liberorum naturalium, ubi tamen similiter ob proxime instantem alterius mortem neque procreatio sobolis, neque ullus conjugii finis obtineri potest.

191. Unde nonnulli isto responsionis medio se liberare conati sunt, *o*) consensum in extremo mortis articulo declaratum, non quidem ad præsens matrimonium pertinere, quasi nunc demum incipiat esse matrimonium, sed testari saltem de affectione, quæ retrò fuit, facereque præsumtionem pro matrimonio.

192. Sed quemadmodum ista quidem responsio videtur adversari communi gentium intentioni, & ex eadem illud insuper inconveniens sequeretur, eum, qui extra matrimonium liberos generavit, & postea ex accidenti Eunuchus factus fuerit, posse in ultimo mortis articulo matrimonium cum concubina celebrare liberorum legitimandorum gratiâ; ita nec in universum ad omnia ejusmodi matrimonia applicari eadem posset, cum multa fiant, etiam ubi nulli liberi, qui legitimentur, adsunt, etiam cum eâ, cum quâ quis nunquam antea consvevit.

193. Igitur ut uno ictu hæc omnia tollantur, ita breviter dicendum: Ea *Spadonum*, *sterilium*, *senum*, *in ultimo mortis articulo hærentium* conjugia ideo tolerari, quia in his omnibus *spes est*, *naturaliter ab iisdem generationem sobolis obtineri posse*.

194. *Spadones* enim dicuntur, qui morbo aliquo impediun-

Ooo tur,

ad §. *189*. n) Puf. §. 25.

ad §. *191*. o) *Id facit Strauch*. in Exercit. Justin. IV. th. 7. *ubi vide quæ disserui ibidem* in notis, *&* *junge quæ hic respondeo* in §§. seqq.

tur, ut actu non statim generare possint, multi tamen sublato isto impedimento generarunt.

195. Ita in *sterilibus* causæ sterilitatis latent absconditæ, & non desunt exempla, fœminas steriles etiam à medicis ut incurabiles derelictas sobolem edidisse.

196. Quod *senes* attinet & *vetulas*, etsi à Physicis masculis pariter & fæminis certum annorum spatium assignetur, quo generare & concipere desinant; ejus tamen determinatio ab eo, quod plerumque fieri solet, desumta est, & quotidiana docet experientia, senibus nasci sobolem.

197. Nec est, qvod objicias, incertum esse, annon aliorum industria hic cooperaverit; nam præterquam, quod adversum ista valeat præsumtio, quemlibet vivere honestè, cui non demonstratum est contrarium; ita pro ipsis validas conjecturas suppeditant historiæ experientiâ corroboratæ, & *vetulas* parere. Quod itaque in uno sexu sperare licet, cur non & liceat sperare in altero?

198. Quanquam non sit diffitendum, melius obtineri conjugii finem per juvenes, aut personas nondum senectute laborantes, unde nec malè legibus quibusdam civilibus cautum fuit, mulierem quinquagenaria & virum sexagenario majorem nuptias inire non posse. *p*)

199. Denique & in iis, qui *in ultimo mortis articulo* sunt constituti, spes superest, posse omnes conjugii fines obtineri, siquidem per hunc non intelligendum est ultimum momentum, quo anima â corpore abit, sed illud spatium inter vitam & mortem, quo homines rationibus Medicorum subnixi, de salute ægroti jam desperant. Quot enim & hic referri possent, qui desperationem istam medicam evaserint?

200. Perduxit nos ordo ad illam quæstionem: an ad generationem sobolis obtinendam requirantur unus mas & una fœmina? seu: *an Polygamia sit jure naturali prohibita*?

201. Fuit

ad §. *198*. p) Conf. Strauch. diss. II. th. 9.

201. Fuit ea hactenus acriter ventilata, postquam quidam homines fanatici anxiè defendere conati sunt, polygamiam unius viri cum pluribus fœminis esse lege divinâ præceptam, magistratusque Christianos peccare graviter, si eam subditis non permittant.

202. Ubi non diffitendum, ex variis scriptoribus illos, qui ex dictamine rationis monstrum istud opinionis suffocare intenderunt, ansam dedisse, ut potius illud spiritus sumpserit, & magno impetu imbecilles hos aggressores prostraverit.

203. Scilicet, sicut alibi jam ostendimus, *q)* non poterit *polygamia virilis* ex lege naturali impugnari, quia tantum abest, ut per eam directò turbetur *socialitas humani generis*, aut generatio sobolis impediatur; ut potius rationi sibi relictæ eadem multum facere videatur ad multiplicationem generis humani. *r)*

204. Rationes verò ab aliis versus eandem adductæ, de Zelotypia, de discordiis domesticis, de odiis novercalibus in ipsâ prole continuandis, & quæ sunt alia incommoda domestica, jam sæpius à multis sunt rejectæ. *s)*

205. Quod si præcedenti argumento à priori desumto, rationem à posteriori adversus Christianos valituram velis superaddere, eandem optimè suppeditabit *dispensatio divina, t)* qua DEUS in veteri testamento populo Judaico, vel certè Patribus eandem permisit, quin & inter *beneficia Davidi præstita* recensuit, quod ipsi plures uxores dederit. Quis enim putaret, DEUM id inter beneficia referre, quod essentiam hominis turbat ac jure naturali prohibitum est?

206. De *muliebri Polygamia*, seu unius fœminæ cum pluribus viris conjunctione, major equidem consensus est eruditorum, eam juri naturali adversari, quoniam videlicet pugnet cum 1. pro-

ad §. 203. q) De crimine bigamiæ §. 24.
r) *Facit huc, quamvis tectè Puf.* §. 16. 17. 18. 19.
ad §. 204. s) Conf. Puf. d. §. 17.
ad §. 205. t) Dict. disput. §. 24.

creatione ſobolis, 2. mutuo adjutorio, 3. imperio maritali, 4. per eam ſola libidinis expletio intendatur, 5. DEUS vero nunquam eandem admiſerit, quæ rationes ſi quid valent, valebunt etiam contrà *communionem uxorum.* Quare & quæ nos dicemus, ad communionem uxorum erunt extendenda.

207. Sed quid rationes iſtæ in receſſu habeant, partim ex hactenus dictis facile occurrere poteſt, partim de ſingulis alibi prolixius oſtendi. *u*)

208. Ex quibus non difficile erit reſpondere ad argumenta ſecundaria; *x*) ſi polygamia muliebris aut communio uxorum admittatur, multas rixas eſſe orituras inter mares circa formoſas fœminas; magnam imbecillitatem prægnantis fœminæ & alieni auxilii indigentiam eſſe futuram, neminem vero marium opem laturam eſſe, niſi ex ſe prægnantem norit, quod in iſta communione fieri nequeat; tum partus educationem, quam nemo ex maribus ex identitate rationis ſuſcepturus ſit, fœminæ unicè laborioſam nimis ac ſumtuoſam futuram, ita ut eidem vix ſuffectura ſit; denique iſto caſu, nullas cognationes ſat diſtinctas, nulla quoque patrimonia poſſe exiſtere, quibus tamen ſublatis magna pars commodorum, quibus vita humana ſuſtentatur, aut exornatur, peritura ſit.

209. Quod ſi verò nihil aliud haberemus, quod argumentis iſtis objicere poſſemus, ſufficeret, eas deſumtas eſſe ferè ab incommodis domeſticis, quibus alia ratione facilè occurri poſſet, & quæ ex accidenti ſaltem advenirent, adeoque hic repetenda eſſent ea, quibus reſponderi ſolet ad incommoda polygamiæ viriliſs. *y*)

210. Taceo, quod Stoici tradiderint, uxores apud ſapientes communes eſſe debere, ut quilibet illi congrediatur, quæ ſibi prior occurrit; Fore enim ſic, ut omnes patrum inſtar æquâ caritate ſobolem

ad §. 207. u) Dict. diſp. §. 25. 26. Adde Pufend. §. 5. & 15.
ad §. 208. x) Deſumta ex Pufend. §. 5.
ad §. 209. y) Conf. §. 204.

bolem diligant, utque tollatur adulterii ſuſpicio & Zelotypia; & quod Plutarchus naturali & civili rationi convenientiſſimum judicaverit, ſi aliquibus caſibus communes cum aliis habeantur uxores. z)

211. Id tamen operabuntur rationes contrà *polygamiam muliebrem* adductæ, potiſſimum ea, quod per illam non ita benè ſobolis procreatio & generis humani multiplicatio poſſit obtineri, ut appareat, eandem *infimum gradum licentiæ obtinere & prohibitioni propriorem eſſe* quam præcepto; ſecus atque conjugium unius cum unâ, aut polygamiam virilem. *a*)

212. Inter has vero conjunctionis ſpecies, ſi in gradus licentiæ velis inquirere & utra ex iis pro magis decorâ & perfectâ conjugii ſpecie habenda ſit, ex ductu rationis ſibi relictæ definire, valde vereor, ne *polygamia virilis* plurimos in ſuas partes tractura ſit, cum, ut dixi, finis primarius conjugii per eam magis promoveri videatur, quam per monogamiam, & quies ac tranquillitas domeſtica â populis polygamiâ hâc utentibus ſatis benè fuerit obtenta, ac denique Zelotypia fœminarum ferè præſupponat jus aliquod ex conſenſu acquiſitum, adeoque ſi acquiſitio iſta ceſſet, neceſſe ſit, ipſam valdè diminui, præprimis ſi talis ſit populus, ubi non obnoxii nimis mariti uxoribus vivunt, quique educationem fœminarum ſic temperet, ut ne erecta nimis evadant illarum ingenia. *b*.)

213. Quo pacto tamen *monogamia* haud quaquam juri naturali adverſari putanda erit, ſed medio quaſi loco inter utramque polygamiam poſita eſſe à ratione cenſebitur, *c*) vel ut exactius loquar, ſe ad præceptum habere, ut v. g. numerus quinarius ad ſeptenarius, polygamia virilis contra ut ſenarius, & muliebris ut binarius.

214. Simul vero à dictis dependet deciſio quæſtionis, *an mero jure naturæ liceat inire matrimonium cum ea, quæ jam alteri nupta eſt,*

ad §. *210.* z) Puf. §. 15. p. 774.
ad §. *211.* a) Conf. ſuprà §. 9. 10.
ad §. *212.* b) Puf. §. 17. p. 776.
ad §. *213.* c) Diſſent. Puf. §. 18.

est, aut eo, qui jam uxorem habet? Nam si vir & fœmina sibi mutuò fidem dederint de perpetua cohabitatione, corpore alii non communicando, haud dubiè quæstio neganda est, quia aliàs peccaretur contra præceptum legis naturalis, quod fidem datam servandam esse vult. *d*)

215. Quod si istud pactum abfuerit, aut una ex polygamiæ speciebus sit recepta, nullam poteris afferre rationem, quâ, solâ ratione utentem, convincere possis de istius actionis turpitudine.

216. Igitur vides, quo respectu *adulterium* juri naturali repugnet; sive enim id describas cum Romanis per violationem tori conjugalis, sive cum hodiernis JCtis per conjugalis fidei violationem, utrobique persona conjugata notam legis naturalis, quæ pacta servari jubet, incurret, ibi sola fœmina, cum maritus saltem apud Romanos haberet jus tori, hic uterque, propter fidem mutuam.

217. Solutus autem & soluta, quæ cum conjuge alieno rem habet, adversus innocentem peccabit, quod violet præceptum de non lædendis aliis.

218. Quin etsi alteruter ex conjugibus consentiat, ut alter corporis sui copiam alii faciat, quomodo velles ostendere, tum nihilominus communicationi huic inesse naturalem turpitudinem? Sane quilibet juri suo ex pacto quæsito renunciare poterit, ni obstet præceptum superius, quod hactenus in ratione frustrà quæsivimus.

219. Hinc difficillimum foret, *lenocinii* turpitudinem vel certè multarum ejus specierum ex eâ disciplinâ, ubi solam rationem sequimur ducem, demonstrare. *e*)

220. Restat, ut videamus, an personæ, inter quas est necessitudo sangvinis vel alia huic affinis, naturaliter ad societatem conjuga-

ad §. *214.* d) Puf. §. 27.

ad §. *219.* e) *Fit enim lenocinium vel propter quæstum, vel propter honorem, vel propter famem scandam. De quæstu dispiciendum foret, an hæc res apta nata sit, ut naturaliter recipiat commercium.*

jugalem aptæ ſint ? *ſeu: an inceſtus quidam juri naturali adverſetur ?*

221. Etſi igitur apud omnes gentes, *f*) quibus morum aliqua eſt cultura, communi perſvaſione receptum deprehendatur, â quarundam perſonarum nuptiis eſſe abſtinendum; ejus rei tamen ſolidam rationem, & quæ ex ſociali hominis naturâ, uti reliqua præcepta, liquido fluat, aſſignare, oppidò quàm difficile eſt.

222. Nonnulli hic ſimpliciter ad *abhorrentiam humanorum affectuum* confugiunt, quaſi omnes, qui per pravam educationem aut vitioſum habitum non ſunt corrupti, in ipſis ſenſibus deprehendant aliquid tali commixtioni repugnans, id quod claro ſit indicio, eandem naturali jure prohiberi.

223. Sed his ſatisfecerunt jam alii. *g*) Plutarchi vero ratio *de latius ſpargendis amicitiis* per diffuſas affinitates, non tanti eſt ponderis, ut quod contra fiat, irritum aut illicitum cenſeri debeat, etſi eandem ſequatur Auguſtinus.

224. Res omnium optimè procedet, ſi ſeparemus *inceſtus ſpecies*; eſt enim alius, qui committitur ratione *conſangvinitatis*, alius cum perſonis *affinibus*; Uterq; vel in *linea recta* vel in *collaterali.*

225. De eo qui inter *conſangvineos lineæ rectæ* committitur, ante omnia diſpiciendum. Nam conſanguinitas eſt affinitatis præſuppoſitum, linea recta verò eſt fundamentum lineæ collateralis.

226. In illorum ergo conjugio ſapientiſſimus Socrates nihil aliud culpandum invenit, præter *ætatis diſparitatem*, unde ſequatur aut ſterilitas, aut male conformata ſoboles, quod profectò oppidò quàm jejunum eſt.

227. Alii ejusmodi conjunctionum fœditatem indè oſtendere voluerunt, quod per eam diverſa planè *neceſſitudinum vocabula confundantur.* Sed hi neſcio, cur res ex vocabulis metiri voluerint,

ad §. *221.* f) Puf. §. 28.

ad §. *223.* g) Puf. d. §. 28. Conf. Grotium II. 5. 12.

luerint, obliti vulgati axiomatis, rerum gratia inventa esse vocabula, haud quaquam res propter voces. *h*)

228. Accedit, quod nullo jure, quantum constat, prohibitum sit conjugium filii cum novercæ matre, etsi hic filius fiat socer patris & novercæ vitricus, noverca vero privigni privigna & matris suæ socrus &c.

229. Qui vero nihil aliud hic afferunt, *i*) quam, quod Jure naturali matrimonia adscendentium in infinitum sint prohibita *propter communionem sanguinis*, quæ in prioribus gradibus omnino detur, illi nodum arctant, non solvunt; obscurissimum siquidem est, quomodo communio sanguinis physica possit producere effectum moralem.

230. Restant duæ rationes, quæ plus in recessu videntur habere, *reverentiæ debitum & pudor naturalis*. Nam nec maritum, ajunt, qui superior est lege matrimonii, eam *reverentiam* posse præstare matri, quam natura exigit, nec patri filiam, quia, quanquam inferior ea sit in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducere societatem, quæ illius necessitudinis reverentiam excludat. *l*)

231. Sed non desunt, quæ adversum ista reponi possunt. Si enim *reverentiam à pudore* abstrahas, non adeò videtur absurdum esse, matrem cum filio sui juris jungi, cum non repugnet, maritum uxori ob virtutem, sapientiam, aut nobilitatem reverentiam exhibere; multò magis cum obsequio conjugali etiam filialem reverentiam patri marito filiam uxorem exhibere posse, ni pudor obstet. *m*)

232. Ac poterit hæc assertio omnium optimè declarari exemplis. Majorem utique, quam liberi parentibus, reverentiam debent *subditi imperantibus*, & hoc non obstante tamen haud quicquam

ad §. 227. h) Quoad hunc & præced. §. conf. Puf. §. 32.

ad §. 229. i) *Ut Alberti* cap. 10. §. 11.

ad §. 230. l) Grotius II. 5. 12. & Alb. d. l.

ad §. 231. m) Puf. §. 32.

quicquam juri naturali adversari videtur conjugium *principis cum subdita, reginæ cum subdito*, etsi utrobique uxor & maritus characterem subditorum retineant, adeoque illa marito, hic reginæ uxori reverentiam illam exhibere teneantur.

233. Fuit nihilominus, cum putaverim, *n*) *reverentiam* esse prohibitionis causam in lineâ rectâ; neque feriri hanc sententiam ab instantiâ allatâ, quoniam à reverentiâ ex facto humano ortâ, adeoque dispensabili, ad reverentiam à naturâ immediatè debitam & irremissibilem non valeat consequentia.

234. Sed re penitius exacta, ista quidem responsio objectionem non tollit, non quod falsum sit, reverentiam subditorum mediante facto humano oriri, (quæ quidem communis est opinio, de quâ infrà suo loco) adeoq; reverentiæ Principibus debitæ cum reverentia, qua parentibus obstricti vivimus, eadem sit ratio, sed, quod non omnino veritati videatur esse consentaneum, *reverentiam erga parentes esse irremissibilem.*

235. Etsi enim, ubi ad societatem paternam pervenerimus, demonstraturi simus, quamdiu liberi à parentibus educantur, necesse omninò esse, ut reverentiam iisdem exhibeant, cum sine reverentia obsequium, sine obsequio educatio non possit intelligi, & ita parentes ad educationem obstricti reverentiam iisdem remittere haud possint; simul tamen ex ibi dicendis patebit, post educationem absolutam obsequio cessante, solam remanere reverentiam in memoriam pristini beneficii parentibus exhibendam, cui ipsi quia in parentibus merum jus absque concomitante obligatione respondet, non video, cur non eidem etiam parentes renunciare, illudque liberis remittere possint, præprimis cum in honesta familiaritate nulla sit turpitudo.

236. Ita videmus, sæpius patrem etiam honesta in conditione positum cum filio adulto judicio pollente & bonis moribus prædito amica & tali conversatione uti, cujus exempla rarius inter homines æquales allegare possis; neque tamen propterea quisquam eos criminis adversus rectam rationem commissi insi-

Ppp mulat;

ad §. 233. n) In disp. de Philos. juris §. 49.

mulat; ut taceam, frequentissimas familiaritates matrum cum filiabus nuptis.

237. Accedit, quod, quantum ad nuptias filii cum matre, jam suprà ostenderimus, *reverentiam marito à conjuge* ex lege naturali non deberi, adeoque, etiamsi reverentiam filialem irremissibilem statueremus, quid obstaret tamen, quo minus mater in pacto conjugali reverentiam exigendi jus, quod jam habet, sibi etiam in posterum reservaret?

238. Sequitur ut in *pudorem* inquiramus, ad quem jam suo ævo respexit Paulus JCtus, *contrà pudorem esse asserens, filiam suam uxorem ducere. o)* Atque hic quidem vel ut *communis* causa producitur, cur nuptiæ inter personas cognatas & affines sint interdictæ, vel *in specie*, quod conjunctioni parentum & liberorum obsit.

239. *Priorem* opinionem attentius discutere prolixum nimis foret, quare repetenda solum hic erunt ea, quæ suprà *p*) occasione scortationis de eâ monuimus.

240. Quà *posteriorem* præsupponitur, *q*) *pudoris* circa partes genitales actumque *generationis duplicem* causam esse. *Primo*, quia istæ vicinæque partes tetram materiam ac fœtidam ejiciunt, unde ne ista imbecillitatis indicia ullatenus pateant, solicite superbam hominis indolem ac gloriæ decorisque cupidam cavere solere.

242. *Deinde*, quia affectibus per lapsum corruptis prava libido per eas partes magno velut cum impetu erumpere arrideat, & verò cardo quasi omnis decori ordinis in societate humanâ in hoc vertatur, ut propagatio sobolis sanctis legibus circumscribatur; igitur dignitati suæ conservandæ studentem naturam istum pudorem commentam esse, quo & sollicitè ista membra tegerentur, ne oculis semper exposita irritarent libidinem quovis tempore paratam, & eò magis Venere illicita abstineretur,

quod

ad §. 238. o) L. Adoptivus §. serviles de R.N. Grot. II. 5. 12.

ad §. 239. p) §. 159.

ad §. 240. q) *Recensetur hic & in §§. duobus sequentibus sententia Pufendorffii* ex §. 31.

quod & legitimam non nisi tectè & remotis arbitris obire pudoris teneritas subigeret.

242. Istum porrò *pudorem insigniter intendi* adversus illas personas, quibus natura *reverentiam* quandam debemus, aut adversus quos *gravitatem* quandam præ nobis ferre debemus, quales præcipuè sunt *parentes* & *liberi*, ita ut, qui per eundem non reprimatur, quo minus in familiarem istam corporum commixtionem descendere non vereatur, effronti prorsus ingenio, &, qui nullum aliud facinus sit formidaturus, judicetur; quare propter hunc potissimum pudorem jure naturæ inter ascendentes & descendentes in recta linea connubia censeri prohibita.

243. Hic ut nihil dicam; *pravam libidinem*, quæ potissimum fundamentum pudoris verè ponitur, ex rationis ductu vix esse demonstrabilem, istud maximè considerandum videtur, quod ratio prohibitionis in *pudore & reverentia* conjunctim quæratur.

244. Nam uti de *reverentia sola* sejuncto pudore modo fusius differuimus, *r)* ita, si de *pudore solo* sequestrata reverentia sermo foret, videretur sequi, nulla conjugia esse admittenda, cum omnes homines causam pudoris in se deprehendant, pudoremque adeo inter se sectari teneantur.

245. At, etiamsi *pudorem* cum *reverentia conjungas*, vereor, ne recurrat responsio, quod parentes reverentiam istam possint *remittere*, ne urgeat iterum instantia de *connubio principum cum subditis*.

246. Igitur mallem & hic *imperfectionem rationis* nostræ agnoscere & asserere, connubia parentum & liberorum non esse objectum legis naturalis, sed alterius legis divinæ.

247. Unde & de *reliquis personis*, cum quibus *incestus* hodiè committitur, facilè judicandum erit, incestum illum lege naturali non determinari, quod jam alii demonstrarunt prolixius, *s)* & à multis jam, relictâ priori sententiâ, quasi connubia fratrum & sororum etiam contra naturalem legem essent, est receptum.

ad §. 244. r) Conf. Puf. §. 32. *ad* §. 247. s) Puf. §. 34. seq.

248. Si itaque hactenus dicta in summam velimus contrahere, ista quidem *conjugii*, quatenus ex lumine rationis cognosci potest, *definitio* oriretur, quod sit *societas maris & fœminæ generandæ sobolis gratiâ.*

249. *Officia conjugum* verò quod concernit, includuntur ista præcepto unico: FACIENDA ESSE AB UTROQUE CONJUGE EA, QUÆ PRUDENTIA DICTAT AD PROPAGATIONEM SOBOLIS, ET POST HANC, AD LIBIDINIS EXPLETIONEM ESSE APTA.

250. *Maritus* igitur obligabitur, ut, quantum ad conceptionem opus est, cum uxore concumbat, neque conceptionem per nefarios amplexus impediat, tum ut libidinem uxoris pro viribus restinguat, sic tamen, ut hic caveat, ne proli conceptæ per istud opus damnum aliquod inferatur.

251. *Uxoris* autem similiter officium est, ut corporis communionem marito præstet, non solum ad procreationem liberorum, sed etiam extinctionem libidinis.

252. Quare *uterque* graviter adversus suum officium peccant, si poculo *sterilitatis* conceptionem fœtus impediant, aut concepto *abortum* procurent.

Caput III.

De

Legibus Positivis officia conjugalia concernentibus.

SUMMARIA.

Connexio §. 1. Deus conjugium ab initio humani generis munivit legibus positivis, §. 2. 3. non ubique verbis expressis, sed & facto institutionis declaratis, §. 4. 5. 6. 7. quarum I. *CRESCITE ET MULTIPLICAMINI, §. 8. per quod tamen lex naturalis*

non

non aucta sed saltem reperita fuit. §. 9. *Unde malè ita circumscribitur* : matrimonium ab omnibus hominibus esse ineundum, §. 10. *aut exinde deducitur, quod is qui facultate generandi pollet, mortaliter peccet, si non uxorem ducat.* §. 11.-- 19. *In conjugii institutione Deus respexit etiam ad generationem sobolis:* §. 20. *an etiam extinctionem libidinis?* §. 21.-- 27. *Post lapsum tamen hic finis à Deo toleratur.* §. 28. *Mutuum adjutorum, qui hodie est tertius finis, in institutione conjugii sub verbis mutui adjutorii non intelligitur.* §. 29. 30. *Jus divinum quoad doctrinam de metu, dolo vel errore nihil immutavit,* §. 31. *& distinctio inter substantialia & accidentalia conjugii hic adhibita à Lege humana est,* §. 32. 33. *aut distinctio, utrum sponsus aut sponsa coacta sit.* §. 34. II. *QUÆLIBET UXOR MARITO SUBJECTA ESTO,* §. 35. *quæ lex in statu integritatis non fuisset* §. 36.-- 46. *est tamen hodiè universalis.* §. 47. 48. III. *CONJUGIUM SIT SOCIETAS INDISSOLUBILIS.* §. 49. *Ostenditur fundamentum hujus legis.* §. 50. 51. 52. *Ejus exceptiones,* §. 53. *circa quas dissensus Judæorum ob diversè expositam legem Mosaicam recensetur,* §. 54. 55. *definitus à Christo in disputatione cum Pharisæis.* §. 56. 57. *Sed circa hanc definitionem miræ contentiones iterum inter Christianos ortæ sunt, quarum historia recensetur & indefinita relinquitur.* §. 58.-- 70. IV. *OMNEM CONCUBITUM LIBIDINOSUM VITA.* §. 71. *Unde profluit prohibitio scortationis simplicis, bestialitatis, stupri, concubinatus,* §. 72. 73. 74. *Concubitus cum uxore menstruata.* §. 75. V. *OMNIS POLYGAMIA SIMULTANEA ESTO PROHIBITA.* §. 76. *Ostenditur fundamentum hujus prohibitionis esse in institutione primæva conjugii,* §. 77.-- 90. *à qua lege Deus in Veteri fœdere dispensavit totam populum Judaicum.* §. 91. 92. 93. *Igitur lege divina latius extensus fuit conceptus adulterii, quam jure naturæ,* §. 94. 95. 96. *ex dispensatione vero apud Populum Judaicum iterum suo modo restrictus.* §. 97. VI. *LENOCINIUM NON COMMITTE.* §. 98. VII. *quoad incestum: ABSTINE à CONJUNCTIONE PARENTUM ET LIBERORUM,*

RUM FRATRUM ITEM ET SORORUM, ET QUI TIBI PARENTUM ET LIBERORUM LOCO SUNT, QUIQUE DICTIS RESPECTIBUS TIBI SUNT AFFINES §.99.*Circa quam tamen multa sunt litigia. Supponitur* [1] *eam esse positivam,* §. 100. [2] *universalem* §. 101. [3] *nihil interesse utrum, in statu integritatis etiam obtinuisset.* §. 102. [4] *Quæstionem hic præjudicialem esse : an prohibitio Dei etiam pertineat ad personas in prohibitione non nominatas?* §. 103. *Ad cujus decisionem notatur : omnem legem admittere regulam de extensiva interpretatione ob identitatem rationis :* §. 104. *rationem legislatoris præferendam rationi interpretis :* §. 105. *& rationem Dei rationibus hominum ,* §. 106. *etiam Rabbinorum.* §. 107. *Recensentur rationes Rabbinorum,*§. 108. 109. *& refutantur prolixius.* §. 110. -- 127. *Explicatur præceptum memoratum distinctè. Per* conjunctionem *intelligi etiam scortatoriam.* §. 128. *Rationem legis divinæ communem à Deo ipso poni in proximitate ,* §. 129. *hanc tamen non opponi debere rationibus specialibus ,* §. 130. *sed hactenus valere tamen , ut , ubi eadem sit sangvinis proximitas , ibi quoque sit eadem prohibitio.* §. 131. *Computatione graduum hic non esse opus,* §. 132. *nec inquisitione in rationis rationem.* §. 133. -- 135. *Initium prohibitionis sumi à conjugiis parentum & liberorum* §. 136. -- 138. I. *regulam specialem esse : JURE DIVINO IN LINEA RECTA NUPTIÆ SUNT PROHIBITÆ IN INFINITUM.* §. 139. -- 143. *Respondetur dissentientibus* §. 144. -- 147. II. *IN LINEA COLLATERALI ÆQUALI NUPTIÆ TANTUM SUNT PROHIBITÆ INTER FRATRES ET SORORES.* §. 148. 149. *Ostenditur : Jure divino etiam prohiberi conjugium cum comprivigna , si frater communis adsit.* §. 150. -- 171. III. *IN LINEA COLLATERALI INÆQUALI NUPTIÆ TANTUM SUNT PROHIBITÆ INTER EAS PERSONAS, QUÆ SIBI PARENTUM ET LIBERORUM LOCO SUNT, ETIAM EX UNO LATERE IN INFINITUM* §. 172. -- 183. IV. *QUÆCUNQUE PERSONÆ RATIONE CONSANGUINITATIS CONJUGUM SUNT INTER-*

INTERDICTÆ, ILLÆ ETIAM PROHIBITÆ SUNT ALTERI CONJUGI PROPTER AFFINITATEM. §. 184. -- 210. *Controversia de conjugio cum defunctæ uxoris sorore summatim proponitur.* §. 198. -- 204. *Jus Divinum ignorat tria genera affinitatis,* §. 211. 212. *nec prohibet conjugium vitrici cum privigni vidua aut privigni cum vitrici vidua, quod fusius ostenditur, & dissentientibus respondetur.* §. 213. -- 224. *Princeps non potest aliquid permittere vel dispensare, quod est contra leges has divinas.* §. 225. -- 232.

§. 1.

DEmonstravimus hactenus, quantum ex solo lumine naturæ de officiis conjugalibus doceri possit, unde non mirari debemus, si videamus, sæpius Gentiles in deducendis assertionibus, quarum ratio à nobis, qui Christiani sumus, evidentissime reddi potest, fluctuaverint, & ad jus aliquod non scriptum, vel connatum, aut aliud quid simile, obscuro sensu provocaverint.

2. Nimirum noluit divina Sapientia, hominem societatem hanc maxime naturalem & seminarium humani generis, secundum ductum solius rationis inire, ne quidem in statu integro, sed statim conditis primis parentibus ipsa matrimonium instituit, idque certis *legibus* munivit *positivis* omnes homines obligaturis, quibus postea & in statu post lapsum alias superaddidit, officia conjugum concernentes.

3. In rationem verò hujus divini instituti, & cur DEUS etiam in *statu isto perfecto* leges positivas legibus naturalibus superaddiderit, ut inquiramus, à nobis non expecta, utpote quibus debitum submisissimæ reverentiæ erga DEUM summum inculcat, noxiè curiosas ejusmodi quæstiones, in rationes factorum divinorum, quas Creatori revelare nobis non placuit, otiosè inquirentes omittere. Sufficiet, eas quas ipsius Benignitas legibus promulgatis addidit, pie ac devotè speculari, quatenus iis ad interpretationem, qua declaratiuam, qua extensivam & restrictivam, est opus.

4. Sem-

4. Semper autem hic ad ea, quæ suprà posuimus *legis positivæ divinæ requisita* respiciemus, & quod Rabbinorum traditiones attinet, ita versabimur, ut eas quidem non plane simus rejecturi, perpetuo tamen easdem subordinaturi scripturæ.

5. Porrò cum leges divinæ duplici quasi modo publicatæ sint, *verbis expressis* in scripturam redactis, tum & *facto institutionis divinæ*, de illis quidem, quin genus humanum obligent, nullum restabit dubium, de his verò præsupponendum est, quod latius demonstrare solent Theologi, *omnem divinam institutionem simul esse divinam legem.*

6. Utque de *institutione conjugii* eo minus dubium restare possit, eam vim legis obtinere, ipse Salvator optimus & authenticus legum divinarum interpres sæpius ex primæva illa institutione tanquam ex lege controversias matrimoniales definivit. *a)*

7. Fortè igitur non inconveniens foret, si *leges has divinas* secundum ordinem temporis proponeremus, ab illis videlicet, quæ statum *integrum* comitatæ sunt, incipiendo, ac inde progrediendo ad leges *lapsum* insecutas; quoniam tamen de nonnullis dubium est non parvum, ad alterutrum hominum statum earum promulgatio referenda sit, ut fortè monebimus suo loco, & præterea timendum, ne animus studiosi, cui primario scribimus, distrahatur, si alia methodo hic incederemus, quam capite præcedenti factum fuit, sequendum potius esse istum ordinem judicavimus, perlustraturi adeo, in quantum præcepta juris naturalis à DEO aucta fuerint, & actus quidam lege naturali indifferentes lege positiva præcepti fuerint vel prohibiti.

8. Ergo quod initio præceptum naturale de ineundo matrimonio concernit, *b)* repetiit illud DEUS in prima benedictione, verbis; CRESCITE ET MULTIPLICAMINI, quæ non nudam facultatem hominibus tribuunt, ut subsequentia, *& Dominamini super terram*, sed haud dubie obligationem simul adjunctam habent.

9. Quo-

ad §. *6.* a) Conf. disput. nostr. de crim. bigam. §. 37.

ad §. *8.* b) Conf. cap. præced. §. 47. Albert. cap. 10. §. 4. p. 171.

9. Quoniam autem DEUS ibidem *legem naturalem saltem repetiit*, &, facile consentientibus omnibus, ejus obligationem non auxit, aut hominum libertatem arctius, quam jam per dictamen rationis factum erat, stringere voluit, inde necessariò sequitur, ea, quæ superius *c*) præcepto de ineundo matrimonio per modum explicationis & limitationis addidimus, hic quoque esse repetenda.

10. Hinc vereor, ut rectè vis & efficacia voluntatis divinæ circumscribatur: *d*) *Matrimonium ab omnibus hominibus esse ineundum:* Nam, etsi dictamen rationis de conjugio ineundo indefinite universum humanum genus obliget, tamen minus accuratè præcepta de præstandis officiis humanitatis, quorsum & hoc præsens retulimus, *e*) applicantur distributive ad singulos homines. Nam v. g. etsi indefinite homines obligentur ad dandas *eleemosynas*, incongruè tamen loqueretur, qui vellet: ab omnibus hominibus dandas esse eleemosynas.

11. Ulterius, quia omnia præcepta affirmativa ad sui adimpletionem requirunt occasionem commodam, ideo nimis crasse loquuntur, qui vulgo tantam hujus præcepti obligationem esse volunt, ut is, *qui facultate generandi pollet, mortaliter peccet*, si non uxorem ducat. *f*)

12. Quasi DEUS velit, ut juvenes, qui sæpius ultrà pueros sapiunt parum, & ad personam patrumfamilias gerendam sunt inepti, animum ad uxores applicent, aut qui sibi suisque nil nisi strenuam esuritionem possunt polliceri: civitatem mendicabulis impleant. *g*)

13. Quæ sententia fortè originem sumsit ex Doctrina *Rabbinorum*, *h*) docentium, ex præcepto illo divino, crescite & multipli-

ad §. *9*. c) d. §.47. seqq.
ad §. *10*. d) *Ita circumscribit Alberti* d. l.
e) d. c. præced. §. 50.
ad §. *11*. f) *Vide Schwertneri disput. an Politicus debeat carere religione, pudore, uxore?*
ad §. *12*. g) Conf. cap. præced. §. 54. 55.
ad §. *13*. h) Vide Pufend. §. 6.

tiplicamini, omnes masculos teneri, ut ante expletum annum vigesimum uxorem ducant, nisi aut assiduo legis studio quis incumbat acriori libidinis stimulo immunis, aut partium, quibus viri sumus, defectu, generationi sit impar.

14. Et hanc conjecturam juvat valdè, quod vulgo easdem limitationes soleant addere, *i*) quas Rabbini addebant, nullum hominem subterfugere licitè conjugium, nisi obstet præceptum superius, de vocatione nempe divinâ ad *donum continentiæ* servandum, aut *impotentia*, quasi res sit conclamata, si modò hæ duæ limitationes observentur.

15. Nam uti de *impotentibus* nullum est dubium, quin ad matrimonium sint inepti, uti etiam cœlibatus eorum, quibus donum continentiæ divinitus indultum est, non solum pro actu licito, sed & maximè pro justo est habendus; *l*) ita praxis totius Christianismi repugnat, quod ii omnes peccent, qui *donum continentiæ non habentes* post annos pubertatis, vel etiam annum vigesimum *uxores non ducunt.*

16. Cum enim exempla horum, qui ante vigesimum annum uxores ducunt, sint rarissima, sequeretur profectò, *enormia peccata ab omnibus Christianis Principibus cujuscunque religionis tolerari*; sequeretur, insigniter peccari à *Theologis & concionatoribus*, quod Politicis non persuadeant, quò per leges pœnales omnes puberes ad matrimonia sine discrimine mediorum sustentandi & commoditatis ineunda compellantur.

17. Neque dicere poteris, homines nostros prærogativam habere præ Gentilibus, eosque omnes aut plerosque, qui à matrimonio abstinent, habere donum continentiæ, quippe non solum vita communis, & subsequentia quotidie conjugia contrarium evincunt, sed & Theologi inculcare solent, *donum continentiæ* hodiè inter rarissimè contingentia esse referendum, adeoque præsumi non debere. *m*)

18. Sed

ad §. *14.* i) Vide Alb. d. c. 10. §. 4.
ad §. *15.* l) Vide Havemann. Gamol. p. 370. seq.
ad §. *17.* m) Vid. Alberti §. 5.

18. Sed, inquies, vel ideo omnes ac singulos homines ad generandum aptos stringet præceptum de ineundo conjugio, quia est affirmativum, n) *affirmativa autem præcepta æquè ac negativa obligant semper & pro semper*, hoc est, omni loco & tempore, solamque hanc admittunt exceptionem, si obstet præceptum superius.

19. Hic vero regeram ego, falsum esse, quod hic asseritur, & vel ex instantia de lege divinâ, *quæ orandum esse præcipit*, (quoniam hæc ut divinum cultum concernens superius præceptum non habet) refutari potest. Etsi enim Apostolus inculcat, orandum esse sine intermissione, quis tamen inde inferret, orandum esse omni loco & tempore, ita ut peccet, qui orationem intermittat per aliquot momenta, ut corpus modicè refocillet, aut functiones alias honestas impleat.

20. Pergo nunc ad ipsius matrimonii considerationem, cujus finem duplicem superius demonstravimus, sobolis procreationem & extinctionem libidinis. o) *Illam præ hâc principaliter etiam à DEO intentam* esse in institutione conjugii, ostendunt verba historiæ sacræ, quibus indicatur, *ob mutuum adjutorium Deum condidisse Evam, quoniam ex bestiis nulla Adamo adjutorium præstare poterat*, hoc est, non sufficiebant bestiæ ad sui simile procreandum, etsi sufficiant eædem ad extinctionem libidinis.

21. An verò & *in statu integro* extinctio libidinis finis conjugii secundarius fuerit, difficile dictu est. Sunt enim, qui putant *p)* libidinem omninò à statu integro abfuisse, sunt tamen qui arbitrantur, Adamum, etiamsi mansisset integer, magnam delectationem ex congressu conjugali sensurum fuisse, ac cum uxore gravida fuisse concubiturum. *q)*

 22. No-

ad §. *18*. n) Ita Alb. d. §. 4.

ad §. *20*. o) Vide cap. præced. §. 64. seqq.

ad §. *21*. p) Vide Albert. cap. 10. §. 26. p. 184.

q) Vide Velthuys. de scortatione.

22. Nobis hic videtur ſeparanda eſſe ſignificatio *libidinis phyſica*, quæ conſiſtit in delectatione tactus venerei, à *morali*, cujus deſcriptionem ſuprà dedimus. *r*)

23. *Illa eſt actus indifferens*, & non magis exulaſſet à ſtatu integro, quam honeſta delectatio eſum & potum comitans, vel alia hominis ſenſoria afficiens; fluit enim illa ex diſpoſitione & ſtructurâ mirandâ corporis, quæ eadem fuit in ſtatu perfecto atque eſt hodie, cum jam Theologi oſtenderint, peccatum non affeciſſe ſubſtantiam hominis.

24. *Hæc vero peccatum eſt*, & peccati originalis non minima particula, quæ non ſolum à genuino fine, cur inſtinctum ad unionem corporum homo ſentiat, aberrat, ſed rationi quam maxime repugnat & refragatur, unde non potuit adeſſe in primævo ac beato ſtatu.

25. Nunquam enim ad ſolam delectationem protoplaſti uſu fuiſſent cibo ac potu, ergo multo minus re venerea.

26. Accedit, quod maxime in præſenti vita libidinem augeat abundantia ſeminis orta ex luxuria & intemperantia edendi ac bibendi: At in ſtatu integro omnis quoque luxuria exulaſſet.

27. Quæ omnia conjunctim cum & maritum impellant ad congreſſum cum uxore gravidâ, non probabile eſt, protoplaſtos poſt conceptionem factam fuiſſe concubituros.

28. At *in ſtatu poſt lapſum* DEUS hunc finem in matrimonio ut ſecundarium tolerat. *s*)

29. Duobus his finibus addidimus etiam *t*) *mutuum adjutorium in negotiis domeſticis*, quod uti haud dubiè in ſtatu poſt lapſum inſtitutioni divinæ non repugnat, ita mirandum, inter Chriſtianos reperiri, qui id ipſum etiam in ſtatu integro per verba: *Faciamus homini mutuum adjutorium*, fuiſſe à DEO intentum opinantur. *u*)

30.

ad §. 22. r) Cap. 1. §. 140.

ad §. 28. s) *Inculcat enim Paulus:* ob ſcortationem quemlibet habere debere uxorem propriã.

ad §. 29. t) cap. 2. §. 74. ſeqq.

u) Vide Dn. Becman. Medit. Polit. diſſert. 7. th. 9.

30. Quasi non ipsa sobolis generatio in illis verbis denotaretur, *x)* & quasi opem Evæ desiderasset Adam ad acquirendas & conservandas opes, ad regendos servos, educandam sobolem, utpote quos actus omnes ignorasset status primævus.

31. Porro quæ supra *y)* fusius disseruimus de *consensu per metum, dolum vel errorem* impedito, iis nihil novi adjecit jus positivum universale, sed relinquit legibus humanis augendæ tranquillitatis civilis gratia specialiora superaddere.

32. Unde ortum suum traxit distinctio inter *conjugii substantialia & accidentalia*. Nam jus divinum universale nulla substantialia conjugii novit, quam quæ ad sobolis generationem faciunt.

33. Hinc etiam est, quod leges civiles in determinatione substantialium sæpius varient. Nam jus Canonicum *virginitatem* negat esse qualitatem essentialem, pro tali vero eam habent mores nostri, haud dubie ad jus Forense Mosaicum respicientes, utpote quo, si quæ pro virgine se gesserit, post deflorata fuerit deprehensa, non tantum licite repudiabatur, sed & pœnæ insuper erat obnoxia. *z)*

34. Quorsum etiam pertinet, quod legibus Ebræorum civilibus id peculiare quoad metum erat, ut si sponsa *vi aut metu* coacta fuisset, irrita forent sponsalia, non item, si sponsus coactum se diceret, quoniam neque de vi eidem illata, neque de ipsius metu æque præsumebatur, & repudiare eandem pro arbitrio poterat, si conditio displiceret. *a)*

35. Venio *ad imperium mariti*, quod citra consensum uxoris ex dictamine rationis demonstrari non posse satis, ut puto, deduximus: *b)* sed hic superaddit lex divina universalis præceptum: QVÆLIBET UXOR MARITO SUBJECTA ESTO.

ad §. *30.* x) Conf. §. 20.
ad §. *31.* y) Cap. 2. §. 85. seqq.
ad §. *33.* z) Puf. §. 26.
ad §. *34.* a) Puf. d. §. 26.
ad §. *35.* b) Cap. 2. §. 105. seqq.

36. Extat hæc lex inter *pœnas lapsus*, simile quid in *statu integritatis* à DEO fuisse conditum, scriptura non revelat, ergo cur nos tale quid fingeremus?

37. Præprimis cum mox ab initio docuerimus, c) non svadere rationis dictamen, DEUM in statu integro Evam subjicere voluisse Adamo, quoniam communis causa imperii inter homines est *imperfectio*, quæ Evæ tum temporis tribui non poterat.

38. Quod argumentum tamen, ut vides, saltem eò tendit, quod imperium mariti ex ratione demonstrari non possit, non verò, quod idem rationi sit adversum.

39. Unde nos nequaquam feriet, si quis daturus sit instantiam *de Angelis*, *d)* tanquam in quos nulla cadat imperfectio, cum tamen hoc non obstante inter ipsos sit regimen & subjectio, quoniam Dominationum & potestatum titulos de iis prædicat scriptura.

40. Nam etsi hic responsi loco afferre possemus, adhuc esse dubium, an hæc nomina sint solius ordinis, an & imperii simul; foret tamen evidentior responsio, rationis dictamen nullam causam suppeditare, ut inter angelos imperium asseramus, neque tamen rationi id repugnare omnino, ergo cum id scriptura nobis inculcaverit, credi à nobis, non sciri; simile quid verò de imperio mariti dici non posse.

41. Itaque cum in rebus à revelatione divina dependentibus nihil temere debeamus fingere, fortè non sine causa quis in admirationem rapi posset, quî evenerit, ut communiter scripturæ interpretes statuerint, *Evam marito etiam ante lapsum fuisse subjectam*, & saltem istam subjectionem post lapsum in pœnam ejus fuisse auctam, ut cum antea se sponte directioni mariti submisisset, posteà cum renitentia & dolore animi id fieret, cum tamen expositionem hanc & textus & prægnans destituat ratio.

42. Sed

ad §.37. c) l. 1. c. 2. §. 29.

ad §.39. d) *Quæ instantia nobis data fuit ex* Col. 1. Ephes. 1, *à Theologo quodam venerando, cum quo meditationes nostras communicaevramus.*

42. Sed videlicet causam huic opinioni videtur præbuisse insignis aberratio à regulis analyseos Logicæ, cum nempe legerunt *ab Apostolo* docente, *e*) quod *non conveniat, ut uxores imperent maritis*, duas addi huic doctrinæ rationes, unam, *quod Adamus prius creatus fuerit Evâ*, alteram, *quod non Adamus, sed Eva fuerit à serpente seducta.*

43. Quippe si ex rationis ductu resolvere doctrinam Apostoli velis, ista quidem evadet periphrasis. *Non convenit, ut uxores imperent maritis, sive statum integritatis respicias, sive consideres statum post lapsum. Ibi enim, quo jure prætendere potuisset imperium fœmina,* (posito quod imperium fuisset in statu integro) *cum tamen Adamus in summâ libertate à DEO fuerit conditus, & posteà nihil commeruerit, ut Creator ipsum libertate privaret suâ; ac Evæ ex ipso Adamo fabrefactæ subjiceret, sed potius convenientius fuisset, si ex conjugibus unus in illo quidem statu alteri debuisset subjici, ut Eva tanquam posterius creata, neque adeo ante Adamum libertate omnimoda pollens regimini mariti fuisset addicta. At in statu post lapsum tantum abest, ut uxor vindicare sibi imperium debeat in maritum, ut potius eadem propterea, quod prius se seduci passa fuerit, in pœnam commissi criminis mariti imperium agnoscere fuerit coacta. &c.*

44. Illi vero contra præcepta Logicæ & contra intentionem Apostolicam, statum controversiæ seu thesin Apostoli mutarunt, & quas ipse *contrà imperium uxorum* adduxit rationes, ac si *pro imperio mariti* stabiliendo ab ipso allatæ fuissent, interpretati sunt, eo modo, ut per posteriorem probaretur imperium mariti in statu post lapsum, per priorem vero in statu integro eidem assereretur, quam expositionem haud dubie promovit, quod viderent posteriorem rationem in utriusque assertionis comprobationem valere, unde putarunt idem procedere in priore.

45. Ostendit autem simul periphrasis nostra, non frigere illationem Paulinam, etsi ultra nostram interpretationem non extendatur, adeoque exinde facile satisfieri posse objectioni, si quis afferre

ad §. 42. e) 1. Tim. II. v. 13.

afferre velit, nullam esse sequelam; Adam prius creatus est, non Eva, ergo uxor marito imperare non debet; nisi ex illa prioritate, ad quam Spiritus digitum intendit, de imperio judicandum esset.

46. Quod si ulterius instare velis, non sine Mysterio Evam non modò non ante Adamum, *sed nec cum eo esse conditam*, ut nimirum nec ipsi imperaret, nec par & æqualis ipsi sed subjecta foret, responderem, committi fallaciam non causæ, ut causæ, & valere hoc saltem argumentum ad illustrationem assertionis de imperio mariti jam demonstratæ, non valere ad solidam ejusdem probationem. *f*)

47. Ergo maneamus inconcussi in doctrinâ nostrâ, pertinere hoc præceptum solum ad statum lapsus, quo pacto tamen nihilominus erit *positivum universale* omnes uxores afficiens, quemadmodum pœna Adamo dictata afficit omnes masculos.

48. Simul illud exinde inferimus, quoniam hæc subjectio â DEO fœminis injuncta fuit non in favorem & præmium mariti, sed in *odium & pœnam sexus fœminei*, cujus quasi executor saltem maritus à DEO est constitutus, igitur non esse in mariti arbitrio positum, vel per pacta connubialia vel per tacitam conniventiam imperii domestici habenas relinquendi uxori, *g*) sed qui hoc faciunt, non minus peccare ac v. g. magistratus inferiores, pœnas delinquentibus non inferentes, & jus aggratiandi, quod soli Legislatori relinquendum est, sibi arrogantes.

49. Rursus, quod quæstiones *h*) de *dissolubilitate conjugii* concernit, noluit divinum numen ejus decisionem relinquere ratioci-

ad §. 46. f) *Huc pertinet aliorum observatio: Evam non creatam esse ex capite Adami, ne prætenderet imperium; neque ex pedibus, quia non fuerit subjecta viro, sed ex femore utpote sociam.*

ad §. 48. g) *Neque tamen amor conjugalis per illam legem est sublatus. At amor coactionem excludit. Igitur distingve. Peccat maritus, si uxori imperium tradat, non peccat, si illud in morigeram non exerceat.*

ad §. 49. h) *Quas ventilavimus* in §. 115. seqq.

ratiocinationi humanæ, sed obicem eidem posuit promulgando legem positivam: CONJUGIUM SIT SOCIETAS INDISSOLUBILIS.

50. Publicata fuit lex ista *i) in Conjugii institutione*, etsi verbis disertis eadem à Mose non ibidem memoretur, sed latet tamen in istis verbis institutionis: *Propterea deseret homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.*

51. Etsi vero non negemus, varia argumenta eaque non inerudita afferri posse, si quis secundū regulas *interpretationis doctrinalis* ex istis verbis argumentum contra divortiorum licentiam velit extruere, præciduntur tamen omnia uno ictu, quod Salvator noster in disputatione adversus Pharisæos ex illis verbis conclusionem istam intulerit: *l) Itaque jam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus copulavit, homo ne separet.*

52. Nam interpretatio authentica, qualis est illa Christi, non adstringitur regulis interpretationis doctrinalis.

53. Quemadmodum autem leges positivæ subjacent limitationibus & dispensationibus legislatorum, ita & præsenti *limitationem* indulsit clementissimum numen, de cujus tamen expositione maximè variant scriptores, in tantum, ut eam quæstionem pro latebrosissima jam suo tempore agnoverit Augustinus. *m)*

54. Nimirum cum Moses in legibus forensibus concesserit Judæis, ut uxoribus ob causam turpitudinis *libellum repudii* darent, de sensu legis hujus statim ortæ fuerunt dissensiones, cum alii putaverint, *cogi maritum*, ut in causâ adulterii uxorem dimittat, alii contra *licentiam* saltem indultam esse docuerint. *n)*

ad §. 50. i) Vide disput. de crimin. bigam. §. 40.

ad §. 51. l) Matth. XIX. 3. seq.

ad §. 53. m) Vid. Strauch. tit. 35. Jur. publ. p. 176. Locum Augustini refert Seldenus *de Uxore Hebraica* l. 3. c. 31. p. 447. *quem ad hunc & seqq. §§. usque ad §. 72. conf.* etiam d. l. 3. â cap. 18. usque ad finem libri, & disput. Linckii de divortiis.

ad §. 54. n) Vide disput. de crim. bigam. §. 38. in fine.

55. Iterum Schola Schammæana per turpitudinem à Mose intelligi tantum *adulterium* voluit, Hilleniana verò de *quavis causa*, ob quam mulier viro non placeat, legem dictam exposuit, quæ posterior sententia etiam magis à Judæis videtur in praxi fuisse observata. *o*)

56. Quare omnino ad istam litem videntur respexisse Pharisæi, Christo quæstionem proponentes: *p*) *an liceat divortium facere ab uxore, qualibet ex causa?* &, cum Christus negative responderet, atque ad primam conjugii institutionem eos remitteret, simul ad legem antiquam, quod nempe *jusserit* Moses dare libellum repudii, provocantes.

57. Ipse vero Salvator non obscurè Schammæanam doctrinam ibidem probat, asserendo, omnem qui uxorem suam dimittat, excepta causa *fornicationis*, & aliam ducat, committere adulterium, alteramque sententiam de *jussu* legis Mosaicæ tacitè improbat, ostendendo, quod Moses saltem repudium ipsis ob cordis duritiem permiserit.

58. Non minor autem quoad *interpretationem verborum Christi* ortus est dissensus, cum initio nonnulli fuerint, qui putaverint, ea, quæ Redemtor ibidem cum Pharisæis disputat, pertinere *ad solos Judæos*, Christianis verò non licere repudium dare, ne quidem ex causa fornicationis. *q*)

59. Alii contra id quidem *licere* arbitrati sunt, non autem *præceptum* esse, quod posterius tamen etiam, qui defenderent, non defuerunt, fuit siquidem ea de re sententiarum divortium inter *Hieronymum & Augustinum*. *r*)

60. Porrò alii, qui licentiam divortii Christianis ex causa adul-

ad §. 55. o] d. disp. ibid. *Vid. Seldeni* Uxor Ebr. lib. 3. c. 20. p. 325. seqq. *ubi dicitur, quod secta Hilleliana per filiam vocis fuerit confirmata.*

ad §. 56. p] d. Matth. XIX. 3. seq.

ad §. 58. q] Vide Pufend. §. 23. in fine, *ubi citat Buxtorffium. Ambrosium citat Lincke* d. disp. p. 30.

ad §. 59. r] Vide Havemann. Gamol. l. 3. tit. 6. n. 3. & 4.

adulterii indulſerunt, non convenerunt, *utrum maritus vivâ adulterâ aliam ducere poſſet, nec ne. s)*

61. Denique etſi in eo conveniant ferè ſcriptores, à Chriſto ſententiam Hillelis & adeò divortiorum laxitatem fuiſſe improbatam, id tamen adhuc acriter diſputari poteſt, an ſub voce πορνεία, [*fornicatio*] ſolum delictum *adulterii* vel *concubitus illiciti*, an vero & *alia delicta* majora intelligantur, quæ aliàs in ſcripturâ ſacrâ vocabulo fornicationis denotari ſolent. *t)*

62. Quibus poſſes & iſtam controverſiam addere, *an licentia divortii ob adulterium etiam ad fœminas pertineat*? Sane Juſtinus narrat, de muliere Chriſtianâ, quæ pietatis causâ marito infideli & flagitioſo Anno Chriſti 150. repudium dederit, adducunturque ſimilia exempla Teclæ & Fabiolæ. *u)*

63. Sed non minimum ſcrupulum injicit lex Conſtantini M. quâ licentiam divortii coarctat, ut *fœmina marito* ob ſolum *homicidium, crimen medicamentarium x) & ſepulcrorum diſſolutionem, maritus* verò *fœminæ* tantum *moechæ, medicamentariæ & conciliatrici y)* repudium dare poſſit. Vides enim in cauſis, ob quas fœmina maritum dimittere poterat, *non eſſe adulterium. z)*

64. Et tamen non prætereundum eſt, cum iſtam legem promulgaret Conſtantinus, patres Nicænos plerosque in vivis fuiſſe, eique in rebus Chriſtianiſmi â conſiliis, quin & clerum apud eum ita gratiâ ſub id tempus polluiſſe, ut Epiſcoporum judicio, ac ferme ſoli, cauſas undiquaq; omnimodas permiſerit. *a)*

65. Neque illud omittendum, dubium antehac fuiſſe, quî Paulus, præter adulterium & *malitioſam deſertionem* admittens, cum Chriſto conciliaretur, quâ in re tamen propè conſpirant, Chriſtum loqui de cauſis, ob quas divortium fieri poſſit, Paulum

 vero

ad §. 60. s] Seldenus l. 3. c. 31. p. 441.
ad §. 61. t] Seldenus d. l. 3. c. 28. & 31.
ad §. 62. u] Strauch. d. l. p. 173.
ad §. 63. x] *Veneficii crimen.*
y] *Lenæ.*
z] Seldenus l. 3. c. 28. p. 412. ſeqq.
ad §. 64. a] *Seldenus* d. l.

vero non de causis repudii mittendi, sed de tuendâ libertate conjugis innocentis, â quâ alter injustè fecit divortium.

66. Istæ autem controversiæ docebunt, non adeò mirandum esse, quod ex JCtis etiam nostratibus, quidam magnæ autoritatis, defenderint, *adhuc hodiè in arbitrio potestatis publicæ esse, plures causas, præter adulterium & desertionem* præscribere, quibus divertere liceat, causâ tamen in judicio cognitâ. *b*)

67. Nec adeò levis & de nihilo judicanda sententia *Miltonii, c*) etsi passim vapulet, defendentis, etiam per principia religionis Christianæ *mores intolerabiles* ac *disparitatem & renitentiam animorum* inter conjuges sufficientem esse divortii causam, imò si qui tam malè comparati deprehendantur, omnino separari debere.

68. Etenim quæ *de disparitate animorum* ipse affert, *d*) non magnam discusſionem mereri videntur, cum ipse nescio quam ideam mulieris, viri sapientis & literati genio potissimum congruentis, formet, quæ studiorum sese consortem ferre queat, aut meditationibus fessum argutis jocis recreet, curisque ac tristitia correptum eleganti oratione erigat, quo pacto pauca invenies matrimonia virorum sapientum, quæ ex eâ causâ non possent dissolvi.

69. At quod de *moribus intolerabilibus* asseruit, etsi rationibus non omnino justis propugnaverit, videntur tamen pro eo pauca afferri posse, quod, ut modo diximus, nondum determinatum sit inter Christianos, *utrum Christus in disputatione contra Pharisæos solum adulterium excipere voluerit, nec ne? e*)

70. Quod si hoc maximè concedas, posses tamen fortè *à malitiosa desertione* argumentum pro ipso afferre. Quoniam enim passim Consistoria desertioni isti æquiparant *pertinacem debiti conjugalis denegationem*, *f*) videndum erit, annon regulariter cum mori-

ad §. *66.* b] Srauch d. l. Jur. publ. p. 176.

ad §. *67.* c] Vide Pufend. §. 24. Conf. Linkii disp. de divortiis.

ad §. *68.* d] Vide Puf. d. l.

ad §. *69.* e] Puf. d. l. Conf. §. 61.

ad §. *70.* f] *Ita respondit Consistorium Lipsiense anno 87.* Adde Linck. disp. de divortiis.

moribus ejusmodi intolerabilibus denegatio debiti sit conjuncta, aut an debitum conjugale â personâ, cujus mores intolerabiles sunt, honestè exigi possit?

71. Sed litem tot seculis actam, ego quidem non definio, pergo potius *g*) ad *moralitatem libidinis* secundum doctrinam legis positivæ, quæ id præceptum addit: OMNEM CONCUBITUM LIBIDINOSUM VITA.

72. Ubi repetendum, quod paulò ante ostendimus, *libidinem in statu integritatis* non fuisse, sed sequi vel concomitari eandem peccatum originale. Quare non poterit non concubitus, qui solam libidinis extinctionem intendit, esse peccaminosus, quoniam sic peccatum in actum deducitur, unde non solum *scortationis simplicis & stupri*, sed & maximè *bestialitatis* turpitudo dependet.

73. Et ne dubium remaneat, non solum Deus in specie criminibus, quibus gentes se conspurcasse dicuntur, accenset *utriusque generis sodomiam*, *h*) indicio, hoc delictum initio vel per *institutionem primævam* conjugii, vel in aliis legibus Adamo vel Noacho publicatis esse prohibitum, sed & sæpius inculcat, *scortatores & adulteros* non perventuros esse in regnum cœlorum.

74. Porrò, quoniam Apostolus docet, propter *evitationem scortationis quemlibet habere debere uxorem propriam & vice versa*, adeoque solum matrimonium remedium ustionis DEUS esse voluit, inde fluit, quod & *stuprum*, in quo per accidens intenditur sobolis generatio & *concubinatus* jure divino sint interdicti.

75. Quin & id præsumendum est, *concubitum cum uxore menstruata i*) primis temporibus fuisse interdictum; non solum, qvod iterum gentes dicantur se hoc crimine polluisse, sed & quod ejusmodi concubitus primariò non obtineat generationem sobolis,

 sed

ad §. 71. g] Vid. cap. præced. §. 140. seqq.

ad §. 73. h] Lev. 18. v. 22. seq.

ad §. 75. i] *Omisit hoc præceptum Seldenus & in libris* de Uxore Hebraica, *& in libris* de Jure Naturæ & Gentium secundum disciplin. Hebræorum. *Confer tamen Dassov.* in Coll. MSC. ad Levit. c. 18. v. 19.

ſed ſaltem per accidens. Huc pertinet, quod quidam referant, *l)* Hebræorum legibus patri fœtus, qui mutilus erat editus, pœnam lapidationis fuiſſe dictatam, tanquam qui ab uxore immundâ abſtinere non potuiſſet.

76. Jam *polygamiam* tangit ordo, quam ſuperius, *m)* ſive ſit virilis, ſive muliebris, ex Jure naturali demonſtrative oppugnari non poſſe, oſtendimus; Alia eſt ratio legis poſitivæ univerſalis, quæ dictat: OMNIS POLYGAMIA SIMULTANEA ESTO PROHIBITA, quoniam DEUS in conjugii inſtitutione, quæ vim legis habet, unum uni fœminæ junxit, ergo ſimul prohibuit polygamiam utramque.

77. At, inquies, *n)* ſi inſtitutionem conjugii ad polygamiæ prohibitionem extendimus, ſequeretur, hominibus & *alias circumſtantias*, quæ in primæva inſtitutione affuerunt, per modum legis eſſe obſervandas v. g. quod protoplaſti *nudi* fuerint, quod inſtitutio facta fuerit *ſub dio*, quod à *DEO ipſo*, *ſine ſacerdotis interventu*, ſine *præſentia parentum & cognatorum*, ſine *hoſpitibus*, ſine *muſica*, ſine *cibo & potu*, ſine *arrha & annulis* &c. quæ ſingula ſi hodiè in matrimoniis vellemus obſervare, non ſolum foremus ridiculi, ſed & peccaremus in quibusdam contra dictamen rectæ rationis. *o)*

78. Ut hoc dubium removeatur, ſolent aliqui inter *eſſentialia* conjugii & *accidentalia* diſtinguere; ita ut argumentatio de vinculo inſtitutionis primævæ locum habeat quidem in conjugii eſſentialibus, *materia* nempe ejusdem, ſeu perſonis contrahentibus,

l] P. Ærod. rer. judic. f. 86.

ad §. *76.* m] vid. cap. præced. §. 200.

ad §. 77. n] vid. diſp. de crim. bigam. §. 41. 42. 43. 44. *ex quibus excerpti ſunt h. l.* §. 77. ſeq. usque ad §. 90. *Habes hic ſummam tot librorum hoc ſeculo pro licentia Polygamiæ & contrà eam ſcriptorum, Lyſeri modo ſub Sinceri Wahrenbergii, modo ſub Theophili Alethæi, modo ſub Athanaſii Vincentii, modo ſub alio nomine latentis, Muſæi, Chriſtiani Vigilis ſive Geſenii, Feltmanni, Diecmanni, Brunſmanni aliorumque.*

o] *e. g. ſi quis vellet nuptias ſine conſenſu Parentum inire.*

ſibus, & *forma*, ſeu indivulſo maris & fœminæ vinculo, at non procedat in accidentibus id concomitantibus, de quibus formata ſit objectio. Sed oſtendimus jam alibi, hanc reſponſionem implicare magis, quam ut nodum ſolvat.

79. Quare potius dicendum, *omnes circumſtantias negotii à DEO inſtituti hominibus per modum legis eſſe obſervandas & pro eſſentialibus habendas, modo appareat, DEUM in iisdem ſingulare quippiam & ad negotium ipſum pertinens intendiſſe, aut easdem ex poſt facto non iterum ſuſtuliſſe.*

80. Jam igitur conſtat, DEUm primum par protoplaſtorum eum in finem creaſſe, ut per ipſos mediante matrimonio genus humanum propagaretur. Quod ſi itaque voluiſſet permittere, ut una fœmina pluribus viris vel unus vir pluribus fœminis poſſet in conjugio jungi, haud dubie plures maſculos aut plures fœminas creaſſet, præprimis cum ab initio multiplicatione generis humani, quam potiſſimum urgent polygamiæ virilis defenſores, magis quam hodiè fuerit opus.

81. Infero exinde, per hanc circumſtantiam *unius maris & unius fœminæ* DEUM *ſingulare quid* ratione ipſius conjugii intendiſſe, adeoque eandem ad eſſentiales circumſtantias eſſe referendam.

82. Nec obſtat, quod defenſores polygamiæ dicant, ideo DEUM unum tantum par hominum creaſſe, qvod voluerit, ut ab *uno ſanguine* omne genus hominum deſcenderet. Quemadmodum enim hæc aſſertio nobiſcum non pugnat, cum unius circumſtantiæ DEUS potuerit plures habuiſſe rationes, & præterea hæc ratio etiam ſingulare aliquod circa ipſum conjugium intendat, quod nobis ſufficit, ita neſcio, an exinde firmum aliquid inferre poſſint.

83. Etſi enim ſtatuant, hunc finem non fuiſſe obtentum, ſi DEUS plures fœminas creaſſet, easque Adamo junxiſſet, vereor tamen, an hæc ſententia demonſtrari queat, cum non ſolum verior nobis videatur Phyſicorum opinio, ſtatuentium, ex ſemine maſculino ſaltem prolem generari vel certè vivificari, ſed & ipſa

ſcriptu-

ſcriptura frequentius phraſi iſta: Hominem generari *ex ſanguine maris*, utatur, & in Jurisprudentia etiam fratres, qui ab uno patre deſcendunt, conſanguinei non ſine ratione dicantur.

84. Jam quod inſtantias polygamorum concernit, quis non videt, *nuditatem* primorum parentum circumſtantiam eſſe, quæ non ſpecialiter ad ipſum matrimonium pertinet, ſed & haud dubie, ſi homo manſiſſet integer, etiam in cœlitibus habuiſſet locum, ut taceam, ipſum DEUM nuditatem primorum parentum poſt lapſum obtegiſſe eamque ſuſtuliſſe.

85. Quod *ſub dio* primum conjugium fuerit celebratum, iterum ad ipſum conjugium in ſpecie nihil facit, cum tum temporis nulla fuerint ædificia, & præterea circumſtantia loci fere ſemper inter accidentales referri debeat.

86. Ipſum vero *DEUM* nolle conjugia hodierna hominum copulare, exinde conſtat, quod non ita nobis cum, ut cum Adamo DEUS converſetur.

87. Denique, quod de *Sacerdote, parentibus, hoſpitibus* & *reliquis circumſtantiis* urgetur, nihil adverſus nos facit, cum aſſeruerimus ſaltem, nullam circumſtantiarum, quæ in inſtitutione negotii alicujus à DEO facta, affuerunt, homini eſſe omittendam, non vero, nullas alias eſſe addendas; poſſunt enim accedere & aliæ decoris in vita humana obſervandi gratia, modo per eas primævæ non tollantur. *p*)

88. Sed quid opus diſputatione prolixiore ex regulis interpretationis doctrinalis deſumtæ? Ipſe Chriſtus, cujus explicatio utique pro authentica haberi debet, in diſputatione cum Pharisæis ſuperius recenſita clariſſime oſtendit, bigamiam utramque & muliebrem & virilem in inſtitutione primæva eſſe prohibitam, dum ad inſtitutionem conjugii provocat, dicens: *Initio non erat ſic.* *q*)

89. Quam-

ad §. 87. p] *Simile quid obtinet in adminiſtratione ſacramentorum.*

ad §. 88. q] Conf. hujus cap. §. 49. ſeqq.

89. Quamvis enim de Polygamia disputatio ista non fuerit instituta, licebit tamen ex ejus assertione firmissimè thesin nostram per argumentum deducere. Nam si fœmina, quam vir tamen dimiserat, nubendo alii adulterium committit, multo magis adultera erit, quæ non dimissa à priore marito alium assumsit. Quod si mœchatur, qui dimissa priore uxore seu invita seu volente, aliam ducit, multo magis mœchabitur, qui retentâ priore seu volente seu invita superinducit alteram.

90. Connexio tam firma est, ut ulteriorem probationem non admittat. Et quamvis mirè sudent polygamiæ amasii, ut eam infringant, quam ob rem asserunt: Adulterium, in dicto loco Christi, non committi per ductionem alterius, sed per ipsum repudium, commenti tamen hujus vanitatem jamdudum commonstrarunt alii. *r*)

91. Jam facilis est responsio *ad exempla* polygamiæ virilis, de cujus *licentia* potissimum disceptatur in *populo Judaico*. Qui polygamiam ex Jure naturali impugnant, necesse habent, aut dispensationem admittere in Jure naturali, aut asserere, DEUM tolerasse saltem polygamiam, non approbasse.

92. Neutrum procedere commodè potest. Jam enim supra *s*) ostendimus, jus naturale non admittere *Dispensationem*. *Tolerantiam* autem DEI nudam præter alias rationes impugnat, quod DEUS inter beneficia Davidi præstita numeret, quod ipsi plures uxores dederit. Ut taceam, non præsumendum esse, quod patriarchæ & viri reliqui sancti veteris testamenti vixerint in peccato continuo.

93. Quapropter cum horum tantum intuitu specialis dispensatio facta esse nunquam legatur, mallem dicere, DEUM ab observatione legis hujus positivæ universalis per modum *dispensationis* exemisse *totum populum Judaicum*, sed usque saltem ad adventum Salvatoris.

ad §. *90*. r] *Musæus contra Lyserum* à §. 18. ad 52. *Diecm.* in Brev. Exam. & in vindic. iterat. §. 28. 29. 30.

ad §. *92*. s] Lib. 1.

94. Ex dictis vero apparet, quod lex positiva divina *extendat conceptum adulterii*, cujus turpitudinem secundum ductum solius rationis supra *t)* deduximus saltem ex eo, quod sit contra præcptum de fide data servandâ & præceptum de non lædendis aliis.

95. At ex lege divina etiam pro adulterio habendum erit, si quis potestatem cum alio vel alia concumbendi *per pactum sibi reservare voluerit*, aut concubitus fiat *consentiente* altero conjuge, quia tunc videlicet peccatur contra præceptum de *libidine & polygamia* vitandis.

96. Simul illud patescit ex lege institutionis primævæ, adulterium *tam à marito*, etiamsi *cum soluta* rem habeat, quam ab uxore committi posse, unde huic maximè convenit definitio adulterii à nostratibus recepta, quod sit violatio fidei conjugalis.

97. Deniqve & ratio non est occulta, *cur apud Judæos pro adulterio saltem fuerit habitum, cum qvis cum uxore aliena concumberet*, non si soluta concumberet cum marito, *u)* qvia nempe polygamia viris erat indulta. Neqve adeo mirandum, eandem definitionem adulterii â Romanis fuisse retentam, qvia hi à Græcis leges suas habuerunt, Græci multa acceperunt mediante philosophia Barbaricâ ex moribus Judæorum.

98. Igitur & ea lex divina ex prohibitione polygamiæ & libidinis per modum conclusionis deducitur *x)* LENOCINIUM NON COMMITTE. Scilicet & vulgare illud, & qvod in specie à conjugibus, marito maxime, patrari solet.

99. Ultimo loco & de *incestu* videndum. *y)* Atqve hunc qvidem disertissimè prohibuit lex divina universalis, cujus dispositionem his verbis summatim circumscribimus. AB-

STINE

ad §. 94. t] vid. cap. præced. §. 216. seqq.

ad §. 97. u] Adde Levit. 18. ỹ. 20.

ad §. 98. x] vide cap. præced. §. 219.

ad §. 99. y] Conf. cap. præced. §. 220. seqq.

STINE A CONJUNCTIONE PARENTUM ET LIBERORUM, FRATRUM ITEM AC SORORUM ET QVI TIBI PARENTUM ET LIBERORUM LOCO SUNT, QVIQVE DICTIS RESPECTIBUS TIBI SUNT AFFINES.

100. Qvæ dispositio, si ulla, multis litigiis fuit & est subjecta. z) Ut ordine procedamus, probamus initio, eam *ad legem positivam*, qvia suprà demonstravimus, ex ratione naturali turpitudinem ne qvidem intuitu lineæ rectæ ostendi posse.

101. Spectat autem non ad ceremonialem & forensem, qvia Deus satis manifestè dixit, contra prohibitiones istas peccasse Ethnicos, qvibus adeo necesse est, legem istam fuisse promulgatam, qvod vel *per Noachum* vel *per Adamum* factum fuit.

102. Cæterum an eædem prohibitiones obtinuissent *in statu perfectionis* & integro, nos non tangit, qvi qvæstionem hanc pro merè curiosâ habemus, cum Deus sapientissimè ejus decisionem non revelaverit nobis; veremur tamen, ne multum hic sit sudandum iis, qvi statum integrum normam faciunt corrupti, si rationibus & non autoritate humanâ velint agere.

103. Jam qvid velit ipsa lex, dispiciendum. Deus uni regulæ, qvod nos fecimus, prohibitionem non inclusit, sed *varias personas* enumeravit, â qvarum conjugio sit abstinendum: Unde origo dissensionum circa *personas ibi non expressas*, ad qvas tamen ratio prohibitionis pertinet, ut & *de rationibus* ipsis.

104. Nos præsupponimus, omnem legem admittere præter interpretationem declarativam etiam restrictivam &

ad §. 100. z] Conf. Havemanni Gamol. l. 2. tit. 5. posit. 6. p. m. 233. seqq. *Huc pertinent omnia scripta in controversia hoc seculo acriter ventilatâ de conjugio cum uxoris sorore, inter Strauchium, Bucholzium, Havemannum &c. Item responsa Theologorum & JCtorum in causa Oettingensi.*

& *extensivam*, si modo constet de ratione legis, & Legislator extensionem fieri non prohibuerit. Fluit hoc ex iis, qvæ suprà in cap. de interpretatione demonstravimus.

105. Deinde & illud postulatum suâ radiat luce, præferendam esse *rationem* qvam *Legislator ipse* legibus suis apposuit, rationi qvam suppeditant *interpretes*. Qvia omnis interpretationis finis est asseqvi voluntatem Legislatoris, qvæ ubi obscura est, conjecturis est opus; qvod si ergo voluntas est aperta, cessant conjecturæ, neqve conjecturæ valent, qvæ non sunt ad mentem Legislatoris.

106. Ergo multo magis, qvas Deus rationes legis suæ suppeditat anteponendæ erunt iis, qvas homines, cujuscunqve alias sint autoritatis, omnes tamen in relatione ad divinam sapientiam fatui, inculcarunt.

107. Qvodsi hæc notassent & adhuc in universum notarent illi, qvi causis matrimonialibus dijudicandis præsunt, facilè cessarent erroneæ assertiones ex hoc primo falso, qvod *tradita Rabbinorum* prælata fuerint *verbo Dei*, copiose ortæ, facile tolleretur dissensus, etiam inter eos qvi uni religioni addicti sunt freqvens.

108. Nempe *Ebræi veteres a*) *duas* potissimum rationes allegant nuptiarum in Levitico interdictarum, unam desumtam â *naturali pudore*, qvi non sinat autores ortus seu parentes cum sua sobole aut in seipsis, aut etiam per personas sangvine aut nuptiali commixtione proximè cohærentes misceri.

109. *Alteram* inde deducunt, ne qvorundam personarum *convictus qvotidianus* & inobservatus stupris & adulteriis ansam daret, si tales amores nuptiis possent conglutinari, unde v. g. inferunt, interdictum esse matrimonium *amitæ*, non vero *filiæ fratris*, qvia nempe viri juvenes assiduè freqventant domos avorum & aviarum, aut etiam in iisdem simul cum amitis habi-

ad §. *108*. a) Puf. ex Grotio §. 35. p. m. 813. Conf. Seldenum de J.N.& G. l.5.c.10.p. m. 617. seqq.

habitant, ad domos vero fratrum minus freqvens ipsis est aditus nec ibi tantundem habent juris.

110. Jam cum *ipsi Rabbini* rationibus istis & aliis levioribus *non multum innitantur, b)* & diserte fateantur, magistros traditionum nihil certi ea de re accepisse, mirandum, qvod plurimi ex Christianis, *c)* iis plus justo tribuant, qvasi ingens sapientiæ thesaurus inibi lateat. Nobis vero, qvid eædem veri contineant, eò distinctius videndum, qvod istis prostratis conclusiones multæ â vera expositione legis divinæ recedentes, utpote qvæ, si accurate in earum fundamenta inqviras, huic fulcro vel unicè vel certè maximè superstructæ sunt, sua sponte corruant.

111. Initio vero id velut obiter notamus, seqvestarari â Rabbinorum sectatoribus ferè rationem omnibus prohibitionibus communem, de qvà mox, qvæ tamen his specialioribus erat omnino præmittenda, cum ex generalioribus in morali-

 bus

ad §. 110. b] vid. Selden. d. l. p. 619.

c] *Ut faciunt omnes qui defendunt conjugium cum sorore uxoris & quod lex divina non debeat extendi ad personas ejusdem gradus in lege non nominatas.* Conf. omnino Brunneman. in jure Ecclesiastico, Pruckneri decisiones matrimoniales. *Grotius* lib. 2. c. 5. §. 14. *eas vocat rationi consentaneas. Pro non absurdis habet Dn. Pufend.* p. 813. *Cum vero evidenter ostenderim, istas rationes omnino & regulis bonæ interpretationis & rationi à Deo in prohibitione dictæ apertè repugnare, rogo omnes defensores adversæ sententiæ sive Theologos, sive JCtos, sive Singulos, sive Collegia integra velint vel rationes has meas refutare, vel in honorem Dei errorem fateri, & ita præcavere, ne ab omnibus Divinum verbum & veritatem amantibus atque timentibus pro iis habeantur, qui propter vanos honores aut lucellum verbum Dei & veritatem produnt. Convertat eos Deus atque à spiritu ambitionis atque avaritiæ liberet. Ego adjuvante divina Gratia semper paratus ero, ad honorem Dei veritatem hanc calamo, ore, voto defendere.*

bus specialiora limitationem vel interpretationem accipiant. Sic enim duæ rationes secernebantur, ut *prior* magis ad lineam rectam, *altera* ad collateralem pertineret.

112. Jam qvod *priorem* concernit, vel præcedens caput *d*] ostendere poterit, qvantum robur insit argumento à pudore desumto, si exinde turpitudinem naturalem conjunctionis personarum in lineâ recta demonstrare velis.

113. An autem Deus eandem ut rationem *arbitrariam* legis arbitrariæ in prohibitione conjunctionis inter parentes & liberos simul respexerit, videbimus statim.

114. Ergo de priore nihil adjiciemus amplius. *Posterior* non ita leviter nobis dimittenda erit, qvia manifestam *absurditatem*, multorum errorum fontem continet, sive ipsam *in se* consideres, sive ejus *applicationem ad personas in prohibitione expressas* sive *conclusiones* inde deductas *de personis non expressis*, sive deniqve *deducendas*, qvas tamen ipsi hujus rationis amasii habent haut dubiè pro absurdis.

115. *In se* spectata tolerari fortè posset ea ratio, ut secundaria, cur Deus in personis collateralibus ibidem prohibitis, commixtionem corporum noluerit admittere, si subordinaretur rationi generali, *in proximitate sangvinis* constitutæ, non sine causa à divino numine etiam in personis collateralibus repetitæ, *e*) ut omnis excludi debeat cavillatio; Ast cum huic communiter opponatur, ita ut ratio à Deo exhibita cedere debeat huic humanæ, id est, ut ea personæ pro prohibitis non sint habendæ, in qvibus etiamsi eadem adsit proximitatis ratio, cesset tamen ista de convictu qvotidiano causa, id vero est, sapientiam divinam velle corrigere, id est, committere absurditatem Christiano homini non condonandam.

116. Deinde *applicatio ejusdem* satis qvidem benè procedit inter *fratres & sorores* cujuscunqve generis sive germanas sive unilaterales, qvia hi simul habitant & communi convei-

ad §.112. d] cap. præced. §. 237. seqq. & §. 159.
ad §.115. e] Levit. XIIX. v. 12. 13.

versatione utuntur. At qvod *amitam* & *materteram* attinet, maximè hic claudicare incipit ista Rabbinorum ratio.

117. Nam quod *cohabitationem* concernit, uti apud alias gentes, ita & apud Hebræos, nisi fallor, vel ipsis morum Judaicorum scriptoribus consentientibus, prærogativa non una *agnationis* fuit præ *cognatione*, cui illud accenseri solitum fuit, ut post mortem parentum filiæ innuptæ magis apud *fratres* quam *sorores* fuerint educatæ, quo pacto sæpius quidem contingere potuit, ut *juvenes* cohabitarent cum *amitis*, quam cum *materteris*, adeoque, si DEUS in promulgatione prohibiti incestus conversationem quotidianam primariò respexisset, omnino discrimen inter materteram & amitam æque fuisset observandum, atque illi inter amitam & fratres filiam observatum fuisse volunt.

118. Huic scrupulo, ut se explicent Hebræi, nova effugia quærunt, in *frequenti visitatione familiæ avitæ* à viris juvenibus institutæ, quasi nempe, cum ab his æque avi materni atque paterni ædes frequentatæ fuerint, vel ob hanc causam materteræ pariter & amitæ conjunctio fuerit interdicta. Sed videamus an hæc panacea & reliquas absurditates sit sanatura.

119. Mox enim prohibetur concubitus *cum patrui uxore.f*) Cedo rationem, qui sputa Rabbinorum lingis. An putas patruum una cum uxore in *avi domo*, quam ita frequenter adiisse fratris filium arbitraris, *habitasse?* Non arbitror. An vero *viduam patrui apud socerum degisse opinaris?* Id adhuc minus probabile, si quis communia odia inter socrum & nurum reputet. An denique *fratris filium frequenter ivisse ad patruum dices?* qui ne quidem fratrum conversationem pro frequenti habes.

120. Eadem est ratio prohibitæ *uxoris fratris*. Nam nec hanc poterunt in domo soceri commode collocare, nec metum stupri adeo conversatio quotidiana injicere poterit, si in mentem revocent, quod docuerunt, ad domos fratrum minus frequentem fuisse aditum, nec ibi tantundem eos, ut apud avos habuisse juris.

121.

ad §. 119. f] Levit. XIIX. v. 14.

121. Sed fortè effugium quærent in eo, quod diximus, fratres & sorores post parentum mortem apud fratres & agnatos fuisse educatos, ergo omninò ob hanc conversationem interdicendum fuisse conjugium cum uxore fratris & patrui, quoniam non rarò evenerit, ut frater aut nepos ex fratre ibi habitaverint. Benè, inquam ego, sed si vos tot effugia pro demonstranda ratione personarum expressarum in prohibitione quæritis, cavete ne ansam mihi suppeditetis ostendere absurditatem, quam committitis in deducendis conclusionibus de personis ibi non expressis. Æquum enim est, ut libertatem, quâ utimini, & mihi indulgeatis viventi vobiscum in literariâ Republica, in qua omnes æquales sunt.

122. Nam ut de *fratris filia* incipiam, cui cum patruo nuptias interdictas haud esse adstruebatis, *g*) initio quærere liceat, quâ ratione nitatur assertio ista, quod ad fratrum domos minus frequens juvenibus fuerit aditus, quam ad domos avorum, nec ibi tantundem habuerint juris. Sanè repugnant mores omnium populorum, neque de Judæis quicquam peculiare hac parte ex Historiis ostendi poterit.

123. Scio equidem indulgentius communiter haberi pueros solere ab avis, quàm à fratribus, sed procedit id in infantibus aut infantiæ proximis. In puberibus, ad quos maximè legislator respexit, alia est ratio. Etsi enim & hi blandius, quàm fortè a parentibus, tractentur ab avis, non tamen quicquam solidi adduci poterit, cur frequentatio ædium fraternarum ipsis jam ex magna parte educatis reddi debeant odiosæ. Quin & propè dixerim juvenes lubentius conversari in familia fratris quam avi, quoniam quantumcunque benignitatis gradum observent parentes secundi gradus, conjuncta tamen est ista conversatio cum magna reverentia ipsis debita, quæ in ista ætate magis magisque se exerit. At hæc reverentia ut exhibeatur fratribus etiam natu majoribus, nulla causa postulat. Ubi verò major æqualitas, ibi major amicitia, ibi major societatis appetitus.

124.

ad §. *122.* g] vide supra §. 109.

124. Verum demus ipsis & hoc paradoxum. Parum lucrabuntur, si & nos utamur illô effugiô, quòd non raro liberi fratrum à patruis fuerint educati. *h)* Ergo & hic quotidiana conversatio patrui cum fratris filia postularet prohibitionem.

125. Aut, si neque hoc placeat, annon juvenculæ æquè ut juvenes visitarunt avos aviasque, ac ita occasionem habuerunt patruis familiariter utendi? Annon sæpius accidit, ut avi educarent neptes ex filio? Certè nihil frequentius est, quàm ut aviæ neptes suas amore ad excessum usque prosequantur, easque multum frequentata conversatione dignentur.

126. Eadem suo modo & ad *sororis filiam* applicari possunt, ut de aliis personis non expressis jam non sim prolixior.

127. Quinimò, si DEUS ad personarum quarundam convictum quotidianum & inobservatum in lege hac respexisset, necesse fuisset etiam prohibere conjugia inter *duorum fratrum aut sororum liberos*, certè inter *liberos fratrum*, quoniam & hi vel apud avos non raro educabantur, aut aliàs ibi occasionem familiariter conversandi habebant, aut quia, ut diximus, fratris filius patre mortuo apud patruum tanquam agnatum proximum educabatur. Breviter si ob familiarem conversationem prohibita fuit patrui uxor, ob eandem causam æquè & imò magis interdicendæ fuissent nuptiæ cum filia patrui. At horum conjugia lege divina prohibita non esse patet ex sequentibus.

128. Ergo nos potius, relictis istis rationibus haud genuinis, maneamus in revelatione divinâ, & in illâ solâ, utpote hac parte maximè perspicuâ, demonstremus legem de incestu, prout eam suprà formavimus. Notanter verò diximus: abstinendum esse à CONJUNCTIONE cognatorum & affinium, prohibetur enim ibi non solum concubitus matrimonialis societatem nuptialem intendens, sed & vel maximè concubitus fornicatorius, cujus malitia incestu gravatur.

129. Deinde non sine ratione DEUS prohibitionibus specialibus generalem præmittit: *i) Neminem debere concumbere cum*

Ttt *ea,*

ad §. *124.* h] vide §. 121. *ad* §. *129.* i] Levit. 18. v. 6.

ea, quæ ipsi sanguine proxima est, ut ostendat, ad hanc legem tanquam generalem homines in dubio, tanquam ad rationem communem in interpretandis prohibitionibus specialibus recurrere debere.

130. Dico in dubio. Unde si leges sequentes specialiores *l*) apertè suppeditant novam rationem, quæ à proximitate sanguinis abit, communia principia bonæ interpretationis dictitant, iis potius esse inhærendum, easque extendi debere ad personas, in quibus non est eadem sanguinis proximitas.

131. Operabitur tamen ista generalis ratio perpetuò, ut ubi eadem est sanguinis proximitas, ibi eadem quoque sit prohibitio etiam in personis non expressis. Etsi rationes specialiores indicaturæ sint, in quibus casibus ultra proximitatem sanguinis prohibitio locum sibi vindicet. Breviter: valebit argumentatio ex ista ratione affirmativè, non negativè.

132. Quare non opus erit, ut, quod multi faciunt, prolixè inculcemus doctrinam de computatione graduum, quoniam rationes à DEO nobis traditæ ostendent, sensum prohibitionum commodè absque mentione certorum graduum posse exponi.

133. Quodsi quæras, quænam sit rationis ratio, & cur Deus ob proximitatem sanguinis conjugia quædam interdicere voluerit, respondebo, id ut inquiramus non esse necesse, quia non interpretamur legem humanam, in qua communiter scrutari solemus utilitatem Reipublicæ, quam Princeps in legibus suis respicere debet, sed divinam, cujus rationes non indicatas subtilius inquirere velle, pugnat cum reverentia ipsi debita.

134. Quin &, si non omnium, quæ legibus civilibus constituta sunt, dari potest ratio, & multò minus rationis ratio, sed sæpius lex etiamsi dura, tamen quia scripta est, observanda est à subditis, multò magis homines rationem suam compescere debent in revelationibus divinis, ut non tendant plus ultra, cum certissimum sit, DEUM omnia sapientissimè agere, etiamsi rationes sapientiæ ejus non capiamus.

135.

ad §. 130. l] Ut sit in prohibitionibus linea recta & collateralis inæqualis.

135. Et nisi me omnia fallunt, potentissimum Numen in verbis, quæ legi isti generali addidit: *Nam sum Jehovah Dominus tuus*, præter alia, quæ per eadem innuuntur, etiam curiositatem humanam præscindere voluit, ut non ulterius de ratione prohibitionis hujus philosopharentur, sed id saltem cogitando, esse DEUM Optimum Maximum, qui hæc velit, sancto terrore pruritus ulteriorum meditationum compescant.

136. Ergo nunc ad specialia. Dixi prohibitam esse conjunctionem PARENTUM ET LIBERORUM. De *consanguinitate* enim incipiendum est, & ab hac pergendum ad *affinitatem*, utpote quæ est conjunctio personarum cognatarum cum cognati conjuge. Inter cognatos *linea recta* præcedit collateralem, itaq; prius videndum de parentibus & liberis, & ab his etiam ipse Deus incipit.

137. Prohibet vero concubitum *cum patre & matre, item cum filii aut filiæ filia, m)* istam rationem suppeditans intuitu matris; *esse illam matrem, ac propterea nuditatem ejus non esse detegendam*; intuitu liberorum; *quod sit propria parentum nuditas*, quo ipso, ni fallor, divinus legislator innuere voluit, ob *reverentiam* parentibus à liberis debitam, quæ perpetua est, hos abstinere debere à concubitu cum parentibus, cum pater & mater maneant pater & mater, etiamsi liberi maximè sint adulti, illos contra propter *pudorem* debere abstinere ab incestuosa commixtione, quoniam maxime impudicum habetur, si quis propriam nuditatem detegat.

138. Sentio autem quid velis. Id scilicet mones, quod capite præcedenti rationes prohibitarum nuptiarum in lineâ rectâ à *reverentia* & *pudore* desumptas rejecerim. Ita est. Sed rejeci saltem sub ea limitatione, quod hæ rationes non inferant demonstrativè, abstrahendo à revelatione, nuptiarum illarum prohibitionem ex lege naturæ. Recordari ergo debuisses, nos jam occupatos esse in legibus positivis, quæ uti præter rationem quid jubent aut prohibent, ita regulariter rationes iis adjunctæ sunt præ-

ad §. 137. m] Levit. 18. v. 7. & 10.

ter dictamen naturale. Non tamen statim, quod præter rationis dictamen est, est etiam contra illud.

139. Ex ista itaque prohibitione speciali formo primam regulam: JURE DIVINO IN LINEA RECTA NUPTIÆ SUNT PROHIBITÆ IN INFINITUM. Quod sint prohibitæ, nullus dubitat. Probandum igitur solum, quod hæc prohibitio tendat *in infinitum*.

140. Probo 1. ex *terminis*. Voces *patris* & *matris*, *filiæ* item & *filii* in legibus etiam ex idiomate Hebræo sumuntur vel latè, vel strictè. Hoc modo pro solis parentibus & liberis primi gradus. Illo pro gradu quocunque in infinitum. Media acceptio, ut forte gradum tertium aut quartum saltem cum exclusione ulteriorum denotent, non datur. Necesse igitur erit, ut alteruter horum significatuum & hic subintelligatur.

141. At stricta acceptio huc non quadrat, tum quia hac parte consentiunt omnes interpretes Christiani, proavos & abavos interdicto contineri, tum quod quæ DEUS de *filiæ filiâ* addit, ex necessitate relationis evincunt, sub patre etiam avum comprehendi. Sequitur igitur, ut DEUS latiorem acceptionem intenderit.

142. Probo 2. ex *ratione legis*, sive eam secundum interpretationem nostram spectes, sive etiam in verbis hæreas. Nam avia tua etiam in decimo gradu *mater tua est*, quoniam ex ejus sanguine es natus, & neptis tuæ in decimo gradu constitutæ nuditas *tua nuditas* est, quia & hæc de sanguine tuo participat.

143. Porro quo magis ascendis, eo majorem *reverentiam* debes ascendentibus tuis, quoniam his & qui intermedii sunt, reverentiam debent omnes, tu verò insuper & intermediis omnibus. Et quo magis descendis, eò major est pudendi ratio, utpote quæ reverentiæ cohæret.

144. Dissentiunt ab hac regula pauci, *n*) in linea recta ultra *abaviam* & *abneptem* nuptias non prohiberi asserentes, ineptè, cum ferè loco rationis à DEO expressæ fundamentum quærant in mixtura

ad §. *144*. n] *Thomas Anglus* in statera morum. *Ex Pontificiis Bellarminus vel Baronius*.

ſura phyſica quatuor temperamentorum, aut elementorum, aut participatione de identitate eſſentiæ, vel aliâ ſimili.

145. Rectius iſti, *o)* qui tradunt ita in infinitum hic eſſe prohibitas nuptias, ut nec *Adamus*, ſi reſurgeret, ullam ex hominibus in uxorem ducere poſſet.

146. Sed iſte quidem diſſenſus eſt curioſus magis, quam ad applicationem utilis. Neque enim Adam eum in finem reſurget, neque hodie caſus accidet, ut vel effœta atavia atnepotis ſui concubitum vel matrimonium appetat, aut atneptis conſueſcat cum atavo.

147. Ergo relictâ lineâ rectâ tranſeo ad collateralem, & initio quidem ad FRATRES & SORORES. Prohibet inter has perſonas DEUS inceſtum apertiſſimè; *ne quis detegat nuditatem ſororis ſuæ, quæ patris ipſius aut matris eſt filia, domi vel foris edita. p)*

148. Hinc oritur ſecunda Regula: IN LINEA COLLATERALI ÆQVALI NUPTIÆ TANTUM SUNT PROHIBITÆ INTER FRATRES & SORORES. Ipſa propoſitio demonſtratur per verba legis divinæ modò adducta. Excluſiva regulæ adjecta, inde deducitur, quia in lineâ collaterali æquali poſt fratres & ſorores ſunt fratrum & ſororum liberi, de quibus nulla extat prohibitio. Et quamvis Jus humanum Eccleſiaſticum etiam inter Chriſtianos circa licentiam *conjugii conſobrinorum* aut *fratrum patruelium* maxime variaverit, nemo tamen unquam defendit, iſta conjugia eſſe contra legem divinam, exceptô ſolô Ambroſio, qui tamen aſſertionis ſuæ nullum attulit fundamentum. Neque enim habuit. *q)*

149. Cæterum fratres ſunt vel germani, vel unilaterales, illique vel uterini, vel conſanguinei. De ſingulis perſpicuè loqui-

Ttt 3 tur

ad §. 145. o) *Quod etiam defendit Alberti* in Compendio.

ad §. 147. p) Levit. 18. v. 9.

ad §. 148. q) *Vide omnino Sharrok.* judicia de variis incontinentiæ ſpeciebus p.m. 186. ſeqq. & maximè p. 207. *Ita jure Saxonico conjugia hæc quidem ſunt interdicta, ſed princeps tamen diſpenſat in iis.*

tur lex divina. Sororem germanam intelligit per eam, quæ *domi nata* est, unilateralem, quæ *foris*, id est ex alio conjugio, uterinam, *quæ est matris tuæ filia*, consanguineam, *quæ patris. r*)

150. Transirem ad aliam legem specialem, nisi iterata prohibitio ulteriorem meditationem postularet. Mox enim DEUS subjicit: *Non deteges turpitudinem filiæ uxoris patris tui, genitæ patri tuo, & ita sororis tuæ. s*) In hunc sensum reddidit Lutherus & ferè reliquæ versiones. Et communis horum verborum est expositio, quod hic iterum interdicatur conjugium cum sorore consanguinea.

151. Sed fuerunt tamen, qvamvis pauci, alia omnia hac prohibitione subintelligi opinantes, & nempe vetari *conjugium cum comprivignâ*, cujus mater peperit patri meo. *t*)

152. Rationes, quas afferunt, potissimum duæ sunt, 1. communem expositionem esse otiosam, quia hoc pacto committeretur tavtologia, utpote cum modo in præcedentibus soror consanguinea inter reliquas satis distinctè fuisset prohibita. At Spiritum Sanctum non esse tavtologum.

153. 2. In lingua Sancta extare *Moledeth*, non *Muledeth*. Istud esse participium activæ significationis, hoc passivæ. Male igitur secundum passivum significatum vocem accepisse versiones communes, cum potius ita fuisset reddendum: *Non deteges turpitudinem filiæ uxoris patris tui* (id est comprivignæ tuæ) *postquam ea* (noverca) *peperit patri tuo* (sororem vel fratrem tibi cum comprivigna communem) *& ita* (comprivigna mediante istô fratre communi) *soror tua facta est*.

ad §. *149*. r) *Alii ita explicant:* Domi, *quæ in conjugio*, foris, *quæ extrà conjugium.*

ad §. *150*. s) Levit. 18. v. 11.

ad §. *151*. t) *Ut Antonius Matthæi, Samuel Bohlius*, vide Havemanni Gamol. p. 307. seqq. *Nuper Elias* Schneegaß *seu Antonius à Maria* de conjugio comprivignorum *hanc sententiam defendit, sed apertè jus naturæ & divinum positivum aliaque multa miscens, eamque prohibitionem per fictionem ad alia conjugia extendens, contra quam sententiam disputamus infrà* §. 213. seq.

154. Quamvis verò multi hoc dogma tanquam novum, ut fieri solet, refutare aggressi fuerint, *u*) si tamen fatendum est, quid sentiam, non responderunt ex asse ad illa duo argumenta.

155. Quin & plerique vel ex hoc fundamento istam opinionem destruere sunt conati, quod comprivigni neque cognati sint neque affines, neque cognatio inter eos aut affinitas per nativitatem fratris communis oriatur, quod facile ex definitionibus cognatorum & affinium omni Jure receptorum demonstrant.

156. Sed hoc, ni fallor, est leges humanas normas facere, ex quibus debeat interpretatio Juris divini sumi, cum tamen potius res sit invertenda. Esto, Jure humanô tantum prohiberi propter cognationem & affinitatem nuptias, an propterea DEO ligandæ sunt manus, ut prohibitionem suam non possit extendere ulterius?

157. Quin imò & leges humanæ *x*) ob alias quoque rationes civiles conjugia interdicunt præter cognationem & affinitatem; annon idem liceret DEO?

158. At, inquies, DEUS in istis prohibitionibus, quas inter controversa hæc ferè medio in loco collocata est, continuâ serie agit de interdictis ob proximitatem saguinis, hoc est, ob consanguinitatem & affinitatem. Ergo inconveniens foret istam legem de alia causa velle interpretari.

159. Admittam & hoc, sed tum urgebo, ipsum satis apertè asserere in hoc casu proximitatem sanguinis (sive affinitatem eam velis appellare, sive consanguinitatem, sive ex horum utroque aliquid mixtum) ortam ex generatione fratris communis: ut nempe illa, quæ cum fratre meo proximitatem sanguinis habeat,

habeat

ad §.154.u) *Vide Havemannum* d.l. *& scripta varia Bohlii & contrà eum edita. Ex hodiernis JCtis plerique contrà Bohlium disputant, nisi quod Magnif. Dn. Ordin. noster* in notis ad Instit. *Bohlii sententiam sequatur, quamvis in notis* ad Brunnem. Jus Ecclesiast. p. 638. *controversiam solum narret.*

ad §. 157. x) *Ut tutoribus, præsidibus, senatori, raptori &c.*

habeat intuitu hujus medii & mecum, & adeo fiat mea soror, quoniam fratris mei soror est.

160. Nec obstat, quod hunc modum, consanguinitatem & affinitatem augendi ignorent leges, & quod consanguinitas atq; affinitas sint termini technici. Nam hic iterum committitur μετάβασις. Permitte illis, ut in sua arte loquantur, ut velint. Annon DEUS autor sermonis potestatem habebit, in suâ arte significationem vocis extendere ad eum casum, quem alia disciplina ignorat?

161. Ita non raro evenit, ut inter homines unus artifex vocabulô utatur in alia significatione, quam alter, qui diversam artem profitetur. *y*)

162. Imo sæpius unam artem excolentes terminis utuntur diversimodè.

163. Quare potius aberrarunt homines, quod in hoc casu nullam sanguinis proximitatem admiserunt, quam tamen perspicue pro tali habuit DEUS.

164. Eadem prohibitionis ratio obtinebit in casu simili, si *noverca mea*, quæ nullam comprivignam ad patrem meum attulit, peperit tamen patri meo, posteà eô mortuô, ad alia vota transiens *filiam* edat. Ergo nec hanc ducere potero. *z*)

165. Quod si autem noverca patri meo partum non ediderit, possem *a*) ejus filiam ab altero marito, cui post mortem patris mei nupsit, conceptam matrimonio mihi jungere, etsi hæc filia

ad §. *161.* y) *Exemplo* mortis, *quæ aliter sumitur in philosophia, aliter in jure.*

ad §. *162.* z) *Ita dictum textum de hoc casu exponere jus Canonicum* C. si qua mulier 3. C. 35. q. 10. *notat Dominus Ordinarius* ad Brunnem. p. 638. *verba Canonis ex Romanâ Synodo hæc sunt:* Si qua mulier ad secundas nuptias transierit, & ex eis sobolem genuerit, nullo modo potest ad consortium cognationis viri prioris pertingere.

ad §. *165.* a) *Et de hoc casu loqui Jus Canonicum, notat Dn. Ordin.* d. l.

filia nata ſit, poſtquam noverca cum patre meo una caro facta erat, nam lex divina rationem prohibitionis non in unione carnis ponit, ſed in partu fratris communis.

166. Igitur & valeret conjugium cum comprivigna, ſi noverca ſobolem ex patre meo non edat, quia & tum deficeret medium nos uniendi.

167. Sed quid ſi hoc caſu, poſtquam jam quis duxit comprivignam, naſcatur fratrer & ſoror communis. An poſteà conjugium bene formatum erit reſcindendum ob metum inceſtus? Non arbitror.

168. Adeoque ſimul notabis *differentiam inter hanc prohibitionem & reliquas omnes.* In reliquis inceſtuoſis nuptiis ſeparatio omnino facienda, quoniam omnes commixtiones ſunt inceſtuoſæ. At hic non ſunt.

169. Scilicet in *inceſtu* reſpicitur ad *initium* commixtionis, ſi hæc inceſtuoſa ſit, & reliquæ omnes pro talibus habendæ, ſin minus, nec reliquæ vitium contrahent, etiamſi circumſtantia ſuperveniat, quæ ſi ab initio adfuiſſet, feciſſet inceſtum.

170. Ita ſi frater tuus miſceatur cum tua uxore aut vidua, quia primus fratris tui concubitus eſt inceſtuoſus, & reliqui omnes erunt.

171. At ſi tu adulterium & inceſtum condones uxori, absque inceſtu cohabitare porrò ei poteris, etiamſi jam cum fratre tuo ſit una caro facta, quia initio conjugiũ tuum inceſtu erat vacuum, quod idem inceſtuoſum fuiſſet, ſi jam eo tempore, quo tu id contrahebas, frater tuus cum iſtâ fœminâ rem habuiſſet. Et ita in cæteris.

172. Jam ad lineam collateralem inæqualem, ubi incipit controverſiarum & diſſenſionum fertilitas. Nos viæ cœptæ inſiſtemus. Interdicit Deus *revelationem nuditatis amitæ tuæ, eò quod patris tui proxima conſangvinea ſit, itidem & matertera, utpote matri tuæ proximæ. b)*

ad §. *172.* b) Levit. 18. v. 12. 13.

173. Hinc formo tertiam regulam: IN LINEA COLLATERALI INÆQUALI NUPTIÆ TANTUM SUNT PROHIBITÆ INTER EAS PERSONAS, QUÆ SIBI PARENTUM ET LIBERORUM LOCO SUNT, ETIAM EX UNO LATERE IN INFINITUM.

174. *Parentum loco* dicuntur esse omnium ascendentium meorum fratres & sorores. *Liberorum loco* omnes fratrum vel sororum mearum liberi. Ideò verò hæ personæ ad invicem parentum & liberorum loco esse dicuntur, quia post parentes proximi sunt in consangvinitate, ad quos adeo parentibus mortuis communiter onus transit educandi & quandoque alimentandi liberos fratrum.

175. Etsi itaque Deus mentionem saltem in prohibitione faciat *amitæ* & *materteræ*, tamen *ratio divina* satis clarè ostendit, respexisse Deum ad istum quasi respectum parentelæ & filiationis, ut inde rectè inferatur, cuilibet prohibitum esse conjugium cum iis, qui parentibus ejus in latere proximi sunt.

176. Ergo in linea collaterali ascendente prohibitæ erunt nuptiæ cum *patruo & avunculo*, cum *amita* & *matertera*, in descendente cum *fratris* aut *sororis filio* aut *filiâ*.

177. Ulterius *in infinitum* se extendit ista prohibitio, quoniam in toto hoc capite, ut suprà innuimus, vocabulum patris & matris accipitur in lato significatu pro omnibus adscendentibus. Igitur si hoc loco strictè supponeretur, haud dubie id Deus expresſisset.

178. Accedit, quod ratio divina, à *proximitate attinentiæ ad personas parentum* desumpta, si jungatur cum ratione, cur nuptiæ in lineâ rectâ sint interdictæ, id velit, quod quemadmodum inter adscendentes & descendentes nuptiæ propter *reverentiam* & *pudorem* cessare debent, ita & ob eandem *reverentiam* fratrum liberi debent abstinere à connubiis patruorum aut amitarum &c. & ob eundem *pudorem* avunculi aut materteræ inter vetita numerare matrimonia cum neptibus aut nepotibus ex sorore &c.

179.

179. Quoniam igitur hæc ratio augetur in avorum, proavorum & ita in infinitum fratribus aut sororibus, necesse erit, ut & prohibitio in infinitum extendatur.

180. Denique dixi in regula, quod hæc lex divina spectet etiam ad fratres & sorores *unilaterales* parentum, quia non solum in præcedentibus fratrum & sororum termini ita latè fuerunt usurpati, unde & hic eadem præsumenda est vocabulorum significatio, sed &, quia ad hos æquè quadrat ratio divina, sunt enim & ipsi proximi parentum nostrorum, nisi quis afferre velit, quod Jure Saxonico fratres unilaterales censeantur uno gradu remotiores, quam germani, quod tamen profectò hic esset argumentari à baculo ad angulum. *c*)

181. Qui dissentiunt, illi partim negant prohibitas esse nuptias inter *patruum* & *fratris filiam*, item inter *sororis filiam & avunculum*, partim indulgent nuptias *nepotum* aut *neptum fratris*, cum *avi & aviæ sororibus & fratribus*, partim arbitrantur prohibitionem regulæ nostræ saltem pertinere ad fratres & sorores parentum *germanas*.

182. Sed hi omnes nituntur solùm isto *fundamento*, quòd prohibitio divina non sit extendenda ultra personas hic expressas, quodque ante legem Mosaicam nuptiæ in linea collaterali non fuerint interdictæ, & quod adeò lex ista, tanquam corrigens & restringens libertatem præcedentem, pro odiosa haberi debeat, quæ non admittat extensionem.

183. Quod non solum paulò ante destruximus in hoc capite, sed & suprà, ubi de interpretatione tractabamus, ostendimus, leges corrigentes perperam haberi pro odiosis.

184. Major dissensus est circa prohibitionẽ intuitu *affinitatis*, ubi dixi, quod illorum omnium, qui hactenus DICTIS RESPECTIBUS INTER SE SUNT AFFINES, matrimonia non procedant. Verba legis divinæ eò tendunt: *Non deteges nuditatem uxoris patris tui, quia est nuditas patris tui. Non deteges nuditatẽ uxoris patrui tui, quia*

 est

ad §. *180.* c) Vide Dn. Ordin. ad Brunnem. Jus Eccles. p. 618. seqq. *ubi habebis dissentientes.*

est affinis tua. Non revelabis turpitudinem nurus tuæ, est enim uxor filii tui, quare non revelabis ejus nuditatem. Non deteges nuditatem uxoris fratris tui, quia est nuditas fratris tui. Non revelabis turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus, filiam filii ejus & filiam filiæ ejus non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, & talis concubitus scelus est.

185. EX his verbis struo ultimam regulam: QUÆCUNQUE PERSONÆ RATIONE CONSANGVINITATIS UNI CONJUGUM SUNT INTERDICTÆ, ILLÆ ETIAM PROHIBITÆ SUNT ALTERI CONJUGI PROPTER AFFINITATEM.

186. Planissimè enim ad hanc regulam ducunt rationes, quas Deus in legibus recensitis prohibitioni addidit: quæ etiamsi aliquantum varient, cum modò dicat, *quia est nuditas patris item fratris tui*, modò: *quia est affinis tua*, modò, *quia est affinis tua*, modò, *quia est uxor filii tui:* modò, *quia est caro (vel proxima) uxoris tuæ*, tamen re ipsâ coincidunt.

187. Nam duplici intuitu quis affinis dici potest, unô, respectu *consangvineorum* uxoris suæ, alterô, respectu *uxorum*, quæ nupserunt consangvineis ejus.

188. Ad *priorem* respectum pertinent interdicta conjugia cum *marito* & *privigna*. Hic verò ratio est, *quia privigna est proxima uxoris tuæ*, hoc est, quemadmodum uxor tua non poterit misceri cum carne sua, ita tu, qui factus es una caro cum uxore, non poteris te conjungere cum ejus carne.

189. Ad *posteriorem* respectum pertinet prohibitio *novercæ* item *fratriæ*; ubi iterum additur ratio, *quia est nuditas patris & fratris tui*, hoc est, quemadmodum tu non poteris jungi adscendentibus & sorori, ita nec poteris ducere eam, quæ propter unitatem per nuptias cum patre & fratre facta est mater & soror tua.

190. Evidentior res est in ratione, quæ apponitur prohibitæ conjunctioni cum uxore patrui, *quia est affinis tua.* Lutherus reddidit: **Denn sie ist deine Wase:** Alii: *quia est amita tua.* Ut sensus sit: Quemadmodum nuptias inire nequis cum amita, ita nec cum uxore patrui, quæ ob unionem cum patruo æstimatur ac si sit amita.

191.

191. Itaque jam ſubſumimus. *Inter affines in linea recta nuptiæ ſunt prohibitæ in infinitum.* Nam uti *patris* vocabulum omnibus adſcendentibus eſt commune, ita vox *filii* denotat iterum omnes deſcendentes.

192. Quare ex *una parte* prohibitæ ſunt nuptiæ in lineâ *adſcendente* cum *vitrico* aut *novercâ*, in deſcendente cum *generô* aut *nuru*, quia horum nuditas eſt patris tui vel matris, item filii tui vel filiæ. Et ita in *provitrico* & *progenero* in infinitum.

193. Ex *alterâ parte* interdicta eſt conjunctio cum *ſocero* vel *ſocru*, cum *privigno* vel *privigna*, quia hi ſunt caro mariti aut uxoris. Et ita in *proſocero* & *proprivigno* in infinitum.

194. Atque de harum perſonarum prohibitione non credo eſſe dubitatum, niſi ab his, qui prohibitionem ratione conſangvinitatis ne quidem in lineâ rectâ ultra quartum gradum volebant extendi debere, ergo multò minus admittent prohibitionem propter affinitatem ultra gradum quartum.

195. Porro inferimus. *In lineâ collaterali æquali nuptiæ ſunt prohibitæ inter eas perſonas, quæ ſe habent in affinitate, ut frater & ſoror.*

196. Atqui tales ſunt ex *unâ* parte *Levir* & *Fratria*, ex *altera Sororius* & *uxoris ſoror.*

197. De *priori* nullum eſt dubium, propter expreſſa legis divinæ verba.

198. De *poſteriori* acriter, ut notum, diſceptarunt inter ſe Theologi & JCti, *an quis poſſit in matrimonium ducere defunctæ uxoris ſororem? d)* Ne verò tædium ſuſtineas magna volumina perlegendi, momenta utrobique ſunt iſta.

199. Qui licentiam hujus conjugii aſſerunt, fundantur iterum in doctrina Rabbinica, quaſi leges hæ divinæ non valeant *in perſonis non expreſſis.*

ad §. 198. d) *Vide notata suprà* ad §. 100. 110. lit. z. & c. *Confer omninò* le Journal du Palais Part. 9. à Paris 1684. p. 119.—154. *ubi deprehendes collectanea elegantia huc pertinentia.*

200. Qui pro turpi verò habent istam conjunctionem, magnam occasionem litigandi suppeditarunt, quod probationem assertionis suæ quæsiverint in *verbis expressis* legis divinæ, ubi Deus disponit, *quod nemo debeat ducere sororem uxoris suæ, ut ipsâ invitâ & vivente revelet turpitudinem ejus.*

201. Ut enim taceam, hic disceptatum fuisse non sine rationibus, utrum per *sororem uxoris* intelligatur ejus consanguinea, an quælibet gentilis, uti sæpius in jure Mosaicô per fratrem denotatur quilibet judæus; istud sane integer contextus ostendit, in illo loco principaliter disponi *de polygamia.*

202. Adeoque sensum esse vel istum (si per sororem quælibet Judæa intelligitur,) quod in polygamia virili hactenus quidem dispensatum sit in Veteri Testamento, modo ne quis uxore invita aliam superinducat.

203. Vel istum (si denotetur cognata uxoris,) polygamiam virilem hactenus permitti, ut aliam uxorem priori quis etiam invitæ addere possit, modo non sit uxoris soror.

204. Igitur cum in defendenda quacunque doctrina quilibet operam dare debeat, ut stringentes rationes afferat, etsi paucas, maneamus potius *in ratione divinæ legis.* Sororius non poterit ducere sororem uxoris, quia ea est caro uxoris seu ejus proxima. Et soror uxoris non potest nubere sororio, quia nuditas hujus est nuditas sororis ejus.

205. Denique concludimus. *In lineâ collaterali inæquali nuptiæ sunt interdictæ cum cognatorum, qui sunt parentum & liberorum locô, maritis & uxoribus, & cum cognatis, qui ad alterum conjugem respectum parentum & liberorum habent.*

206. Id est, ex *una parte* non valet conjugium cum *patrui* & *avunculi* aut *propatrui* & *proavunculi* & ita porro in infinitum *uxoribus*, tum & cum *amitæ* & *materteræ*, & ita porro, *maritis:* in linea descendente, cum *uxore fratris filii*, vel *sororis filii* & ita porro, aut cum *marito neptis ex fratre vel sorore.* Ratio est, quia nuditas eorum est nuditas proximorum tuorum.

207. Ex *altera parte* illicita sunt matrimonia cum *uxoris* aut

mariti

mariti tui *amitæ* & *matertera*, *patruo* aut *avunculo* & ita porrò, item cum *eorum fratris aut sororis filia & filio*, ac ita deinceps. Ratio iterum est, quia sunt proximi mariti vel uxoris tuæ.

208. Dissentientes saltem concedunt prohibitionem inter *uxorem patrui* & *mariti fratris filium*, inter *uxorem avunculi* autem & *mariti sororis filium*, item inter *amitæ & materteræ maritos* atque *uxoris fratris aut sororis filias* nuptias haud quaquam interdictas esse arbitrantur.

209. Multo minus vero admittunt extensionem prohibitionis ad *gradus ulteriores*, unde nec interdictas ajunt nuptias inter *mariti fratris nepotem* & *uxorem propatrui*.

210. Quoniam autem hic *nihil novi* afferunt, sed solum rationibus aliquoties memoratis innituntur, non opus erit, ut & nos quicquam responsionis addamus.

211. Istud verò non omittendum, quod, ut notum, Jus Canonicum faciat *tria genera* affinitatis, ita ut genus affinitatis mutetur, quoties personæ affini accedit alia persona diversi sexus per nuptias. Ita privigni uxor est affinis vitrico mariti in secundo genere. Ita eadem uxor privigni est in tertio genere affinis illi fœminæ, quam postea mariti vitricus duxit in matrimonium.

212. Hæc generum variatio *Juris Canonici figmentum* est, inventa etiam ad augendum fiscum Pontificium. Eam verò ignorat Jus Divinum, & hactenus adducta ostendunt, nullam personarum secundo aut tertio affinitatis genere aliam attinentium in lege divina memorari: quamvis non improbandum sit, si magistratus civiles publici decori causa prohibitionem ad secundum genus extendant, moderate, quod faciunt leges nostræ.

213. Igitur etiamsi *illa* non admittant conjugia inter *vitricum* & *privigni viduam* aut inter *privignum* & *vitrici viduam*, etiamsi ejusmodi conjunctiones etiam à *jure Romano* improbentur, non tamen deduci poterit ista prohibitio ex *lege divina*, quamvis non defuerint viri eruditi, qui id asseruerunt. *e*)

214. Qui quidem non contemnendam rationem pro sua senten-

ad §. *213*. *e*) Vide Havem. Gamol. p. 302, 303.

ſententia attulerunt, quod nempe *extenſiva eorum interpretatio iisdem regulis utatur, quibus nos uſi fuimus* in deductione, quod prohibitio legis divinæ ſpectet ad perſonas in lege non expreſſas. Sicuti enim nos intulimus, v.g. conjugia cum uxoris ſorore, aut cum avunculi uxore eſſe interdicta, quod vel nos cum uxoribus noſtris, vel uxores alienæ cum cognatis noſtris factæ ſint una caro per concubitum, adeoque ex rationis identitate verba legis ad caſus ſub verbis non comprehenſos extendimus, ita & ipſi ex *identitate rationis* theſin ſuam derivant.

215. Quemadmodum enim, dicunt, vitricus haud dubie privignam non poteſt ducere, quod vitricus ſit una caro cum matre privignæ, & privigna ſit proxima uxoris vitrici, & iterum noverca non poteſt nubere privigno ex iisdem rationibus; ita nec vitricus poterit matrimonium inire cum privigni vidua, quoniam hæc vidua erat una caro cum privigno, neque privignus cum vitrici vidua, quia hæc erat una caro cum vitrico, adeoque iſta carnis unio facta per concubitum id operata eſt, ut ibi privigni vidua repræſentet privignam, hic vitrici vidua haberi debeat pro noverca.

216. Non diffitemur itaque, *ſpeciem habere* iſtud argumentum, ſed quæ facilè repelli poterit, ſi modò exactè attendas ad *naturam interpretationis extenſivæ*. Si illa locum habere debet, poterit quidem extenſio fieri ad *caſum ſimilem* ſub verbis non comprehenſum, modo maneat identitas rationis, quæ ſi & ipſa extendatur ad caſum, qui habeat ſaltem *ſimilem rationem*, non eandem, vitioſa fiet interpretatio. *f*)

217. Et nos quidem, ut puto, perpetuo in hoc capite regulam bonæ interpretationis obſervavimus. Nam v.g. ideò diximus à conjugio cum uxoris ſorore aut cum avunculi uxore eſſe abſtinendum, quia evidens erat, *eandem rationem*, quam DEUS quærebat in unitate carnis, quæ conjugibus intercedit, & proximitate ſanguinis, quæ eſt inter unum conjugem & ejus cognatos, ut adeo nullum ſit dubium, quod quemadmodum frater fratri pro-

ad §. 216. f) Vide ſuprà lib. 2. cap. ult. §. 89.

propinquus est, & uxor fratris una caro est cum marito, ita & eodem modo soror sorori propinqua est, & maritus sororis est una caro cum uxore sua, item, quod quemadmodum nepos ex fratre proximitate attinet patruum, & patrui uxor unita est cum patruo, ita idem proximitatis genus est inter nepotem ex sorore & avunculum, eadem carnis unio inter avunculum & uxorem ejus.

218. At in isto dissentientium argumento non *evidens est applicatio rationis* ad vitrici aut privigni viduam. Etsi enim vitricus erat una caro cum matre privigni (à qua tanquam à consanguinea proxima privigni, ut semper fit in affinitate, prohibitio transferebatur ad vitricum, ut is v. g. non posset ducere privignam) tamen non evidens, sed valde dubium est, *an vitrici vidua sit una caro cum matre privigni*, & in altero casu, *an privigni vidua sit proxima consanguinea uxoris vitrici.*

219. Quodsi dicas, dubium hoc facilè tolli posse, si à *pari argumenteris*, ut quemadmodum vitricus est una caro cum matre privigni; ita & vidua vitrici sit una caro cum vitrico, & quemadmodum privignus est proximus consanguineus uxoris vitrici, ita & privigni vidua sit una caro cum privigno; respondebo, apertum jam esse, non subsumi à dissentientibus casum similem sub eadem ratione legislatoris, sed *extendi rationem legislatoris* ad aliam rationem similem.

220. Ideò enim DEUS prohibet conjugium inter vitricum & privignam, *quia nuditas vitrici est nuditas matris privigni*, & *quia privigna est proxima uxoris vitrici*: At dissentientium ratio se ita habet: *quia viduæ vitrici nuditas est nuditas vitrici*, & *quia viduæ privigni nuditas est nuditas personæ uxori vitrici proximæ*: quæ à priori in hoc discrepat, quod ibi DEUS nolit, ut quis *consangvineorum conjuges* & conjugum *consanguineos* ducat, hic vero interdicatur conjugium cum *affinium conjugibus*, & conjugum non consanguineis, sed horum *consanguineorum* rursus *conjugibus*.

221. At facilè, inquies, posterior hæc ratio poterit resolvi, ut sit eadem cum ratione divina. Nam vel ideo quod nuditas viduæ vitrici est nuditas ipsius vitrici, & nuditas vitrici est nuditas

 matris

matris privigni, nuditas viduæ vitrici erit ſimul *nuditas matris privigni*, cujus revelationem privigno vetabat lex divina. Et vel ideò, quòd viduæ privigni nuditas ſit nuditas privigni, privignus autem ſit proximus uxoris vitrici, vidua quoque privigni erit *proxima uxoris vitrici*, cujus nuditatem DEUS retegere prohibebat vitrico.

222. Sed facile etiam, reſpondebo, hæc reſolutio poterit rejici, quoniam procedit non ex rei veritate, ſed per *fictionem*. Siquidem revera vidua vitrici non eſt una caro cum ejus priore uxore, ſed per imputationem ſaltem duplicis conjugii.

223. Neque juvabit quicquam, ſi ad DEUM provoces, etiam ipſius rationem, dum dicit, novercæ nuditatem eſſe nuditatem patris &c. reſpicere ad *fictionem* ſeu imputationem moralem.

224. Nam hic non ſolum obſtat iſtud, quod *fictio hominis* nequaquam operetur illud, quod ſequitur ex *fictione legislatoris*, ſed & opponi poterit vulgatus canon JCtorum; non admittendam eſſe *fictionis fictionem*, quod tamen in iſta argumentatione fiebat.

225. Cum verò ea, de quibus hactenus diſſeruimus, pertineant ad legem DEI poſitivam quidem, ſed univerſalem & quæ omnes homines ſtringit, hinc facilè patet, quæ ſit poteſtas relicta *legislatoribus humanis intuitu conjugii*. Nimirum ea, ut quæ DEUS præcepit, non poſſint prohibere, quæ prohibuit, non poſſint admittere, ſed circa res & actus medii ſaltem generis boni ac decori ordinis gratiâ in civitate ſpeciales contrahendi matrimonii regulas ferre.

226. Quare, uti injuſtum foret, ſi legislator indiſtinctè omnes homines ſine conſideratione facultatum & conditionum vellet *ad conjugium adigere*, uti ſtolida inſuper eſſet lex, quæ omnibus civibus *matrimonio vellet interdicere*, ita nihil videtur obſtare, quo minus per legem civilem *cœlibes* tantùm *ad munus aliquod* in civitate, quod longè commodius illi, quam conjugati obire poſſunt, *admittantur*, modò tanta ſit copia ejusmodi hominum, quibus caſtam agere vitam conceſſum ſit, quam ad illud munus requiritur.

Ita

Ita licebit lege civili *tempus ætatemque* & *statum* connubio jungendorum definire. *g)*

227. Deinde ex suprà *h*) dictis jam inferre licet, peccare principem Christianum, si per legem *maritos imperio uxorum subjicere aut uxores saltem eximere à subjectione maritorum* velit; simul alia disputatio superius *i*) instituta ostendet, quare in altera controversia, *an princeps ultra malitiosam desertionem & adulterium adhuc alias quasdam divortii causas admittere valeat?* judicium nostrum suspenderimus.

228. Porrò non poterit princeps permittere publicè *concubitus libidinosos*, *l*) quo pacto legi divinæ est adversum habere *lupanaria publica*. Alia quæstio est, *an princeps omnem libidinem gravibus pœnis coercere & in clandestinam libidinem exacte inquirere teneatur?* quæ ex infra dicendis in capite de pœnis est definienda.

229. Ulterius pugnat cum Christianismo, si admitteretur *polygamia utraque simultanea. m*)

230. Denique quod *incestum* attinet, *in gradibus lege divina probitis princeps non poterit* dispensare, multò minus per leges quicquam, quod cum jure divino hac parte pugnat, disponere. Unde etsi Papa, ut Pseudovicarius DEI, ferè potestatem hic dispensandi sibi vindicet, non immerito tamen, etiam ab ipsis Principibus Pontificiæ religioni addictis, potissimum in Gallia, hæc potestas dispensandi in dubium fuit vocata. *n)*

ad §. *226.* g) *v.g. ne nobilis plebejam, senator libertinam, civis peregrinam ducant, quamvis opera danda sit legislatoribus ne rationes ejusmodi prohibitionum positæ sint in vana ambitione.*

ad §. *227.* h) Vide suprà §. 48. i) Vide maximè §. 67. seqq.

ad §. *228.* l) Ob dicta §. 72. seqq.

ad §. *229.* m) Ob §. 77. seqq.

ad §. *230.* n) *Vide Librum suprà* ad §. 198. lit. d. *citatum*, & Lucien Soefvè dans le nouveau recueil des Arrests *passim*.

231. Cœterum in gradibus à DEO prohibitis non ſolum impediendum eſt matrimonium contrahendum, ſed etiam *dirimendum eſt ſemel contractum.* Quod non ſolum ex verbis legis divinæ, quæ vult, *ut extirpentur perſonæ inceſtuoſæ*, clarum eſt, ſed vel maximè ex *natura inceſtus* demonſtrari poteſt, quippe inceſtus fit per conjunctionem carnis cum perſona prohibita. Tot ergo in matrimonio inceſtuoſo occurrunt actus inceſtuoſi, quot concubitus. Ergò ſi Princeps Chriſtianus non dirimeret conjugium cum perſona prohibita initum, reverà vindicaret ſibi poteſtatem diſpenſandi in lege divina.

232. Unde non difficile eſt perſpicere, quid ſentiendum ſit de ſententia quorundam ſcriptorum, aut de obſervantia quorundam judiciorum, ubi, ſi vel inſciis Magiſtratibus in gradu divinâ lege prohibitô, matrimonium contractum ſit, aut à Magiſtratibus malè informatis, aut dolosè inductis illud permiſſum ſit, aſſeritur, non poſſe poſt conſummatum matrimonium, aut celebratas nuptias tales conjuges dirimi, extra caſum connubii inter adſcendentes, quia ſcandalum majus poſtea inde naſceretur, & conſcientiæ conjugum graviſſimè læderentur, &c. o)

CAPUT

ad §. 232. o] *Vide Havemanni* Gamol. p.m. 281. ſeqq. *Huc pertinet quæſtio à Schiltero ventilata* Exercit. 36. ad Pand. th. 45. ſeqq. *utrum conjugium inceſtuoſum in linea recta affinitatis ſit dirimendum?*

CAPUT IV.

De

Officiis Parentum & Liberorum.

SUMMARIA.

COnnexio. §. 1. *Variè dissentiunt Dd. in deducendo jure Parentum*, §. 2. *& prærogativa eorum quoad exercitum illius juris.* §. 3. *Methodus dicendorum.* §. 4. *Sola societas paterna inter humanas sine directo consensu mutuo initur.* §. 5. -- 9. *Etiam sine tacito consensu infantum.* §. 10. -- 27. *Finis primarius societatis paternæ est educatio sobolis, imperium parentum & obsequium liberorum finis secundarius.* §. 28. -- 30. *Unde primum præceptum: PARENTES LIBEROS SUOS EDUCENT*, §. 31. 32. 33. *profluens ex lege de præstandis officiis humanitatis*, §. 34. -- 44. *& secundum: LIBERI, QUAM DIU IN SOCIETATE PATERNA VIVUNT, PARENTIBUS OBTEMPERENT.* §. 45. *Quomodo differant obsequium & reverentia?* §. 46. -- 50. *Duratio societatis paternæ.* §. 51. -- 59. *Finita ea cesset obsequium, manet reverentia.* §. 60. -- 63. *Quæstiones de officiis liberorum resolvi in duo tempora.* §. 64. 65. *Resolutio quæstionum specialium* 1. *Cui ex parentibus principaliter competat potestas in liberos, matri an Patri?* §. 66. 67. 68. 2. *An potestas patria se etiam extendat ad bona liberorum?* §. 69. 70. 71. 3. *An per alium parentes officio suo possint satisfacere?* §. 72. 73. 74. 4. *An reverentia parentibus perpetuò debita, magis ex generationis quam educationis beneficio dependeat?* §. 75. 5. *An liberis liceat nuptias contrahere invitis parentibus?* §. 76. -- 79.

§. 1.

POst ſocietatem conjugalem, conſiderationem meretur ea, quæ eſt *inter Parentes & Liberos*, quæ communiter *ſocietas paterna* appellari conſuevit. Intenditur ſiquidem, ut diximus, liberorum procreatio in conjugio: Hanc comitatur ſocietas paterna.

2. Maximè autem variare ſolent ſcriptores in *deducendo jure Parentum in liberos*; aliis ad *generationem* hic provocantibus, *a*) aliis id derivantibus ex *voluntate divinâ*, *b*) aliis ad *legem naturalem* provocantibus & *conſenſum tacitum*. *c*)

3. Similis diſſenſus eſt de prærogativa parentum, quoad exercitium juris iſtius, quibusdam primario *ad patrem* hic reſpicientibus, *d*) quibusdam primas partes indulgentibus matri. *e*)

4. Nobis, ut negotium tractetur ordine, initio in *differentiam generalem* hujus ſocietatis à reliquis naturalibus, inquirendum videtur, tum de *fine* ejusdem erit diſpiciendum, ex quibus rectè cognitis *quæſtiones occurrentes* ſuâ ſponte reſolvi poterunt. Deinde perpetuò operam dabimus, ut ſeparemus hic jus naturale à lege poſitiva.

5. Ergo cum in confeſſo ſit, *eſſe quandam ſocietatem inter parentes & liberos*, & nulla gens ſit tam barbara, quæ eandem non agnoſcat, id præprimis animadverſione dignum eſt, quod, cum reliquæ ſocietates omnes, *conſenſum perſonarum* in ſocietate illâ viventium præſupponant, etiam conjugalis, quamvis à Deo ipsô ſit inſtituta; ſola *ſocietas paterna* ſine *directo & ſpeciali conſenſu mutuo* ineatur.

6. Nam initio, quod *parentes* concernit, etſi illi quodammodo in hanc ſocietatem *conſentire* videantur, dum ſcientes & volentes *generationi* liberorum dant operam, dum conſentiunt in

ad §. 2. a) *Ut Grotius.* Puf. Lib. 6. c. 2. §. 1. *quod caput totum cum hoc noſtro conferendum eſt.*
b) *Ut Hornius.*
c) *Ut Pufend. ipſe.* §. 4. *item Hobbeſius.* Puf. §. 2. & 3.
ad §. 3. d) *quod facit iterũ Hornig*
e) *quæ Hobbeſii doctrina eſt.*

in *nuptias*, quarum finis est sobolis procreatio, tamen consensus iste *immediatè* tendit ad societatem nuptialem, à qua societas paterna specie est diversa, & præpostere ex consensu in *generationem* deducitur consensus in societatem paternam, quamdiu non demonstratum est, quod generatio sit fundamentum patriæ societatis.

7. Quare nec obstabit regula vulgata, *quod qui vult antecedens, velit etiam necessarium consequens*, quippe jam quærimus, qua ratione societas paterna pro necessario consequenti societatis nuptialis vel generatæ sobolis haberi debeat.

8. Deinde, etsi daremus, consensum adesse ex parte parentum, nulla tamen societas ex consensu orta dici potest, ubi non adest *mutuus* consensus, qui ex parte *infantum* deficit.

9. Quoniam enim societas paterna mox post partum editum incipit, quomodo infans posset consentire, qui ad edendum ullum *actum animæ rationalis* est incapax.

10. Simul verò necesse est, ut corruat *consensus infantum tacitus*, quoniam suprà ostendimus, nullum esse posse consensum tacitum ejus, qui expresse consensum suum non valet declarare. *f*)

11. Unde, qui fundamentum juris patrii quærunt *g*) in pacto tacito infantum, quasi nempe infans propter latitantem adhuc rationis usum reciproca officia parentibus expresse quidem non possit promittere, ex ipsa tamen parentum operâ obligationem erga eos non minus contrahat, quam si expressus ipsius consensus accessisset: (præsumi enim, si usum rationis eo, quo sublatus est, tempore habuisset, ac perspexisset, vitam sese citra parentum curam junctumque illi imperium servare non posse lubenter ipsum in idem consensurum, commodamque educationem sibi ab iisdem fuisse stipulaturum, qui consensus cum ratione præsumptus pro expresso valeat, non secus ac in legib9 Romanis consensus præsumptus ejus, cujus *absentis & ignorantis negotia gesta sunt*;) illi apertè satis loco consensus *taciti* suppeditant consensum præ-

ad §. 10. f) vide lib. 2. cap. 7. §. 19. seqq.

ad §. 11. g) *Quod facit Dn. Pufend. §. 4.*

præsumtum, quem à tacito multis modis differre, ibidem ostendimus. *h*)

12. Quos inter & iste erat, quod *consensus præsumtus* non sit *propriè* dicti consensus species.

13. Facit maximè ad sententiam nostram confirmandam, quod à *domino negotii gesti* ad infantes inferebatur, nam negotiorum gestionem, cum omnibus quasi contractibus, ad exempla taciti consensus, non referri debere simul notavimus.

14. Sed & illa ratio videtur ostendere, societatem paternam ex consensu deduci non posse, quod *consensus*, quocunque titulo veniat, seu expressus seu tacitus, locum habere propriè ut *origo obligationis* non possit, nisi *in actionibus ante consensum liberis*. Atqui nec patri liberum est nec filio educationis jura cum annexo cuique debito declinare. *i*)

15. Neque hanc rationem puto destrui, si quis fortè adversus eandem excipiat; *l*) non repugnare sibi, aliquid oriri *ex præcepto legis naturalis* & *oriri ex consensu tacito*. Sanè enim, homini non esse liberum, DEO non parere, & tamen DEUM à fidelibus obsequium fœdere stipulari voluisse. Sic civem utique munia militaria debere Reipublicæ, & tamen cum miles scribitur, consensum ejus accedere & sacramentum. Sic quare dici non possit, infantis consensum tacitum intelligi, dum parens actu ejus educationem suscepit, cujus hic sit effectus, ne querendi causam habeat, quasi imperium paternum invito sibi & frustrà sit impositum. Nam adversus istam exceptionem multa possent in medium afferri.

16. Initio per *originem juris vel obligationis* hic non intelligi *originem ultimam*, quam suprà suo loco semper in lege quærendam esse declaravimus, sed *immediatam*, quæ nonnunquam etiam, imò sæpius *ex consensu* derivari poterit, & hactenus non erit dubium, quod

h) d.l.2.c.7.§.24.seqq.

ad §.14. i) *Hanc rationem Dn. Pufendorffio objecit B. Pater* in dísput. de patria potestate §.49.

ad §.15. l) *Ita excepit Dn. Puf.* d.§.4.in nova edit.p.908.

quod repugnantia non sint, aliquid oriri ex præcepto legis naturalis & oriri ex consensu tacito.

17. Sed ut *obligatio* dicatur *immediatè oriri ex consensu*, necesse est, ut ea ante consensum vel *plane non* affuerit, vel non affuerit intuitu *certæ personæ*, aut in *eodem obligationis genere*.

18. Ita citra consensum subjectionis *non sum* obligatus, ut ulli homini servitia præstem, quare *obligatio servi* rectè ex consensu oriri dicitur.

19. Ita & obligatio, quæ *inter conjuges est*, consensui originem debet, quia ante consensum in utriusque libertate erat positum, *cui personæ* fidem conjugalem promittere vellet, etsi jam adesse poterat obligatio *ad ineundum matrimonium*.

20. Ita *si pauperi dives centum promittat*, utique dives rectè ex consensu obligatus dicitur, etsi ante consensum obligatio ad promittenda centum adesse poterat, sed ea quidem *imperfecta*.

21. Quodsi verò vinculum præexistentis obligationis per consensum sive expressum sive tacitum in *eodem obligationis genere* saltem duplicetur, non videtur, abstrahendo à legibus civilibus, *origo* obligationis istius *consensui accurate loquendo adscribi* posse. Sed tum consensus saltem ad contestandam promptitudinem satisfaciendi obligationi, aut ad majorem securitatem alterius adhiberi solet.

22. Ita, si v.g. *in fœderibus* nihil aliud promittatur, quam ad quod paciscentes jam anteà ex lege naturali erant obstricti, obligatio non commodè ex fœdere isto orta esse dicitur, quin & istæ pactiones vix fœderum nomine dignæ censebuntur. *m*)

23. Ita si promissum jam antea, firmem *juramento*, obligatio nequaquam ex juramento oritur, sed ex promisso.

24. Eadem est ratio exemplorum allatorum. *Fideles* ante stipulationem Deo jam sunt obstricti, *cives* ante sacramentum militare Reipublicæ debent munia militaria. Itaque his obligationibus quidem stipulatio vel consensus *accedit*, ita tamen, ut exinde obligatio *ortum* non ducat.

ad §. 22. m) *Vide ipsum Dn. Puf.* l. 8. c. 9. §. 2.

25. Deniq; nec consensus tacitus infantis in societate paterna videtur esse necessarius ad illum effectum, *ne querendi causam habeat*, quasi imperium paternum invito sibi & frustrà sit impositum, quia & citra eundem liberi causam querendi non habent.

26. Nam *multæ sunt obligationes*, quæ homines *invitos* obligant, quales sunt omnes illæ, quæ ex præceptis absolutis libro secundo expositis descendunt. Neque *superior* opus habet ad introducendam obligationem consensu subjecti.

27. *Frustrà* verò non esse imperium patris filio impositum, ostendent modò dicenda.

28. Nam *finis* societatis paternæ communiter ponitur in *educatione sobolis*, *n*) cui, etsi addere velis *imperium parentum*, mox tamen collatio utriusque finis ostendet, *educationem sobolis* esse finem *primarium*, imperium parentum, & quod illi correspondet, *obsequium liberorum*, finem *secundarium*.

29. Haud dubiè enim is finis pro primario erit habendus, qui *perpetuò* in societate attenditur, quique est *norma* alterius, & quo obtento societas solet *desinere*.

30. Sed *educatio* sobolis *statim* post partum editum se exerit, antequam liberi obsequii sint capaces: Ipsum imperium patris nil aliud est, quàm *medium*, sine quo educatio obtineri nequit; educatione absolutâ *naturaliter solvitur* societas paterna.

31. Ergò primum præceptum in hac societate dirigit officium Parentum erga liberos: PARENTES LIBEROS SUOS EDUCENT.

32. *Educatio* hoc loco nihil est aliud, quàm sobolis â primâ infantiâ ad maturitatem tum corporis tum animi conveniens perductio. *o*)

33. Continet igitur sub se *duas partes*, *alimentationem*, quæ ad *corpus* infantis pertinet, & *doctrinam*, quæ *animum* ejus respicit.

34. Fluit hoc præceptum ex lege *de præstandis officiis humanitatis*. Quod ita demonstro.

35. Dum

ad §. 28. n) vid. Patr. Phil. Pract. Tab. 36.
ad §. 32. o) Pater d. Tab. 36.

35. Dum *infantes* in hanc lucem eduntur, haud dubiè conſtat eos eſſe *homines*. Etſi enim philoſophi & moderni & antiqui de initio humanitatis, quam diu infans eſt in utero diſſenſerint graviter, & adhuc diſſentiant, quibusdam, qui traducem defendunt ſtatim ad conceptionis tempus reſpicientibus, quibusdam, quibus hodie infuſio animarum placet, incertum quoddam intervallum, ex quo fœtus animatus eſſe incipiat, conſtituentibus, quibusdam, ut olim Stoicis, planè animam humanam in partû demum ſupervenire defendentibus, in eo tamen conſentiunt unanimiter, quod infantes recens nati hominibus ſint accenſendi.

36. Quia igitur homines ſunt, neceſſe eſt, *ut jurium, quæ hominibus competunt*, & ex ſtatu humanitatis in libro ſecundo deducta ſunt, quantum admittit ipſorum conditio, *ſint participes*.

37. Unde adverſus præceptum de *vitandâ ſuperbiâ* in ipſos aliquatenus peccari poteſt, ſi quis eos nimis contemptim habeat; & quamvis, præter corporis bona, bonis omnibus & animi & fortunæ deſtituantur, ſaltem illorum reſpectu *lædi poſſunt*.

38. Igitur parentes, qui liberos *interficiunt*, aut alia bona corporis iis *corrumpunt*, non tam in ſpecie contra officium parentibus peculiare peccant, quàm id violant, quod ipſorum liberis alii etiam, & quod ipſi viciſſim omnibus hominibus debent, quamvis qvalitas parentum augeat ejusmodi dilecta, utpote qui non ſolùm non lædere debebant liberos, ſed & inſuper commoda ipſorum quàm maximè promovere.

39. Etenim non ſolum præcepta *negativa* intuitu infantum ſunt obſervanda, ſed & *affirmativa*; Et iſtud quidem, quod *pacta ſervare* jubet, non adeò magnum hic exerit uſum, quoniam infantes, ut diximus, pacti ſunt incapaces, niſi quatenus alii homines ipſorum perſonas hac parte repræſentant, ut ſunt in civitate tutores & curatores. Aſt præceptum de *exhibendis humanitatis officiis* potisſimum hic obſervari meretur.

40. Nam cùm certum ſit, ſi nemo infantes alimentis ſuſtentet vel doctrinis imbuat, fame interituros eos eſſe, aut

eorum vitam bestiis non fore absimilem, necesse est, ut alii homines eorum *commoditates* hactenus promoveant, ut & *vivant* & *cum ratione vivant*.

41. Etsi verò aliàs obligatio ad exhibenda humanitatis officia *indefinitè omnes homines* stringat, qvoniam tamen educatio liberorum pertinet ad officia, qvæ *impensâ* & *operâ laboriosâ* constant, & vulgari adeò humanitati non adscribenda est, sed inter beneficia caput exerit, *p*) & præterea *periculum hic est in morâ*, cùm liberi ipsi aliorum opem implorare neqveant, necesse fuit, ut lege naturali *certæ personæ* ex genere humano determinentur, qvi statim sciant, præ reliqvis sibi hoc beneficium incumbere.

42. Atqvi cùm communiter ad exhibenda alteri beneficia unus homo majori gradu obstrictus sit qvàm alter, & multum contribuat *proximitas* ad obligationis augmentum, sua sponte fluit, qvod *parentes*, utpote qvi propter generationem proximi sunt, & qvibus adeò, qvod infantes vitam semel acqvisiverint, præ reliqvis hominibus maximè imputari potest, hoc munus in se suscipere debeant.

43. Qvod ergo *alimentorum* suppeditationem attinet, non opus erat, ut in liberis obligatio peculiaris correspondere, cum jam instinctus naturalis eos, qvà animalia sunt, ad eadem recipienda impellat, & qvæ hoc passu ipsis incumbit obligatio, ex regulis communibus officia hominis intuitu sui ipsius dirigentibus dependeat.

44. Alia ratio est *doctrinæ*, qvæ qvoniam in hominibus adultis vix, in infantibus verò ne vix qvidem sine disciplina & jure coercendi concipi potest, seqvitur, ut parentibus jus competat cum *coercitione dirigendi* actiones liberorum.

45. Habes hoc pactô secundum præceptum hujus societatis, exponens officium liberorum erga parentes: LIBERI QVAMDIU IN SOCIETATE PATERNA VIVUNT, PARENTIBUS OBTEMPERENT.

46. *Obsequium* est vinculum libertatis, vi cujus homo obligatio-

ad §. *41*. p) Conf. lib. 2. c. 6. §. 47.

gationem in se deprehendit, ut actiones suas, externas potissimum, secundum voluntatem ejus, qui superior est in societate, instituat.

47. Cum autem obsequium, ut omnis obligatio, simul cum metu pœnæ conjuncta sit, si contra voluntatem superioris quid fiat, & verò hic metus inter eos, qui familiares invicem sunt, esse non possit, necesse est, ut familiaritas illa in societate paternâ cesset, quæ cessatio in parentibus *gravitas*, in liberis *reverentia* appellatur.

48. Vides adeò, *obsequium & reverentiam* istam esse quidem conjuncta, non tamen eadem. Unde poterit quidem obsequium non esse sine reverentia, reverentia tamen poterit esse absque obsequio.

49. Scilicet *reverentia* in se est actus, quo quis actionibus externis sponte & citra jussum specialem declarat, eum, cui actum istum exhibet, à se æstimari ut sui superiorem.

50. Cum ergo *superioritas* alia sit *imperii*, alia *beneficii*, alia *dignitatis*, alia *ordinis*, *q)* tot etiam erunt *reverentiæ* species, quot superioritatis, quare & nobis erit opera danda, ut ne istas species inter se confundamus.

51. Debent autem liberi obsequium cum reverentia parentibus, *quamdiu societas paterna durat*, tantisper enim imperium parentum quoad actiones liberorum vires suas exerit.

52. Neque enim societas paterna est *indissolubilis*, ut conjugalis, sive jus naturale, sive legem positivam universalem spectes, sed hic valet regula vulgata: cessante fine cessat actio, cessat adeò & status ex pluribus actionibus compositus.

53. Quare *naturaliter expirare debet societas paterna*, cum liberi ipsi capaces sunt de alimentis sibi prospicere, & educatione amplius non habent opus.

54. Quæ *duo conjunctim* requiro, requiruntur enim regulariter conjunctim *ad fundandam* societatem paternam.

ad §. 50. q) Conf. lib. 1. c. 1. §. 30.

55. Deinde etsi demus, aptos esse liberos, ut de *alimentis* sibi prospiciant, aut aliunde jam habere, unde se sustentent, sed multa adhuc desiderari in *gubernatione* actionum propriarum, necesse erit, ut duret societas, quoniam hujus respectu parentibus primariò competit imperium.

56. Contrà si liberi ipsi quidem capaces sint ad *dirigendas actiones* proprias, non verò possint *alimenta* sibi comparare, etsi hic videbatur imperio nullo esse opus, quasi cessante fine imperii, quoniam tamen regulariter, qui beneficium mihi præstat, exigere à me potest jure suo, ut durante beneficiô actiones meas secundum ipsius placitum, sub pœna beneficii amittendi, instituam, necesse est, ut & hanc potestatem concedamus parentibus.

57. Accedit, quod, cùm vivamus in statu imperfecto, in quò mores humani perpetuo augmentum assumunt, vel eô habent opus, abstrahendo à legibus civilibus, nullis regulis certis determinari possint fines & termini bonæ educationis, sed hæc res relinqui debeat arbitrio & conscientiæ patris, tanquam naturâ prudentioris.

58. Quare & hoc exinde sequitur, *r*) in statu naturali *patrem posse filium desidem & immorigerum etiam invitum ejicere* ex familia, si ad annos discretionis pervenerit, etsimodò pater ipse non defecerit in educationis officio.

59. Sed *filius* contra non poterit regulariter *recedere à societate invitô patre*, nisi evidentissimis argumentis iniquitatem paternam & virtutes proprias demonstrare valeat.

60. Ulterius si maximè societas paterna est finita, remanet tamen perpetuo in liberis *debitum reverentiæ* ob *beneficia* scilicet alimentationis & educationis exhibita, quæ semel facta non poterunt unquam infecta fieri. *s*)

61. Sed *imperium* tum cessat, quod probè notandum, quoniam plerumque scriptores hæc duo confundunt.

62. Hoc

ad §. *58.* r) Ad hunc & seq. §. Conf. Puf. §. 13.
ad §. *60.* s] Puf. §. 10.

62. Hoc eſt, liberi obſtricti ſunt eo tempore, ut parentibus ſigna honoris exhibeant, & actiones, quæ aliquod momentum afferunt ad familiam paternam, ex parentum conſiliô & beneplacito, ſi fieri poteſt, ſuſcipiant, tum & beneficia ipſa beneficiis compenſent, in tantum, ut graviter peccent, ſi id facere negligant.

63. Quod ſi tamen id facere detrectent, parentibus nullum amplius competit jus cogendi liberos ad actiones iſtas, quin imò, ſi parentes tum per evidentem iniquitatem conſenſum ſuum denegent, liberos absque vitio actiones ipſas non commodè differendas ſuſcipere poſſe arbitror.

64. Ex his patet, in liberis, cum de officio ipſorum erga parentes quæritur, regulariter ſpectari *duo tempora*, dum ſunt in poteſtate parentum, & dum ſunt eâdem liberati, etſi alii *tria* conſtituant, *t*) prius videlicet ſubdividentes in tempus *imperfecti judicii* & *judicii perfecti* liberorum adultorum, in familiâ tamen paternâ conſtitutorum.

65. Quæ diviſio quamvis tolerari posſit, neſcio tamen an magnum ſit uſum præbitura, cum illa tempora judicii *perfecti & imperfecti* differant ſolum ratione *gradus educandi & imperandi*, qui major eſt in infantibus, ut quorum actiones minima emendatione opus habent, quam in adultis, de quo ferè non eſt dubium.

66. Ex dictis jam facilè definiri poſſunt *controverſiæ* ſpeciales, I. *Cui ex parentibus principaliter competat poteſtas in liberos, matri an patri?* Reſpondemus enim, ex merâ ratione naturali competere *utrique*, quoniam ad fundamentum hujus poteſtatis concurrunt uterque, niſi ipſi parentes in ſocietate nuptiali convenerint aliter. *u*)

67. At ſi *legem divinam poſitivam* ſpectes, potiores haud dubiè erunt partes *patris* quam matris, cum iſte & matris actiones ad utilitatem familiæ dirigere valeat.

68. Niſi

ad §. 64. t] ut Grotius. Vide Pufend. §. 7.

ad §. 66. u] Conf. §. 41. 42. *Adde Pufend.* §. 1. 2. 3. 4. 5. *ubi diſputat prolixè contrà Hobbeſium, qui eam matri tribuit.*

68. Nisi pater præcipiat ea, quæ jam lege divina, vel alius superioris sunt interdicta, tum matris jussus erit præferendus, qui tamen tunc propriè non consideratur ut jussus matris.

69. II. *An potestas patria se etiam extendat ad bona liberorum?* Quod regulariter *negandum*, cum educatio tendat ad actiones liberorum, non ad res, alimentatio verò sit onus, non titulus, aut modus acquirendi.

70. Igitur parentes in liberis primæ ætatis, *x*) quidem prospicient, quid utile sit iis, ut acquirant, quid non, & ipsorum personas in acquisitione & administratione repræsentabunt, adultis verò leges acquisitionis præscribere poterunt, ut tamen utrobiq; filio dominium acquiratur.

71. Quoniam tamen parentes jure strictô non tenentur alimenta exhibere liberis, siipsi possideant bona ad sustentationem sufficientia, non peccabunt, si vel alimenta desumant ex bonis liberorum vel aliquatenus lucrum ex operis & bonis liberorum alimentationi respondens capiant.

72. III. *An per alium parentes officio suo possint satisfacere? y)* Quod *affirmandum*, non solum, quod sæpe accidat, ut finis educationis & alimentationis aliter obtineri nequeant, sed &, quod morali æstimatione idem habeatur, si quis per alium agenda peragat, quoties industria personæ non est electa, quod hic dici nequit, quoniam generatio, ut fundamentum obligationis paternæ, nullam peculiarem parentibus præ aliis industriam tribuit.

73. Ergo parentes non solum *præceptoribus* idoneis filii informationem rectè committent, sed & eundem alteri *adoptandum* dare possunt, siquidem exinde in filium aliquod emolumentum sit redundaturum. Et, si nulla alia ratio sit prolem alendi, potius quam inopia extinguatur, parentes eum *oppignorare* aut *vendere* in tolerabilem servitutem possunt, saltem sub lege retractus, ubi parentes ad lautiorem fortunam pervenerint aut quispiam ex cognatis istum redimere velit,

74. Quod

ad §. 70. x] Pufend. §. 8. *ad* §. 72. y] Puf. §. 9.

74. Quod si verò parentes per inhumanitatem prolem *exposuerint* & *abjecerint*, is qui eandem sustulerit atque educaverit, in parentum quoque jus succedet, ita ut iste alumnus educatori suo filialem observantiam & obsequium debeat.

75. IV. *An reverentia & observantia, quæ parentibus perpetuò debetur magis ex generationis quàm ex educationis beneficio dependeat?* Ubi præter rationes ab aliis fusius adductas vel superius dicta junctis iis, quæ modo notavimus, ostendunt, magis pro *educatione* esse pronunciandum. z)

76. V. *An liberis liceat nuptias contrahere invitis parentibus?* Ubi distinguendum a) erit inter liberos, qui in *patria potestate* vivunt & eos, qui *ex familia paterna* exierunt. *Illi* jure obsequii consensum requirere debent in tantum ut citra eundem putem nuptias esse ipsô jure nullas, quoniam hic actus est maximi momenti, & simul interesse parentum potissimum respiciens, quibus alias vel invitis accresceret onus alendi personam adductam, vel auferretur invitis jus patrium.

77. Quod si verò liberi jam se *separaverint* à parentibus, in reverentiæ debitum peccant, si conjugium ineant insciis parentibus, ipsum tamen conjugium non erit nullum; Quin &, si parentes consensum suum rogati sine justa causa denegent, sine violatione observantiæ istius consummare idem poterunt liberi.

78. Denique si liberi jam educati & adulti matrimonium contrahere cupientes *parati sint exire* familiâ paternâ, parentes vero ob duritiem & morositatem evidentem nec eos dimittere nec in matrimonium consentire velint & tum liberos, salva in reliquis pietate & reverentiâ sibi prospicere poterunt.

79. Hæc tamen omnia, quæ hactenus in hoc capite disseruimus intellige de officio parentum & liberorum abstrahendo à *legibus civilibus*; quare si his aliud quid sit constitutum, id neque à nobis hòc locô impugnatum esse, neque nobis contradicere arbitrare.

ad §. 75. z] vide Puf. §. 10. Adde §. 60. j. §. præced.

ad §. 76. a] *Aliter paulo distingvit Dn. Puf.* §. 14.

Caput V.

De
Officiis Dominorum & Servorum.

SUMMARIA.

Societatis Herilis ortus §. 1. 2. 3. *& finis.* §. 4. *Requiritur ad eam consensus mutuus.* §. 6. *Ex fine profluit imperium & subjectio*, §. 6. 7. 8. *non tamen jus vitæ & necis.* §. 9. 10. 11. *Præcepta duo.* 1. *PRÆSTA DOMINO OPERAS PROMISSAS.* 2. *EXHIBE SERVO CONVENTAM MERCEDEM.* §. 13. 14. 15. 15. *Servus non potest vendi.* §. 16. 17. 18. 19. *Alia servitus juris Gentium, quæ à societate herili, quatenus juris naturalis est, in quibusdam differt* §. 20. -- 31.

§. 1.

Societatem herilem a) in *statu integritatis* non obtinuisse demonstravimus librô primô.

2. Quin & in statu *post lapsum* nullus fuit locus huic societati, quamdiu obtinuit communio bonorum & dominia non fuerunt distincta. *Indigentia* enim hujus societatis ultima est origo. At ubi bona omnia sunt communia, non dominus esse potest, qui peculiariter sibi præ reliquis acquirere studeat, nec servus, qui sustentandi sui gratiâ alterius dominio se subjiciat.

3. At *post distinctionem dominiorum*, cum quilibet paterfamilias necesse habuerit de acquirendis opibus ad sustentationem familiæ facientibus tum & de administrandis iis & conservandis prospicere, alius vero opibus destitutus, & ad acquirendas easdem ex

ad §. 1. a] *Cum hoc capite junge Puf.* de J. N. lib. 6. c. 3. & de O. H. l. 2. c. 4.

ex ingenio proprio fuerit ineptus, necesse fuit, ut ille *servum* sibi quæreret, quo tanquam instrumentô domesticô uteretur, hic sibi circumspiceret de *domino*, à quo alimenta pro operis expectaret.

4. Adeoque *finis* societatis herilis ex parte *domini* est *acquisitio & conservatio divitiarum*, ex parte *servi sustentatio vitæ per alimenta*.

5. Etsi verò *indigentia* ista *mutua* homines ad ineundam societatem herilem impellat, requirit tamen eadem ordinarie *consensum mutuum* ad sui existentiam.

6. Ipse autem finis, quem dominus intendit, ostendit, ipsum consensum in societatem herilem naturaliter ex parte servi includere *subjectionem*, ex parte domini *imperium*.

7. Nam acquisitio & conservatio opum ob infinitam circumstantiarũ varietatem infinitis modis variat, quare illi modi in pacto societatis determinari nequeunt, sed relinquendi sunt determinationi futuræ unius ex contrahentibus toties exponendæ, quoties est opus.

8. Ergo cum dominus hac parte principalis causa sit & servus instrumenti vices gerat, necesse est, ut *dominus* dirigat actiones servi.

9. Et quidem, si à legibus civilibus abstrahas, cum *coërcitione*, quantum ad istum finem obtinendum est opus, quoniam sine ea directio actionum esset frustranea.

10. Hæc tamen regulariter ad *gravem corporis afflictionem*, multo minus ad *mortem* propria autoritate sumendam procedere nequit; quoniam his pœnis finis societatis herilis non obtinetur, neque ea servorum negligentiam in opere exequendo expellunt, neque mores ad decus & tranquillitatem familiæ componunt.

11. Quod si *atrox delictum* servos admiserit, si in alium extra familam, expelli inde poterit, idque ei, qui læsus est, extra civitatem sufficiet, si in ipsam familiam, dominus id per extrema in servo vindicare poterit, non quidem ut servo, sed ut hoste.

12. Ergo officium *servi* summatim istô præcepto continetur: PRÆSTA DOMINO OPERAS PROMISSAS, & vice

 versa

versa *Domini*: EXHIBE SERVO CONVENTAM MERCEDEM.

13. Cæterum, prout indigentia aut hebetudo ingenii major vel minor est, vel in perpetuum servitium quis sese addicere solet domino, vel ad breve & determinatum tempus, quandoq; etiam ad determinatas operas.

14. *Hic* utrobique conventa merces & opera præstanda sunt: *Ibi* dominus perpetua alimenta & quæ alia vitæ necessaria sunt, servus perpetuas operas, quascunque dominus præscripserit præstare debet, & quicquid ex illis provenit, domino fideliter consignare.

15. In imponendis tamen operis dominus virium & dexteritatis servi humaniter rationem habebit, ne vires ipsius excedentem laborem cùm asperitate exigat.

16. Non tamen *invitus alteri vendi poterit servus perpetuus*, quia ultro hunc & non alium dominum adscivit, & ipsius interest utri serviat. *b*)

17. Accedit, quod consenserit saltem in *imperium* & hactenus adhuc personæ vicem sustineat, alienatio verò præsupponat *dominium* rerum. *c*)

18. Denique alienatio nihil facit ad obtinendos *fines* societatis herilis.

19. Alia ratio erat *liberorum*, utpote quorum societas cum parentibus non oriebatur ex consensu, & ubi alienatio obtinebat sæpius finem istius societatis, neque liberorum intererat, à quo educarentur.

20. Et

ad §. *16*. b] Puf. de J.N. §. 7.

ad §. *17*. c] *Unde hoc est inventum morum humanorum: quod servi habeantur pro mortuis, pro rebus, quod non habeant statum, quæ ultrà effectus civiles non sunt extendenda. Unde & quatenus jus naturæ aut jus divinum positivum universale in ipsis læditur, ipsis injuria fieri dicitur*, §. 2. ad §. 18. d. Inst. de his qui sui vel al. jur. sunt, *quatenus injuriarum actio juris civilis remedium est, servis non fieri injuria asseritur*. §. 3. Inst. de injuriis.

20. Et hæc obtinent in *ſocietate herili naturaliter* conſideratâ. Aliam *ſervitutem* introduxerunt *mores* quarundam *Gentium* in *bello captis*, ut ii, quibus vita donata eſſet, ſervitia perpetua pro alimentis exhiberent.

21. Et in iſtos quidem ſervos à plerisque *durius* agi cœptum, quod hoſtilis adhuc iræ quid in eos ſupereſſet, & quia ipſi extrema nobis noſtrisque fortunis intentaverant. Quamprimum tamen inter ejusmodi victorem victumque mutua fides circa conſociationem in familiam interceſſit, omnis antegreſſa hoſtilitas remiſſa cenſetur.

22. Et tunc utique *injuriam* etiam taliter adquiſito ſervo facit *dominus*; ſi vel neceſſaria ad victum non ſuppeditet, vel citra rationem in eum ſæviat, multoque magis ſi citra condignum delictum eundem occidat.

23. Circa illos qvoq; ſervos, qvi bellicâ vi in eam conditionem fuerant abſtracti, receptum, ut non ſecus ac *aliæ res noſtræ* in qvemcunqve placeret transferri, & ad inſtar mercium venire poſſent. Sic ut ipſum corpus ſervi domini eſſe intelligeretur.

24. Ubi tamen humanitas jubet, ut nunqvam obliviſcamur, ſervum utiqve hominem eſſe; adeoqve neqvaqvam eum ita tractemus, velut alias res noſtras, qvibus pro lubitu uti abutiqve, easqve deſtruere poſſumus. Et ubi talem ſervum alienare placet, ne iis datâ operâ aut præter meritum addicatur, apud qvos inhumana ipſum tractatio eſt manſura.

25. Deniqve id paſſim receptum, ut, qvæ ex ſervis parentibus naſcitur *proles*, ſervilis & ipſa ſit conditionis, pertineatqve tanqvam mancipium ad dominum matris.

26. Id qvod iſthoc argumento defenditur, qvod cujus eſt corpus, ejus qvoqve par ſit fructum eſſe, qvi ex eo corpore provenit. Et qvia iſta proles naſcitura planè non erat, ſi dominus jure belli in parentem uſus fuiſſet.

27. Qvibus adde, qvod parentes ejus nihil habeant proprii, unde nulla ratio prolem ejusmodi alendi ſupereſt, niſi ex

bonis herilibus. Cum igitur dominus alimenta præbeat ejusmodi proli diu ante, qvam ipsius opera utilis esse qveat, & seqventes operæ sui temporis alimenta non multum ferè excedant; effugere eidem servitutem invitô dominô non licebit.

28. Manifestum tamen est, cum ejusmodi vernæ nullâ suâ culpâ in servitutem perveniant, nullum esse prætextum, qvare isti durius debeant tractari, qvàm conditio *perpetuorum mercenariorum* admittit.

29. Cæterum ista servitus etsi non æqvè naturalis sit, ut præcedentes duæ species, qvæ conditionem communem humanæ naturæ seqvuntur, non tamen est adversa dictamini rationis, qvin potius, si aliter mihi ab hoste cautum esse possit, *d)* ex ejusdem dictamine rectè deducitur.

30. Nempe ut *licita* & jure exercita, non ut præcepta, unde nec peccaverunt gentes, apud qvas illa servitus rursus *exolevit*, ut inter Christianos.

31. Qvi tamen nec ipsi peccarent, etsi eandem rursus etiam inter se *introducerent*, qvoniam videlicet ista servitus neqve cum lege positiva universali pugnat, neqve regulis Christianismi est adversa. *e)*

CAPUT

ad §. 29. d] *Sed videndum an casus sit dabilis hujus conditionis. Vel enim hostis extremè malus est, tum nec per servitutem illam gentium mihi cautum est, vel fiduciam habeo, quod se emendaturus sit, tum sufficiet illa servitus naturalis.*

ad §. 31. e] *De hoc tamen cogitandum foret ulterius. Certè inter eos qui utrobique veri Christiani sunt casus non est dabilis. Ergo quæstio eò rediret: An Christianus cum Pseudo Christiano salvis regulis Christianismi bellum gerens, possit salvis regulis Christianismi hunc Pseudo Christianum devictum adigere ut pactum ejusmodi cum ipso ineat.* Conf. Albert. c. 12. §. 8.

CAPUT. VI.

De

Officiis Viventium in Civitate.

SUMMARIA.

Connexio. §. 1. *In statu integritatis non fuisset Respublica.* §. 2. 3. *Fines civitatum : beatitudo civilis & omnium rerum sufficientia.* §. 4. *Forma ordo imperantium & parentium.* §. 5. *Unde oritur Civitatis definitio.* §. 6. *Etsi civitas sit societas naturalis, falsum tamen, hominem à natura appetere societatem civilem.* §. 7. -- 11. *Metus est causa primaria impulsiva constituendarum civitatum.* §. 12. -- 17. *Metus tamen iste non confundendus cum vehementi terrore animi.* §. 18. 19. *Indigentia non est causa civitatis.* §. 20. *Necesse fuit, ut homines in civitatē coirent.* §. 21. - 25. *Ad constitutionem civitatis requiruntur pacta duo & unum decretum* §. 26. -- 31. *A forma regiminis civitates dividuntur in regulares & irregulares.* §. 32. *Regulares vel monarchiæ vel Aristocratiæ vel Democratiæ.* §. 33. *Civitates sunt vel sanæ vel morbidæ.* §. 34. *Vitia seu mobi sunt vel hominum*, §. 35. *vel status.* §. 36. 37. *Respublicæ irregulares sunt infinitæ.* §. 38. 39. *Omnes irregulares respublicæ sunt morbidæ vitio status.* §. 40. *Ostenditur latius, non peccari in officium boni viri, vel boni civis, si quis rempublicam aliquam ostendat esse morbidam vel irregularem.* §. 41. -- 56. *Dantur etiam Systemata civitatum.* §. 57. *A nostra divisione rerum publicarum quatenus abeat vulgaris divisio.* §. 58. -- 61. *Civitas constituta* §. 62. *definitur.* §. 63. 64. *Civium vox ambigua.* §. 65. *Majestatis causa immediata non est Deus.* §. 66. -- 88. *Modi imperium acquirendi* §. 89. -- 92. 1. *Occupatio* §. 93. -- 103. 2. *Electio.* §. 104. -- 107. *Unde regnum vel electivum vel successivum.* §. 108. *Successivum certis regulis non nititur.* §. 109. -- 114. *Majestatis definitio.*

tio. §. 115. *Potestas summa quid?* §. 116.--119. *Monarchomachi.* §. 120. 121. *An dari possit Monarcha temporarius?* §. 122. -- 126. *Majestas vel absoluta,* §. 127. 128. *vel limitata* §. 129. *per leges fundamentales.* §. 130. 131. *Regnum vel Patrimoniale vel usufructuarium.* §. 132.--141. *Majestatis partes seu regalia sunt vel immanentia vel transeuntia,* §. 142. *secundum alios vel majora vel minora.* §. 143. *Aliorum divisio à finibus rerump.* §. 144.--155. *Habitudo religionis ad remp.* §. 150.--153. *Respublica mixta est respublica morbida.* §. 156.--160. *Præcepta hic respiciunt vel imperantem,* §. 161. *ubi primum: DISCE QUÆ AD PLENAM COGNITIONEM OFFICII BONI PRINCIPIS PERTINENT:* §. 162. *Secundum: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO,* §. 163. 164. *vel subditos.* §. 165. *Horum officium generale constat præceptis tribus:* §. 166. *Primo: RECTORIBUS CIVITATIS PRÆSTA REVERENTIAM, FIDELITATEM ET OBSEQUIUM* §. 167. *Secundo: SALUTE ET INCOLUMITATE TOTIUS CIVITATIS NIHIL HABE CARIUS* §. 168. *Tertio: CUM CONCIVIBUS VIVE AMICE ET PACIFICE* §. 169. *Commune præceptum circa officia specialia: NON AFFECTA, NEC SUSCIPE OFFICIUM IN REP. AD QUOD TE INEPTUM DEPREHENDIS* §. 170. *Specialia tot sunt, quot sunt officia* §. 171.

§. I.

DE Officiis viventium in civitate *a*) facilis esset discursus, nisi qvoad theoriam ipsius societatis civilis, sine qva frustra de officiis dissceritur, difficultates multas nobis peperissent nimia adoratio dictorum Aristotelis, vel potius interpretum, ejus mentem non rectè percipientium, tum studium erroneè sentientibus, rationibus undecunq; conqvisitis, contradicendi, locorum itidem scripturæ contra regulas bonæ interpretationis & præcepta logica facta expositio, & deniq; medi-

ad §. 1. a] *Junge cum hoc* §. *seqq.* Puf. lib. 7. c. 1.

meditationes hominum inutiliter curiosorum, statum integritatis tam profunde rimantium, ut illi nescio qvas societates elegantiæ gratiâ affingerent.

2. Non futuras fuisse *respublicas* & civiles societates in isto *perfecto statu* demonstravimus libro primo, *b)* unde pro flosculo rhetorico haberem ad persvadendam plebem apto, si qvis afferret civitatem cum *perfectissima* sit societas, *perfectissimum* statum dedecere non potuisse. *c)*

3. Uti enim istud dogma Peripateticorum de *Civitate societate perfectissima* jam *supra d)* expendimus, ita ad istam allusionem idem haud dubiè responderem, qvod mihi responsuri sint alii, si simili modo assererem ædificia perfectissimè structa, cibum delicatissimum, vestes pretiosissimas, medicamenta saluberrima perfectissimum istum statum dedecere non potuisse.

4. Jam ut ulterius progrediamur, tentabo annon ex *concessis* possim disputare cum Peripateticis. Nam in eo consentimus, *e)* Finem civitatis esse duplicem *principalem* & ultimum εὐδαιμονίαν, id est veram *beatitudinem* civilem, non uni homini, sed toti populo insinuandam, & *subordinatum* alterum αὐτάρκειαν, seu omnium rerum & bonorum externorum sufficientiam, qvippe jam supra *f)* observavi, præsidia externa contra violentiam magis pertinere ad εὐδαιμονίαν qvàm ad αὐτάρκειαν, cum beatitudo civilis sine pace & tranqvillitate communi non possit concipi.

5. Consentimus & in eo: qvod *forma* civitatis sit respublica, hoc est, ordo imperantium & parentium, item summi imperantis & inferiorum magistratuum. *g)*

Aaaa 6. Unde

ad §. 2. b] l. 1. c. 2. §. 37. seqq.

c] *Quæ Philosophia Albertina est* c. 14. §. 1. p. 209.

ad §. 3. d] L. 3. c. 1. §. 36. seqq.

ad §. 4. e] vide Patr. Tab. 39. Phil. Pract.

f] L. 3. c. 1. §. 21.

ad §. 5. g] vid. Tab. 39. & 42. Phil. Pract.

6. Unde videtur suâ sponte fluere *definitio civitatis* â formâ & fine: Civitas est societas naturalis summum imperium continens, omnis sufficientiæ & beatitudinis civilis gratiâ. *h*)

7. Neqve enim & illud negamus, *i*) civitatem esse *societatem naturalem* aut cujusqvam absurditatis arguimus Aristotelem, qvod dixit, hominem φύσει esse ζῶον πολιτικὸν, sed exinde tamen non seqvitur, qvod interpretes Aristotelici postulant, hominem non ferri solùm naturâ ad civitatem, *sed rapi* ita ut *natura sit principalis causa impulsiva* ineundæ civitatis, reliqvæ omnes, & inter eas qvoqve indigentia & metus, pro causis saltem secundariis & accidentalibus sint habendæ.

8. Nam verbi gratia *societas herilis* nihilominus naturalis est, etsi homines propter indigentiam eam invenerint. *l*)

9. Deinde, dum qvalitas aliqva creaturæ *naturâ inesse* aut illa ad aliqvid *apta nata* esse dicitur, per illam locutionem qvandoq; notatur aliqvid *actu inesse* rei cuipiam per naturam, citra omne antegressum ipsius aut alterius factum, qvo sensu v. g. piscis aptus natus est, ut natet, avis ut volet, qvercus ut glandes ferat.

10. Interdum autem notatur alicui rei inesse *aptitudinem* seu habilitatem recipiendi perfectionem qvampiam per culturam & disciplinam, qvæ ut ipsi insit, natura intendit, aut saltem tanquam sibi congruum & non repugnans approbat: qvo sensu natura aptus est v. g. eqvus, ut gressus superbos glomeret, id qvod asino negatum, psittacus ut garriat, ager ut frumentum, collis ut vitem ferat, ipse homo ut sermocinetur, ut varias artes & scientias addiscat.

11. Atqve hoc sensu *hominem* etiam τῇ φύσει esse ζῶον πολιτικὸν, vel certè non instinctu intrinseco naturæ, sed *ex-trin-*

ad §. *6.* h] *Addit Pater:* immediatè composita ex pluribus vicis. *Sed cur ea verba omiserimus, patet ex dictis* l. 3. c. 1. §. 30.

ad §. 7. i] *Ad hunc & seqq.* §§. Puf. §. 2. 3.

ad §. 8. l] *Conf. suprà* lib. 3. c. 1. §. 4. 5. 6.

trinseco impulsu potissimum ferri ad societatem civilem jam demonstravimus, etsi de genuino sensu phraseos Aristotelicæ, qvæ & ipsa forte non incommodè pro nostrâ sententiâ explicari poterit, nullam litem sectatoribus ejus moturi simus, utpote qvibus magis curæ est quid Aristoteles dicere debuerit, qvàm qvid dixerit.

12. Statuimus igitur, non instinctum aliqvem naturæ intrinsecum ut in societate nuptiali & paterna fiebat, sed *ab extrà metum malorum qvæ homini ab homine imminent*, esse causam principalem, qvæ homines ad societatem civilem impulit, indigentiam verò bonorum ad vitam sustentandam necessariorum esse causam secundariam.

13. Prius probamus inde, qvia *si naturali instinctu* homines ferrentur ad Rempubl. necesse foret, ut etiam *in statu integritatis* Respublicæ æqvè ut conjugium & paterna societas futuræ fuissent. At hujus contrarium jam evicimus.

14. Nec est qvod ad *naturam corruptam* provocare velis, sive enim intendas *corruptionem hominis moralem*, & ex hujus instinctu civitatem deducas, seqveretur, civitatis appetitum esse peccaminosum, sive ad imbecillitates *naturales* respicias, haberem qvod volo, qvia indigentia & metus illarum imbecillitatum notæ sunt. *m*)

15. Et qvid multis est opus? vel ex *finibus* civitatis sententia nostra firmari potest. Suprà *n*) ostendimus causam impulsivam & finalem actionis alicujus sibi invicem esse oppositas, unde, qvicqvid reluctentur Peripatetici, necesse est, *metum esse causam primariam* impulsivam ad civitatem ineundam, qvia huic correspondet finis primarius, tranqvillitas communis, & *indigentiam causam secundariam*, qvia opponitur huic omnium rerum sufficientia ut finis secundarius.

*ad §.14.*m] *Indigentia quidem imbecillitatem corporis, metus imbecillitatem animi denotat.*

*ad §.15.*n] l.2.c.ult. §. 70.seq.

16. Et qvod *metum* attinet, de qvo potissimum lis est, si statuant dissentientes citra eundem etiam civitatem concipi posse (qvod necesse est, si metus foret tantùm causa secundaria) inde seqveretur, ut aut frustrà qvis appeteret civitatem, qvi jam in tranqvillitate est constitutus, aut appeteretur civitas sine tranqvillitate.

17. At utrumqve hoc vel ex ipsorum doctrina absurdum est: qvippe non solùm, *cessante fine cessat actio*, sed & civitas sine fine primario est non ens, qvippe cum fateantur, societatum differentias dependere à fine.

18. Repetenda verò hic ex iis qvæ docuimus librô secundô *o) distinctio metus*, qvoniam per eum hic non intelligimus vehementem animi terrorem ob intentatum grave malum, sed suspicionem læsionis futuræ & diffidentiam.

19. Qvo ipso eluditur qvorundam argumentum, qvi objecerunt, *p)* tantum abesse ut metus causam civitatibus constituendis dederit, ut potius, si homines mutuò se metuissent, *ne conspectum qvidem mutuum potuissent ferre*, sed dum unus hac, alius alia sese proripit, perpetuò separati mansissent. Nam ii apertè satis metum in priore acceptione supponunt, & cogitare debuissent, qvod & hoc sit metuentis, providere ne pro-probabilem metus causam habeat.

20. Uti verò qvi doctrinam Aristotelis seqvuntur, de indigentia, qvod illa sit causa civitatis secundaria, litem nobis non movent, ita adversus alios tamen, qvi homines ut in civitatem coirent, per indigentiam fuisse motos arbitrantur, *q)* tenendum, id qvidem certum esse, vix miserius fore animal homine, si singuli solis sibi relinqvantur citra ullam ab aliis hominibus accedentem opem, & nec illud qvidem negari posse, ad delicias usqve vitam humanam excoli cœptam, postqvam in civitates fuit concessum, interim tamen nec illud negari poterit, jam ante civitates, qvando adhuc per familias segreges dispersi

ad §. *18.* o] l.2.c.6.§.53. seqq. *ad* §. *19.* p] vide Puf. §.7.p.950. *ad* §. *20.* q] Puf. §.6.

ſperſi agebant homines, ſatis conſultum fuiſſe neceſſitatibus vitæ, inventa agricultura & pecuariâ, viniculturâ, veſtiariâ aliisq; artibus, unde patribus familias, qvi affatim agri, pecorisqve ac ſervorum poſſident, nihil deeſt ad tolerandam hanc vitam, aut ſi qvid deſit, per commercia id ſuppleri poterit.

21. Illuſtrari dicta maximam partem poterunt tum ex *conſideratione conditionis humanæ,* qvatenus eadem cum vita civili comparatur, tum ex *meditatione ſtatus naturalis* & ejus incommodorum. *Illa* firmabit, qvod homo natura non appetat ſocietatem civilem; *hæc* oſtendet, cur metui iſti ingruentium homini malorum ab aliis hominibus citra civitatem non potuerit ſatisfieri.

22. *Homo* per inclinationes congenitas fertur, ut nemini ſubjectus eſſe & omnia ſuô agere arbitrio velit, & vix per metū pœnarum ad id adigi poterit, ut imperantibus obſeqvium præſtet, & ferociam, ac in plurima vitia, qvorum nec ſimulacra in beſtiis deprehenduntur, proclivem animum deponat.

23. Qvi verò *civis* fit, libertatis naturalis jacturam facit & imperio alieno, qvod jus vitæ & necis complectitur, & cujus juſſu plurima facienda, abs qvibus qvis alias abhorrebat. *Bonus* verò *civis* ille dicitur, qvi juſſis imperantium promptè paret & ad bonum publicum omnibus viribus nititur, etiamſi id à bono proprio videat diſcrepare.

24. Porrò, etſi lex naturalis præcipiat, ut ab omnibus injuriis inferendis homines abſtineant, etſi eadem ſatis inculcet, non impune laturos, qvi alios injuria affecerint, tamen *ejus legis reverentia id præſtare non poteſt hominibus,* ut in libertate naturali ſatis tutò degere qveant, qvia magna ibi hominum turba datur, qvibus omne jus vile eſt, qvoties ſpes lucri arriſerit, & fiducia propriarum virium aut ſolertia qva repellere aut eludere læſos ſeſe poſſe ſperent; neqve metus divini numinis neqve conſcientiæ morſus ſat validam deprehenduntur vim habere qvorumvis hominum malitiæ coercendæ, cum multi præſentibus tantùm immineant, futurorum parum curioſi ac non niſi iis moveantur, qvæ in ſenſus incurrunt.

25.

25. Quodsi urgeas, hominis naturam non considerandam esse, prout *corrupta* est, sed in sua *perfectione*, respondebo, non solùm jam in libro primo *r*) explosum esse dogma, qvod inculcat, disciplinas & scientias tradendas esse secundùm ideas status alicujus perfectissimi, etiamsi ille non existat, sed & parum per hanc objectionem te esse lucraturum, cum jam toties dictum sit, nec in naturâ perfecta ob summam perfectionem, fuisse Respublicas futuras.

26. Excussa igitur causa, quæ homines ad ineundam societatem civilem movit, proximum est, ut investigemus, *qua ratione civitates sint extructæ. s*) Ubi illud quidem manifestum est, adversus mala ab hominum pravitate imminentia singulis hominibus neque *locum* aliquem, neque *arma*, neque *animantia bruta* commodum satis & efficax præsidium posse suppeditare; sed ad id necesse esse alios homines eosque *conjunctos*, neque paucos, sed *insignem hominum multitudinem*, neque subito & inconsiderato coeuntes aut sententiis distractos tendentes in diversa, sed *consentientes circa adhibenda media ad eundem finem idonea*, & *in consensu isto perseverantes.*

27. Cum verò isti fini obtinendo in hominibus multis sui juris & à se invicem non dependentibus duo potissimùm vitia obstent; unum *diversitas inclinationum & judicii*, *hebetudo* itidem ingenii, & *pervicacia* propria placita mordicus defendendi; alterum *torpor* & *aversatio* ultrô faciendi quod in commune utile, sed cum labore conjunctum est, necesse est, ut istis vitiis occuratur, *priori* quidem unitis in perpetuum voluntatibus omnium, quod fit, si unusquisque suam voluntatem voluntati unius hominis, aut unius concilii subjiciat, *posteriori* verò, si constituatur aliqua potestas, quæ præsens & in sensus incurrens malum infligere possit communi utilitati reluctantibus, quod fit, si omnes & singuli se obligaverint, quod eo modo vires suas sint applicaturi sicut illa potestas voluerit.

28. Ubi

ad §. 25. r] l. 1. c. 4. §. 44. 45.
ad §. 26. s] Hic incipit Pufend. l. 7. c. 2. de J. N. & de O. H. l. 2. c. 6.

28. Ubi igitur voluntatem & virium unio facta fuerit, tunc demum multitudo hominum in validissimum corpus, *civitatem* nimirum animatur.

29. Ex dictis patet, regulariter ad coalitionem civitatis requiri *duo pacta* & *unum decretum*. *Primum pactum* ineunt multi in libertate naturali hactenus constituti, inter se singuli quod in unum & perpetuum cœtum coire & concives mutuo fieri velint; in quod pactum *omnes & singuli*, ut consentiant necessum est, nam qui non consenserit, is extra futuram civitatem manet.

30. Post hoc pactum oportet, ut *decretum* fiat, qualis forma regiminis sit introducenda.

31. Post decretum circa formam regiminis *altero pacto* opus est, *t*) quo constituuntur ille vel illi, in quem vel quos regimen nascentis civitatis confertur, quo quidem pacto hi ad curam communis securitatis & salutis, reliqui ad obsequium his præstandum se obstringunt, suasque voluntates & vires illius vel illorum voluntati & directioni subjiciant.

32. Cum vero à *forma regiminis* ipsæ civitates dividantur, hæ *divisiones* paucissimis erunt tradendæ, *u*) sunt enim formæ civitatum vel *regulares* vel *irregulares*. *Regulares* sunt, ubi imperium summum in uno subjecto ita est unitum, ut illud indivisum & inconvulsum ab una voluntate per omnes civitatis partes atque negotia sese dispenset. Ubi hoc non deprehenditur, irregularis forma civitatis erit.

33. *Civitatis regularis* tres sunt formæ; aut enim regimen collatum est in unum hominem, qui dicitur *monarcha*, & civitas *monarchia*, aut in concilium, & hoc quidem vel ex selectis civibus seu *optimatibus* constans, & vocatur *aristocratia*, vel ex *universis* patribusfamilias seu populo, & est *democratia*.

34. Con-

ad §. *31.* t] *Dissentit Hobbesius, qui nullum pactum inter imperantes & subditos agnoscit, cui fusius respondet Puf.* §. 9. 10. 11. 11.

ad §. *32.* u] *Hic incipit Pufend.* lib. 7. cap. 5.

34. Contigit verò sæpius ut regimen alicubi *benè*, alicubi *pravè* & imprudenter administretur. Unde fit, ut aliæ civitates *sanæ* aliæ *morbidæ* & corruptæ dicantur, etsi propter istiusmodi morbos peculiares formas aut species rerumpublicarum comminisci necessum non sit, sicuti nec homo sanus ab ægroto differt specie.

35. Eorum autem morborum, quibus civitates infestantur, alii in *hominibus*, alii in *ipso statu* hærent. *Vitia hominum* sunt, si, quibus imperii administratio incumbat, ad id munus gerendum sint inepti, vel officiô suô negligenter aut pravè fungantur, & si cives, quibus sola obsequii gloria relicta est, frenum mordeant.

36. *Vitia status* sunt, ubi leges aut instituta civitatis non sunt attemperata ad genium populi aut regionis, aut ibi eadem cives disponunt ad turbas internas, aut ad justa vicinorum odia incurrenda; aut si eosdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quæ Reipublicæ servandæ sunt necessariæ, aut si leges fundamentales ita sint dispositæ, ut per eas negotia publica non possint non tardè & difficulter expediri.

37. *Morbidis* ejusmodi Rebuspublicis multi peculiaria quoque vocabula applicant; ita ut vitiosa monarchia vocetur *tyrannis*; vitiosus status paucorum obligarchia; vitiosus status popularis *ochlocratia*. Etsi frequenter contingat, ut multi per isthæc vocabula non tam morbum Reipublicæ, quam suum affectum aut displicentiam in præsentem statum, imperantesve exprimant.

38. *Respublica irregularis* est, in qua non ita perfectè unio illa, in qua essentia civitatis consistit, deprehenditur: idque non per modum morbi, aut vitii in administratione Reipublicæ hærentis; sed ut publica lege aut consuetudine ea velut legitima sit recepta.

39. Cum autem aberrationum à rectitudine *infiniti esse modi* queant, non possunt etiam irregularium Rerumpublicarum certæ & definitæ species constitui. Indoles tamen ejus ex uno aut altero *exemplo* plane potest intelligi, v. g. si in aliqua Republica senatus & populus summo utrinque jure negotia publica tractent, ita ut neuter alteri obnoxius sit. Aut si in regno aliquo procerum poten-

potentia ita invaluerit, ut regi deinceps non alio modo quam inæquales fœderati ſubſint.

40. Cæterum vel deſcriptio Reipublicæ irregularis oſtendit, ſi præcedentem diviſionem Rerumpublicarum, ſecundum quam aliæ ſanæ erant, aliæ morbidæ, huc applicare velis, irregulares morbidis eſſe accenſendas, non quidem vitio imperantium tales, ſed vitio ſtatus, *x*)

41. Equidem vulgus impium planè & injurium eſſe putat, ſi quis certam rempublic. aliquam pro irregulari & morbida prædicet, tanquam hoc pacto contra reverentiam ſummis poteſtatibus debitam & contra boni civis officium peccetur, utpote qui optimè de republica, in qua degit, ſentire, & mutationem nullam eidem inferre vel deſiderare debeat.

42. Sed hi profectò ſophiſticè diſſerunt, ne quid dicam gravius. Initio quippe *morbidum* eſſe in ſe haud quaquam *contumelioſum* eſt, aut, quod ſemper culpam ejus, qui morbo laborat, importet, quippe cum ſæpius diſpoſitio imbecillis ſtructuræ corporeæ, aut conditio vivendi honeſta & neceſſaria &c. morborum cauſæ exiſtant; ita v. g. vita ſedentaria eruditorum multorum morborum occaſionem præbet.

43. Similiter & in rebus publicis morbidis, etſi vitia quædam comitentur *ſtatum*, iſta tamen nequaquam imputari debent ipſis *imperantibus* aut parentibus, ſed ſi non ſemper, certè ſæpius, necesſitas ingens Reipublicæ, puta, v. g. pacis & tranquillitatis turbatæ iterum recuperandæ ſtudium, illum morbum in ſtatum introduxit.

ad §. 40. x] Notum eſt, Monzambanum Remp. Romano-Germanicam habere pro irregulari. Hic cum Dn. Puſendorffius Monzambanum defendens inter alia ab adverſariis inculparetur, quod haberet eam pro morbida, in reſponſionibus ſuis ſubinde diſtingvit: aliud eſſe morbidum, aliud irregulare. Nos concedimus, in hac materia morbidum & irregulare idem eſſe, at negamus, crimen eſſe, ſi quis Remp. ſub qua vivit, morbidam eſſe aſſerat.

44. Et quamvis, ut diximus, naturalis Reipublicæ ortus pacto & consensui libero ineuntium rempublicam debeatur, unde videbatur dicendum esse, quod vitia status imputari quoque debeant ipsis civibus; rarius tamen evenit, ut prima origo Reipublicæ alicujus nobis nota sit, in mutationibus vero ejusdem sæpius unius partis voluntas non ita est libera, sed à multis exterioribus turbis graviter inclinatur. Quin imò non putandum est, vitia status *ab initio* statim formatæ Reipublicæ adfuisse, sed pleraque rempublicam jam constitutam *sensim* invaserunt.

45. Quemadmodum ergo per declarationem morbi, utpote rei per se non contumeliosæ, in reverentiam reipublicæ & imperantibus debitam non peccatur, ita non omnis, qui *morbidi* terminum de aliquo prædicat, id *animo contumelioso*, qui injuriam importet, facere consendus est, quid? quod sæpius peccaret contra officium suum, *si morbum dissimularet*.

46. Exemplo sit in corpore humano *Physicus* & *Medicus*, quibus non solum vitio verti non poterit, si morbum homini aperiant, sed &, ut ignorantia aut malitia imputaretur, si corpus morbidum tanquam sanitate perfecta præditum sit, deprædicarent.

47. Eandem rationem esse puta *Doctoris* & *Consiliarii* in morbis Reipublicæ. Peccaret *Doctor*, *y*) si rempublicam pro sanâ venditaret, quæ talis non est, non solum, si à Principe ea de re quæratur, sed &, si à quovis alio, cui veritatem profiteri ex pacto vel aliàs obstrictus est, quemadmodum peccaret *Physicus*, qui à discipulo interrogatus, tertium ægrotantem defenderet esse sanum. Peccaret *Consiliarius*, si Principem quærentem remedia conservandæ Reipublicæ persuaderet, nullis remediis esse opus.

48. An verò officium boni civis esse putas, ei, cui veritatem loqui obstrictus sum, falsum dicere, hoc est mentiri?

49. Sed fortè toleras ista, si quis ea loquatur intra privatos parietes, & peccatum in eo quæris, quod quis opinionem suam *publice*

ad §. 47. y] *Doctorem comparo Physico, Consiliarium Medico.*

publice divulget, hoc enim pertinere ad contemptum Reipublicæ, cum potius nævi domeſtici ſint diſſimulandi.

50. Quaſi ea *prudenter diſſimulemus*, quæ omnium oculos incurrunt, quæque publicis legibus exponuntur omnium ſcientiæ, quaſi *Medicus* pro contemptore & irriſore habeatur, qui ſæpius publicè exempla perſonarum morbô aliquô periculosô laborantium adducit, quatenus nempe tales morbi ſunt, qui ægrotis non imputantur.

51. Denique ſicut iſtud axioma, quod *omnis mutatio Reipublicæ ſit pernicioſa*, infinitis limitationibus & declarationibus eſt obnoxia, ita potiſſimum id intelligendum eſt de mutatione in perſonis imperantibus.

52. At hanc quidem non intendit, qui *Doctoris* munus gerit, ſed ſaltem morbum declarat, curam ejus relinquendo aliis.

53. Qui & ipſi tamen peccarent contra regulas prudentiæ & pietatis, ſi poſito & cognito Reipublicæ morbo, *conſilia* ſuppeditarent de tollendis imperantibus, quemadmodum ſtultus pariter & injuſtus eſſet *Medicus*, qui cognito morbo hominis, medicamenta eidem ſuppeditaret, caput, animæ ſedem, corrumpentia.

54. Quin potius uti officium boni *Medici* ſæpius eſt, in corpore multis impuritatibus repleto, camarinam medicamentis plane non movere, ne totus homo deſtruatur, ſed potius ſuppeditare confortantia partes maximè vitales, ſic *Conſiliarii* ſæpius erit, morbum, qui in Republica altas radices egit, tolerare inconcuſſum, & ſaltem conſilia eò dirigere, ne latius ſerpat malum.

55. Neque tamen cuilibet erit integrum, *privato conſilia ſua* hac parte ſponte offerre Reipublicæ, cum omnino pro vitio (etſi ſatis obvio) haberi debeat, ſi quis talia tentet, ſed pro vitio magis *imprudentiæ* quàm *injuſtitiæ*, quale nempe eſt vitium ejus, qui non vocatus ab ægroto, medicamenta ſua eidem offert.

56. Sed vereor ut & iſti, qui publicè declamant in aſſertores Rerumpublicarum irregularium & morbidarum, à ſimili in-

eptitudinis vitio se liberare possint, cum sane non rogati *vindicationem honoris & reverentiæ Reipublicæ debitæ sibi arrogent*, quasi ipsis incumbat Atlas curandæ tranquillitatis publicæ, principe interim quieto, & istos togatos milites vano conatu hostes sibi fingentes, & stramineis armis oppugnantes, ridente.

57. Cui controversiæ Politicæ cognitæ sunt, digressionem hanc nostram fortè non judicabit intempestivam. Jam in viam. Cum istis, quas huc usque recensuimus formis rerumpublicarum non confundenda sunt *Systemata Civitatum*, ubi nimirum plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo vel communis regis vel perpetui fœderis ita connectuntur, ut ipsarum vires fere pro unius civitatis viribus haberi queant.

58. Cave vero *divisionem hanc formarum* Reipublicæ eandem esse arbitreris cum ea, quæ communiter proponitur. Nam *primò* doctrina de *systematis civitatum* planè negligitur, quæ, si comparando ad reliquas terminis distinctis circumscribere velis, fortè appellare posses *respublicas compositas*, illas vero *simplices*.

59. Non tamen puta, ac si *secundò* distinctio hæc in *simplices* & *compositas* coincidat cum divisione communi Reipublicæ in *simplicem & mixtam*. *Mixtam* enim vocant, quam nos *irregularem* dicimus, etsi nec dum terminus mixtæ Reipublicæ exhauriat ambitum Reipublicæ irregularis. z)

60. *Tertio* nos Rempublicam irregularem *morbidis* accensuimus, illi mixtam suam omni præconio extollunt; quam bene, mox dicemus.

61. *Quarto* illi divisionem Reipublicæ in *rectam* & *corruptam* habent pro divisione in species; quamvis hoc leve sit.

62. Diximus hactenus de *constitutione civitatis*. Civitas *constituta* ad modum unius personæ concipitur, unoque nomine ab omnibus

ad §. 59. z] Quia respublica mixta tantum dicitur quæ composita est ex Monarchia, Aristocratia & Democratia: At irregularis etiam denotat compositam v. g. ex Monarchia & Systemate Civitatum.

omnibus particularibus hominibus distinguitur atque dignoscitur, habetque peculiaria jura ac res proprias. *a*)

63. Unde jam *civitas* plenius *definiri* potest, quod sit *persona moralis composita, cujus voluntas ex plurium pactis implicita & unita, pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus & facultatibus ad pacem & securitatem communem uti possit.*

64. Non vero difficile est concipere, quomodo *voluntas* civitatis se exerat, quoties penes *unum* hominem regimen civitatis est. Verùm ubi id est collatum in *concilium* plurium hominum, regulariter illud habetur pro voluntate civitatis, in quod consenserit *major pars concilii*, quoniam commodior alia litium & dissensuum evitandorum ratio haberi non potest, nisi expresse statutum sit, quota pars concilii consentiens requiratur ad repræsentandam voluntatem universitatis.

65. Civitate sic constituta, ille, in quem imperium est collatum, *Imperantis* nomine gaudet, reliqui *subditi* audiunt vel *cives*, quamvis & in lata acceptione *civium* vox utrumque ordinem sub se comprehendat.

66. Potestas vero imperantis in civitate uno vocabulo *Majestas* appellatur, de qua profecto magnos in simpulo fluctus excitarunt, qui *ejus causam immediatam DEUM esse defenderunt. b*)

67. Scilicet, ut sæpius contingit, falsâ aliquâ sententiâ ortâ, ut eam refutare aggrediantur Viri docti pariter & semi-docti, solidis isti rationibus adversarios impugnantes, hi ineptis & ridiculis; ita & evenit, cum *Machiavelli* scripta de Principe, in quibus Autor vel impius vel satyricus principem omnia ex utilitate propria metiri, callidè tamen & clandestinè jubebat, avide legerentur, ut inter eos, qui huic doctrinæ se opponebant, aliqui in alterum extremum prolapsi, qui communiter *Monarchomachorum* appellatione veniunt, docerent; principem ita teneri ad procurandam utilitatem publicam, ut si secus faceret, populo ad rationes reddendas, quin & ad pœnam esset obstrictus.

ad §. *62.* a) Conf. Puf. de O.H. & C. lib. 2. c. 6. §. 10. seq.

ad §. *66.* b) *Hic incipit Pufend.* lib. 7. cap. 3.

68. Sed hos quidem uti solidè ex genuinis principiis politicis refutarunt Viri quidam celebres, *c)* ita non defuerunt tamen, qui in novum extremum ruentes, nimium quantum sobriæ Politicæ adversus tradita Monarchomachorum accedere putarent, si thesis ista, *quod DEUS sit causa immediata majestatis*, omnibus viribus *d*) propugnaretur.

69. Quare & in *Gallia* aliquando à certa ordinum classe propositio ista ut in publicis comitiis approbaretur, & autoritate regia confirmaretur, fuit postulatum, tanquam sine qua tranquillitas publica in regno non sit speranda. Sed res effectu caruit, reliquis ordinibus demonstrantibus, in ea salutem Galliæ non esse sitam, sed controversiam istam cathedris scholasticis esse relinquendam. *e)*

70. In *Germania* verò simile quid vel tentatum saltem esse non meminimus, sed affectui magis suo quam veritati indulsisse arbitramur, qui publicæ traditionis autor fuit: *f*) *Non tutam fuisse Germa-*

ad §. *68.* c) Puf. d. l. §. 3. & 4.

d) *Non prævidere tamen poteram, dum ista scriberem, eventurum esse, ut aliquot annis post Hector Gottofredus Masius ignem Carnificis Hafniensis ad defendendam istam sententiam absurdam sit adhibiturus. Nollem factum, non mei gratia, utpote cui vis ista vana nec in bonis corporis, nec in bonis animi, nec in bonis fortunæ nocuit, sed Optimi Regis intuitu, cujus Nomine & Autoritate Masius hac parte fuit abusus, imo ipsius Masii & Ministri Regii Masium adjuvantis gratia, ut qui hac carnificis flamma indelebilem malitiæ an stultitiæ maculam famæ propriæ apud posteritatem & meliorem hujus seculi partem inusserunt, quasi scilicet veritas à carnifice possit extingvi. Det Deus, ut Masius stultitiam hanc agnoscat & ad sanam mentem redeat. Quamvis id quidem sit optandum magis quam sperandum.*

ad §. *69.* e) *Vide Grammond.* Hist. Gallic. lib. 1. *Conf. quæ dixi* in Cogit. jocoser. anni 88. mense Decembr. p. 771. seq.

ad §. 70. f) *Scilicet J. F. Hornius in præfat. ad lib. de civitate. Quodsi fortè Hornius ad Constitutionem de anno 1338. respexerit, quam refert Goldastus lib. 2.* der Reichs-Satzungen/ *& ad hanc respondi* d. mens. Dec. p. 773. seqq.

Germaniam Galliamque, antequam solennibus comitiis sanciretur: Deum esse solam causam Majestatis, qui aliter doceret, castigandum deportatione.g)

71. Ergo vanum istud terriculamentum cerebrinæ alicujus deportationis non terrebit, quin sententiam nostram de *causa Majestatis* aperiamus liberè, *h)* de qua *tres* præcipuæ sunt opiniones. *Una, populum* regulariter consensu suo in reges transferendo imperium *Majestatem producere, DEUM* verò salubre hoc hominum institutum probare. *i)*

72. *Altera*, illa eminentium Monarchomachicæ sectæ oppugnatorum: *l)* *DEUM* non solum esse autorem & *originem* Majestatis, sed & ejusdem *causam immediatam*, non solum in primis & antiquis Rerumpublicarum temporibus, sed & hodie semper, quotiescunque Princeps aliquis vel consensu populi, vel vi bellica, sive justa sive injusta, regnum nanciscitur; nam consensum populi & reliquos modos esse quidem media ad acquirendam majesta-

g) *Similis, ut videtur, opinio Masii; Non tutam fore Daniam, antequam solenni edicto sanciatur: Deum esse solam causam Majestatis, qui aliter doceat, ejus scripta castiganda per ignem carnificis, aut pasquillos Siegfriedi cujusdam Benzenii vel similis furfuris Pseudo-Ministrorum verbi.*

ad §. 71. h) *Neque hodiè terret vanius adhuc terriculamentum Masii, quo minus hanc doctrinam repetamus. Carnificem agat & Pasquillantem, quotiescunque ipsi libuerit, mille scurras Benzenium æquantes vel superantes contra me excitet; ipse Benzenius vel sub suo nomine publice in famam meam grassetur, vel sub larva cujusdam Ehrenholdii aut alterius nominis ficti calumnias atrocissimas evomat. Ego quidem per istas vanitates non moveor, neque tranquillitas animi mei, etiamsi rumpantur, per hæc inania nequaquam turbatur. Deum potius precor, ut ipsis ignoscat, quia nesciunt quid faciant, ita affectu ambitionis, invidiæ, adulationis, & furentis iracundiæ abrepti sunt.*

i) *Quæ est Grotii.* vid. Puf. §. 2.

ad §. 72. l) *Ut Hornii, Commentatorum Grotianorum & communiter Theologorum Lutheranorum, unde & Masius eam tanquam nostræ religioni præcipuam commendavit.*

majestatem, non verò causas medias, & v. g. populum quidem eligere principem, huic verò lecto majestatem immediatè conferri à DEO, &c.

73. Nobis *tertia* eaque media placet opinio *m)* statuentium; revera *DEUM antecedenter* præcepisse hominibus, ut societates civiles instituantur, quoniam sine iis pax & tranquillitas humani generis subsistere non potuit, adeoque DEUM rectè dici *autorem* imperii in civitate seu Majestatis, non demum ex postfacto illud probasse, & ita *originem* Majestatis ad DEUM utique pertinere, tanquam ad autorem legis naturalis.

74. Sed ut imperium *immediatè* in civitate producatur, *proximè* ex *pactis*, per quæ civitas coalescit, & quæ hactenus exposuimus, promanat, dum nempe populus vires suas & voluntatem principi submittit, princeps verò istam subjectionem acceptat.

75. Et hinc est, quod *unus Apostolorum n)* Imperium politicum vocat *ordinationem divinam*, respiciens ad divinam ejus originem, *alter o)* id refert ad ordinationes humanas, referens se ad ejusdem ortum specialem.

76. Sed fortè scire cupis, quibus rationibus illi, qui DEUM immediatam causam faciunt, sententiam suam defendant? *Omnino nullis*, nisi imbecillibus maximè, & ad quæ tyro facilè respondere possit, quare nec memorabimus quidem.

77. Ergo opus fuit, ut defectum *rationum* specie *pietatis* supplerent, coacervando multa *scripturæ dicta*, de divina Majestatis *origine* quidem testantia, sed de *immedietate* nihil firmantia, nisi fortè apud vulgus & logicæ imperitos homines.

78. Ad quos alliciendos maximè conducere videbatur dictum Apostoli: *Non est potestas nisi à DEO, ubi verò est potestas, à DEO est.* Quid enim? dixerunt, annon satis apertum est, Apostolum hic utramque assertionem nostram probare, & quod Majestatis origo sit à DEO, & quod nullam aliam causam agnoscat præter

ad §. 73. m) Dn. Pufend. d. §. 2.

ad §. 75. n) *Paulus* ad Rom. XIII. 1. seq.

o) *Petrus* I. 2. v. 13.

præter DEUM; adhibet enim particulam *nisi*, quæ exclusiva est, & omnes alias causas præter DEUM excludit. Necesse vero est, ut quæ causa sola sit, sit etiam immediata.

79. Quo pacto parum abfuit, ut non simul se egregiè præcepta ratiocinandi observasse gloriati sint, cum analysis logica doceat, propositionem exclusivam in se continere duas propositiones communes, unam affirmativam, alteram negativam.

80. Sed ad hoc quidem *sophisma* facillima est responsio. Nam initio *contextus* ostendit, Apostol. ibi per potestatem intelligere non solum summam illam, quæ majestas dicitur, sed & *subordinatas* omnes, quæ magistratibus competunt. Si ergo in locutione ista: *Non est potestas, nisi à DEO* voluisset innuere: DEUM esse causam immediatam potestatis illius, de qua loquitur, sequeretur etiam illud absurdum, quod DEUS sit causa immediata potestatis in quocunque magistratu etiam infimo. At hoc nec ipsi dissentientes admittunt.

81. Deinde commiserunt insignem errorem logicum & in doctrinam de *æquipollentiis*, & in caput de *propositionibus exclusivis*, dum istam propositionem: *Non est potestas, nisi à DEO*, quæ nulli alii æquipollet quam illi: *Non datur potestas, quæ non sit à DEO*, seu: *Omnis potestas est à DEO*; habuerint pro exclusiva: ac si Apostolus dixisset: *Potestas est non nisi à DEO.* Nam hæc verè exclusiva esset, illi æquipollens: *Potestas est tantum seu immediate à DEO.*

82. Res ita clara est, ut puderet, ulterius quid addere, nisi hic impegissent sæpius homines non de turba. Ergo liceat illud insuper paucis monere, non solum Apostolum perspicuè periphrasin priori phrasi omnis dubii tollendi gratiâ adjecisse, dum statim subjicit: *Ubi vero est potestas, à DEO est*, cum alias dicere debuisset, *ubi vero est potestas, tantum à DEO est*, sed & veritatem dictorum illustrari posse simili exemplo.

83. Ita rectè dico: *Non est homo, nisi ab Adamo (à DEO)* sed hæc profecto propositio non æquipollet illi: *Homo est non nisi ab Adamo (à DEO)* quæ simul etiam falsa est.

Cccc 84. Vi-

84. Vides adeò, eos, qui cum ejusmodi armis Monarchomachos aggrediuntur, *bonam causam malè defendere.* Nam uti sine hoc somnio iidem non difficulter vinci possunt, ita fallor, annon ex eadem hypothesi *Monarchomachi* spicula possint retorquere adversus suos aggressores.

85. Cum enim illi statuant, omni principi, etiamsi injustissimè v. g. per regicidium ad regnum pervenerit, à DEO immediatè majestatem infundi, sequitur ex communi Politicorum hypothesi (quod majestas non solum in monarchia, sed & in Aristocratia & Democratia locum sibi vindicet,) idem dicendum esse de populo regem suum injuste de solio deturbante & Monarchiam transmutante in statum Democraticum.

86. Quidsi itaque urgeant Monarchomachi, etsi majestas sit immediatè à DEO, exinde tamen nequaquam sequi, injustum esse, ut populus regem, potestate divinitus concessa abutentem deponat & puniat, quin imo, dum DEus rege fortè interempto *majestatem ab ipso in populum transferat*, vel ex hoc clarum esse, quod *interemptio regis non sit injusta. p)*

87. Nisi fortè illud absurdum admittere velint isti Anti-Monarchomachi; *DEUM esse*, non dicam causam peccati, sed quod majus est, *peccati*, qua talis, ut ita dicam, *præmiatorem.*

88. Ex his angustiis, quomodo se extricare velint, equidem non video, nisi refugium quærant in distinctionibus nihil significan-

ad §. 86. p) Commune argumentum Theologorum nostratium contra Monarchomachos est: Quicunque potestatem suam immediatè habet à Deo, illis homines non possunt eam auferre per pœnam. Atque Reges &c. E. Quidsi igitur Monarchomachus 1. responderet negando majorem, & det instantiam de sacerdote delinquente, qui haud dubie juste deponitur in pœnam, etsi ex communi etiam plurimorum Theologorum sententia potestatem suam immediate à Deo acceperit? Quidsi 2. opponat: Quicunque post depositionem regis à Deo immediatè majestatem accipit, ille non injustè regem deposuit. Atqui invasor regni ex vestra hypothesi &c. E. Hic mallem scire, quid responsuri sint defensores communis sententiæ.

ficantibus, aut ad vanum terriculamentum autoritatis propriæ provocent, oſtendentes videlicet barbam & pallium.

89. Cæterum etſi conſenſus populi, ut hactenus diximus, ad imperium legitimè acquirendum requiratur, *modi* tamen, quibus iſte conſenſus elicitur, variant, unde jam ordo poſtulat, ut pauca de *modis acquirendi imperii* diſſeramus. *q*)

90. Cum autem in diſquiſitione, quo quis modo imperium acquiſiverit, regulariter præſupponatur, diverſum eſſe eum, qui imperium dicitur acquirere, ab illis, â quibus vel in quos idem acquiritur, & verò in *monarchiis* iſtud diſcrimen longè clarius ſe pandat, quam in Ariſtocratia & Democratia, de *monarchia* hic potiſſimum erimus ſolliciti, â quâ poſteà ad Ariſtocratiam & Democratiam ſuo modo facilè poterit fieri applicatio.

91. Etſi enim *ſucceſſio* rarius in *Ariſtocratiâ*, nunqvam in *Democratia r*) habeat locum, ad hanc etiam nec *electio* propriè accommodari poſſe videatur, tamen ad utramqve ſpeciem poterit accommodari diſtinctio inter modum acqvirendi *violentum* & non *violentum*.

92. Nam ſi per ſeditionem pulſis optimatibus & rege *Democratia* conſtituitur, etſi populus regem ejiciens, non poſſit dici violento modo imperium in ſeipſum conſtituiſſe, cum in Democratia imperantes & ſubjecti non phyſicè ſed morali ſaltem reſpectu diſtingvantur, revera tamen violento modo regi vel optimatibus imperium abſtulit, *s*] qvod hic ſufficit.

93. Imperium igitur *monarchicum* vel acqviritur per *violentiam*, vel *ultroneo* populi conſenſu. *Violentia* vel *juſta* eſt vel

 injuſta.

ad §. *89.* q) *Hic incipit Pufend.* lib. 7. cap. 7.

ad §. *91.* r) *Nam qui in Democratia ſenatores ſunt, non habent majeſtatem, ſed ejus ſaltem exercitium. Totus vero populus, qui hic majeſtatem habet, ſemper idem eſt, etſi ſinguli ſuccedant in locum ſingulorum. Succesſio vero & electio præſupponunt diverſa ſubjecta.*

ad §. *92.* s) Diſſent. Dn. Pufend. §. 1. & Conf. §. 5. n. 3. *ubi tractat, quando populus libertatem conſequatur hoc pacto.*

injusta. Per qvamcunqve imperium acqviratur, modus iste appellari solet *occupatio*, qvæ cum illa occupatione, qvâ res domino vacuæ per solam apprehensionem dominio nostro subjiciuntur, non est confundenda.

94. *Justa violentia* imperium acqviritur, si qvis justa bellandi causa subnixus, favente vi armorum & fortunâ populum aliqvem eò redigit, ut ipsius deinceps imperio se subjicere cogatur.

95. Ergo non statim post victoriam imperium habet in victos, ita ut consensum subjugatorum non expectare debeat, qvomodo enim ex statu belli in pacem poterit descendi sine *interveniente pacto*?

96. Illud duntaxat habent justo bello victores, ut consensum devictorum non per ambitum aut preces eblandiri necesse habeant, sed eundem per intentata extrema mala posfint *extorqvere*.

97. Idqve *duplici* ex fundamento. Nam *primò* victor, si rigore belli voluisset uti, vitam planè victis adimere potuisset, atqve sic, dum minore istos incommodo defungi patitur, clementiæ insuper laudem nanciscitur.

98. *Secundo*, qvi cum altero in bellum descendit, qvem ipse antea læserat, & cui æqvam satisfactionem præbere renuit, omnes suas fortunas aleæ Martis exponit, sic ut jam in antecessum qvasi tacitè consenserit in qvamcunqve conditionem, qvam eventus belli ipsi sit assignaturus.

99. Qvod *invasorem injustum* concernit, prius discernendum est, an per vim *democratiam* verterit in monarchiam, an *monarcha* ejecto in ejus locum se immiserit.

100. *Posteriori* casu obligatio *restituendi* non prius exspirat, qvam aut expulsus rex ipsiusqve hæredes, qvibus ad regnum jus qvæsitum fuerat, sint extincti, aut ipsi pro derelicto id habuerint.

10[illegible]. Interea tamen temporis, etiam qvamdiu adhuc invasoris conscientia laborat, *subditos* post consensum suum fides

fides data validè stringit, siqvidem tunc demum eandem dederunt, qvando pro expulso rege, t) qvicqvid ab ipsis postulari potuit, fecerunt.

102. Circa *priorem* casum probabilissimè videtur dici, cùm populus æqvè in monarchia qvam democratia felix esse qveat, facilè esse, popularis libertatis desiderium digeratur, si rempublicam novus iste rex bene gubernaverit, id qvod etiam ex modici temporis patientia atqve assvetudine præsumi potest. Et hoc facto acqvisitionis vitium purgatum intelligitur.

103. Qvodsi autem aliqvis post mutatam violenter rempublicam cives miseris modis habeat, vitium ejus ne diuturnitate qvidem temporis purgabitur, qvia diuturna possessio hic nihil aliud erit, qvàm diu continuata injuria.

104. *Ultroneo* autem consensu populi paratur regnum interveniente electione, qva populus *constituendus* aut jam *constitutus ultro* certum hominem suo judicio imperii capacem designat, cui qvando decretum populi fuerit significatum, idqve ille acceptaverit, promisso populi obseqvio imperium confertur.

105. Dixi *ultro:* id est, non adigente ad id populum eo per vim majorem, qvi regnum adipiscitur. Cæterum ad hanc classem referri meretur, sive populus ex solo studio commoditatis suæ promovendæ & *instinctu* qvodam qvasi *intrinseco* alicui transferat imperium, sive ad id compulsus fuerit *necessitate qvadam extrinseca,* metu nempe vis majoris ab alio imminentis, fame &c. Ostendet tamen hæc instinctus diversitas mox u] suum usum, ubi ad affectiones imperii civilis pervenerimus.

106. Dixi: electionem fieri à populo vel *constituendo* vel *constituto.* Posterior præ priore id habet peculiare, qvod susci-

 piatur

ad §. *101.* t] *Ap. Puf.* §. 4. *in utraque editione legitur:* adversus expulsum regem, *quod arbitror esse sphalma.*

ad §. *105.* u] §. 139.

piatur rege priore defuncto & tunc regulariter illam antecedat *interregnum*.

107. In *interregno* licet ad imperfectam formam recidat civitas, dum cives primo tantum pacto inter se connectuntur: multum tamen firmitatis ei adhuc addit nomen & affectus communis patriæ, civiumqve plerorumqve fortunæ isti loco fere affixæ; qvæ bonos cives subigunt, ut ultro tantisper pacem inter se colant, & qvantocyus ad plenum imperium instaurandum incumbant. Etsi magnopere ad incommoda ex interregnis oriri apta, evitanda faciat, si in antecessum constituantur, penes quos solio vacante interim Reipublicæ administratio esse debeat.

108. Cæterum alicubi qvidem singulis monarchis defunctis nova instituitur electio: Alicubi autem regnum eâ lege in alterum confertur, ut citra novam intervenientem electionem in alios per successionem transeat. Illud si fiat, vocatur regnum *electivum*, si hoc, *successivum*.

109. Jus autem *successionis* constituitur vel arbitrio *regis*, vel arbitrio *populi*, prout nempe regnum est vel *patrimoniale* vel *usufructuarium*, de qua distinctione mox *x)* plura.

110. Horum uterq; si voluntatem suam manifestaverit *expressè*, bene est, quod si id non fuerit factum, difficillimæ ibi oriuntur controversiæ, quoniam deficiente voluntate expressa recurrendum est ad voluntatem *tacitam*.

111. Cujus certæ quædam exactæ regulæ tradi non possunt, non solùm, qvod *voluntas humana*, si ullâ in re, certè in translatione bonorum suorum infinitis modis *variet*, sed &, quod, si ad *æqvitatem* fortè respicere velis, nullus facilè reperiatur modus succedendi ab intestato receptus, qui non aliquam æquitatem secum habeat. *y)*

112.

ad §. *109*. x] §. 132. seqq.

ad §. *111*. y] *Declaratum hoc exemplo parentum & fratrum defuncti in successione concurrentium, intuitu Juris Romani antiqui, novi, & Juris Saxonici.*

112. Neq; verò illa conjectura hic obtinet, quod in *regnis* eadem *successio* debeat observari, quæ recepta est in *bonis privatorum*, ob magnam differentiam inter regna & hæc bona.

113. Igitur in similibus controversiis sæpius inter principes ortis, uti facile est conjecturas reperire conjecturis contrarias, cum fundamentum conjecturandi sit lubricum, ita ingenio saltem opus est, ad jura principis hac parte defendenda, ut non mirandum sit, si in tali negotio qvatuor diversissimæ partes vel plures jura sua publicis scriptis deducere fuerint ausæ, &, si unqvam axioma aliquod firmitatem obtinuit, certè hic obtinet vulgatum istud: *Beati possidentes.*

114. Si tamen controversiæ dijudicandæ sunt secundum id, quod *plerumqve fieri* solet, z) non diffitemur, præivisse hâc parte Viros Celebres, qui fusè regulas quasdam suppeditant, qvibus instar normæ plerumq; uti solent scriptores de quæstionibus ejusmodi disceptantes.

115. Definitur a) verò *imperium* in civitate, quod unô vocabulô *majestas* dicitur, de cujus origine & modis acqvirendi hactenus disseruimus, quòd sit *summa potestas dirigendi actiones civium, & cum iis qui extra rempublicam sunt, nomine civitatis negotia pacifica pariter & bellica suscipiendi, ad obtinendos civitatis fines.*

116. Dico: *potestas summa*, id est, in sui exercitio à nullo homine tanquam superiore dependens, sed ex propriô judiciô sese exserens, sic ut ejusdem actus à nemine tanquam superiore qveant irriti reddi.

117. Inde etiam est, quod idem imperium sit ἀνυπεύθυνον, seu nemini mortalium obstrictum ad reddendas rationes, eo cum effectu, ut si eas alteri non adprobaverit, pœnis humanis aut coercitioni, velut à superiore profectis, eô nomine sit obnoxium.

118.

ad §.114. z] *Sed hic modus argumentandi est probabilis, non demonstrativus.*

ad §.115. a] *Hic incipit Puf.* lib.7. cap. 6.

118. Cui conjunctum est, ut idem summum imperium *legibus humanis* & civilibus ut talibus sit *superius*, iisdemque adeò directè non obstringatur. Istæ enim leges à summo imperio tam in origine quam in duratione dependent. Inde fieri non potest, ut per istas idem obligetur; cum alias idem seipso superius foret.

119. Neq; ulterius concipi commode poterit summitas imperii, nisi simul conjunctam eidem esse arbitremur peculiarem *sanctimoniam*, *b*) ut non solum ejus jussis legitimis resistere nefas sit; sed & ejusdem asperitas non secus atqve à probis liberis parentum morositas, à civibus sit patienter ferenda. Qvin & ubi atrocissimas injurias intentaverit, singuli potius fuga sibi consulent, aut quantamcunq; calamitatem sustinebunt, quam ferrum in durum quidem, sed tamen parentem patriæ stringent.

120. Ergò cùm sanctimoniam hanc impugnent *Monarchomachi*, inepta secta, & ab aliis jam dudum profligata, necesse est, ut eorum rationes simul summitatem tollant, utque adeò majestas, quam ipsi regibus tribuunt, talis non sit.

121. Quorsum etiam pertinet ipsorum distinctio *Majestatis* in *realem* & *personalem*.

122. Occasione autem *summitatis*, quæ Majestati cohæret, Politici quæsiverunt: *an dari possit monarcha temporarius?* hoc est, cujus imperium certo ac definito temporis spatio sit adstrictum, ut finitô eô iterum privatus fieri debeat, & ad id jure cogi possit?

123. Mihi videtur quæstio *affirmanda* esse, quia *summum* esse & *temporarium* esse non implicant, & si illorum principum potestas revera pro majestate habenda est, qui sponte abdicarunt imperium, & vitam privatam amplexi sunt, nulla ratio videtur obstare, cur non & istorum, de quibus loquitur quæstio.

124.

ad §. 119. b] *Hic incipit. Pufend.* lib. 7. cap. 8.

124. Nam etsi hi ad depositionem jure cogi possint, coactio autem justa repugnet summitati, non tamen antè locum habet coactio, quàm tempore finito, quo potestas eorum cessavit summa esse.

125. Modo ejusmodi monarcha temporarius non sit obstrictus, ut deposito imperio *rationes reddat* populo, aut *pœnæ* ob rem malè gestam sit obnoxius. Nam tum imperium ejus non est ἀνυπεύθυνον, ergò nec summum, sed potius habendus erit pro magistratu aliquo majore.

126. Alia controversia est, ubi de dictorum applicatione est quæstio, ut dum quæritur; *an Dictator Romanus habuerit veram majestatem?* Hic enim præsupposita ista ad circumstantias factorum ex historiis eruendas debent accommodari, quod hujus loci non est.

127. Porrò neque cum summitate *imperii* pugnat *restrictio* ejusdem, quin potius idem in monarchiis potissimum & aristocratiis dividi potest in *absolutum* & *limitatum*.

128. *Absolutum* imperium monarcha habere dicitur, qvi illud administrare potest proprio ex judicio, non ad normam certorum ac perpetuorum statutorum, sed prout præsens rerum conditio videtur exigere, quiq; adeò proprium ad arbitrium salutem Reipublicæ, prout ejusdem tempora postulaverint, procurat.

129. Verùm quia unius hominis judicium ab erroribus non est immune, & voluntas in prava flexilis, in tanta cumprimis libertate; qvibusdam populis consultum visum, ejus imperii exercitium *certis limitibus* circumscribere.

130. Id qvod factum, dum ad *certas leges* circa administrationem *partium* imperii in delatione regni regem adstrinxerunt; & si, qvando negotia summam rerum spectantia, qvæqve in antecessum definiri neqveunt, inciderent, voluerunt ea suscipi non nisi *præsciente* & *consentiente* populo, aut ejusdem deputatis in comitia convocatis, ut eo minor occasio regi præbeatur à salute regni aberrandi.

131. Vocantur autem istæ leges, qvæ potestatem principum ita limitant, *leges fundamentales*, voce legis impropriè & abusivè acceptâ, cùm potius sint *pacta. c)*

132. Deniqve Rex cum summo imperio aut habet etiam potestatem *alienandi regnum idqve dividendi* pro lubitu, aut eadem *destituitur.*

133. Priora regna melioris distinctionis gratia Grotius vocavit *Patrimonialia*, posteriora *Usufructuaria*, qvoniam nempe usufructuarius rem, in qva usumfructum habet, alienare non potest, qvi in pleno patrimonio potest.

134. Meminisse ergò debeant ii, qui hanc divisionem Grotii impugnarunt, denominationem istam non extendendam esse ultra *tertium*, in qvo Grotius qværebat similitudinem; & adeo recordari vulgati proverbii, qvod *omne simile claudicet.*

135. Qvamvis non diffitendum sit, commodiorem fore denominationem regnorum posterioris classis si locô usufructuariorum vocarentur *fideicommissaria*, qvod & alicubi facit Grotius.

136. Cæterum cùm à priori qværitur, qvænam regna pro usufructuariis habenda, qvænam in patrimonio? sic tenendum: Si populus in pactis, quibus consensum suum declaravit, *potestatem alienandi transtulit* in regem, tum haud dubiè regnum erit in patrimonio.

137. Quod si id factum non fuerit, pro *patrimoniali tamen* habendum erit illud, quod *armis* sibi quæsivit rex, aut quod rarò contingit, ubi *suum sibi populum ipse fecit*, exemplo Romuli

138. Ex illis verò, quæ *ultroneo consensu* in principem translata sunt, pro *usufructuariis* habenda erunt, quæ populus *noluit esse successiva*, cum eo ipso satis declaraverit, se nolle alienationem principi concedere, cum ne quidem ad progeniem ejus regnum transire voluerit.

139. In *successivis* (aut ubi dubitatur, an regnum sit electivum an successivum) illa pro *usufructuariis* (*& electivis*) haberem, d) ubi

ad §. 131. c) *Inde dicitur in simili:* pacta *dare* legem *contractui.*

d) ubi populus instinctu quasi *intrinseco* solo motus, absque impellente gravi necessitate exteriore regem elegit, ista pro *patrimonialibus, (& successivis)* ubi necessitas gravis *exterior* populum ad quærendum sibi regem impulit.

140. Nam si de hac quæstione ab initio delati regni mentio fuisset injecta, præsumendum est, in priori casu regem acceptu-rum fuisse regnum adempta ipsi alienandi & succedendi potestate, in posteriori populum assensurum fuisse regi potestatem alienandi & successionem postulanti.

141. Regulariter enim in contractibus leges præscribit alteri, cujus minus interest, contractum fieri, is verò conditiones quamvis duras acceptat, ad quem major ex contractu redundat utilitas. At si populus nulla ad id necessitate adactus sibi regem eligat, majus interesse regis est, quàm populi; sin necessitas gravis populum urgeat, magis populi interest quàm regis.

142. Exerit autem se majestas, ut in definitione *e)* diximus, non solum in *relatione ad subditos*, sed & in *ordine ad pares* extra rempublicam, unde *particulæ* summæ potestatis, quæ communi nomine *regalia* dici consueverunt, commodè dividi possunt in regalia *immanentia*, ubi prior respectus attenditur, & *transeuntia*, ubi posterior. *f)*

143. Nam divisio alia, quâ regalia dividuntur in *majora & minora*, uti multis tricis est obnoxia, ita magis usum præbet in controversiis ex jure humano, cui etiam ortum debet, definiendis, quam in jurisprudentia naturali, ubi minora æque ad obtinendos fines reipublicæ requiruntur atque majora.

144. Majorem cum primâ divisione convenientiam habet ea, quæ à *finibus* rerumpublicarum est desumpta. Promoventur enim illi tum, si omnia bene & ordine gerantur *in Republica*

ad §.139. d) *Conf. suprà §.139.*
ad §.142. e) §. 115.
f) *Ita & dividit Pater in Tabb. Phil. Pract.*

& cives à vi intrinseca reddantur securi, tum, si defendantur adversus *vim extrinsecam* tempore belli. *g)*

145. Itaque regalia vel diriguntur *primario ad unum* horum modorum promovendi fines Reipublicæ, vel inserviunt *communiter utrique. h)*

146. Ad *pacis* tempora pertinet quam maximè *potestas legislatoria, i)* qua imperantes civibus significant, quæ ipsorum circa negotia ad salutem civitatis facientia sit voluntas, cui se cives in pacto constituendæ civitatis submiserunt.

147. Eodem pertinet *potestas pœnas sumendi*, qua intenditur, ut cives tuti sint adversus damna & injurias, quæ à concivibus invicem inferri possunt & solent, & sine qua potestas *legislatoria* foret frustranea.

148. Tum & potestas judiciaria, qua deciduntur controversiæ super rectâ legum applicatione ad facta singularia & factis civium contra leges ortæ. Unde inservit hoc regale potestati *legislatoriæ* & juri *puniendi*.

149. Denique cum singulorum actiones à sua cujusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita soleant judicare, prout assueverunt, & prout communiter judicari vident; paucissimi proprio ingenio vera & honesta dispicere queant, inde civitati expedit, ut publicè ejusmodi doctrinis personet, quæ cum recto fine & usu civitatum congruunt, simulque animi civium à puero istis imbuantur. Ejusmodi igitur doctrinas, qui doceant publice, summi imperii est constituere. Quare huc pertinet jus erigendi *Scholas* & *Academias*, item *jus circa sacra* strictè sic dictum.

150.

ad §. 144. g) *Huc pertinet* princ. procem. Inst. *Hic incipit Pufend.* lib. VII. cap. 4.

ad §. 145. h) *Quæ respiciunt tempus pacis, sunt immanentia, quæ tempus belli, partim immanentia* (*v. g. jus conscribendi militem*) *vel transeuntia,* [*v. g. jus belli gerendi.*] *Communia sunt iterum immanentia.*

ad §. 146. i) *Pertinet potestas legislatoria etiam ad bellum sed secundario, dum leges militares constituuntur. Cum illis enim, quibus hæ leges dantur, certe pax est.*

150. Cave autem putes, nos docere, ac si præcepta *religionis* debeant dirigi *secundum utilitatem singularum rerumpublicarum.* Hæc enim esset cavillatoria explicatio verborum nostrorum, qui de *fine communi* civitatum loquimur.

151. Cujus adeo habitudo ad religionem est ista, ut *religio* illa *falsa* habeatur, quæ apertè *pugnat* cum tranquillitate rerumpublicarum, quoniam DEUS nunquam voluit ejusmodi doctrinis imbui homines, neque etiam voluisse potuit, quia est autor rerumpublicarum, nec adeo potuit voluisse contradictoria.

152. Sed quoniam unius finis obtinendi plura poterunt esse media, non valet inverso ordine argumentatio; *hæc religio congruit fini civitatis, ergo est vera:* quoniam suprà *l*) ostendimus, ad veram religionem requiri, ut sit à DEO revelata.

153. Id tamen exinde sequetur, principem, qui religionem falsam in republicâ tolerat, quæ tamen non repugnat fini civitatis, non peccare contra *jus naturale* & officium boni principis, sed contra legem divinam *positivam universalem* & officium boni Christiani: Quare Jurisprudentiæ Naturalis defectum hic supplere debet Theologia.

154. Ad tempora *belli* spectat jus belli & pacis, itemque fœderum feriendorum, *m*) quo pertinent jus legendi, armandi & uniendi milites & similia.

155. Utrique tempori æqualiter inserviunt *jus magistratuum constituendorum & indicendi tributa.*

156. Sunt autem istæ partes summi imperii naturaliter ita *connexæ*; ut siquidem regularis forma civitati constare debeat, omnes & singulæ penes unum *n*) radicaliter esse debeant. Nam si una vel altera planè *absfuerit*, mancum erit imperium, nec ad finem civitatis procurandum idoneum.

ad §. *152.* l] l. 1. c. ult.

ad §. *154.* m] *Dantur quidem fœdera in pace, sed hæc sunt fœdera non inutilia quidem, non tamen etiam necessaria.*

ad §. *156.* n] *Sive unum hominem, sive unum collegium.*

157. Sin autem istæ *dividantur*, ita ut quædam radicaliter sint penes unum, reliquæ penes alium, irregularem rempublicam & male cohærentem emergere necesse est, quoniam non solum tum una potestas orto dissidio aut inanis erit aut alterius ministra, sed & deficiente hoc pacto voluntatis unione, quæ est anima Reipublicæ, in statu hoc corrupto maxima occasio datur bellis civilibus. *o*)

158. Hæc quanquam manifestissima sint, dantur tamen non pauci, qui divisionem partium summi imperii propugnent, ut exinde *respublicas mixtas* concinnent, quæ, ubi rite temperatæ fuerint, felicissimam, si diis placet, rempublicam producere sint aptæ.

159. Cui fini quidem *Aristotelis p*) autoritatis nequidquam imploratur, qui de longè diversâ mixtura, quàm quæ ad divisionem partium summi imperii spectet, loquitur.

160. Quemadmodum autem *non impossibile* est, dari ejusmodi respublicas irregulares seu mixtas, *q*) ita, si dantur, necesse est, ut eadem morbidis annumerentur, & frustra se torquent Peripatetici, hac in parte nimium quantum inter se dissidentes, ut mixturam aliquam comminiscantur, quam expetendam atque exoptandam esse jactare possint.

161. His præmissis exponendum nunc paucis erit *officium imperantium & parentium. r*) Quibus præceptis officium summorum *imperantium* constet, ex indole ac fine civitatum, nec non ex pensis summi imperii partibus perspicuè colligitur.

162. Quemadmodum vero nemo, in quocunque statu vivat, officio suo satisfacere potest, si non exactam obligationis suæ notitiam habeat; ita principi vel maximè incumbit, ut hoc præ-

ad §. 157. o] Puf. §. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

ad §. 159. p] IV. Polit. c. 8. & 9.

ad §. 160. q] *Quod quidem latè defendere vult Hornius* de civitate. *Vide Patr.* Tab. 43. lin. 44. & Tab. 49. membr. 3. *Conf. Puf.* §. 13. 14. *ubi de sententia Grotii.*

ad §. 161. r] *Hic incipit Pufend.* lib. 7. cap. 9.

præceptum ante omnia observet: DISCE, QVÆ AD PLENAM COGNITIONEM OFFICII BONI PRINCIPIS PERTINENT.

163. Tum generalis lex summorum imperantium est hæc: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. Ea enim intentione in istos imperium est collatum, ut per id procuraretur finis, ob quem civitates sunt institutæ. Inde credere iidem debent, nihil sibi privatim expedire, quod non idem expedit civitati.

164. Ad hunc finem dirigendum est exercitium particularum summi imperii. Hoc est: *Cives bonis moribus imbuendi; Commodæ leges ferendæ; Eædem executioni dandæ. Pœnæ rectè temperandæ; Injuriæ civium mutuæ prohibendæ; Idoneis & probis ministris utendum; Tributa rectè exigenda & collocanda; Facultates civium promovendæ; Factiones prohibendæ; Adversus invasiones exterorum vires parandæ.*

165. Officium *subditorum s)* est vel *generale*, vel *speciale*. *Illud* oritur ex communi obligatione, qua isti imperio civili sunt subjecti. *Hoc* verò ex peculiari munere & functione, quæ per summum imperium singulis est injuncta.

166. Officium *generale* respicit vel *rectores civitatis*, vel *totam civitatem*, vel *concives*.

167. Unde præceptum *primum:* RECTORIBUS CIVITATIS PRÆSTA REVERENTIAM, FIDELITATEM ET OBSEQVIUM.

168. *Secundum:* SALUTE ET INCOLUMITATE TOTIUS CIVITATIS NIHIL HABE CARIUS.

169. *Tertium:* CUM CONCIVIBUS VIVE AMICE ET PACIFICE.

170. Circa *specialia* officia commune præceptum est: NON AFFECTA NEC SUSCIPE OFFICIUM IN REP. AD QVOD TE INEPTUM DEPREHENDIS.

171. Quod *singulas* officiorum partes attinet: qui *consilio* suo rectoribus civitatum assistunt; qui publicè constituti sunt ad *sacra*

ad §. 165. s] *Huc pertinet Puf. de O. H.* l. 2. c. 18.

sacra obeunda; queis publicè injunctum, variarum rerum *scientia* animos civium imbuere; qui *juri dicundo* præficiuntur; quibus *armorum* cura commissa; qui ad *militandum* conducti; quorum opera civitas apud *exteros* utitur; qui *opibus civitatis* colligendis aut dispensandis præsunt, illi omnes actiones suas eò dirigere debent, ut *tranquillitas publica* tam intra quam extra civitatem conservetur, & *opum abundantia* comparetur, hoc verò potissimum fieri sibi persuadebunt, si præscriptam hac parte ab imperantibus normam observent.

Caput VII.

De Officiis Viventium in Civitate Circa Pœnas.

SUMMARIA.

Connexio. §. 1. *In difficili doctrina pœnarum separandæ ante omnia quæstiones otiosæ* §. 2. 3. 4. *Per pœnam hic non intelligitur conventionalis* §. 5. *sed quæ ob delictum infertur invito.* §. 6. *In qua vel respicitur persona* 1. *ad id quod infertur* §. 7. *quod vel est ablatio lucri* §. 8. *vel positio damni* §. 9. *vel positio damni in bono corporis vel honore,* §. 10. *vel* 2. *ad personam inferentem, quæ vel Deus* §. 11. *vel homo quicunque* §. 12. *vel superior* §. 13. *vel* 3. *ad intentionem inferentis, quæ vel respicit damnum illatum* §. 14. *ut aut reparetur,* §. 15. *vel malum futurum, in aliis ut assecurentur, in delinquentibus ut emendentur* §. 16. *unde quatuor sunt fines pœnarum* §. 17. *& pœna hoc intuitu sumitur tripliciter.* §. 17. 18. 19. *Ex prima classe huc pertinet positio damni in bonis quibusvis* §. 20. 21. *Ex secunda ea, quæ infertur à superiore* §. 22. 23. *Ex tertia, quæ intendit primariò emendationem* §. 25. 26. 27. *Quibus notatis formatur definitio pœnæ* §. 28. *& ad aliorum defi-*

definitionem respondetur §. 29. 30. *Parem non posse puniri à pari* §. 31. *Ostenditur : emendationem esse primarium pœnarum finem.* §. 32.--44. *& sub ea reliquos fines comprehendi* §. 45. *Differentia accuratæ pœnæ & vindictæ* §.46.47.48. 1. *intuitu status* §. 49. 2. *intuitu personæ inferentis* §. 50. 3. *intuitu intentionis* §. 51. *Et pœna & vindicta vel justa est, vel injusta* §. 52. 53. 54. *Pœna propriè dicta medicinalis est* §. 55. *An detur planè officium hominum intuitu pœnarum ?* §. 56. *Non posse hanc quæstionem deduci ex statu integritatis.* §. 57. 58. *Resolvitur quæstio in partes.* I. *An detur officium punientis?* §. 59. *Princeps obligatus est ad pœnam inferendam* §. 60. *non tamen debet pœnam illi qui deliquit* §. 61. 62. *sed obligatus est Reipublicæ* §. 63. *Laxior est obligatio Principis quàm magistratus,* §. 64. *Nec obstat, quod princeps habeat jus puniendi, quia hoc jus habet intuitu delinquentis* §.65. 66. II. *An detur officium puniendi? Delinquens debet pœnam* §. 67. *scilicet pati* §. 68. *Quid hic denotet pœnam pati* §. 69.--77. *scilicet teneri ad actus pœnam antecedentes vel concomitantes peragendos, & ad solvendam mulctam pecuniariam* §. 78. 79. *Respondetur dissentientibus ob rationes : quod nemo obligetur ad impossibilia.* §. 80. 81. *quod delinquentes vinculis constringantur* §. 82.--85. *quod inutilis sit conventio de non resistendo in pœna* §. 86.--96. *quod pœna debeat inferri invitis,* §. 97. 98. 99. *Præcepta. Unum respiciens delinquentem ; PERFER POENAM à SUPERIORE INFLICTAM* §. 100. *Generale respiciens punientem : PUNI DELINQUENTES, QUANTUM AD UTILITATEM REIPUBLICÆ OPUS EST.* §. 101. *Speciale primum : PUNI ACTUS, DAMNUM REIPUBLICÆ INFERENTES ET EMENDABILES.* §. 102. *Unde non puniendi actus merè interni* §. 103. 104. *lapsus minutissimi*, §. 105. 106. *actus, quorum contrarii coactionem respuunt*, §. 107. *delicta leviora*, §. 108. *res obscurissimæ disceptationis* §. 109. *vitia animi omnibus hominibus communia* §. 110. 111. *inolita mala, quæ tolli nequeunt* §. 112. *Hæc omnia obtinere regulariter & pati exceptiones.* §. 113.--117. *Præceptum speciale secundum ; PU-*

NI, QUANTUM AD EMENDATIONEM COMMUNEM EST OPUS. §. 118. *Pœnæ debent esse proportionatæ delictis* §. 119. 120. *Quænam requirantur ad proportionem illam inveniendam* §. 121.--128. *Præceptum juris Divini positivi: IN HOMICIDIUM ET ALIA DELICTA LEGE DIVINA EXPRESSA POENA CAPITALI ANIMIMADVERTE* §. 129.--131. *Unde Princeps in iis non potest dispensare* §. 132. *sed tamen certis casibus pœnam differre* §. 133. *Quænam sint illa delicta?* §. 134.--140.

§. 1.

DIspiciendæ nunc forent in specie *partes* summi imperii, & quæ circa ea peculiariter observanda occurrerent. Sed quoniam hic quidem non adeò magnæ aut difficiles ortæ sunt controversiæ, & quæ hac parte notanda veniunt, jam aliis *a*) exposita sunt fusius, atque distincte, quibus, quod addamus nihil superest; ista quidem transeant.

2. Non ita transire patiemur illam partem, quæ in *pœnis* inferendis est occupata, quoniam circa eandem multæ quæstiones se offerunt intricatæ, & in quarum expositione sudarunt excellsissima ingenia. *b*)

3. Ubi tamen mox separandæ erunt quæstiones *otiosæ* ab iis, quarum non pudere debeat eum, qui veram, non umbratilem sectatur sapientiam.

4. Ad *otiosas* refero illam, *ad quam justitiæ speciem pœnarum irrogatio pertineat?* Ubi variè dissident; aliis ad justitiam universalem, aliis ad commutativam, aliis ad distributivam, aliis denique ad tertiam aliquam justitiæ particularis speciem, cum quibus & nos

ad §. *1.* a) *Vide Puf.* lib. 8. cap. 1, 2. 4. 5. 6. seqq.

ad §. *2.* b) *Caput de Pœnis uti in Grotio est prolixissimum, ita & circa singulas ferè lineas, quod ibi taxent, invenisse se putant Commentatores Grotiani. Dn. Pufendorffius doctrinam hanc tractavit* d. l. 8. Cap. 3.

& nos facimus, provocantibus. Sed cui usui? cum suprà totam hanc justitiæ divisionem ut inutilem rejecerimus. *c*)

5. Quod *reliquas* attinet, præmuniendus anteà intellectus est distinctô *conceptu pœnæ*, quoniam vocabulum hoc multis *ambiguitatibus* est obnoxium. *d*)

6. Id maximè indubium est, per pœnas hic intelligi aliquid, quod *hominibus propter delicta & invitis* quidem accidit, unde sequitur, *pœnam conventionalem*, à qua stipulatio pœnalis denominatur, hujus loci non esse.

7. Eorum autem, quæ hominibus delinquentibus accidunt, varia sunt genera, sive ipsum *id, quod* propterea infertur delinquentibus, respicias, sive *personam* inferentem, sive inferentis *intentionem*.

8. Intuitu *ejus, quod* infertur delinquentibus; Pœna I. dicitur *latè*, ut sub se comprehendat *ablationem lucri*, quod delinquens revera habet, vel quoad rem ipsam vel ejus æstimationem, vel certè habuit, si eandem consumserit aut perdiderit vel donaverit. Ita dicitur: *lucra delinquentibus in pœnam esse auferenda.*

9. II. *Stricte* pro *positione solum damni*, quando delinquenti bonum aliquod aufertur, in quo lucrum ex delicto non habuit, sive id bonum sit bonum fortunæ, sive bonum corporis: Ad illa refer divitias & honorem, ad hæc sanitatem (per quam non tam intelligo absentiam morbi quàm doloris) membrorum integritatem, vitam. *Ita pœna opponitur reparationi damni.*

10. III. *Strictissime* pro *positione damni in bono corporis vel etiam in honore*, & ita pœna pecuniaria *mulcta* dicitur & sæpius pœnæ opponitur.

ad §. 4. c) L. 1. c. 1. §. 106.

ad §. 5. d) *Mihi quidem videtur neglectus homonymiæ in vocabulo* pœnæ & vindictæ *præcipua causa esse tot & tantarum collisionum, quæ eruditis in hac doctrina acciderunt, quas omnes, ut spero, facillimè evadere ac observare poteris, si modo ea, quæ hic à* §. 6. ad 27. & à §. 46. ad 54. *notavimus, probè concoquas.*

11. Intuitu *personæ* inferentis itidem pœna supponitur I. *Latè* pro illa etiam, quæ à *DEO* hominibus ob quævis delicta infertur, sive id fiat immediatè, sive mediantibus hominibus. Ita *morbi* & alia *mala*, quæ casibus annumerare solemus, pœnarum nomine veniunt, quatenus nempe DEUS per eadem delicta nostra punit. Sic item *vulnerationes* & *incendia*, aut *rapinæ* ab hominibus illatæ pœnæ sunt, quatenus DEUS his instrumentis utitur.

12. II. *Strictè* pro ea, quæ ab *homine* infertur homini, sive ille inferens sit *par*, sive *superior*. Ita *vindicta* & *pœna* sæpius sumuntur promiscuè.

13. III. *Strictissimè* pro ea, quæ à *superiore* dictatur delinquenti subjecto. Et tum *pœna vindictæ* opponitur.

14. Denique intuitu *finis*, quem intendit inferens, pœna variè accipitur; quod, ut rectius intelligatur, notandum, hoc passu vel respici ad malum *præteritum*, vel ad *futurum*.

15. *Præteritum* vel est *damnum illatum personæ læsæ*, ut illud *reparetur*, vel est delictum ipsum & *contemptus superioris*, ut *expietur*.

16. *Malum futurum* vel consideratur in *læso* & *aliis*, qui iterum vel similiter lædi possunt, ut *assecurentur*, vel in *delinquente & aliis*, qui iterum vel similiter peccare possunt, ut *emendentur*.

17. Habes adeò *quatuor* fines, quos intendere possunt, qui delinquentibus aliquid inferunt, *reparationem*, *expiationem*, *assecurationem* & *emendationem*. Horum respectu *pœna* accipitur I. *latè*, ut omnes hos *quatuor* fines sub se comprehendat & ita etiam *reparationem*.

18. II. *Strictè*, ut reparationi opponatur, & reliquos *tres* saltem fines intendat: Sic tamen, ut ex istis vel *principaliter* intendatur *assecuratio* vel *emendatio*.

19. III. *Strictissimè* pro ea, quæ solam *expiationem* intendit.

20. Jam videndum, quænam ex tot acceptionibus sit *hujus* loci. Ex *prima* classe hic exulat *ablatio lucri*, ut quæ est pœna impropriè dicta, & pertinet ad caput libri secundi de non lædendis aliis. Unde & in jure separantur actiones *rei persecutoriæ* à *pœnalibus*.

21. Dein-

21. Deinde etsi pœna, quæ *bonis corporis vel honori* infertur, haud dubiè sit nobilior species pœnæ quam *mulcta*, tamen hoc loco sub pœna etiam comprehendimus mulctam.

22. Ex *secunda* classe aliena à nostro instituto est pœna latè accepta, quia de jure *DEI* in homines hoc loco non agimus, sed de officiis hominum inter se, & quia tractatio de pœna divina non pertinet ad ICtos, sed Theologos.

23. Iterum huc non quadrat, quæ infertur ab homine *pari*, quia jam occupati sumus in exponenda particula majestatis, quæ locum habet in civitate inter imperantes & parentes, & quia id quod inter pares infertur propter delictum, magis vindicta est, quam pœna.

24. Ex *tertia* classe pœna, quæ tendit ad *reparationem* damni, est impropriè dicta, quia & hæc pertinet ad caput de non lædendis aliis.

25. Illa verò pœna, quæ solum tendit ad *expiationem* propter delictum tantum, ad species pœnarum divinarum pertinet, quia homo nunquam debet in puniendo spectare solum malum præteritum, sed semper reflectere ad bonum aliquod futurum.

26. Denique quæ magis intendit *assecurationem* præ emendatione, potius vindicta est quàm pœna.

27. Igitur remanent ex tot significatibus & quidem ex classe *primâ* pœna, quatenus infert *propositionem mali cujuscunque*, ex classe *secunda* pœna, quæ à superiore dictatur inferiori, ex tertiâ pœna, quæ intendit primariò *emendationem*.

28. Ex his jam formamus *definitionem pœnæ*, quod sit *positio mali seu dolor, quem propter delictum infert superior inferiori invito, in emendationem communem civium.*

29. Alii ita definiunt, *e*) quod sit *malum passionis, quod infligitur ob malum actionis*; contra quam definitionem varii varia afferunt, alii, quod pœna aliquando consistat in *actione* delinquentis, alii, quod non omne delictum sit *actio*. Sed ad ista quidem facilis est responsio, & poterunt ea omnia evitari, si istam definitionem

ad §. *29*. e) *Ut Grotius & Pufendorffius.*

tionem brevi & succincta periphrasi circumscribas, quod faciunt alii: *pœna est dolor illatus propter delictum. f*)

30. Nos verò ideò ab ista definitione abstinemus, quoniam omittit mentionem *personæ* pœnam inferentis & *finis*, quam princeps in pœnis intendere debet: per quæ tamen requisita pœna quàm maximè differt à vindicta. Ad vindictam autem poteris applicare præcedentem pœnæ definitionem.

31. Quod *personam* pœnam inferentem concernit, notum quidem est, quod Grotius *pari* quoque tribuat potestatem pœnæ inferendæ, illi nimirum, qui simile delictum non admisit. Sed quemadmodum Vir summus per *pœnam* sæpe nihil aliud intelligit quàm *coercitionem verbalem*, deceptus forte, in eo quod hæc, ut pœna nostra intendat emendationem, quæ tamen in se admonitio potius est, quam pœna, aut pœna non nisi impropriissimè dicta *g*) ita arbitratur, quasi per vitam à delictis abstinentem homo nanciscatur *superioritatem* aliquam in alterum hominem, cum tamen hic non sufficiat superioritas qualiscunque, sed requiratur superioritas imperii.

32. Pœnarum *finem* quod attinet, multifariæ sunt Doctorum, qua veterum qua recentiorum dissensiones, *h*) in eo tamen ferè conveniunt, *reparationem & restitutionem damni* proprie hujus loci non esse.

33. Sed quod *expiationem*, *assecurationem & emendationem* concernit, duo hic probanda erunt, initio, quod ex his *emendatio* & quidem non delinquentis, sed *communis civium* sit *primarius* pœnæ proprie dictæ finis, deinde, quod sub hoc fine *reliqui secundariò* lateant.

34. *Prius* non melius demonstrare possumus, quàm si reliquos fines à classe finis primarii removeamus. *Expiationem* quod concernit, poterit equidem *DEUS*, ut creator hominis, multa in hominem

---

f) *Ut Dn. Becmannus* in Meditation. Polit.

ad §. *31.* g) *Unde & nos hunc pœnæ significatum omisimus.*

ad §. *32.* h) *Quas recensent Grotius & Pufendorffius.*

nem, quæ homini non licent. Et uti nullum eſt dubium, quin potentiſſimum numen, ſalvâ ſuâ ſanctitate creaturas poſſit in nihilum redigere, ita multo minor ratio dubitandi eſt, quin poſſit in pœnis delinquentium intendere primariò ſolam expiationem.

35. Et profectò nullus alius eſt finis *pœnæ æternæ*, quippe quæ poſt hoc ævum neque ad aſſecurationem neque ad emendationem eſt opus.

36. Homo autem id facere *nequit*, tum quoniam deficit ratio, quâ mediante concipimus, quod DEUS ſine contradictione morali hunc finem poſſit intendere; Neque enim homo hominis creator, neque inter hominem & hominem tam infinita eſſentiarum diſtantia eſt, quæ eſt inter DEUM & hominem Et jam ſupra inculcavimus, quod nulla ſit ſocietas hominum verè inæqualis, ſed omnes ſint mixtæ.

37. Quare cum *ſummus princeps* etiam ſubditis ſuis teneatur ad officia humanitatis, *inhumanum* eſſet, ſi ob ſolum malum præteritum homo vellet afficere hominem, præprimis pœnitentem & veniam commiſſi poſtulantem.

38. Accedit, quod jus puniendi *ſit particula majeſtatis*. At verò has, diximus jam, ſubordinari debere tranquillitati reipublicæ tanquam bono futuro.

39. Unde non mirare, quod ſi homo in pœnis tantum reſpiciat malum præteritum, id ad vitia ſpectet, & *crudelitatis* nomine inſigniatur, ſin Deus id faciat, vitium non ſit, quia cum Deus homo non ſit, neque id omne quod inhumanum eſt, contradictionem in Deo involvit.

40. Reſtat *aſſecuratio* & *emendatio*. *Utramque* equidem princeps in pœnis intendit, ut mox dicemus, ſed *magis tamen emendationem* quam aſſecurationem, quia hic quærimus potiſſimum finem, qui diſtinguat *pœnam à vindicta*, at aſſecuratio etiam in vindicta locum habet.

41. Scilicet *emendatio aſſecurationem* ſub ſe comprehendit, non vice verſâ aſſecuratio emendationem.

42. Nem-

42. Nempe *par* tuetur saltem *libertatem suam* adversus parem & tranquillitatem propriam, quâ si fruatur, ipsius non interest, bonus sit iste, cum quo vivit in hoc orbe, an malus; at in *Republica princeps* studet *bonos* efficere suos cives propositione præmiorum & pœnarum.

43. Denique quod *emendationem* attinet, illa est vel *delinquentis*, vel *aliorum*, qui similiter delinquere poterant. *Prior sæpe* intenditur, *posterior semper* in pœnis à republica inflictis, quia nempe in emendatione communi latet etiam emendatio delinquentis, non vice versâ. Facit quod omnia regalia magis respiciant utilitatem communem quam singulorum.

44. Docet hoc exemplum *pœnarum capitalium*, in quibus nullô modô respicitur ad emendationem delinquentis.

45. Jam facilè patet, etsi *emendatio* communis sit finis primarius pœnarum, quod tamen eadem sub se comprehendat & *expiationem* & *assecurationem*. Nam si v. gr. homicida capite puniatur, finis pœnæ est, ut alii delinquentes *exemplum inde capiant* & peccare dediscant; quod si fiat, communiter simul *assecurantur* cives, ut ipsi sint de tali crimine securi, principi autem pariter de *contemptu* delinquentis, quantum fieri potest, *satisfit*.

46. Ostendamus modò, quomodo à *pœna* differat *vindicta*, cujus tot propè sunt acceptiones quàm pœnæ, quia vindicta & pœna sæpius promiscuè usurpantur à scriptoribus. *i*)

47. Quamvis verò non facilè apud scriptores antiquos deprehenderim, *vindictæ* vocem usurpari de eo actu, qui tendit ad *propulsationem injuriæ imminentis*, ex modernis tamen nonnulli hoc vocabulum eo extendunt, sed abusive puto.

48. Cæterum uti iterum non subest dubium, quin hujus loci non sit *vindicta divina*, de qua Theologi plura docent, ita quod *humanam* concernit, differentiæ vindictæ à pœna optimè apparebunt ex illius definitione. Est enim *vindicta* propriè dicta *positio mali*,

ad §. 46. i) *Vide omnino, quæ prolixe de vindicta disserit & cum Struvio controvertit Dn. Henniges* in comment ad Grotium, *quæ controversia tamen fortè notata vindictæ homonymia tolli posset.*

mali, quæ infligitur delinquenti à pari, quem læsit in statu naturali, eum in finem, ut ipsi læso in posterum caveatur.

49. Ergò *pœna* 1. locum habet in *statu civili*, *vindicta* inter eos, qui degunt in *statu naturali*.

50. 2. *Pœna* infertur ab *imperante* subdito, *vindicta* pari à pari.

51. 3. *Pœna* primariò intendit *emendationem communem*, *vindicta assecurationem propriam* læsi. Nam etsi in statu naturali quilibet pro se actiones suas dirigere debet, ut non lædatur tranquillitas communis, tamen nullus habet potestatem eo dirigendi actiones aliorum, quippe ad quod requiritur imperium.

52. Utrumque vocabulum & *pœna & vindicta* ex eorum genere est, quæ à justitia & injustitia abstrahunt, unde & pœna & vindicta dividuntur in *justam* & *injustam*. Nos utrobique *justam* definivimus tanquam analogatum nobilissimum.

53. Nam quod *pœnam* attinet, illa *injustitiæ* notam contrahit, si eam inferre velit *par*, aut si superior inferat eandem ob *solam delectationem*, propter contemptum sibi illatum &c.

54. *Vindicta* autem *injusta* est, si *par in civitate*, ubi locus judiciis est, se vindicare velit, aut ubi par in statu naturali in vindictâ intendat primariò *emendationem delinquentis vel aliorum*, aut *assecurationem communem* aliorum.

55. Appellatur verò *pœna* propriè dicta, quam definivimus, communi Politicorum stylo *pœna medicinalis* eleganter & apposite, quia ut medicus adhibendo medicamenta intendit sanitatem individui humani ægrotantis; ita Princeps adhibendo pœnas intendere debet rectitudinem corporis moralis, id est, reipublicæ laborantis morbis moralibus.

56. Et profectò si ulla doctrina moralis illustrari potest simili physico, certè doctrina de pœnis potest, in tantum, ut nulla ferè quæstio sit pœnas concernens, in qua non ab officio boni Medici ad officium punientis aptissimè institui possit argumentatio, modò *quæstionem præjudicialem* difficilem illam & intricatam: *an detur*

planè officium hominum intuitu pœnarum? excipias, utpote quæ aliunde quæsita argumentorum pondera requirit.

57. Id tamen exinde jam apparet, si jus pœnarum & quæstiones circa idem occurrentes *ex statu integritatis* vellemus deducere vel formaliter vel normaliter, æquè nos ineptos fore, ac si remitteremus medicum de officio suo sollicitum ad statum illum perfectum morbis & vitiis carentem.

58. Quin & fictionem committeremus Christiano homini parum convenientem, si ex isto fortè præsupposito, quod in statu integro omnes actiones Magistratus in commodum subditorum directæ fuissent, aliquid ad quæstiones de pœnis faciens vellemus inferre, quia aliquoties jam demonstravimus, in statu integritatis nullas futuras fuisse Respublicas.

59. Ad rem: quæstio: an detur aliquod officium hominis intuitu pœnarum? in *duas* partes dividenda est, quarum *prior* quærit *de officio punientis*, *altera de officio puniendi*.

60. Quod priorem attinet, assero; *superiorem in Republica obligatum esse ad pœnam inferendam*. Hujus assertionis veritas perspicua erit, si modo declaraverimus, cui superior obligatus sit & quodnam sit fundamentum obligationis.

61. Vulgaris locutio est: *pœnam deberi illi, qui deliquit. l*) Quæ tamen locutio planè est ἄκυρος. Nam cui proprie debetur aliquid, is in debitorem jus habet, ut debitum illud ab ipso possit exigere. Quis autem dixerit delinquentem jus habere, ut à magistratu pœnam sibi infligendam postulare queat?

62. Neque tamen propterea arbitrarer, sensum locutionis esse istum, *m*) quod magistratus à sontibus pœnam legibus definitam jure suo possit exigere. Nullum enim fortè poterit exemplum dari locutionis similis, per quam qualitas aliqua activa per contrariam circumscriberetur; quin potius id putarem indicari per illam locutionem: *Magistratum alii debere, ut pœnam inferat delinquenti.*

63. Ne-

ad §. 61. l) Vid. Puf. §. 5. p. 1155. N. Edit.

ad §. 62. m) *Quod putat Dn. Puf.* d. l.

63. Neque enim valet illatio, pœna non debetur delinquenti, ergo superior nemini obstrictus est, ut eam exigat. Cui ergo tenebitur? Haud dubiè *Reipublicæ*. Probationem pete ex capite præcedenti, ubi ex lege generali officia summi principis concernente: *Populi salus suprema lex esto*, mox deduximus *n*) officium speciale *de pœnis rectè temperandis*. Sine pœnarum enim irrogatione salus publica non potest consistere.

64. Quoniam verò determinatio salutis publicæ in Republica pertinet ad principem, non ad privatum, & quia princeps in republica superiorem non habet, magistratus verò inferior est sub principe, inde sequitur, *laxiorem* esse obligationem *principis* quàm *magistratus*. *Illius* quidem cum potestate aggratiandi quandoque conjunctam (de qua mox) & imperfectam, *hujus* autem perfectam & potestate veniam concedendi destitutam.

65. Nec obstat, si dicere velis, *superiorem* habere tamen *jus* ad pœnam inferendam, ergo respectu unius ejusdemque actus citra fugam contradictionis eum non posse *obligatum* esse. Nam ista contradictio saltem apparens est, quoniam hæc duo prædicata non ad idem referuntur. *Jus* habet superior intuitu *delinquentis* & aliorum, qui ipsum in exercitio hujus actus impedire volunt; *obligatus* est intuitu *DEI* & *Reipublicæ*.

66. Ita *pater jus* habet coërcendi & emendandi *filium*, & tamen *DEO & Reipublicæ tenetur*, ut hoc jus traducat in actum. Ita *minister publicus jus* habet faciendi, quod Princeps ipsi præcepit, sed nihilominus *Principi tenetur* ad factum præstandum.

67. Id tamen, ut ad alteram quæstionis partem veniam, ex ista objectione firmissimè poteris inferre: *delinquentem propriè teneri ad pœnam*, seu: *à delinquente deberi pœnam. o*) Nam si superior habet jus erga delinquentem ei inferendi pœnam, necesse est, ut huic juri in delinquente correspondeat obligatio, quia jus & obligatio sunt correlata, quorum unum sine altero existere nequit.

 68.

ad §. 63. n) *Et quidem ex ipso Pufendorffio.* Vid. cap. præced. §. 163. 164.

ad §. 67. o) *Dissent. Puf.* §. 4. p. 1048. Ed. prim.

68. Imo hoc ipsum jus suo modo nos ducet ad declarandam obligationem delinquentis ad pœnam. Nam quia jus superior *habet ad inferendam* pœnam, delinquens obligatus erit non nisi ad pœnam *patiendam*.

69. Sed *pati pœnam* est phrasis ambigua. Etsi enim pœnam definiverimus per positionem mali vel doloris, tamen *pœnæ executio* sub se comprehendit *plures actus* alios antecedentes proximè illationem doloris, quare & pœna hoc loco sumitur pro complexu illorum actuum omnium & *malum immediatè inferentium*, & *proximè antecedaneorum*.

70. Ad *antecedentes* illos actus refer, v. g. adscensionem scalæ ad patibulum ducentis, porrectionem colli ad pœnam gladii, vel ad circumdandum laqueum, haustum veneni.

71. Actus verò, qui *immediatè dolorem* inferunt & ita formale quasi pœnæ continent, vel sunt ita comparati, ut *naturæ hominis animali* repugnent, vel ita, ut dolorem in homine excitent, *quatenus homo est* & à bestiis differt.

72. Ad *priorem classem* refer eos, qui vitam tollunt & structuram ac cohœrentiam partium corporis, qua internarum, qua externarum, solvunt & destruunt.

73. Ad *posteriorem* pertinent illi, qui hominem privant divitiis & honore, *mulcta* nempe & *infamia*.

74. Etsi vero utrobique homo *repugnantiam* aliquam sentiat, dum alterutro modo pœna ipsi infertur, ibi quidem *per instinctum physicum* & animalem, hic per *inclinationem communem* hominum famam & divitias conservare studentium, tamen hæc repugnantia est ejusmodi, ut homo recta ratione utens & se debito modo præparans, utrobique eandem vincere possit, modo *dolor* non sit *nimis acutus* & *durabilis*.

75. Ergo *pati pœnam* vel denotat *non resistere potestati publicæ, dum ipsum dolorem ipsi infert*, vel denotat *non resistere potestati publicæ, sed potius sponte quasi peragere actus poenam proxime antecedentes vel concomitantes*.

76. *Prior*

76. *Prior* significatus hujus loci non est. Nam etsi, ut diximus, homo ad istos patienter ferendos natura sit aptus, tamen rarissima sunt hominum ejusmodi exempla, ut adeò legislatores communiter non censeantur voluisse subditos suos ad hunc gradum patientiæ obstringere, tum quia princeps in imponenda obligatione subditis suis regulariter, & ubi summa necessitas & utilitas Reipublicæ non exigit contrarium, non eam perfectionem exigere debet, cujus homo in idea quasi perfectus capax est, sed memor esse humanæ imbecillitatis, tum quia hæc obligatio nullam utilitatem afferret Reipublicæ, & imò finem communem, pœnarum nempe emendationem communem non adeò commodè assequeretur, si non delinquentes in ipso actu ultimo pœnæ aliquam repugnantiam declararent; tum quoniam non raro per pœnas inferuntur dolores acuti & durabiles, ad quos patienter perferendos ne quidem Stoicorum aut Epicuri sapiens esset sufficiens.

77. Excipiendam tamen esse arbitror ab hac pœnarum classe *mulctam pecuniariam*, utpote in qua cessant rationes memoratæ. Neque enim ad eam patienter ferendam requiritur tolerantia extraordinaria, sed communis, neque ipsa ad emendationem ut forte aliquod remedium adhibetur, sed est infimus pœnarum gradus.

78. Ergo dum diximus, delinquentem esse obligatum ad pœnam patiendam, *hic sensus est*, teneri eum *ad peragendos actus immediatè* pœnam *antecedentes, vel eandem concomitantes*, per quos tamen ipse dolor immediate non producatur, aut teneri *ad solvendam mulctam pecuniariam*.

79. Nec obstat, quod videatur appetitus humanus ex natura sua etiam illos actus abhorrere, quos certo secuturos esse scit malum aliquod dolorem inferens, quippe observationem hanc multas pati instantias, vel exemplo vitiorum hominum declarari potest; & nota est historia de eo, cui sub metu visus amittendi Medicus vinum interdixerat, poculum nihilominus maximo appetitu arripiente & exclamante: Vale amicum lumen.

80. Jam paucis respondendum est ad erudita dubia, quæ contra opinionem nostram proponi solent. Nam initio illud afferri posset; supra *p*) nos dixisse, rempublicam naturaliter originem debere pactis populi cum rege, ex natura verò *pactorum* constare, quod *ad impossibile* nemo se obstringere valeat, *q*) jam autem mortem, vulnera vel alia corporis damna ferre, & ea inferenti non resistere homini esse impossibile, cum hæc mala necessitate naturali, quantum possit, fugiat, nec aliter facere possit. *r*)

81. Sed, uti jam diximus, non videri absolutè rem humana constantia majorem, *s*) mortem citra reluctantiam admittere, ita simul concessimus, cum ut plurimum ea res constantiam mortalium vulgarem superet, non præsumi hominem ultrò per pactum suum sese ad tale quid voluisse adstringere. Quippe cum non minus leges humanæ ferri quam pacta iniri debeant cum sensu humanæ imbecillitatis.

82. Deinde quod affertur, *t*) ei, *qui pacto* tenetur, *credi*, ad *supplicium* autem, qui ducuntur, eos *vinculis* constringi, aut satellitibus custodiri; indicio, quod non videantur pactis ad non resistendum *satis obligati esse*, ad id varia regeri poterunt.

83. Nam *primò* mutatur controversiæ status. Quæritur, *an quis se pacto ad pœnam ferendam obligare possit?* Alia est quæstio: *an per pactum delinquens satis obligatus esse credatur?* Prior ex natura pactorum & hominum in statu corrupto quidem, sed quatenus adhuc rectus est, viventium deducenda est, posterior respicit ad homines corruptos qua tales.

84. *Secundo* multæ dari possent instantiæ, si quis ex eo, quod vinculis constringantur delinquentes, inferre velit, quod non satis se obligare potuerint per pacta. *u*) Nam in genere illis, qui revera

ad §. *80*. p) Hoc libro 3. cap. 6.

q) Per dicta libro 2. cap. 7.

r) *Vide quæ ex Hobbes. refert Puf.* III. 7. 5. p. 360. seqq.

ad §. *81*. s) *Dn. Puf.* d. l. p. 361. seq.

ad §. *82*. t) *ap. Dn. Puf.* d. l. p. 362. *ex Hobbesio.*

ad §. *84*. u) Puf. d. p. 362.

revera mediantibus pactis tenentur, non ita absolutè creditur, quin violenta sæpius præsidia cautè disponantur prohibendæ ipsorum perfidiæ.

85. *Tertiò* vinculis constringuntur delinquentes, non tam propter actus antecedentes proximè pœnam aut concomitantes, sed propter fugam naturalem actuum immediatè dolorem ponentium.

86. Ulterius solet distinctio inter modos paciscendi afferri; x) Sic *frequenter pacta* iniri, *nisi constituta die hoc fecero, interfice*, id est, jus habebis capitale supplicium à me exigendi, nisi hoc fecero. At tale pactum: *Nisi fecero, interficienti non resistam*, iniri, & *inusitatum* esse & *inutile*, sive duo *concives* ita paciscantur, sive *civitas* cum cive, sive duo, qui in *libertate naturali* vivunt.

87. Etenim *concives* inter se ita pacisci non posse, quia jus interficiendi in civitatibus privato concedi non potest. Ut *civitas cum cive* tale pactum ineat, inutile esse, sufficere enim, ut ipsa possit nocentibus pœnam infligere, si singuli cives fidem dent, quod non velint eum, à quo supplicium sumendum, per vim defendere. Iis qui in *libertate naturali* vivunt, itidem tale pactum inutile esse. Nam in statu merè naturali, si occidere cupias, jus habere ex ipso statu, unde hic ne quidem pacto opus esse, ut interficere liceat, nisi præcesserit pactum de non interficiendo ante præstitutum diem. Quin nec tum pacti hujus efficaciam aliquam se exerere, quoniam si præstitum non sit die veniente, non obstante hoc pacto, redeat status hostilis, in quo omnia licent, adeoque & resistere.

88. Hic fateor equidem suô modô vera esse: quod si ita pactum fuerit; *interfice me, si hæc non præstitero, inutile esse* alterum pactum; *nisi hæc fecero, interficienti tibi non resistam*, quatenus nimirum inutile accipitur pro *superfluo* & quod non novum producit effectum. Nam, ut modo diximus, eo ipso, dum in alterum jus

ad §. 86. x) *Quoad hunc & seq.* §. *vide iterum doctrinam Hobbesii ap. Dn. Pufend.* d. p. 362. *unde etiam petiimus, quæ habentur* §. 89. 90.

jus seu potestatem me interficiendi sub certa conditione transfero, eo ipso promitto, quod ipsi jus suum exercenti nolim resistere, quia jus ridiculum est, quod non possum securè in actum deducere, & simile aliàs foret hæc translatio potestatis interficiendi invitationi illius, qui hospites convocabat, & claudebat fores.

89. Ergo quemadmodum in statu naturali *omnium pactorum* vis huc redit, ut non solum *intrinsecam necessitatem* afferant conventa præstandi, sed & utrique *jus dent* recusantem vi compellendi malo aliquo ipsi intentato: adeoque in hunc sensum pacta in genere resolvuntur: *spondeo me tibi hoc præstiturum, ni fecero, habebis potestatem vi & malo intentato me compellendi*; ita in genere pactis ejusmodi, ut aliud superaddatur de non resistendo illud malum intentanti, per quod priora firmarentur, inutile esset & absurdum.

90. Nam si in priori non satis cautum esset paciscenti, nec per hoc posterius cautum magis foret; quin potius hoc iterum alio pacto pœnali foret sanciendum hoc modo: si tibi vim inferenti restitero, tunc aliquo malo me multandi habebis potestatem. Ex quo manifestè apparet, per alterum pactum primo nihil esse additum. Nam jam ex primo licebat pacti violatorem malo multare, & eadem facilitate posterius pactum violaretur, quàm prius. Quid ergo opus esset, unum pactum per aliud velle fulcire, cum non difficilius sit decem, quàm unum perrumpere.

91. Si verò, ut ex objectione apparet, ea sit intentio, *pactum de non resistendo* ita esse *inutile*, ut omninò *nullum effectum* producat, & quod eo non obstante liceat resistere; tunc non difficiles equidem erimus in assensu præbendo, quod *privatos concives* hôc modô paciscentes attinet, ob rationem adductam. Alia verò omnia arbitramur de pacto ejusmodi à duobus viventibus in *naturali statu*, & à *civitate cum cive* inito.

92. *Priores* quod concernit, ratio quæ in contrarium afferebatur de statu hostili, hypothesin sapit jam diu explosam, quin potius ex dictis inferimus: *Omne pactum affert intrinsecam necessitatem conventa præstandi, ergo & hoc pactum de non resistendo*, sive *expresse* fuerit

fuerit promissa non resistentia, sive simpliciter *præstatio rei cujusdam alicui sponsa fuerit*, quia & hoc in se continet tacitè clausulam, quod tunc alter debeat habere potestatem vi me cogendi. Nam & ista, puto, quæ tacitè pactis insunt, necessitatem intrinsecam conventa præstandi (quod hôc locô per non resistentiam fit) afferunt.

93. Idem ergo de *civitate* dicendum erit, quatenus pactum init cum futuro suo cive, quoniam & hic tempore pacti hujus adhuc in libertate naturali est, & civis futurus saltem. Præterea tamen etsi ipsum pactum ejusmodi expressum inter civitatem & civem celebrari pro *superfluo* habeamus, effectum tamen pacti illius seu obligationem ad non resistendum pro *superflua & inutili* in civitate habere non possumus.

94. Quod enim dicebatur, *sufficere* civitati, ut ipsa possit nocentibus pœnam infligere, si *singuli cives* fidem dent, quod non velint eum, à quo supplicium sumendum, *per vim defendere*, id equidem parum securitatis afferet principi, qui hoc modo cogeretur ipse suam vitam exponere in periculum, pœnam exigendo à delinquentibus.

95. Sed forte plus senserunt dissentientes, putantes, *sufficere* civitati, si *singuli cives* fidem dent, qvod velint *vires suas conjungere* adversus delinquentem ad sumendum supplicium. Hic certè speciosior fit objectio, non tamen verior. Nam qvid si *ingens multitudo* aut *magna pars populi* deliquerit, quod nonnunquam contigit. Hic sanè non ita sufficiens est remedium ad reducendam tranquillitatem civium reliquorum assistentia adversus delinquentes *de justitia resistentiæ suæ persvasos*, quam si iidem vanâ istâ persvasione vacui, & stimulis conscientiæ turbati, vel *timidius resistant*, vel *sponte pœnis se subjiciant*.

96. Quod si nobis regeras, vel ex nostra tamen ipsorummet doctrina non obligari delinquentes ad patientiam actuum immediatè mortem vel vulnera inferentium, ergo & ex nostra hypothesi non ita benè promoveri tranquillitatem Reipublicæ, responderem; sufficere ad illam beatitudinem, si modo delin-

quentes non resistant in actibus pœnæ illationem proximè vel remotè etiam antecedentibus. Nam tum delinquens turbare pergit pacem communem, si capere eum volentibus armata manu resistat, si tempore executionis appropinquantes violenter se liberare tentet. Quod si jam gladius collum feriat, si laqueo guttur sit obstrictum, resistentia ejus non præjudicat Reipublicæ.

97. Ultimò & illud proponitur, y) propriè dici non posse ad pœnam aliquam teneri, *quia pœna significet aliquid, quod invito est imponendum*, & voluntatis aversionem ab illa involvit. At verò ad quæ propriè tenemur, talia esse intelligi, ut ad eadem præstanda *ultrò & libenter* moveri debeamus.

98. Etsi enim sæpius etiam in rebus reliquis præter pœnam homo, qui ante volens se obligavit, posteà ex malitia fit invitus, & hæc ejus voluntas ipsum ab obligatione non liberet, ratio tamen haud dubiè tunc illa subest, *quod debeat hic velle.* Sed in pœnis *non debet velle*, sed nolle, cùm aliàs pœna non foret pœna, nec emendaret, si non imponeretur invito.

99. Hæc omnia concedimus, si de *actibus ultimis pœnæ* sermo sit. Hi inferuntur invitis. Ergo ad hos delinquens non est obligatus. In antecedentibus & concomitantibus aliud est, quia ad hos quidem definitio pœnæ non quadrat.

100. Facilè jam judicari potest, quibus præceptis includatur *officium civium* intuitu pœnarum; *Delinquentis* unicô absolvitur: PERFER POENAM A SUPERIORE INFLICTAM. Ita ægroti unicum officium est, applicare sibi medicamenta à Medico præscripta.

101. *Principis pœnam inferentis* officium respicit præceptum *generale*: PUNI DELINQUENTES, QUANTUM AD UTILITATEM REIPUBLICÆ OPUS EST. Ita *Medici* officium est, medicamenta præscribere ægroto, quantum ad obtinendam sanitatem est opus.

102. Fluunt ex hoc præcepto *duo specialia*, unum respiciens *actus*

---

ad §. *97.* y) *à Dn. Pufend.* VIII. 3.4.p. 1048.

actus puniendos, *alterum* puniendi modum. *Prius est*: PUNI ACTUS DAMNUM REIPUBLICÆ INFERENTES ET EMENDABILES. Ita *Medicus* non propter omnem aberrationem medicamenta præscribit, sed propter eam, quæ morbum parit & medicamentis tolli potest.

103. Inde pœnis humanis regulariter eximuntur *actus merè interni*, i. e. cogitatio delectabilis de peccato aliquo, cupiditas, desiderium, destinatio citra effectum; etsi postea per subsequentem confessionem ad notitiam aliorum perveniant. Nam cum ejusmodi motu interno nemini noxa inferatur, nullius quoque hominis interest, ut ob eundem quispiam puniatur.

104. Ita *Medicus* ordinariè non medicamenta adhibet ad coercendam inclinationem hominis ipsum moventem ad excessum in cibo & potu, si modo ipse homo inclinationem istam superet.

105. Durum quoque nimis foret, pœnis humanis subjicere *minutissimos lapsus*, quos in isthac naturæ conditione non datur effugere, quantamcunque attentionem quis adhibere instituat.

106. Ita *Medicus* modicam aberrationem à diæta etiam frequentatam non statim medicamentis corrigere satagit.

107. Præterea dissimulant leges humanæ multos actus, *quorum contrarii splendidiores futuri sunt*, si non ex intuitu pœnæ videantur suscepti, ut in virtute liberalitatis & officiis humanitatis, quemadmodum *medicus* etiam ad enormem aberrationem à diæta non statim medicamenta applicat.

108. Ulterius, sicut multi sunt *levissimi morbi*, ubi operæ pretium non est Medicum inquietari, ita & multa sunt *delicta leviora*, ubi operæ pretium non est inquietari judices.

109. Iterum si res *obscurissimæ sit disceptationis*, sæpius à pœnâ abstinendum est, sicuti *medicus* â medicamentis abstinere solet, si incertissima adsunt morbi indicia.

110. Deinde ob defectum *emendabilitatis* à pœna humana eximi necesse est illa *vitia animi* ex corruptione mortalium communi resultantia, quæ ita *frequentia* reperiuntur, ut defuturi es-

ſent, quibus imperaretur, ſi ſeveris iſta pœnis plectere velis, quousque in enormes actus non eruperunt; uti eſt *ambitio*, *avaritia*, *inhumanitas*, *ingratus animus*, *hypocriſis*, *invidia*, *ſuperbia*, *iracundia*, *ſimultas & ſimilia*.

111. Ita nunquam officium *medici* eò eſt extendendum, ut intendat tollere imbecillitatem ſtomachi naturalem, cauſam plurium morborum, ſed ſufficit, ſi eam temperet, ne in morbos erumpat.

112. Quin & ſi *inolitum planè malum* citra convulſionem totius civitatis tolli nequeat, puta, ſi tanta ſit multitudo peccantium, ut ſuppliciis civitas exhauriretur, fruſtrà pœnas adhiberet princeps, uti fruſtrà medicamenta adhiberet *medicus* in inveteratô morbô, & qui tales radices egit, ut citra præſentaneum vitæ periculum expelli nequeat. Sed utrobique ſufficiet, ſi princeps & medicus legibus & medicamentis vitium & morbum coerceant, ne latius ſerpant.

113. Quæ tamen hactenus diximus, intelligenda ſunt obtinere *ordinariè & regulariter*: quia poſſunt circumſtantiæ occurrere, ut ea ſe quandoque habeant aliter. Ita v. g. *cogitationes*, quatenus in notitiam pervenerunt, aliqando puniri poſſunt, v. g. in crimine læſæ majeſtatis; Ita ſi neceſſitas & utilitas reipublicæ ſuadeat, princeps edictis pœnalibus ad exercenda *officia humanitatis* poteſt adigere, non aliter ac *medicus* nonnunquam medicamenta adhibet ad expellendam inclinationem nimiam ad vorandum & helluandum, ſi videat eam ex pravâ diſpoſitione oriri, ac multò magis poſt craſſiores aberrationes à diæta medicamenta ad corrigendum ſtomachum ſuppeditat non raro.

114. Vice verſa & in iis, quæ propter periculum in *emendabilitatis* pœnæ non videbantur obnoxia, quandoque regula fallit, ſi æquale aut gravius ſubſit periculum, ſi pœna omitteretur. Unde non deerunt exempla, quod v. g. in rebellionibus aliquot hominum centuriæ trucidati per modum pœnæ fuerint. Sicut *medicus* enſe reſcindit partes humani corporis notabiliores etiam cum periculo aliquo mortis, ſi majus citra reſciſſionem ſit periculum, ut pars ſincera trahatur.

115.

115. Neque etiam putandum est, semper *necesse esse pœnam* exigi, quoties adsunt *peccata patrata pœnis humanis idonea*; Sed uti bonus *medicus* præter considerationem morbi respicit ad naturam & constitutionem patientis, neque adeo v. g. rustico, febre laboranti, applicat statim medicamenta, quæ fortè præscriberet homini imbellici; item ad alias circumstantias, v. g. an morbus duret, an verò sponte cessaverit? an indicia adsint, eum sponte cessurum esse? &c. ita & princeps, qui in pœnis semper ultimò reflectitur ad *utilitatem Reipublicæ*, similes circumstantias ponderat.

116. Inter quas sunt, *si fines pœnarum in certo casu non videantur necessarii*, aut *si venia majorem quàm pœna producere utilitatem sit idonea*; aut, *si fines pœnarum alia via commodius obtineri possint*. Item *si, qui deliquit, alleget sua aut sibi conjunctorum eximia in rempublicam merita, peculiari præmio digna*, aut, *si ab alia quapiam re insigni commendetur*; puta, à raro aliquo artificio; aut, *si spes sit fore, ut peccatum illud egregiis factis eluatur*: præsertim, ubi aliqua ignorantia, licet non planè inculpabilis, intervenerit, aut, *si particularis ratio legis in aliquo facto cessaverit*.

117. Quare constat, erroneum esse paradoxon Stoicorum, *nunquam licitum esse* statuentium, *ignoscere aut veniam dare*. Eorum enim argumentis ex dictis facilè satisfieri potest. z)

118. Venio ad puniendi modum, ubi præcipitur: PUNI QVANTUM AD EMENDATIONEM COMMUNEM EST OPUS: Quod enim pœnæ genus & quantum præcisè singulis peccatis sit infligendum, jus naturale non determinat, sed summo imperio civili definiendum relinquit, quod hic unice utilitatem reipublicæ præ oculis habere debet, uti medicus sanitatem corporis curandi.

119. Unde fieri potest & solet, *ut eadem pœna imponatur duobus delictis inæqualibus*. Nam quæ æqualitas judicibus circa reos observanda præcipitur, illa intelligenda est de reis, qui idem specie delictum commiserunt hactenus, ut quod in uno vindicatur

 delictum,

ad §. 117. z) *Vide omnino Dn. Pufend.* VIII. 3. 15.

delictum, alteri citra gravissimam causam condonari non debeat. Ita *medicus* sæpè unum medicamentum adhibet ad expellendos duos morbos diversos.

120. Quamvis igitur exactissimæ regulæ propter infinitas circumstantias tradi nequeant, summa tamen eò redit, quod princeps *in pœnarum irrogatione prospicere debeat, ut pœnæ adhibeantur proportionatæ delictis*, hoc est, ut illæ tantæ sint, quantæ sufficiunt ad reprimendam libidinem mortalium, qua feruntur in peccatum, nam & medicus medicamenta adhibet proportionata morbis.

121. Ut hoc autem commodè fieri possit, æstimanda est *gravitas ipsius delicti*, tum & respectus habendus *ad personam delinquentem*, quia & *medicus* in præscribendis medicamentis eadem & ad morbum & ad patientem accommodare debet.

122. *Gravitas delictorum* æstimatur ex *objecto*, *effectu* & *frequentia*, uti gravitas *morbi* ex loco quem occupavit, ex symptomatis & ex diuturnitate.

123. *Ex objecto* in quod peccatum fuit, prout illud nobile & pretiosum habetur, graviora sunt delicta, quæ lædunt DEUM, tum quæ imperantes, inde quæ pares quoad vitam, honorem, bona &c.

124. *Ex effectu*, prout multum aut parum damni in rempublicam inde redundat.

125. Ex *frequentia*, si leviores pœnæ malum non extirpent; nam tunc vulgatum obtinet: crescentibus delictis crescunt pœnæ.

126. *Persona delinquens* consideranda est, tum quoad *habitudinem ad delinquendum*, tum quoad *applicationem pœnæ*. Ita & *medicus* in partibus corporis humani sæpius perpendit earum proclivitatem ad morbum & dispositionem ad recipiendum medicamentum.

127. *Habitudo ad delinquendum* ex pravitate intentionis judicatur. Hæc verò ex variis indiciis colligitur, puta si facile potuit resistere causis, quibus quis ad peccandum fuit impulsus; aut si præter communem rationem peculiaris quædam accessit, quæ à peccan-

à peccando debebat absterrere, aut ubi circumstantiæ singulares factum aggravant, aut si animum quis habuerit idoneum ad resistendum peccatorum illecebris. Sed & considerari solet, primus quis, an aliorum exemplo seductus, semel, an sæpius, & post consumtas frustra admonitiones quis peccaverit.

128. *Habitudo ad recipiendum dolorem* judicatur ex qualitatibus, quæ sensum pœnæ augere & minuere possunt, quales sunt ætas, sexus, status, opes, vires & similia.

129. Restat, ut ostendamus, quid præceptis Juris naturalis in doctrina pœnarum addat *lex divina.* Addit verò aliquid præcepto illi *officium principis* dirigenti quoad *modum* puniendi: IN HOMICIDIUM ET ALIA DELICTA LEGE DIVINA EXPRESSA POENA CAPITALI ANIMADVERTE.

130. Voluit enim DEUS certis de causis *quorundam delictorum pœnas ipse determinare*, cui adeo tanquam sapientissimo, & cui interesse Rerumpublicarũ optimè cognitum est, obsequium præstare tenentur principes, voluntatis divinæ hac parte executores. Uti haud dubie tenerentur *medici*, si DEUS medicamentum aliquod generi humano revelasset, ad certam morbi speciem expellendam idoneum.

131. Sed potuit tamen etiam DEUS in ista determinatione non præcise respexisse ad tranquillitatem generis humani, *sed ad alias rationes nobis incognitas*, quamvis id certum sit, DEUM, ut generis humani & rerumpublicarum autorem, nihil ibi determinasse, quod generi humano noxium sit.

132. Fluunt ex ista observatione *duæ illationes. Primo*, quod princeps, etsi aliàs jus aggratiandi & mitigandi habeat in pœnis, si aliqua Reipublicæ utilitas, quamvis in spe & aliquatenus incerta, id suadeat; tamen in *delictis jure divino notatis aggratiandi & mitigandi jus in ejusmodi casibus citra peccati labem exercere nequeat*, quoniam utilitas incerta Reipublicæ debet cedere voluntati divinæ certæ.

133. Quod si tamen *citra certissimum Reipublicæ periculum pœnam jure divino dictatam exequi non valeat, non peccabit, si eandem*

emittat,

omittat, aut certè differat. Huc pertinet exemplum Davidis intuitu Joabi.

134. Tantum in *recensione ejusmodi delictorum* difficultas oritur. De *homicidio* non sinunt dubitare expressa scripturæ verba, quibus voluntatem suam Noacho & ejus liberis significavit Deus. *a) Quisquis effuderit sanguinem hominis, sanguis ejus iterum effundendus est*, quæ verba non solum comminationem, sed approbationem, non factum nudum, sed jus continent. *b*)

135. Per *reliqua delicta* intelligo illa, quæ in *Levitico* recensita sunt cum declaratione, quod per istas abominationes polluerint se *Gentiles*, & quod, qui ea facit, *extirpari debeat de populo suo. c*)

136. Sunt verò 1. omnes *incestus* species supra *d*) expositæ. 2. *concubitus cum menstruata.* 3. *adulterium.* 4. *immolatio seminis Molocho facta.* 5. *sodomia.*

137. Dissentiunt equidem communiter Doctores, in *adulterio* & *plurimis incestus speciebus*, determinationem pœnæ principi relinquentes, *concubitum vero cum menstruata* planè negligentes, *e*) ac scio etiam, ita communi Christianorum praxi observari. Sed jam quidem non exponimus, quid fiat, sed quid DEUS fieri velit.

138. Clara verò & perspicua sunt legis divinæ verba: *Quicunque istas abominationes perpetrant, eorum animæ extirpari debent de populo suo. f*)

139. Quæ pro lege saltem *forensi* haberi non poterunt solos Judæos spectante, quia præcesserat de gentibus, quod propter illa crimina Deus easdem extirpaverit, & quod similiter ob eadem velit extirpare populum Israeliticum: neque DEUS dicit: de populo *tuo*, vel *vestro*, sed: de *suo*.

140.

ad §. 134. a] Gen. IX. 6.
b] Confer. Grotium lib. 1. cap. 2. §. 5. & ibi commentatores.
ad §. 135. c] Vide Levit. cap. 18. & 20.

ad §. 136. d] Hoc libro cap. 3.
ad §. 137. e] *Imo quibusdam circumstantiis Medici Christiani concubitum ejusmodi suadent Theologis tacentibus.*
ad §. 138. f] Levit. 18. v. 29.

140. Nec est, quod putes, quasi antiquitatum Judaicarum ignarus non intelligam, quid velit phrasis: *extirpare de populo*. Notum enim probè est, quid Rabbini de *extirpatione* illa & *excisione*, tum & de phrasibus parallelis g) *portatione peccati*, *morte sine liberis* &c. somnient, sed notum etiam est, somnia illa fundamento destitui & repugnare contextui & locis parallelis. *b)*

CAPUT VIII.

De Officiis Fœderatorum.

SUMMARIA.

DEfinitio Societatis fœderatorum. §. 1.--7. *Unicum hic praeceptum: SERVA, QUOD IN FOEDERE PROMISSUM EST.* §. 8. *Fœderum divisio varia* §. 9.--27. *Non omne fœdus inaequale summum imperium diminuit.* §. 20. 21. *Distinctio fœderum in realia & personaliia pertinet potissimum ad monarchiam* §. 22.--25. *& est distinctio aequivoci* §. 26. *In dubio fœdus pro reali habendum* §. 27. *Differentia inter fœdera & sponsiones.* §. 28.

§. 1.

SOcietas fœderatorum est *societas plurium Rerumpublicarum, certae cujusdam utilitatis causa. a)*

2. Dico *plurium Rerumpublicarum*, nam si duo *privati* utilitatis

Hhhh

---

ad §. *140.* g] Levit. 20. v. 19. 20. h] *Vide Selden.* de J. N. & G. l. 7. c. 9. p. 872. *Havemann.* Gamol. p. 257. seqq. *Tenzelii* menses Germanicos de anno 1690. mense Decemb. p. 1085. *Dassov.* Coll. MSC. ad Levit. c. 20. sect. 2. *Ita quidem tum. Jam mallem sententiam illam Rabbinorum pro somniis non habere, vel propter unicum locum* Gen. XVII. 14. *ubi eadem phrasis occurrit, & tamen non potest pœna capitalis intelligi. Igitur meretur haec controversia ulteriorem disquisitionem.*

ad §. *1.* a) *Junge cum hoc cap. Puf.* lib. 8. c. 9. & de O. H. lib. 2. c. 17.

litatis causa inter se conveniant, pactum est seu contractus, non fœdus. Eadem ratio est conventionis inter *principem* & *privatum* sive suæ, sive alterius Reipublicæ.

3. Quin etsi *princeps cum principe* paciscatur utilitatis privatæ gratiâ & non *Reipublicæ* nomine, pactum potius est, quam fœdus.

4. Sed meminisse etiam debebis, quod vocaverim *societatem* Rerumpublicarum, non pactum. Nam etsi societas fœderatorum semper pactum præsupponat, aut fœdus sit species pacti Rerumpublicarum: non tamen omne pactum Rerumpublicarum societatem producit, nec adeo omne earum pactum est fœdus.

5. Scilicet *pacta Rerumpublicarum* possunt etiam fieri de re statim expedienda, ut si una respublica alteri quid vendat; at fœdera requirunt unionem voluntatum inter duas respublicas longiori aliquo temporis spatio duraturam.

6. Quod tamen ex natura fœderum communi indefinitum est, ita ut ejus duratio relinquatur conventioni partium, nec adeò requirat *unionem perpetuam*.

7. Denique dixi, fieri fœdera *certæ utilitatis gratiâ*, per quæ verba differt societas fœderatorum à *systemate civitatum*, quæ indefinitæ utilitatis communis causa fiunt, & simul regulariter tendunt ad unionem perpetuam. *b*)

8. Dirigit hanc societatem unicum præceptum: SERVA, QVOD IN FOEDERE PROMISSUM EST, idque tanquam conclusio ex præcepto generali de pactis servandis deducitur, nec aliter potest, quia fœdera diximus esse pactorum species. Unde nec est, ut quicquam addamus.

9. Nisi *divisiones fœderum* & *differentias eorum à sponsionibus*. *Fœdera* intuitu *materiæ* possunt dividi in ea, quæ constituunt de aliquo officio invicem præstando, quod jam antea *lege naturali* præcipiebatur; &, quæ officiis legis naturalis aliquid *superaddunt*, aut saltem eadem, ubi indefinita videntur, ad *certi* quid *determinant*.

10. *Prio-*

ad §. 7. b) *Dissentire videtur Pufend.* de O. H. d. c. 17. §. 6.

10. *Priora* vel reſpiciunt *complexum præceptorum* juris naturalis, ut quibus ſimplex duntaxat amicitia, citra peculiarem præſtationem ſancitur, vel *certam ſolum juris naturalis regulam.*

11. Et vel *de noxa non inferenda*, vel de *ſimplici duntaxat humanitate* exercenda, quorſum pertinent ea, quib9 ſimplex jus hoſpitii aut commerciorum, quatenus id jure naturali debetur, ſtabilitur.

12. Ex his *tribus ſpeciebus prima & ſecunda* vix merentur fœderum nomen, quia non producunt novum finem, qui ante fœdus non jam adfuiſſet, unde nec hodie ſunt adeò in uſu, olim verò ob vanam perſuaſionem, qua Ethnici licitum putabant in non fœderatos latrocinia exercere, non erant infrequentia.

13. *Tertia* verò, quæ de præſtandis officiis humanitatis initur, eum ſaltem effectum producet, ut, cum ante fœdus non liceret denegatum ejusmodi officium bello vindicare, id jam liceat poſt fœdus.

14. Sed & his tamen nobiliora ſunt *poſterioris claſſis fœdera*, quæ iterum ſunt vel *æqualia* vel *inæqualia.* Illa ſunt, quæ utrinque eodem ſe modo habent, ſeu quando non ſolum æqualia utrinque promittuntur, ſimpliciter aut obſervata proportione virium; ſed & æquali modo, ita ut neutra pars præ altera ſit deterioris conditionis aut alteri obnoxia.

15. Et potiſſimum ineuntur vel ad *commercia*, vel ad *communitatem* belli ſeu auxilia mutuò præſtanda in bello offenſivo aut defenſivo, vel ad *alias res.*

16. Fœdera æqualia *circa commercia* varia eſſe poſſunt, puta ſi conveniatur, ne cives utriusque fœderati alterutrius terras aut portus accedentes ullum vectigal ſolvant, aut non plus quam in præſens ſolvitur, aut ne ſupra certam quantitatem, aut ne plus quam cives vel alii ſocii ſolvant &c.

17. Circa *ſocietatem bellicam*, ſi conveniatur, ut utrinque paria præſtentur auxilia militum, navium, aut alterius apparatus bellici, idque vel utroque tempore, ſive bello alteruter invadatur, ſive alteri bellum velit ipſe inferre, vel ſi alteruter bello impetatur. Quandoque etiam auxilia promittuntur ad certum duntaxat

taxat bellum, aut contra certos hostes, aut contra omnes quidem, sed exceptis utriusque fœderati sociis.

18. Denique æqualia fœdera circa *alias res* sunt, ne in confinio alterius alter arces habeat, ne subditos alterius defendat aut recipiat, aut, ut comprehensos alteri transmittat, ne iter alterius hosti præbeat, & quæ sunt alia.

19. Poterit tamen hæc fœderum æqvalium divisio applicari etiam ad *inæqvalia*, qvæ sunt, qvando vel inæqvales præstationes invicem exhibentur, vel altera pars est deterioris conditionis. Promittuntur autem inæqvalia vel à *fœderato digniore*, vel à *minus digno*. *Prius fit*, si potentior promittat alteri auxilia, nec restipuletur, aut si majori proportione qvàm alter promittat. Posterius contingit, si fœderatus inferior plura teneatur præstare, qvàm ab altero recipit.

20. Eorum, qvæ à *fœderato inferiore* præstantur, qvædam sunt conjuncta cum imminutione summi imperii; puta si conventum sit, ne inferior socius partem aliqvam summi imperii exerceat, nisi cum consensu superioris. Qvædam autem summum imperium non diminuunt, licet adjunctum habeant aliqvod *onus transitorium*, seu qvo simul & semel licet defungi; puta si ex fœdere pacis alter teneatur stipendium solvere alterius militibus, belli sumptus restituere, certam sumam pecuniæ solvere, mœnia diruere, obsides dare, naves, arma tradere &c.

21. Imò nec qvævis *perpetua onera* summum imperium diminuunt. Qvalia sunt; eosdem cum altero amicos & hostes habere, sed non reciprocè; ne liceat certis locis munitiones extruere, ne ad certa loca navigare. &c. Item si unus sociorum alterius socii majêstatem comiter teneatur colere, seu reverentiam qvandam ipsi exhibere, & sese ad ejusdem placitum modestè attemperare.

22. Celebratur etiam communiter divisio fœderum in *realia* & *personalia*, qvorum *hæc* sunt, qvæ cum rege intuitu personæ ipsius ineuntur, eoqve defuncto simul exspirant. *Illa* verò sunt, qvæ non tam ipsius regis ut talis, qvam reipublicæ & regni intuitu contrahuntur, ac perdurant, istis licet mortuis, qvi eorundem autores fuerant.

23.

23. Ex definitione verò utrorumqve apparet, distinctionem hanc non pertinere ad omnes Reipublicæ formas, sed maximè ad *Monarchiam*.

24. Nam qvod democratiam concernit, parcissimus ejus est usus, qvia populus non interit, nec successorem habet, sed semper morali æstimatione est idem. Eadem dicenda sunt de statu Aristocratico.

25. Qvin etsi status Reipublicæ democraticæ aut aristocraticæ mutetur in monarchicum, fœdus mansurum est, republica licet mutata, qvia & hic idem populus manet.

26. Porrò qvod monarchiam attinet, magis hanc distinctionem haberem pro distinctione *æqvivoci*, non pro divisione vera, qvia qvod *personale* fœdus vocavimus, magis *pactum* est qvàm *fœdus* per dicta superius. *c*)

27. Qvo pacto non opus habemus ad cognoscenda κριτήρια, qvæ secernant fœdera realia à personalibus, qvæ à variis proponuntur variè. *d*) Nam cum Rex in dubio, qvæ agit, præsumatur agere ut rex seu caput Reipublicæ, in dubiò qvoqve pacta regum pro fœderibus realibus erunt habenda, nisi verbis expresse aliud fuerit conventum, aut natura negotii ostendat aliud. *e*)

28. A *fœderibus* differunt *sponsiones*, *f*) qvæ propriè vocantur ista pacta, quæ à ministro summæ potestatis circa negotia ad eandem spectantia sine ipsius mandato ineuntur. Qvibus uti summus imperans non tenetur, nisi postqvam eadem rata habuerit; ita si minister easdem absolutè contraxerit, & ratihabitio secuta non fuerit, ipse viderit, qvomodo satisfaciat illis, qvi ejus fidem secuti inanibus pactis decepti sunt.

ad §. 26. c) h. c. §. 3.

ad §. 27. d) vid. Puf. d. l. 8. c. 9. §. 7. & 8.

e) *Ut si rex in fœdere alteri promittat filiam. Hoc enim non promittit ut Rex, sed ut Pater.*

ad §. 28. f) Conf. disp. nostr. de sponsione Caudina §. 47. seq.

Caput IX.
De
Officiis Erga Legatos.
SUMMARIA.

Connexio. §. 1. 2. *Legatorum homonymia & species.* §. 3. -- 8. *Variæ distinctiones hic considerandæ* §. 9. -- 13. *Officium erga Legatos consistit vel in admissione, vel in inviolabilitate.* §. 14. *De admissione præceptum : LEGATI SINE CAUSA JUSTA NON SUNT REIICIENDI.* §. 15. *Fluit ex debito officiorum humanitatis,* §. 16. *pertinet & ad legatos, qui ab hoste mittuntur,* §. 17. *& ad tertium, cujus fines legatus peragrat.* §. 18. *Ob Legatum non admissum non oritur justa belli causa.* §. 19. *Causæ justæ rejiciendi Legatum,* §. 20. 21. *inter quas an sit, quando Legatus ideò rejicitur, quod veniat ab hoste armato,* §. 22. 23. *aut, quod sit atheus vel hæreticus?* § 24. *An hodiernæ Legationes assiduæ residentium possint rejici? quod affirmatur & respondetur dissentientibus.* §. 25. - 32. *Definitur inviolabilitas Legati.* §. 33. 34. 35. *Præceptum circa eam: LEGATOS INNOCENTES, IMO ET REGULARITER NOCENTES NON LÆDE.* §. 36. *Inquiritur in rationem hujus præcepti distinctè,* §. 37. *circa Legatum innocentem togatum,* §. 38. 39. *& sagatum, tùm antè admissionem* §. 40. -- 42. *tùm post eam.* §. 43. - 46. *Quid adeò observandum sit Legato sagato, si inviolabilitatem prætendere velit?* § 47. -- 50. *Circa Legatum nocentem distingvitur.* I. *Si delinquat ipse Legatus solus* §. 51. *ubi quæritur* [a] *Quibus delictis excidat Legatus sanctimonia?* §. 52. *Ubi quidam statuunt ex omni,* §. 53. 54. *quidam ex nullo,* §. 55. *quidam verius distingvunt:* §. 56. *ut excidat ex delicto manifesto & atroci.* §. 57. -- 60. *Criteria delicti levis & atrocis.* §. 61. -- 64. [b] *Quales tum Legato possint opponi vindiciæ?* §. 65. -- 72. II. *Si delinquat jussu Principis sui.* §. 73. -- 76. III *Si delinquat Princeps inscio legato.* §. 77. -- 81. *Inviolabilitas legati intuitu Comitum,* §. 82. -- 85. *ubi & de jure asyli* §. 86. *item intuitu rerum ejus mobilium* §. 87. 88.

§. 1. Restat

§. 1.

RESTAT *societas Gentium*, in qva jam suprà *a*) diximus neqve novum finem neqve nova præcepta esse expectanda, sed solùm applicationem præceptorum communium librô secundô expositorum ad duo Juris Gentium capita potiora de *legationibus* & *jure sepulturæ.*

2. Neqve enim hic opus erit ad jus qvoddam *voluntarium humanum* recurrere, qvia ab initio mox demonstravimus, Jus Gentium ad jus voluntarium non pertinere, sed esse speciem Juris naturalis.

3. Res ipsa verò loqvitur, dum de societate Gentium jam sumus occupati, de *legatis b)* loqvi nos velle *diversarum rerumpublicarum*, non de legatis, qvi connectunt societatem Dei cum hominibus, aut hominum in societate civili viventium, aut singulorum hominum in diversis rebuspubilcis. *c*)

4. Qvare & exulare debet *legatio titularis* eorum, qvi privati tantum negotii causa in aliam Rempublicam discedentes favoris & honoris ergo cum titulo legati, sed absque ullo Reipublicæ ad alteram mandato dimittuntur.

5. Rursus eorum, qvi ab una Republica ad aliam rempublicam mittuntur, alii vel *repræsentant* per fictionem rempublicam ipsam, à qva sunt missi aut ejus Principem, qvi *legati* simpliciter & strictè dicuntur, vel *sine charactere isto* mandatum publicum exeqvuntur.

6. Tales hodie sunt, qvos *Agentes*, vel *Agendarios* vocant, qvi rebus pacatis, *Heraldi* item, *Tubicines* ac *Tympanotribæ*, qvi turbatô ferè ac bellicô statu adhibentur. *d*)

7. *Priores* legati moribus nostris sunt vel *temporarii* seu *extra-*

ad §. *1.* a) *lib. 3. c. 1. §. 46.*

ad §. *3.* b) *Junge cum hoc capite Grotium & ejus commentatores* lib. 2. c. 18. *Patrem* disput. pecul. de Legat. inviolab.

c) *Pater* §. 7. seqq.

ad §. *6.*) *Conf.* ad §. 4. 5. 6. *Patrem* d. l. §. 12. 14. 15.

extraordinarii, ſtylo publicô *Ambaſſatores*, vel *perpetui*, ſeu *ordinarii* qvi *Reſidentes. e)*

8. De *utriusqve generis f) legatis* dicemus, & de iis, qvi characterem principis gerunt, & qvi eo deſtituuntur, potiſſimum tamen de illis, qvia ſunt ſpecies nobilior.

9. Qvi adeo duplici modo conſiderari poſſunt, ſemel ſub *principis ſui*, iterum ſub *ſua perſona. g)*

10. Qvin &, ſi nexum ſpectes, qvi ipſi cum comitibus ſuis, familia item ac rebus intercedit, poterit legatus concipi vel ut *totum phyſicum*, hoc eſt, in ſua ſolius perſona, qvæ tamen hic principis imaginem non excludit, vel ut *totum morale*, ſimulqve adeò in iis, qvæ ipſi connexa ſunt. *h)*

11. Porrò legati in genere reſpectu mittentis vel *ab hoſte* veniunt, vel *ab amico* principe, qvo nomine & is cenſetur, qvi non eſt hoſtis, & qvi bellum ſaltem ſub conditione indici curat, ſicut is hoſtis etiam eſt, qvi conſilia pacis proponat. Illum *ſagatum* appellare poteris, hunc *togatum. i)*

12. Denique Legatus vel referri poteſt ad *mittentem*, vel ad eum, *ad qvem eſt miſſus*, vel ad illum, *cujus fines peragrat. l)*

13. *Prima* relatio huc non pertinet, qvia cum eo, qvi legatum miſit, Legatus vivit in ſocietate civili, non gentium. Reliqvæ duæ hujus loci ſunt, potiſſimum tamen ſecunda. *m)*

14. Officium verò erga Legatos potiſſimum in *duobus momentis n)* conſiſtit, in *admiſſione*, & *inviolabilitate*. *Admiſſionem* hic tam latè uſurpo, ut audientiam & dimisſionem ſub ſe comprehendat.

15. De *admiſſione* illud eſt præceptum: LEGATI SINE JUSTA CAUSA NON SUNT REJICIENDI. *o)*

16. Ra-

ad §. *7.* e) *Pater* §. 47. ſeqq.
ad §. *8.* f) *Pater de poſterioribus planè non tractavit.* Vide §. 14.

ad §. *9.* g) *Pat.* §. 35.
ad §. *10.* h) *Pat.* §. 40.
ad §. *11.* i) *Pat.* §. 43. 44.
ad §. *12.* l) *Pat.* §. 35. ſeq.
ad §. *13.* m) *Pat.* §. 37. & 38.
ad §. *14.* n) *Grotius* §. 3. *Pat.* §. 61. & ibi lit. p.
ad §. *15.* o) *Grot.* §. 3.

16. Ratio dependet à præcepto de *præstandis officiis humanitatis. p)* Qvoniam enim & rebuspublicis inter se invicem mutua commercia intercedunt, & officiorum communicationes, & his alendis necessarium est, ut altera alteri voluntatem significet suam, id verò non commodè per colloqvia ipsorum principum, neqve adeò bene etiam per literas semper, commodissimè verò per nuntios expediri potest, peccaret in officia humanitatis, qvi legatos sine justa causa rejiceret.

17. Qvod & ad eos extendo, qvi *ab hoste* ad hostem mittuntur. Nam & in medio statu belli, humanitas postulat cogitare de pace & audire alterius pacis consilia.

18. Similiter præceptum nostrum etiam ad *tertium* pertinet, cujus fines legatus peragrat, qvatenus & is obligatus est mutua aliorum humanitatis officia humanitate sua promovere, cujus respectu tamen præceptum hoc magis pertinebit ad Legatum, qvi ab amico mittitur, qvàm qui ab hoste tertii.

19. Illud verò ex ratione præcepti illius fluit, quod tantùm ob non admissum Legatum non oriatur *justa belli causa*, nisi legationem extorserit extrema necessitas. Ita enim suprà demonstravimus, ob violata humanitatis officia regulariter alterum bello peti non posse.

20. Cæterum diximus *sine justa causa:* Harum autem uti infinitæ sunt, qvæ in genere aliquem à præstatione officiorum humanitatis excusare poterunt, ita & hic eædem certis regulis includi neqveunt, sed potius cujuslibet conscientiæ propriæ atqve prudentiæ erunt relinqvendæ.

21. Tales sunt *q*) v. g. si certum sit, Legatum non super pace aut negotiis publicis, sed ad seditionem concitandam civiumqve sollicitandos animos venisse, si non Legatus, sed explorator, si ad tempus extrahendum, eâq; morâ rebus domini sui consulendum, & alteri, ad qvem missus est, nocendum venerit. Si simili fallaciâ jam sæpe aliis illusit, aut aliis modis Legati ingenium suspectum sit.

Iiii 22. Illa

ad §. *16.* p) *Conf. Patr.* §. 1. 2. 3.
ad §. *21.* q) *Hennig.* ad Grot. p. 783.

22. Illa verò causa *in universum* justa non est, si quis velit legatum repudiare eò, qvod veniat *ab hoste armato*, *r*) qvia neqve pax neqve induciæ neqve ullæ aliæ conventiones inter belligerantes iniri facilè possunt, nisi per Legatos. Hos ergo qui ex isto solùm prætextu respueret, omnem tolleret reconciliationis & pacis reparandæ spem.

23. Dico *in universum*. Unde neq; factum Periclis statim culpare vellem, *s*) qvo autore Melesippus Lacedæmoniorum Legatus dimissus est extra fines agri Attici, qvòd ab hoste armato veniret. Nam quemadmodum aliàs in statu pacis non peccat, qvi, cùm ejus non in pari gradu intersit, contractum celebrari, alteri pacisci volenti leges qvasdam pacti & conditiones præscribit, ita & qui bello superior est, cæteris paribus non peccabit, si alterius de pace tractare cupientis Legatum non antea admittat, quam ipse arma deposuerit.

24. Porrò uti in universum propter *solum atheismum aut hæreseos labem Legati* non videntur esse rejiciendi, qvia jus Gentium pertinet ad officia populorum qvà talium, non qvà Christiani sunt aut Ethnici, ita tamen rursus nollem taxare factum Lysimachi, qvi audire noluit Theodorum, qvi ἄθεος vocabatur, à Ptolomæo ad se missum. Quia regulariter alteri cui aliquid nunciari volo, liberum est, cum quo nuncio negotium tractare velit. *t*).

25. Id verò rectè asseri arbitror: Optimo jure rejici posse, qvæ nunc in usu sunt, *Legationes assiduas residentium*, non qvidem ex ea ratione, qvod mos antiqvus, cui illæ ignoratæ sint, ostendat, qvod ipsis non adeò sit opus, quoniam officia humanitatis non solùm necessitatem, sed & utilitatem aliorum promovent. *u*)

26. Sed

ad §. *22.* r) *Ziegl.* ad Grot. p. 412.
ad §. *23.* s) Grot. §. 3.
ad §. *24.* t) Grot. §. 3. *Ziegl.* p. 413. *Henn.* p. 784.
ad §. *25.* u) Grot. §. *3. in fine. Ziegl.* d. p. 413. *Kulpis* de Legationibus p. 30.

26. Sed vel maximè ideò, quod tales Legationes magis ad expiscanda alterius reipublicæ secreta, quàm pacis causa in aliquo loco hæreant, adeoq; sint honestæ explorationes eorum, quæ in alia Republica geruntur. Misera enim esset conditio principum, si unus alterum cogere posset ad explorationem hanc patiendam *x*)

27. Quare cum earum admissio magis ex mera ejus, ad quem mittuntur, indulgentia dependeat, citra violationem ullius juris, si amplius eas permittere videatur incommodum, denegari poterunt, si modò quis pati velit, ut sui pari modô tractentur, nam si qvis aliorum residentes admittere nollet, ipse verò suos aliis obtrudere, is apertè peccaret in præceptum de custodienda æqvalitate & vitanda superbia. *y*)

28. Qvi in contrarium, nec hujusmodi legationes sine alia justâ causâ rejici jure posse, inclinant, *z*) ad *exempla* provocant & *judicia imperantium*, tanqvam ex qvibus consensus Gentium eliciatur, & unicè æstimationem suam consequatur, ità ut postqvam paulatim gentes mutuis factis comprobaverint ejusmodi legationes, & residentes in consortium cæterorum Legatorum admiserint, iisdemq; juris Gentium privilegia applicaverint, paulò arctiùs sese adstrinxisse videri debeant, ut quod anteà beneficii & mutuæ voluntatis fuerit, posteà conversum sit in mutuas præstationes vim juris habentes.

29. Unde id concedunt, initio, cum introduceretur ista consvetudo, liberiorem fuisse Regum ac Principum facultatem deliberationemqve super ista admissione.

30. Sed hæc profectò discussione prolixa non habent opus, cum præsupponant, jus Gentium esse speciem juris humani voluntarii, quod suprà fusius rejecimus.

31. Accedit quòd *judicia Principum* hic jure sint suspe-

ad §. *26.* x) *Puf.* II. 3. 22. p. 197. *Ziegl.* p. 413.
ad §. 27. y) *Puf.* d. p. 197.

ad §. *28.* z) *Kulpis* d. l. p. 31. seqq. Conf. eund. ad Grot. hic.

cta, a) cum ipsi non possint esse testes in causâ propriâ, & unius principis magis intersit has legationes admitti, qvàm alterius.

32. Id tamen non diffiteor, uti in omni rejectione Legatorum togatorum, ita hic maximè cautè esse procedendum, ne rejectio fiat *cum contumelia* vel Legati, vel Principis, qvi Legatum misit, quia tum peccaretur in præceptum de *vitanda superbia* & justa proinde belli causa oriretur. Qvin potius facienda est rejectio cum contestatione perennis benevolentiæ.

33. Pergo ad *inviolabilitatem*, per qvam intelligo debitum Legato præstandum, qvod expletur actu non lædendi. b)

34. *Læsionis* voce hic utor in lata acceptione, ita ut sub se etiam comprehendat contumeliam, & qvatenus alias fit vel inferendo alicui malum, vel auferendo, qvod habebat, bonum.

35. Etsi verò aliàs communiter læsio dicatur de *innocentis* violatione, in materia tamen Legatorum eadem tam latè supponitur à scriptoribus, ut extendatur qvandoqve etiam ad vim *justam*, qvæ infertur homini nocenti & delinqventi.

36. Qvo pacto tale evadet præceptum, qvod Legatorum inviolabilitatem concernit: LEGATOS INNOCENTES, IMO ET REGULARITER NOCENTES NON LÆDE.

37. Sed in exponenda ratione genuina hujus præcepti & declaranda ejusdem ampliatione scriptores non conveniunt. Nobis videtur, adhibendas esse distinctiones 1. inter Legatos *innocentes & nocentes* 2. inter *togatos* & *sagatos* 3. inter eum *ad qvem* Legatus mittitur & *tertium*.

38. Qvod Legatos *innocentes* eosqve *togatos* attinet, illorum inviolabilitas haud dubie munitur præceptis communibus juris naturalis de *vitanda superbia & non lædendis aliis*, sive eum principem consideres, *ad qvem* Legatus missus est, sive *tertium*; ejusmodi enim inviolabilitas indistinctè debetur omnibus homini-

ad §. 31. a] *Ita provocat Dn. Kulpisius* p. 31. *ad declarationem Regis Galliæ.*

ad §. 33. b] *Pater* §. 57.

minibus, adeoq; hac parte in Legatis nihil est peculiare, neq; opus est, ut qvantum privilegium eorum contra vim injustam attinet, hic refugium qværamus in majestate principis, qvem repræsentant. c)

39. Neqve adeò dubium est, si innocentibus legatis ab amico missis, contumelia vel damnum datum fuerit, justè id *vindicari per bellum*, eoqve pertinet exemplum Legatorum Davidis.

40. Legatorum *Sagatorum*, qvi ab hoste veniunt, securitas *ante dimissionem* dependet à solo præcepto de *præstandis officiis humanitatis*. Cùm enim regulariter hostis hostem lædere possit, semper verò, etiam abstrahendo à promisso, in medio bello officium humanitatis utrumqve hostem inclinare debeat ad studium pacis, inde hoc casu princeps sive *tertius*, sive is, *ad qvem* Legatus mittitur, si Legatum non admissum interficiat, præceptum de non lædendis aliis, qvod inter hostes non observatur, haud violat, sed violat saltem humanitatis officia.

41. Adeoqve hoc passu *novam causam justi belli* non præbet, sed *veterem tantùm, si anteà justa fuerit*, firmat.

42. Dico *si antea justa fuerit*, nam si anteà fuerit injusta, hoc est, si is, qvi legatum mittit, alteri, ad qvem legatus mittitur, injuriam intulerit, ne qvidem violationem Legati putarem belli justitiam ab una parte transferre in alteram, d) nisi fortè lædens per legatum obtulerit conditiones pacis, hoc est satisfactionem de injuria illata. e)

43. *Post admissionem* verò Legatorum securitas firmatur insuper pacto, tam intuitu ejus *ad qvem* missus est, quàm intuitu *tertii*, qvod ipsum, si innocenter vivat, lædere nolint.

ad §. 38. c] Quod facit Hornius, cujus locum vide ap Hennig. d. l. p. 777.

ad §. 42. d] Quia officia humanitatis producunt saltem jus imperfectum.

e] *Quia tum officia humanitatis obligant perfectè, si quis in extrema necessitate est constitutus, quod tum dicendum est, quia pax sine legatis non potest fieri.*

44. Rariùs tamen hoc pactum *expressis verbis* initur, sed plerumqve tacitis pactis annumerandum est, & exinde colligitur. Qvoniam ut diximus, etiam in bello de negotiis pacis sine internunciis tractari non potest, & verò sine inviolabilitate Legatorum negotium vel non haberet *initium*, qvia nemo facilè sub hoc periculo suscepturus esset legationem, neque Respublica etiam homines bene meritos (qvi maximè ad legationem reqviruntur,) honestè ad eam cogere posset; *f*) vel *nullum* haberet *exitum*, si Legatus impunè posset interfici, vel certè *difficilem*, si impunè posset vexari; igitur positis his circumstantiis, & qvia pacta tacita freqventer se in eo fundant, qvod *qvi concedat finem, concedat etiam media ad obtinendum finem ducentia*, semper verò inferunt, qvod in dubio homines etiam facta pro ejusmodi signis usurpare velint, qvalia ea esse voluerint communiter alii homines, quilibet homo recta ratione utens ita concludit: Admisit Legatum; ergo securitatem promisit.

45. Loquor verò de pactis *tacitis*, non de *præsumptis*, de quorum differentia latius egi libro secundo. Neqve enim obligatio post admissionem alium fontem habet quàm consensum verum, neqve citra consensum alia lex principes obligat ad inviolabilitatem, qvam illa saltem de præstandis humanitatis officiis.

46. Igitur hoc pactum tacitum *novum tamen effectum producet*, ut si Legatus innocens violatus sit post admissionem, justa belli causa oriatur, vel certè à lædente ad principem læsi transferatur, qvia pacta transferunt jus perfectum.

47. Fluit ex dictis, quod Legatus *Sagatus* tum demum inviolabilitatem stricto jure prætendere possit, si à principe altero fuerit *admissus*, certè nullam conquerendi causam habet, si prohibitus accedere venerit tamen, nisi in quantum tunc officia humanitatis Principem alterum ligant. *g*)

48. Quin

ad §. 44. f] *Pater* §. 90.
ad §. 47. g] *Pater* §. 113.

48. Quin imò si Princeps Legatum sagatum non admittat, nisi *sub hac conditione* expresse, ut libertatem lædendi ipsum sibi reservet, putarem & tunc per læsionem violari saltem principis, cujus est Legatus, jus imperfectum. Neque enim ex admissione poteris consensum tacitum principis inferre ob regulam vulgatam, quod frustrà quæramus de consensu tacito, quoties constet de expresso contrario.

49. Et hoc insuper ex dictis deduci potest, quod Legatus, Sagatus maximè, maturè personam præmisso ministro vel alio signo à Gentibus recepto *significare alteri* debeat, *h*) quoniam citra hanc significationem, princeps tertius vel ad quem mittitur, est in justa ignorantia, nec poterit accuratè dici, quod Legatum admiserit.

50. Denique & hactenus dicta eò extendimus, ut procedant etiam in Legato, *qui finiendæ pacis & indicendi belli causa missus est*, quoniam moribus gentium per præconem aut legatum facta belli indictio, fuit & est tacita quædam professio, ejus ex præscripto rectæ rationis, hoc est, cum intentione pacifica gerendi. *i*) Quapropter è contrario bellum prorsus implacabile significaturi *ἀκήρυκτον* illud vocabant, id est, non denunciatum. Adde quod Legatus hoc ipsum munus pacatè exequatur, hoc est, verbis innocentibus, non armis pugnacibus, quo respectu salvari potest sententia Torquati Tassi, dicentis, omnem Legatum pacis virum esse.

51. Hactenus de Legatis innocentibus. Restant *nocentes*, quorum noxa tribus modis considerari poterit. *l*) Vel enim deliquerunt *ipsi* citra jussum principis sui, vel *exequuntur* delictum, quod *princeps* eorum jussit, vel agitur de imputando ipsis delicto *solo principis* ipsorum.

52. *Primam* classem quod attinet, duo quærenda sunt. *m*)

Quibus

ad §. 49. h] *Conf. Patr.* §. 112.
ad §. 50. i] *Pater* §. 92. 93.
ad §. 51 l.] *Omittit hanc distinctionem Pater. Confer tamen* §. 128. & 132.
ad §. 52. m] *Pater* §. 127.

Quibus delictis excidat Legatus sanctimonia? Deinde *quousque excidat?* seu quæ vindiciæ delictis ejus opponi jure possint?

53. De *priori tres* sunt sententiæ, quarum *una* ex *omni* cujuscunque formæ delicto privilegium securitatis abjudicat Legato, *altera* ex *nullo*, *tertia non ex omni* tantum. *n*)

54. *Prima* fortè procedet o) in *nunciis* personam principis non referentibus, propter mox dicenda, vel etiam in Legatis *ab hoste* missis, non solum, quia, qui alteri dat damnum, qua talis non poterit petere officium humanitatis, sed &, quia ratio, ex qua ex admissione Legati sagati intulimus *p)* pactum tacitum de concedenda securitate, tantum valet pro innocentibus, non pro nocentibus.

55. *Secunda* verò omnino iniqua est, *q*) deteriorem faciendo conditionem principis quam Legati, adeoque peccans in præceptum custodiendæ æqualitatis, fontem reliquorum omnium, quæ homo homini debet.

56. *Tertia* verò securè inter duas extremas mediô locô incedit, nec omni delicto jus tutæ legationis perimi, nec nullo. Non *omni*, ne legatum detrudamus ad scabella vulgarium peregrinorum: Neque *nullo* tamen, ne cuivis flagitio aperiatur fenestra. *r)*

57. Quo ergo? Brevissime, 1. *manifesto.* 2. *atroci.*

58. Considerandum enim esse diximus Legatum eminenter ita dictum, ut repræsentet personam principis sui, igitur quod delictum *principi* suo non condonandum foret, neque ipsi ignoscendum & vice versa.

59. Propterea si *non manifestum* est crimen, non poterit lædi Legatus, quia non est subditus alterius, ut in ipsum inquisitio possit institui. *s*)

60. Quin & si manifestum sit, non *atrox* tamen, sed leve, condonandum potius est, & dissimulandum, quoniam ita dissimularet

ad §. *53.* n) *Pat.* §. 128.

ad §. *54.* o] *Hoc notare omisit Pater.*

p] §. *44.*

ad §. *55.* q] *Pater* §. 131.

ad §. *56.* r] *Pat.* §. 135.

ad §. *59.* s] *Pater* §. 138.

mularet ex legibus amicitiæ princeps, si ab ipso ejus principali tale quid fuerit admissum.

61. Sed nova hic se aperit difficultas definiendi delicti *levis* & *atrocis*. Neque enim consentire possumus illi descriptioni, *t*) quod atrox delictum sit illud, quod lex naturæ capitaliter punit; Leve, quod mitius, quia jam supra *u*) diximus, legem naturæ nullam pœnam dictare.

62. Fortè commodius ita dicemus, illa delicta esse *atrocia*, quæ tendunt ad turbandum statum publicum, qui vitam subditis Principis, apud quem degit Legatus, auferunt, aut aliàs eosdem in honore & bonis enormiter lædunt, præprimis si sint personæ principi caræ.

63. Unde jam facilè patet, quæ delicta habeam pro *levibus*, inter quæ etiam refero aliqua in ipsum principem admissa, v. g. si speculatorem agat, si lingua procaciter abutatur ad maledicta leviora, aut minas. *x*)

64. Quamvis neque displiceat sententia eorum, qui statuunt, *dissimulandum* esse delictum leve in *privatum* commissum; si in *Principem*, *finibus jubendum excedere* Legatum, & sine responsione dimittendum. *y*)

65. In *altera* quæstione: *Quales Legato crimen atrox & manifestum patranti opponi possint vindiciæ?* distinguo an crimen illud directò statum aut dignitatem *principis* lædat, an *privatum* *z*)

66. *Illo* casu delictum sive inerme sit, sive armatum, hoc est, sive ad seditionem inclinet animos subditorum, aut conjuret ipse, aut conjurantibus consilio adsit, sive cum rebellibus aut hostibus gladium educat, aut comites suos contra statum publicum armet, vindicari poterit, etiam per *internecionem* Legati, non quidem ut

Kkkk subditi,

ad §. 61. t] *Quam dat Pater* §. 139.

u] cap. præced. de pœnis.

ad §. 63. x] *Pater* §. 148. *quamvis loquatur de maledictis in genere.*

ad §. 64. y] *Pater* §. 147. 149. 150.

ad §. 65. z] *Pat.* §. 152.

subditi, sed ut *hostis*, quia nec ipse princeps ejus si talia tentaret, meliorem tractationem expectare deberet. *a*)

67. Neque refert, conjurationem illam adhuc esse inermem, nisi putemus, nefas quoque esse dormientem hostem opprimere, aut inter molimina certa deprehensum prævenire.

68. Quod si contigerit, ejusmodi Legatum incolumem evadere, poterit peti à principe ejus, ut *dedatur*, neque hic se liberare poterit, si ad ejus pœnam se offerat, quia tum Legatus se gessit ut hostem; at hostes non puniuntur à tertio, sed coercentur ab eo, cujus hostes sunt. *b*) Adde quod hic pœnarum finis cesset.

69. Hoc verò casu si crimine atroci læserit *privatum*, non statim pro hoste principis, ad quem missus est, haberi debet, sed quemadmodum ipse ejus princeps, si tale quid admitteret, antequam bellum liceret ei decernere, compellandus prius esset de satisfactione spontanea, ita eadem ratione æquius hic est, ut Princeps, apud quem delictum commisit, eum cum elogio, ad suum principem remittat, & aut *deditionem* ejusdem, aut *pœnam* ab illo demandet. *c*)

70. Ita tamen, ut *Dominus Legati electionem* habeat, an punire, an dedere velit. Vergeret enim in contemptum Domini, si Princeps alter ipsum punire vellet, qui tamdiu personam domini sui repræsentat, quamdiu apud alterum est, eam vero deponit demum, si ad principem suum redierit. Quare, cum ob dictam rationem forum delicti commissi hic locum sibi non vindicet, contentus erit privatus iste cæsus foro domicilii, vel certè fingendum est, ac si Legatus demum post reditum in domicilio delictum commiserit. *d*)

71. Dixi *remittendum* esse Legatum. Etsi enim etiam Princeps, in cujus territorio peccatum est, possit sontem tenere in vinculis,

ad §. 66. a] *Pat.* §. 166. 167. & (*ad* seq §.) §. 168.

ad §. 68. b] *Aliam rationem suppeditat Pater* §. 169.

ad §. 69. c] *Pat.* §. 162.

ad §. 70. d] *Ita malo dicere cum Bodino ap. Patrem* §. 161. *quam asserere* cum ejusdem §. 156. *Legatum, delinquentem in privatum, fieri subditum.*

culis, donec alter vel eum avocet ad pœnam, vel hunc ſubditum abdicare ſe teſtetur, remiſſio tamen non ſaltem eſt modus civilior, ſed etiam magis alendæ paci facere videtur. *e*)

72. Iſta enim detentio non ſolum declararet aliquam diffidentiam erga Dominum Legati, ſed & vergeret in contemtum ipſius principis, cujus characterem adhuc Legatus gerit. Adde, quod regulariter, qui non habet jus puniendi, non habeat etiam jus apprehendendi.

73. De *ſecunda* claſſe *f*) delictorum à *Legatis* commiſſorum ex ſui *Principis juſſu* eædem definitiones erunt repetendæ, quas hactenus recenſuimus, quia & hactenus Legatum conſideravimus, ut characterem principis ſui gerentem, niſi forte dicere velis, tum Legatum privatum atrociter lædentem ad principem ſuum imprudenter remitti, quoniam princeps illius, ut delicti conſors neque probabiliter puniturus Legatum, aut dediturus ſit.

74. Ergo hic putarem, tamdiu Legatum vinculis conſtringi poſſe, donec ipſius dominus ſatis caveat de ſatisfactione tam ob injuriam à Legato, quàm à ſe illatam.

75. Communes verò *nuncii* & qui perſonam principis non gerunt, ut tubicines, nullam conquerendi cauſam habent, ſi v. g. ob verba contumelioſa juſſu domini ſui in alterum effuſa ſtatim interficiantur.

76. Illud autem abſurdum eſt, quod quidam arbitrantur, *g*) *impune licere Legato* exequi, quicquid ſibi à principe eſt mandatum, delictum verò ſoli principi imputandum eſſe. Nam hôc pactô Legato plus liceret in alieno ſolo, quam ipſi ejus, ſi adeſſet, Principi, & contra minus poſſet in ſua ditione princeps, quàm in domo ſua Paterfamilias.

77. Circa *ultimam* claſſem, *h*) & ſi *princeps* Legati inſcio Legato delictum commiſerit in alterum principem, diſtinguendum

 erit,

ad §. 71. e] *Pat.* §. 164.
ad §. 73. f] vide ſuprà §. 51.
ad §. 76. g] *Pat.* §. 131, 172, 173.
ad §. 77. h] *Pat.* §. 192. ſeqq. *ubi tamen paulò aliter.*

erit, quid liceat læso intuitu *Legati*, & quid liceat intuitu *principis lædentis*.

78. Intuitu *principis* lædentis equidem hactenus licebit legatum lædere, quatenus mutua delicta non solum in privatorum actionibus, sed etiam in bellis principum compensationi locum faciunt.

79. Sed tamen erit hæc licentia *imperfecta*, quia neutrum reddit securum in conscientia, sed uterque autori juris naturæ pœnas debet, quemadmodum privati mutuis delictis non possunt compensare pœnam à principe inferendam.

80. Intuitu igitur *Legati* dicendum est, *illicitam* plane esse ejus læsionem, quia character principis, quem gerit, privilegium ipsi affert, non adeo invertendus in ejus damnum, & quia alias, accuratè loquendo, neque subditorum peccata principi, neque principis subditis, si modo cætera sint paria, debent imputari.

81. Unde non solum crudelis foret princeps, si *legatum* innocentem *trucidaret* eò, quòd Dominus Legati Legatum ejus innocentem interfecerit, sed & eos à crudelitatis nota absolvere nolim, qui *tubicines* v. g. literas contumeliis plenas, quarum tamen contenta ignorabant, afferentes, trucidarunt.

82. Consideravimus, *i*) inviolabilitatem Legati in ipsius persona, non omittenda etiam illa, quæ Legato connexa sunt, puta *comites* & *res* ejus mobiles.

83. *Comites l*) inviolabiles sunt accessorie & proinde quatenus legato videtur. Itaque si quid gravius deliquerint in privatos, postulari à Legato poterit, ut eos dedat.

84. Quod si *dedere* nolit, vi non erunt abstrahendi, sed eadem hic erunt adhibenda, quæ de delicto ipsius Legati diximus.

85. Sed quid si Legatus comites suos ipse *punire* velit? Præjudicium est: An Legatus jurisdictionem habeat in familiam suam? Quod putamus ex concessione pendere ejus, apud quem agit.

86. A

ad §. *82*. i] vide suprà §. 10. *ad* §. *83*. l] Grotius §. 8.

86. A qua itidem pendet, *an jus asyli sit fugientibus in domum Legati? m)*

87. *Res mobiles* habentur etiam accessio personæ Legati. Itaque invito Legato pignoris causa aut ad solutionem debiti capi non possunt, nec per judiciorum ordinem, nec manu regia, quia hoc tenderet in contemtum domini ejus. *n)*

88. Si quid ergo debiti contraxit, &, ut fit, res soli eo in loco nullas possideat, ipse compellandus erit amicè, si detrectet, is qui misit, ita ut extremum usurpentur ea, quæ adversus debitores extra territorium positos usurpari solent.

CAPUT X.
DE
Officio Erga Mortuos.

SUMMARIA.

P*Latonis justitia etiam circa defunctos se exerit.* §. 1. *Unde videtur ortum duxisse obligatio ad sepeliendos mortuos* § 2.3. *& doctrina de jure sepulturæ, quod tamen nec ad jus Gentium voluntarium nec ad jus naturale referri potest* §. 4. 5. 6. *Mortuis alii homines non sunt obligati.* §. 7. *Neque debetur sepultura mortuorum aliis viventibus* §. 8. seqq. *Sepulturæ definitio* §. 9. 10. *Respondetur dissentientibus.* §. 11. -- 18. *Neque sepultura à lege divina universali præcepta est* §. 19. *sed non repugnat tamen juri naturæ* §. 20. *& dependet ab arbitrio principis* §. 22. 23. *Frustrà disputatur: an jus sepulturæ debeatur hostibus & facinorosis?* §. 24. 25. 26. *Neque datur justa belli causa ob denegatam sepulturam* §. 27. 28. 29.

Kkkk 3 §. 1. Plato

ad §. 86. m] *Vide disputationem nostram* de jure Asyli Legatorum ædibus competente.

ad §. 87. n] *Grotius* §. 9.

§. 1.

Plato *justitiæ* tria statuit genera, primum circa Deos, alterum circa homines, tertium circa *defunctos*. Nam & qui sacra secundum leges faciunt, sacrarumque rerum curam habent, religiosi in Deos ac pii sunt. Qui verò mutua & deposita restituunt, justi erga homines sunt. Qui autem vita functis justa persolvunt, tertiam illam justitiæ partem exequuntur. *a)*

2. Haud dubiè verò philosophus iste officium erga mortuos deduxit ex illa opinione, quod putaret, *animas hominum* esse *partes divinæ essentiæ*, easque separatas à corpore de rebus humanis curam habere, quin & virorum honoratiorum animas *dæmones* effici, quorum sepulchra sint colenda & adoranda. *b*) Et notum, à Romanis etiam sepulcra ad res *divini juris* fuisse relata.

3. Unde non rarò lex de sepeliendis mortuis à Gentilibus Lex *divina* & *νόμος δαιμόνων* dicitur. Nam & cultum sepulcrorum ab oraculis repetebant. *c*)

4. Nobis verò istæ Ethnicorum nugæ seponendæ, & videndum adeò, *an aliunde officia erga mortuos deduci possint*. Plerumque jus sepulturæ dicitur esse pars *juris Gentium voluntarii. d*) Sed jus Gentium voluntarium non agnoscimus. Alii ex præcepto *juris naturalis de officiis humanitatis* idem deducunt, ita tamen, ut principaliter illud referant ad capita juris naturalis, quod officia hominum in *societate gentium* dirigat. *e)*

5. Sed neque hoc nobis videtur accuratè dictum esse, quia nullum est dubium, quin æqualiter ac fortè magis homines *in societate civili viventes* sepeliant mortuos, ergo potius debitum sepulturæ, si debitum est, pertineret ad præcepta absoluta, & quæ in

ad §. 1. a) *Anton Matth.* Proleg. de crimin. c. 3. §. 5. *ex Diog. Laertio.*

ad §. 2. b) *Vide Platon.* lib. XI. de LL. f. m. 972. & lib. 5. de Rep. f. 662.

ad §. 3. c) Grot. II. 19. 1. sect. 2. 3. Plato d. f. 662.

ad §. 4. d) *à Grotio & Kulpisio ad Grotium* d. l.

e) *Ut plures apud Grotium* d. §. 1. n. 4. *Puf.* II. 3. 22. p. 197.

in omnibus ſocietatibus ſunt obſervanda, quam ad *ſocietatem gentium* in ſpecie.

6. Deinde, quod *officia humanitatis* attinet, obſcurius oſtendi ſolet, quomodo ex præcepto de officiis humanitatis deducenda ſit concluſio de ſepeliendis mortuis, unde nimium quantum hic variare ſolent. *f*) aliis ad humanitatem, aliis ad manſuetudinem, ad miſericordiam aliis, item ad religionem, pietatem vel juſtitiam aliis provocantibus, quibusdam aſſerentibus, hoc officium non tam homini, quam humanitati, id eſt, non tam perſonæ, quam naturæ humanæ præſtandum eſſe. *g*)

7. Nos ut ex his fluctibus emergamus, putamus initio, verum eſſe, quod *mortuis ipſis* alii homines jure naturali non ſint obligati. Vel enim ſpectas cadaver, vel animam ſeparatam. Hoc, ut res inanima, nullius nec juris nec obligationis eſt capax. Animam ſeparatam ratio ſibi relicta ignorat, ſed quicquid hac de re ſcit, id ex revelatione habet. Dico *quicquid ſcit*, unde non curo argumenta ſcholaſticorum, vel revelationem rationi miſcentium, vel falſis & ineptis demonſtrationibus hac parte utentium.

8. Ergo ſi quæ ſubeſt obligatio ſepeliendi mortuos, ea talis eſt in ordine *ad alios homines viventes*.

9. Præſuppono autem, quod per *ſepulturam* hic intelligatur aſſervatio cadaveris humani in peculiaribus locis terreſtribus, ita ut idem non relinquatur paſtui avium ferarumque, neque etiam devoretur à viventibus.

10. Quo pacto tamen ſumitur iterum vel *latè*, quatenus præcedentem corporum concremationem præſupponit, ut apud Romanos, vel *ſtrictè*, quatenus eandem excludit, ut apud nos Chriſtianos.

11. Quocunque modo ſepulturam conſideres, non poteris officium illud ex præcepto *legis naturalis* officia hominum inter ſe dirigentis demonſtrare.

12. Qui

---

ad §. *6* f) *Grot*. §. 1. ſect. 4.

g) *Ut Kulpis* p. 95.

12. Qui enim ideo hoc debitum à natura repetunt, quod *hominis corpus ex terra ortum habeat ac terræ iterum debeatur*, quod DEUS Adamo edixit, *h*) ii profectò non utuntur ratione à naturâ hominis petitâ, ſed ex revelatione divina, cum homo ſibi relictus neſciat, quid DEUS Adamo dixerit, ac, etſi apud Ethnicos ſimilia reperiantur dicteria, jam aliquoties monuimus, multa hauſiſſe Gentiles ex converſatione cum Iſraëlitis.

13. Eandem confuſionem admittunt illi, *i*) qui ſepulturam deberi mortuis *ob ſpem reſurrectionis* putarunt. Quanquam & hic nulla ſubſit neceſſitas conſequentiæ. Quid enim? annon putandum eſt & homines ab anthropophagis devoratos, aut à beſtiis dilaceratos reſurrecturos eſſe?

14. Quamvis igitur his ſimplicius ſit, aſſerere, cum homo cæteris animantibus præſtet, indignum viſum eſſe, ſi ejus corpore alia animantia paſcerentur, quare inventam ſepulturam, ut id, quantum poſſit, caveretur; vel etſi tales abeſſent injuriæ, proteri tamen ac lancinari corpus humanum, quod alienum maximè ſit ab hominis *dignitate*; quo pacto ſanè demonſtrata videtur eſſe concluſio hæc ex præcepto de præſtandis humanitatis officiis; tamen nec hæ rationes ad probabilitatem, tantum abeſt, ad demonſtrationem, ſufficiunt.

15. Quæ enim de *dignitate* hominis hic afferuntur, quemadmodum petunt id, quod eſt in principio, cum jam ſuprà *l*) in quæſtionibus conjugalibus iſtam methodum demonſtrandi à dignitate hominis vel pudore deſumptam, quatenus non nititur peculiari aliquo juris naturalis præcepto, rejecerimus; ita & multa alia afferri poſſunt, quæ oſtendunt, dignitati iſti vel veræ vel fictæ neque per ſepulturam conſuli.

16. Quid enim an indignius putas, *m*) cadavere humano paſci *aves* & quadrupedes, quàm ſi *vermes* illud devorent aut *ignis* abſumat? An indigniores creaturæ ſunt aves & feræ quam vermes

ad §. *12.* h) *Conſ. Grot.* §. 2. ſect. 2.

ad §. *13.* i) *Grot.* d. l. ſect. 3.

ad §. *15.* l) lib. 2. cap. 2. §. 159.

ad §. *16.* m) *De Perſarum Magis vide Ziegl. ad Grot.* p. 424.

mes, ignis aut terra? An vero soli illi populi dictamen juris naturalis observarunt, qui cadavera condivere? Romani & Christiani non observarunt?

17. Et mallem audire, si ex dignitate naturæ humanæ res foret decidenda, qvomodo anthropophagis respondere velles, sæpe gloriantibus, & alios populos irridentibus, qvòd non *dignius sepulchrum* noverint, qvam si mortuos suos in succum & sangvinem redigant. Qvis verò non commendat factum *Artemisiæ?*

18. Porro si sepulturam latè & strictè dictam inter se comparare velis, utrum dignius est, cadaver in *terra* putrescere, quam per *ignem* redigi in cineres? Sanè præstantius elementum ignis à multis statuitur præ terra.

19. Sed fortè lex *divina positiva* præceptum de sepeliendis mortuis inculcavit. *n*) De particularibus seu forensibus seu ceremonialibus inqvirere hujus loci non est. *Universalis* nulla extat. Neqve enim ista pœnæ dictatio, qvod Adamus debeat redigi in pulverem terræ, unde ortum sumpserit, præceptum sepulturæ continet.

20. Quid ergo tandem dicemus? Statuimus sepulturam à *Christianis* usitatam juri naturali *non repugnare*, & *tutissimè* ab iisdem retineri, qvoniam in Historiâ sacrâ vident, à primis orbis conditi temporibus homines terræ fuisse mandatos. *o)*

21. Neque tamen *alias gentes*, qvibus alia sepulturæ ratio arrisit, in leges divinas universales peccasse.

22. Quin & in Republica Christiana ad *Principem* pertinere, modum & ceremonias præscribere in sepulturis adhibendas, easqve absqve peccato *mutari* posse, qvod non solum de legibus à principe expresse latis intelligo, sed & de ceremoniis moribus utentium & tacitô principis consensu introductis.

ad §. 19. n) *Grot. §. 4. Conf. Selden.* de J. N. & G. p. 783.

ad §. 20. o) *Conf. Ziegl.* ad Grot. p. 419.

23. Quare sive diurno sive nocturno tempore, sive cum concionibus, sive absq; iisdem, sive cum comitatu, sive absq; eodem cadaver terræ mandetur, legibus qvidem divinis adversum aliquid committi dici non poterit, si qvis rationibus magis quam ex affectu velit disserere.

24. Unde jam facilè patet, multa hic ab iis, qui jus sepulturæ ex lege vel naturali vel Gentium deducunt, frustrà disputari, potissimum an jus sepulturæ *hostibus* debeatur, & insigniter *facinorosis*?

25. Quod *hostes* attinet, uti bene facit, qui istos sepulturæ mandat, ita nullô argumentô demonstratum fuit peccasse, qui eos reliquerunt insepultos. Neque testimonia Gentilium hic curamus, quorum falsam hypothesin deteximus initio. *p*)

26. De *facinorosis* statuere principis est, quinam ex iis ad emendationem aliorum sepultura carere debeant, neque lex divina aut gentium huic potestati refragatur, aut principi in determinatione hujus pœnæ regulas præscribit. *q*)

27. Illud verò planè pro injusto habeo, *r*) si quis ob denegatam sepulturam alterum *bello petere* velit, etiamsi daremus, ex lege humanitatis deduci posse aliquod sepeliendi officium; nam officia humanitatis producunt jus imperfectum.

28. Quod autem legitur, olim à Græcis nonnunquam bella ex hac causa orta fuisse, nobis non obstat, qui non exemplis judicamus, sed ratione.

29. Ut taceam, Græcos ex falsa persvasione, ac si ex lege divina & præcepto religionis jus sepulturæ descendat, forte ad id fuisse commotos. *s*)

CAPUT

ad §. 25. p) *Grot.* §. 3. *Textor* de jure Gent. 15. n. 26. seqq.

ad §. 26. q) *Ziegl.* ad Grot. p. 420. *Kulp.* p. 95. *Dissent. Grot.* §. 4. & 5.

ad §. 27. r) *Quod putat Grotius* §. 5. in fine *Kulpis* d. p. 95.

ad §. 29. s) vide Grot. §. 1. n. 3.

CAPUT XI.
De
Applicatione Legum Divinarum.

§. 1.

DIximus initio, duas partes Jurisprudentiæ Judicialis esse, leges interpretandi & eas applicandi. De prudentia *interpretandi* huculqve egimus, *a)* restat, ut qvædam dicamus de prudentiâ *applicandi*, sed paucis.

2. Siqvidem interpretatio legum divinarum qvidem in multis differt ab interpretatione legum humanarum, *b)* sed applicatio utrobiqve est eadem.

3. Sumitur verò *applicatio* vel pro habitu *intellectus*, vel pro habitu *voluntatis*.

4. Pro habitu *intellectus* est prudentia *aptè* & *justè* accommodandi leges divinas.

5. Utrumqve reqviritur tum in *Advocato*, tum in *judice*.

6. Ut *aptè* fiat, necesse est, ut ex facto, qvod defendendum vel judicandum est, eruantur omnes circumstantiæ, etiam minimæ, qvia minima circumstantia variat jus.

7. Etiam eæ, qvæ factum antecedunt & conseqvuntur, qvatenus & hæ sæpe momentum aliqvod ad ipsum factum afferunt.

8. Media ad eruitionem facientia in factis antiquis sunt historicorum lectio, in recentibus testes & documenta.

9. Atqve per hæc media *advocatus* non tantum sibi factum proponit, sed & de ejus circumstantiis *judici* vel *arbitro* fidem facit, hic autem an rectè an secus adhibita fuerint, judicat.

10. Qvam ad rem qvidem non subtili aliqva prudentia est opus, qvoniam plerumqve demonstratio talis adhibetur, quæ in sensus incurrit.

11.

ad §. *1.* a) Conf. l. 1. c. 1. §. 160. 161. & c. 3. §. 1. seqq.
ad §. *2.* b) l. 1. c. 4. §. 80.

11. Nisi fortè per argumenta artificialia probatio sit instituta, aut testes & documenta sibi contradicant.

12. Ibi enim *judex* instructus esse debet prudentiâ bene ratiocinandi, & peritiâ illius disciplinæ, ex qva argumentatio est petita.

13. Hic verò naturalis aliqva vivacitas reqviritur ex falso eruendi verum, ad qvam augendam multum conducit lectio historiarum de judicibus prudentibus, & meditatio ingeniorum humanorum, tum & instructio, qvam communiter, qvi de processu inqvisitorio scripserunt, dant judicibus, circa formandos articulos inqvisitorios.


14. Qvod si probationes sunt maximè intricatæ, in dubio pronunciandum erit pro reo vel possessore.

15. Ut *justè* fiat applicatio, jam ab aliis fusius est expositum, qvi de officiô & conscientia judicis vel Advocati scripta prodiderunt.

16. Ad applicationem pro habitu *voluntatis* acceptam reqviritur experientia, ut qvis sæpe & aptè & justè leges divinas applicet ad facta obvenientia.

17. Neqve tamen hic expectare qvis debet, donec à partibus rogetur, ut eis patrocinium aut arbitrium præstet, qvia ex historia antiqva tàm sacra qvàm profana multa facta prostant, in qvibus ingenium exercere possit. Specimen dedimus in dissertatione de Sponsione Romanorum Caudina.

Finis Libri Tertii.



CHRISTIANUS THOMASIUS
DISPUTATIONES PUBLICAS,
SUPER THESIBUS, EXCERPTIS
EX
INSTITUTIONIBUS JURIS-
PRUDENTIÆ DIVINÆ,
IN DIALOGO DE DEFINITIO-
NE SUBSTANTIÆ
INTIMAT.

DE DEFINITIONE SUBSTANTIÆ DIALOGUS,

COLLOCUTORES

CARTESIANUS. PERIPATETICUS. PHILALETHES. TIRO.

CARTESIANUS. Accessimus ad Te, Domine, ut de sponsione, quam iniimus, sis arbiter. Dum heri colloqueremur de variis rebus eruditis, inter alia etiam substantiæ injecta fuit mentio, & quæstionis Tuæ, quid sit substantia? Putavit præsens Dominus, quod jocatus saltem fueris nec seriò promiseris, te aliam dare velle substantiæ definitionem, cum ipse certus sit, nullam aliam dari posse. Ego vero contrarium sustinui, teque defendi, quod haud dubiè aliam definitionem scias. Certavimus sponsione. Præmium victor auferet 6. cantharos vini Rhenani optimi, cum victo tamen ebibendi. Tu, Domine, Hospes eris, si clarè & perspicuè ostenderis, uter ex nobis pro veritate certaverit. PHILALETHES. Percepi vestram mentem, honoratissimi Domini. Percepi dignam vestro charactere, vestraque Philosophia sponsionem. Ignoscetis vero, quod nec vestro petito, nec invitationi satisfacere queam. Vos Bacchus decet. Ego Philosophiam aqueam sorbeo. Scitis insuper, quod in propositione quæstionis meæ promiserim, quod velim informationem aliorum expectare per annum, ac tum demum tentare, utrum veram, perspicuam & distinctam substantiæ definitionem tradere possim? Accedit, quod nec aptus sim ad controversiam vestram dirimendam. Lis est, ut audio, an aliam definitionem *sciam*? Atqui hoc ipse ego nescio. Promisi me *tentaturum*, an dare possim? Vides Domine Cartesiane, quod qui tentare vult, ipse de suis viribus dubitet. Expectate, donec annus elapsus sit, tum ipsimet de tentamine meo, & uter vestrum

ſtrum victor ſponſionis ſit, judicate. Interim, ſi placet, poteritis mecum aquam potare, ut poſteà vinum eò melius ſapiat.

PERIPATETICUS. Nonne prædixi Tibi, Amice, quod talem reſponſionem accepturi ſimus. Omnium Novatorum mos eſt, ut eludant ejusmodi dilationibus eruditos alios. Elapſo anno ipſi alia effugia non deerunt. Crediſne, ſi meliorem definitionem ſubſtantiæ haberet, quod tamdiu ipſam celare poſſit. Abeamus & nugas has non audiamus amplius. PHILALETHES. Equidem, Vir Clariſſime, quod mihi, quamdiu annus iſte nondum præteriit, iraſcaris, cauſam non video. Levia illa ſunt dubia, quæ hactenus propoſui. Si iſta non poteſtis concoquere, quid fiet, ſi graviora propoſiturus ſim? Quid ſi dicam, me neſcire, quid ſit Corpus? quid Spiritus? Sanè quod de corpore dicitis, eſſe ens extenſum, non ſatisfacit. Si enim extenſum eſſe, eſt habere partes extrà partes, ſeu unam partem extrà aliam, totum & extenſum non different, adeoque extenſum eſſe erit affectio entis in genere, etiam ſpiritus, & igitur à ſpiritu non ſecernet corpus. Quod ſi ſecundum Philoſophiam Carteſii corpus eſt ipſa extenſio, neq; corpus erit ſubſtantia, quia extenſio eſt actio, actio eſt accidens, neq; differet amplius actio à paſſione, quod eſt omnes diſciplinas ſubvertere, cum ſublata differentia actionis & paſſionis corruat phyſica, matheſis, philoſophia moralis, medicina, Jurisprudentia, Theologia. Spiritum vero quod attinet, quid illud eſt, quod Peripatetici dicunt, ſpiritum eſſe ſubſtantiam incorpoream? Hoc eſt iterum dicere, quid res non ſit, cum tamen definitio debeat explicare rei eſſentiam. Veſtra vero Carteſianorum opinio, quod ſpiritus ſit ſubſtantia cogitans, partim eodem dubio premitur, quod modo circa definitionem corporis attuli, quod, dum ſpiritum dicitis eſſe ipſam cogitationem, non poteſtis non eum inter accidentia collocare, partim in eo egregiè fallitur, quod putet, cogitationis conceptum in homine exiſtere ſine reflexione ad corpus, partim ſpiritum cum mente, & mentem cum ſpiritu confundit, cum ſint ſpiritus, qui non ſint

 mens,

mens, & mens à reliquis ſpiritibus creaturarum inferiorum nobiliori actione quam cogitatione differat. Quodſi itaque neque corporis, neque ſpiritus claram & diſtinctam cognitionem habeamus, quid reſtat in philoſophia, cujus claram & diſtinctam cognitionem habere poſſimus, cum ſpiritus & corpus ſint primæ ſubſtantiæ ſpecies, cum quibus uti tota ſubſtantiæ categoria corruit, ita iis ſublatis quid eſt in toto terrarum orbe, quod remaneat, quippe cum accidentia ſine ſubſtantiis non ſubſiſtant, & ſublatis rebus rerum quoque modi ſublati cenſeri neceſſariò debeant?

CARTESIANUS. Atqui hoc pacto dilabemur in Scepticiſmum. Caveas igitur Domine, ne teipſum facias Scepticum, qui nuper & Carteſianam & Ariſtotelicam Philoſophiam plusquam Scepticas aſſeruiſti. PHILALETHES. Non meo periculo iſta diſſero, ſed veſtrô, nec ex mea ſententia, ſed ad hominem diſputo ex hypotheſibus veſtris. Quodſi enim non aliam corporis & ſpiritus definitionem exhibeatis, tentabo ſimiliter, ut in ſubſtantia, annon alio modo & evidentius longè & verius corpus & ſpiritus poſſint definiri? CARTESIANUS. Sed quis credet, niſi prius fidem tuam liberes proponendo aliam ſubſtantiæ definitionem. Age igitur & non diutius nos & alios plures in ſpe iſta dubia atque incerta detine. Licebit anticipare terminum præfixum. Nec melius evitare poteris aut avertere ſuſpicionem Peripateticorum aliorumque, quaſi Scepticismus & peior fortè Philoſophia ſub doctrina tua lateat. PHILALETHES. Ego vero parum curo, quid alii odio aut aliis præjudiciis excœcati de me ſentiant. Ipſam vero ſubſtantiæ definitionem quod attinet, velim expendatis, eam non ita difficilem eſſe, uti arbitramini. Dabit eam, qui præſens eſt Tiro in Philoſophia. Quærite ex ipſo. Per me licet.

PERIPATETICUS. Abeamus amice, nec amplius ſuſtineamus, ut nugis iſte ſuis abutatur patientia noſtra. Quid enim iſtud novæ rei eſt, quod nos ad tirones ableget? An exiſtimationi

tioni noſtræ & autoritati conveniens eſſe ducis, ut, qui docendo hactenus longiſſimi temporis poſſeſſione inſenuimus, nunc demum à tirone philoſophiæ parum ſubtilis diſceamus? CARTESIANUS. Conveniens tamen erit, ut examinando Tironem illum adverſarium noſtrum confundamus. Certus enim ſum, quod nihil ſolidi aut veri ſimus à juvene illo audituri, contrà quod non infinitas dare queamus objectiones, ſi à regia illa & hactenus recepta ſubſtantiæ definitione recedere aut novam proponere audeat. PERIPATETICUS. Placet conſilium. Tu igitur Juvenis ornatiſſime accede, & deſideratam definitionem ſubſtantiæ exhibe.

TIRO. Facerem lubenter, Viri plurimum Venerandi, niſi certus e[illegible], voſmet ipſos jam ſcire ſatis, quid ſit ſubſtantia. PERIP[illegible]TICUS. Mali corvi malum ovum. An & tu nobis illu[illegible]ere vis? Si ſciremus, non quæreremus ex te. TIRO. Mihi vero facilè videtur oſtendi poſſe, vos ſcire definitionem ſubſtantiæ, & ſaltem ob præjudicia quædam à Vobis amata ignorare, quod ſciatis. PERIPATETICUS. Deliras Juvenis. Sunt enim contradictoria, ſcire aliquid, & ignorare tamen, quod ſciamus. Unde argumentor: Quæcunque ſunt contradictoria non poſſunt eſſe in uno ſubjecto ſimul. Atqui ſcire & ignorare ſunt contradictoria. Ergo non poſſunt eſſe ſimul in uno ſubjecto. A[illegible]ume argumentum. TIRO. Non opus videtur in [illegible] U[illegible] enim homines ſæpè plus de opibus ſuis ſperant, [illegible] p[illegible]ndent, ita & ſæpè ignorant divitias ſuas quas poſſident. Ita & intellectus humanus præjudiciis faſcinatus ſæpè veritates quas poſſidet, ignorat. PERIPATETICUS. Eja, hoc non eſt formaliter diſputare. Reſponde ad argumentum. TIRO. Non eſt opus, cum alio modo vos de veritate aſſerti mei convincere poſſim. Quid enim? Annon certò perſvaſi eſtis, hunc canem eſſe ſubſtantiam? CARTESIANUS. Cave ne Sophiſtam agas, mi Juvenis. Miſces perſonas. Nos ſumus quærentes, tu nobis reſpondere debes, haudquaquam nos

nos tibi. Tuum est, suspicionem Scepticismi quàm maximè evitare. Scepticorum est, semper quærere, nunquam respondere. Ita & Socrates vester agebat, perpetuò videlicet aliorum objectiones vel quæstiones suis quæstionibus eludens. Igitur omitte quæstiones illas & da nobis desideratam definitionem substantiæ. Tùm nostrum erit judicare, an eandem jam ipsi possederimus, & uter ex nobis, Nos vel Doctor tuus præjudiciis laboremus? TIRO. Injustam suspicionem de me fovetis. Nulla alia intentione quæstionem hanc proposui, quàm ut vobis ostenderem, nos minimè esse Scepticos, cum Vobiscum asseramus, entia quædam esse substantias. Simul vero leges bonæ disputationis à vobis hactenus observatas & præscriptas & ego observare volui, jubentes, ut quæstioni quid sit res? præmittatur quæstio an sit? Igitur ut ordine procedat disputatio nostra peto saltem à Vobis, ut exempla quædam enumeretis ex Entium classibus, quæ pro substantiis habeatis, ut videamus, an in iis conveniamus, ut adeò de iisdem rebus quæramus definitionem substantiæ, an vero opus sit, ut prius conveniamus in istis exemplis, ad quæstionem an sit? pertinentibus, circa quæ fortè dissensio aliqua inter nos esse potest. Tum etiam, si occurret in discursu nostro terminus Philosophicus in cujus expositione variare solent Doctores, similiter mihi non vertetis vitio, si, ut omnis ambiguitas tollatur, quæsiverim, quo sensu illum accipiatis. Si illa saltem mihi licebunt, tum amplius desiderium vestrum non frustrabo, sed suppeditatis exemplis statim exhibebo definitionem substantiæ. CARTESIANUS. Non videntur, Collega honoratissime, desideria Juvenis esse injusta, igitur, si consentias, dabimus exempla substantiarum.

PERIPATETICUS. Id vero facillimè fieri poterit. Ecce, nominabo tot, quot volueris. Deus, Angelus, Homo, Canis, Planta, Lapis, Ignis, Aer, Aqua, Terra. Visne plura? TIRO. Equidem Vir honoratissime benignitate Tua me obruis. In istis autem

autem exemplis, nisi grave erit, separemus exempla perspicua & certa à dubiis, ut eò melius posteà ex definitione exemplorum certorum judicare possimus, utrum illa dubia sint substantiæ necne? PERIPATETICUS. Recte mones, sic enim & procedit Philosophus, dum *lib. 7. Metaph. cap. 2.* antequam definitionem tradat, supponit, dari substantias, & exempla manifestissima ex corporibus exhibet, ut animalia, plantas & earum partes, ac naturalia corpora, ut ignem, aquam, terram, cæterorum quoque singula & quæcunq; aut horum partes aut ex his sunt, aut partibus aut omnibus, ut cœlum & ejus partes, sydera, Lunam & Solem. Tum subjungit, quod quidam corporis terminos, ut superficiem, lineam, punctum & unitatem substantias esse, & magis quam corpus & solidum putaverint. Item, alios præter sensibilia non putasse aliquid esse substantiam, quosdam plura & quæ magis sempiterna sunt, (sicuti Plato fecerit, cujus opinionem quod ideæ sint substantiæ refutat *eod. Lib. 7. cap. 14.*) & ipsas species & mathematica duas substantias asseruisse, tertiam vero sensibilium corporum substantiam. Speusippum vero etiam plures substantias fecisse, ab uno extendisse substantias ad principia cujusque substantiæ, quorum aliud sit numerorum, aliud magnitudinum, aliud animæ. Denique quosdam fuisse qui species & numeros, non autem lineas & superficies, neque cœlum & sensibilia habuerint pro substantiis. Igitur necesse est, ut & nos conveniamus, quænam habeamus pro substantiis. Miror vero, quod exempla certa desideres, cum ego, Philosophum secutus certissima dederim, nempe corpora naturalia. Neque credo, Deum negabis esse substantiam, quem & inter substantias statim memorat Philosophus *lib. 7. Metaph. c. 1.* At vero si Deum substantiam esse asseris, cur de Angelo qui æque spiritualis naturæ est, dubitares? An vero fortè statuis, angelum esse accidens? TIRO. Non tam quærendum est, quid nos statuamus, quam de quo dubitent alii, qui & ipsi substantias dari asserunt. Credo enim, quod quæratis definitionem substantiæ,

quæ

quæ non ſit tantum ad guſtum noſtrum, ſed & quæ approbari debeat à Philoſophis hodiernis reliquis, qui de ſubſtantiis loquuntur. Quærenda igitur erunt exempla talia de quibus alii non dubitent, ut horum definitione tradita poſteà de illis circa quœ dubitatur, judicium procedat. Uti vero hodie neminem ſcio, qui neget ſenſibilia eſſe ſuſtantias, aut affirmet entia mathematica eſſe ſubſtantias, ita de DEO & Angelis adhucdum abſtrahamus. partim quia DEUS eſt incomprehenſibilis, partim, quia inter Philoſophos hodiernos diſceptatur, utrum DEUS ſit in prædicamento ſubſtantiæ, nec ne, partim quia ſpiritualia, quod tamen cum venia Domini Carteſiani dictum ſit, difficiliora cognitu & magis dubia corporalibus eſſe, tecum, Vir honoratisſime & cum Philoſopho ſentio. Æque de igne abſtrahamus, quæ ſcis, Helmontium, ni fallor aſſeruiſſe, ignem eſſe accidens. Aeris eadem erit ratio, quia videtur & Ariſtoteles quæſtionem hanc inter dubias retuliſſe, quia in loco à te modo ev *Lib. 7. Metaph. c. 7.* adducto ignem aquam & terram quidem inter ſubſtantias recenſet, aerem vero omittit. Igitur niſi grave erit, retineamus exempla de ſubſtantiis aqueis & terreſtribus. Atque ut eo clarius evadat mens noſtra ac conſenſus de exemplis, uti aſſumo, hominem, animal, plantam &c. eſſe ſubſtantiam, ita tamen liceat quærere, an putetis hanc plantam, & hunc hominem, an vero plantam, & hominem, quâ genera vel ſpecies ſunt, eſſe tales ſubſtantias, quarum definitionem quæritis?

CARTESIANUS. Quæſo tu, Vir Excellentisſime, & pro me reſpondeas. Cum enim ſubtilisſimus Carteſius in doctrina de ſubſtantia nihil innovaverit, tu vero tradita Ariſtotelis melius noveris quam ego, hac vice quidẽ in Tuos diſcurſus compromitto. PERIPATETICUS. Cum ſecundum Philoſophum Univerſalia non ſint ſubſtantiæ, *d.l.7.Metaph.cap.13.* intelligo hoc animal, hunc hominem, hanc plantam &c. Neque adeò quæro quid ſit notio anima-

animalis hominis, plantæ, quæ ſunt nomina rerum in mente ab entibus realibus abſtractarum, ſed quæro, quid ſit res ipſa extra mentem, quæ ſemper exiſtit ut res ſingularis? TIRO. Ergo de hoc convenimus. Videamus & de aliis. Non aſſeris haud dubiè, Vir Honoratiſſimè, hunc acervum lapidum eſſe ſubſtantiam. PERIPATETICUS. Minimè. Nam ſubſtantia eſt unum per ſe, at acervus lapidum eſt unum per accidens. Acervus lapidum non eſt ſubſtantia, ſed ſubſtantiarum cumulus. TIRO. Ergone hanc domum habes pro ſubſtantia? PERIPAT. Neque hanc, nam & domus eſt unum per accidens, conſtans ex pluribus ſubſtantiis, lignis, lapidibus &c. TIRO. Quid de duobus aſſeribus conglutinatis ſentis? PERIPAT. Non ſunt ſubſtantia, ſunt enim unum per accidens. TIRO. Peto haud gravatim, ut illud unum per ſe & per accidens diſtinctius explices. Cum enim hunc lapidem habeas pro uno per ſe, & vero hic lapis æque partes ſimilares habeat, ex quibus ſit compoſitus, uti corpus ex pluribus aſſeribus conglutinatis conſtans, videbatur etiam hoc eſſe unum per ſe, aut danda eſt inter hæc duo differentia. PERIPAT. At vero gluten eſt diverſæ naturæ, uniens aſſeres. TIRO. Ita tamen & forma lapidis uniens partes illas materiæ lapideæ eſt diverſæ naturæ à partibus ipſis. PERIPAT. At gluten tamen eſt ipſa materia, formæ vero ſubſtantiales unientes partes ſubſtantiæ materialis ſunt principium à materia diſtinctum. TIRO. Vereor hunc diſcurſum placere Domino Carteſiano, obſervavi enim, quod rugas in fronte contraxerit, auditis formis ſubſtantialibus. Sed tranſeant hæc. Sufficit mihi, quod & in hoc conſentiamus, corpora naturalia eſſe unum per ſe, artificialia unum per accidens, adeoque illa, non hæc pertinere ad claſſes ſubſtantiarum. PERIP. Rectè. TIRO. Audivi antea ex Ariſtotele fuiſſe relatum, partes animalium & plantarum eſſe ſubſtantias. Putasne igitur manum meam eſſe ſubſtantiam? PERIP. Nequaquam, quia ſubſtantia eſt totum quid. Ergo manus non eſt ſubſtantia, ſed pars ſubſtantiæ. Quod autem philoſophus dicat, partes animalium & plantarum eſſe ſubſtantias, intelligendum

est, quatenus partes illæ sunt à toto separatæ. TIRO. Igitur manus ideò non erit substantia, quia non est â corpore separata? PERIP. Ita. TIRO. At video tamen separatim à corpore reliquo figuras pollicis, digitorum &c. PERIPAT. Sufficit, quod non videas circumcirca terminos figuræ manus. Postquam autem separata est, vides circumcirca terminos. TIRO. Igitur si ita lapidem verbi gratia dividam in duas partes, ut partibus istis prope invicem positis divisionem non videat alius, lapis iste in duas partes divisus adhuc remanebit una substantia, an evadent duæ? PERIP. Haud dubiè singulæ partes erunt singulæ substantiæ. Etsi enim tunc terminos circumcirca non videas, sufficit tamen, quod terminos circumcirca habeat, nec amplius sit cum suo toto unita. TIRO. Sed an aquam habes pro substantia? Aqua enim terminos circumcirca non habet, sed continetur termino alieno. PERIPAT. At vero substantia erit, modo terminos circumcirca habeat, sive proprios sive alienos. Vides enim guttam aquæ, dum v. g. in terram decidit, esse unum quid terminos circumcirca habens. TIRO. Igitur guttam aquæ habes pro substantia? PERIPAT. Quis dubitaret? TIRO. Sed an etiam pro substantia habes, si est in vitro aqua pleno? PERIPAT. Non, nam tùm iterum est pars substantiæ. TIRO. Cujus? Vitri? PERIP. Nugæ. Aquæ vitro contentæ. TIRO. Ergo aquam vitro inclusam pro substantia habes? PERIPAT. Habeo. TIRO. At non subsistit per se, quia est in alio, nempe in vitro. PERIPAT. Sed non tanquam in subjecto. Cum enim habeat partes unitas circumcirca terminantes circa vitri interiores superficies, habet etiam subsistentiam citra vitrum. Sed quando absolves hæc dubia puerilia? Da definitionem substantiæ promissam.

TIRO. Dabo. Substantia est ens per se subsistens. PERIP. An hæc nova definitio est? Hæc nostra est à Tuo Doctore rejecta. TIRO. Imo verò non est vestra. Aut si vestra est, non est à Doctore meo rejecta. Non negavit Doctor meus: substantiam esse ens per se subsistens, negavit, explicationem vestram

τȢ per se subsistere aptam esse ad definitionem substantiæ, cum explicueritis conceptum positivum rei positivæ per conceptum negativum. Debuissetis igitur vel τὸ per se subsistere exponere per conceptum positivum clariorem, vel istam expositionem clariorem loco novæ definitionis suppeditare. PERIPAT. Tu ergo, si vir es, istud præsta, & jactatam illam τȢ per se subsistere expositionem positivam, aut clariorem istam definitionem suppedita. TIRO. Ego juvenis sum, non Vir. Vos viri estis, vos ipsi dedistis, & adeò valde miror, quod adhuc dum ignoretis ea, quæ scitis. PERIPAT. At quando dedimus? TIRO. Modo. Vix momentum elapsum est. PERIPAT. Impudentiam Juvenis! An oblitus sum eorum, quæ mihi nunquam venerunt in mentem? Audivistine Collega Honoratissime, quod dederim definitionem substantiæ? CARTES. Nunquam. Ipse jam suspicari incipio, quod Juvenis nobis illudat. TIRO. Absit. Statim ex vestro discursu dispersam substantiæ definitionem colligam atque in unam summam computabo, id unicè adhuc præmittens, ne in voce definitionis scrupulus remaneat: An putetis, ea quæ faciunt, ut substantia sit substantia, & quæ eam à non substantiis secernunt, pertinere ad definitionem? PERIPAT. Quidni? explicat enim definitio quid res sit?

TIRO. Ergo ita assero vobiscum: **Substantia est ens per se seu naturaliter unitum, terminos circumcirca habens.** Assero vobiscum, hoc esse per se subsistere. Assero vobiscum, hanc definitionem esse maximè perspicuam, quia quilibet concipit, quid sit unum naturale? quid sit terminos circumcirca habere? PERIP. Ista quidem tu asseris. At vero nos nunquam diximus, istis assertionibus absolvi definitionem substantiæ. TIRO. Sed dixistis, ideò lapidem substantiam esse, & ab acervo lapidum & asseribus conglutinatis, à domo item atque non substantiis differre. Ideò dixistis manum separatam à corpore substantiam esse, junctam

 non

non item. Ideò dixiſtis, guttam aquæ ſeparatam, item aquam in vitro eſſe ſubſtantiam. Denique modo dixiſtis, ea quæ faciunt, ut ſubſtantia ſit ſubſtantia, & ab aliis, quæ non ſunt ſubſtantia, ſecernatur, dare definitionem rei.

CARTESIANUS. Verè illudimur à Tirone. Tu, Domine, approbasne hanc ejus audaciam, approbasne hanc ejus Pſeudodefinitionem ſubſtantiæ. PHILALETHES. Cur non approbem definitionem, quæ cum re evidenter convenit & quam ipſi ſuppeditaſtis? PERIPAT. Quid? audesne & Tu ſuſtinere, quod hanc definitionem dederimus? Abſit. Abſit. Aliud eſt aſſertio ſimplex, aliud eſt definitio. Falſiſſima eſt illa ſubſtantiæ definitio, quia ſequeretur exinde, neque Deum, neque ignem, neque aerem, neque ſpiritum eſſe ſubſtantias, ſequeretur, Reverendos Theologos vanam litem cum Flacio inſtituiſſe, in quæſtione: an peccatum ſit ſubſtantia? Sequeretur, Patres Eccleſiæ ſanctos ſine juſta cauſa pugnaſſe pro conſubſtantialitate. Alia abſurda ut jam taceam. PHILAL. Ipſi videritis. Si hæc abſurda ſunt, & ex illa definitione ſequuntur, cur non meliorem ſuppeditaſtis? Me vero quod attinet, dico, quædam ex iſtis non eſſe abſurda, quædam exinde non ſequi. Dico: diviſionem in ſubſtantiam & accidens non eſſe entis in genere, (uti nec e. g. totum & pars ſunt affectiones entis in genere,) ſed eſſe diviſionem aut potius diverſos conſiderandi modos in corporibus terraqueis. CARTES. PERIPAT. Quæ novitates? Corrueret tota Philoſophia noſtra, notionibus ſubſtantiæ & accidentis tanquam notionibus generaliſſimis ſuperſtructa, ſi hæc admitteremus. PHILAL. Rectè facis Domine Carteſiane, quod hac parte te jungas Ariſtotelicis, nam definitio iſta etiam mundum tuum vel efficiet finitum, vel efficiet, ut non ſit ſubſtantia. PERIPAT. Igitur reſponde objectionibus noſtris. Negamus enim & pernegamus, iſtam eſſe ſubſtantiæ definitionem. PHILAL. Ignoſcetis Domini, quod hac vice ob alia negotia petito veſtro ſatisfacere nequeam. Obtinuiſtis ea, cujus gratia huc veniſtis. Jam poteſtis ipſimet judicare, uter veſtrum ſit victor in ſponſione quam feciſtis. Quodſi tamen alia

occa-

occaſione velitis dubia veſtra proponere, mihi id gratiſſimum erit. Et offeret quidem ſe mox occaſio talis, cum conſtituerim Deo dante poſt finitas nundinas Lipſienſes, ſingulis diebus Jovis horis antemeridianis à decima ad duodecimam, Reſpondentibus quibusdam Juvenibus Nobilisſimis, Theſes, quas ſimul Vobis exhibeo, ex Jurisprudentia Divina excerptas publicè diſputare. Poteritis igitur cum aliis Viris Honoratisſimis, qui in veritatem theſium iſtarum opponendo inquirent, dubia veſtra etiam circa definitionem hanc ſubſtantiæ, & quæ alia in diſcurſu hoc à me fuerunt aſſerta, proponere. Atque id quidem Vobis magis glorioſum erit, ſi de me publicè triumphaveritis. PERIPATET. CARTESIANUS. Accipimus conditiones. Non emanebimus. Interim Vale.

TIRO. Vidiſtine Domine, obſervationem de notione ſubſtantiæ, quam Vir Celeberrimus Dn. G. G. L. actis Lipſienſibus menſe Martio hujus anni inſeri curavit? PHILALETHES. Vidi. Et mallem ut dediſſet Vir Celeberrimus ſuam de notione ſubſtantiæ definitionem. Interim valdè gavisus ſum, dum ejus aſſertiones de vi activa & niſu legi, cum penè ſimiles hac hyeme habuerim, ut ex dictatis meis in hiſtoriam Eccleſiaſticam obſervationibus Tibi conſtabit. Verè enim vis activa ex accidentium & qualitatum claſſe eximenda eſt, cum ab ea dependeat eſſentia omnium corporum. Id tamen ſcire mallem à Viro Celeberrimo, ſi occaſionem cum ipſo conferendi nactutus ſim, an putet: Materiam & corpus eſſe unum idemque? An putet: illam vim agendi ineſſe ipſi materiæ? Niſi enim cautè hic proceſſerimus, utilisſima illa dynamices ſcientia, quam pollicetur, fundamento deſtituetur. Scis enim, quod hactenus in dictis lectionibus oſtenderim, materiam omnem eſſe ens mere paſſivum, Vim agendi autem ipſam ſpiritus eſſentiam, adeoque omne corpus conſtare ex materia & ſpiritu. Tu vero, facies quod commendavi. Id eſt, inquires, cum otium erit; utrum volam aut veſtigium deprehendere

possis, quod ullus Philosophus Græcus essentiam & substantiam diviserit; & quando apud Latinos ista divisio inceperit? inquires item; quænam sit differentia in Patrum scriptis & veterum Philosophorum inter hypostasin & substantiam seu essentiam? Multa enim hæc conducunt ad historiam Ecclesiasticam rectè atque aliter ac vulgo fieri solet, cognoscendam. TIRO. Faciam.

Quæro: Quomodo differt in loco Aristotelis in dialogo adducto punctum ab unitate? An aliquid in corpore minus est puncto?

THESES

THESES XLVIII.

EX

INSTITUTIONIBUS

JURISPRUDENTIÆ DIVINÆ

EXCERPTÆ,

ET IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI THOMASII,

JCti & P. P.

DISPUTATIONIBUS XII.

ANNO M. DC. XCIV.

PUBLICE PROPOSITÆ.

DISPUTATIO I.

RESPONDENTE

Dn. GUSTAVO GRANATENHIELM, Eqvite Sveco,

Thes. 1. Omnes habitus theoretici, qui pro fine tantum habent speculationem, etiamsi multas veritates ostendant, ad Stultitiam pertinent, non ad sapientiam. *Dissentiunt* communiter Philosophi. v. Lib. I. C. 1. §. 23. seqq.

2. Lex non est dictamen rectæ rationis sed jussus imperantis, obligans subjectos &c. *Dissent.* Scholastici vid. I. 1. 28.

3. Pactum nunquam obligat sine Lege. *Dissent.* Hobbesius, fontem obligationis ex Pactis deducens. Vid. I. 1. 29.

4. Deus non agit secundum Legem & Lex æterna est Figmentum Scholasticorum. *Dissent.* Scholastici. Vid. II. 1. 31.

DISPUTATIO II.

RESPONDENTE

Dn. CHRISTIANO ALBERTO Richter / Soraviense Lusato,

1. Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, etiam Chiliogonon Cartesianorum, etiam Spiritus, etiam Deus. *Dissent.* communiter, quia ignorant, quid sit corpus, quid sit Spiritus, quid sint ipsi? vid. I. 1. 51.

2. Error in dubio semper debet imputari erranti. *Dissent.* JCti communiter, variis distinctionibus doctrinam de errore involventes, rem obscurantibus, non evolventibus. vid. I. 1. 72. II. 7. 39.

3. Dispu-

3. Disputationes de justitia commutativa & distributiva, universali & particulari sunt grilli inutiles. *Dissent.* communiter, vid. I. 1. 106.

4. Datur dominium eminens. *Dissent.* Wittebergenses absque ulla ratione. vid. I. 1. 125.

DISPUTATIO III.

RESPONDENTE

Dn. BARTHOLOMÆO Wagner/ Noribergo-Fürthensi.

1. Sapientia una est, ejusque partes ita cohærent, ut una absque altera esse non possit. Consistit ea in quatuor momentis, in notitia hominis, Materiæ, Spiritus, Dei. Quilibet ad hæc cognoscenda vocationem habet. Quod autem in Academiis quatuor Facultates distinctæ sint, id saltem ex ea ratione factum est, ne turbetur ordo in Lectionibus publicis. *Dissent.* communiter. confer I. 1. 164. seqq.

2. Divisio Legis divinæ in moralem, ceremonialem & forensem obscura est, & communiter cum Lege morali confunditur jus Naturæ & Decalogus. *Dissent.* communiter Theologi. vid. I. 2. 3.

3. Jus naturæ etiam à voluntate Dei non à Sanctitate ejus antecedenter ad voluntatem ortum habet. *Dissent.* Scholastici. vid. I. 2. 7.

4. In statu integritatis uxor non fuisset sub imperio Mariti. *Dissent.* communiter Theologi. vid. I. 2. 29. conf. III. 3. 41. seqq.

DISPUTATIO IV.

RESPONDENTE

Dn. HENRICO OTTONE Vogel/ Herfordia-Westphalo.

1. In statu integritatis non fuisset Respublica. *Dissent.* cum aliis Bœclerus & D. Valent. Alberti. vid. I. 2. 37.

2. Infantibus non insunt prima Principia Practica per modum Habitus connati. *Dissent.* Scholastici. vid. I. 2. 67.
3. Inepta est assertio, quicquid Gentiles sciverunt esse justum vel injustum, id pertinet ad jus naturale. *Dissent.* communiter. vid. I. 2. 70.
4. Omnes actiones sua natura sunt indifferentes, nec datur actio antecedenter ad voluntatem divinam honesta vel turpis, neq; obligatio in jure Naturæ ex objecto se diffundit in Præceptum. *Dissent.* Scholastici. vid. I. 2. 74.

DISPUTATIO V.

RESPONDENTE

Dn. HENRICO OTTONE Vogel/ Herfordia-Westphalo.

1. Lex Gentium actiones Gentium inter se dirigens, non est species juris voluntarii humani, sed juris naturalis. *Dissent.* Grotius & Rachelius. vid. I. 2. 104.
2. Datur jus divinum positivum universale. *Dissent.* Hieronymus Brucknerus. vid. I. 2. 119.
3. Unum est Principium Theoreticum, unum etiam Practicum, sed hoc illi subordinatum. *Dissent.* communiter, potissimum D. Valentinus Veltheim. I. 3. 26.
4. Via Perfectionis & Negationis in Pneumatica Scholasticorum confundit animum de Deo meditantem. *Dissent.* Scholastici. vid. I. 3. 54.

DISPUTATIO VI.

RESPONDENTE

Dn. ENGELBERTO Düntze/ Salis-Ufflenia Lippiaco.

1. Primum Principium juris Naturalis, quod malè confunditur cum primo Principio Practico, neque ex convenientia cum Sanctitate divina, neque ex convenientia cum Statu integritatis,

gritatis, sed ex sola socialitate deducitur. *Dissent.* communiter Scholastici, Alberti, Veltheim. &c. vid. I. 4.

2. Poterit Lutheranus salva Religione talia fingere, quæ Deus nobis revelavit aliter. *Dissent.* Alberti. vid. I. 4. 35.
3. Homo ex Ratione sibi relicta non potest demonstrare, Deum externo cultu esse prosequendum. *Dissent.* communiter, potissimum Veltheim & Clar. Placcius. vid. II. 1. & append. ad Lib. II.
4. Non omnis avtochiria jure naturæ est prohibita. *Dissent.* communiter. vid. II. 2.

DISPUTATIO VII.

RESPONDENTE

Dn. JOHANNE JACOBO Reich / Kronweissenburgo-Palatino.

1. Nec ob Transitum negatum, nec ob Commercia interdicta, nec ob denegata Matrimonia justa Causa belli est. Unde Raptus Sabinarum defendi non potest. *Dissent.* communiter. vid. II. 6. §. 35. 44. 45.
2. Nemo obligatur injuste metum incutienti. *Dissent.* JCti, Grotius, Uffelmann, vid. II. 7. 60.
3. Falsiloquio, simulatione, dissimulatione uti aliquando licet, imò præceptum est. *Dissent.* communiter vid. II. 8. 40.
4. Ex juramentis nova obligatio non oritur, neque enim hic Deo quid promittitur. *Dissent.* Grot. vid. II. 9. 47.

DISPUTATIO VIII.

RESPONDENTE

Dn. GEORGIO GRIM, Saxa-Hohnsteinensi.

1. Fuit olim Communio primæva, neque Adamus dominium accepit à Deo, neq; bona inter liberos divisit, neq; Noachus

Gentes & Insulas. *Dissent.* communiter & Potissimum Alberti. vid. II. 10. §. 58. 61. 105. 111.

2. Usucapio est etiam modus acquirendi juris Gentium, eaque sola derelictione præsumpta nititur. *Dissent.* communiter JCti. vid. II. 10. 191.

3. Interpretatio genuina paucis atque perspicuis regulis nititur, ac vitio Doctorum multis inutilibus & falsis Regulis obscuratur, quales sunt: Favorabilia esse extendenda, Odiosa restringenda: Beneficia Principis esse latè explicanda, Statuta verò & Leges pœnales strictè: Verba in dubio, potissimum in testamentis esse propriè accipienda &c. *Dissent.* comuniter Theologi, JCti, Clar. Placcius. vid. II. 12. & append. ad Lib. II. confer Praxin Logicæ c. 3.

4. Præceptum de conjugio ineundo & Jure Naturæ, & Jure divino positivo omnes quidem homines indefinitè, sed non singulos obligat, & cœlibatus conjugio sanctior status est. *Dissent.* communiter. Vide III. 2. 52. seq. & III. 3. 10. seq.

DISPUTATIO IX.

RESPONDENTE

Dn. MATTHIA Holzklau/
Siega Nassovio.

1. Consensu dolo elicito jure Naturali matrimonium nullum est, sive dolus afficiat matrimonii substantialia sive accidentalia, cum hanc distinctionem Jus Naturæ & in genere Jus divinum in hac quæstione ignoret. *Dissentiunt* communiter. Vide III. 2. 86. & III. 3. 31. seqq.

2. Mero

2 Mero Jure Naturæ ad conjugii essentiam non requiritur, ut uxor viro continuam cohabitationem promittat, aut mariti imperio subjecta sit. *Dissentiunt* communiter. Vide III. 2. 99. seqq. III. 3. 35. seq.

3. Mero Jure Naturæ ad essentiam conjugii non requiritur, ut ad dies vitæ ineatur, jus vero divinum positivum postulat, ut conjugium regulariter sit societas indissolubilis. *Dissent.* quoad prius communiter. Vide III. 2. 116. III. 3. 49.

4. Etiamsi fides in conjugio ad dies vitæ data sit, mero tamen Jure Naturæ divortia possunt fieri ob mores intolerabiles, & separatio quoad thorum & mensam perpetua salvo vinculo rationi repugnat. Neque jure divino positivo hic quicquam mutatum est. *Dissentiunt* communiter Theologi & JCti. Vide III. 2. 135. seq. & III. 3. 67. seq.

DISPUTATIO X.

RESPONDENTE

Dn. CHRISTIANO SIGISMUNDO Richter/ Soravia Lusato.

1. Meris rationibus naturalibus non potest demonstrari omnem concubitum libidinosum, etiam ad bestialitatem qui pertinet, aut concubinatum aut lenocinium esse prohibitum. Jus tamen positivum universale hæc omnia prohibet. *Dissentiunt* quoad prius communiter. Vide III. 2. 143. seq. 219. III. 3. 71. seq. 98.

2. Concubitus cum uxore menstruata æque horrendum crimen est ac Sodomia. *Dissent.* communiter. Vide III. 3. 75.

3. Polygamia & Virilis & Muliebris mero jure naturæ non eſt interdicta, Jure tamen divino univerſali, quod & Principes ſtringit, graviter prohibita eſt. *Diſſent.* communiter quoad prius membrum, & pauci quoad poſterius. Vide III. 2. 200. ſeq. & III. 3. 76. ſeq.

4. Evnuchi non contrahunt conjugium eorumque conjunctio juri naturæ repugnat, non ita conjugium ſenum, ſpadonum, ſterilium, item conjugium in ultimo mortis articulo. *Diſſentiunt* multi Theologi & JCti. Vide III. 2. 178. ſeqq.

DISPUTATIO XI.

RESPONDENTE

Dn. WILHELMO LUDOVICO MASCOSKY, Göppinga Würtenbergico.

1. Nullus inceſtus juri naturæ repugnat. *Diſſentiunt* communiter Theologi & JCti. Vide III. 2. 220. ſeqq.

2. Jure divino univerſali prohibitus eſt inceſtus in linea recta in infinitum, in collaterali inter fratres & ſorores, in linea collaterali inter perſonas quæ parentum & liberorum loco ſunt, in infinitum. In Affinitate eadem prohibitio eſt, quæ in conſangvinitate. *Diſſent.* communiter Theologi & JCti aſſerentes ex falſa ſententia Rabbinorum, prohibitiones Levitici non eſſe extentendas ad perſonas ibi non nominatas. Vid. III. 3. 99. ſeqq.

3. Conjunctio cum comprivigna, cujus mater peperit patri tuo, eſt inceſtus jure univerſali prohibitus. *Diſſent.* communiter Theologi & JCti. Vide III. 3. 150. ſeqq.

4. Jus Divinum non niſi unum affinitatis genus agnoſcit, neque conjugium vitrici cum privigni vidua juri divino repugnat. *Diſſent.* multi ex Theologis. Vide III. 3. 213. ſeqq.

DISPU-

DISPUTATIO XII.

RESPONDENTE

Dn. MATTHIA Holtzklau/
Siega-Nassovio.

1. Patria potestas quatenus juris naturalis est, nec ex jure sangvinis nec ex pacto tacito oritur, nec jus in bona liberorum infert. *Dissent.* communiter. Vide III. 4.

2. Non natura sed ambitio & metus sunt causæ constituendæ civitatis. Neque Deus est causa majestatis immediata. *Dissent.* communiter & Philosophi & Theologi. Vide III. 6. 12. seqq. & 66. seqq.

3. Delinquens obligatur ad pœnam patiendam. *Dissent.* Dn. Pufend. Vide III. 7. 67. seqq.

4. Sepeliendos esse mortuos nec jure divino universali, nec jure naturali præceptum est, nec Christianismus ad id nos obligat. *Dissent.* communiter Theologi & JCti. Vide III. 10. Sepeliri tamen mortuos in templis Juri-Naturali repugnat. *Dissent.* communiter.

FINIS.



CHRISTIANI THOMASII,
PHILOSOPHI & JURISCONSULTI,

QVÆSTIONUM PROMISCUARUM,

HISTORICO-PHILO-SOPHICO-JURIDICA-RUM,

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

Anno MDC XCIII.

Publicè ventilatarum, maximam partem Paradoxarum

DODECAS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND. TYPOGR.

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
&c. &c.
CONSILIARIIS INTIMIS ET
MINISTRIS STATUS
Atq;
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
SUPREMIS CURATORIBUS,
Illustrissimis & Excellentissimis
Dominis
DN. JOHANNI FRI-
DERICO de RHEZ,
HÆREDITARIO IN Großenbähnitz/ rc.
&
DN. DANIELI LUDO-
VICO de DANCKELMANN,
SUPREMO MILITIÆ ELECTORALIS COMMIS-
SARIO &c.
Dominis meis Gratiosissimis.

ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI,

DOMINI GRATIOSISSIMI.

INſignem habere uſum Diſputationes, & potiſſimum publicas, vel ex fine earum, qvi intendi debet ab hominibus ratione verâ utentibus, apparet. Debebant homines ideò diſputare, ut collatione duorum vel veritas eò facilius inveniretur, vel falſitas & error eò melius evitari poſſit. Qvò magis igitur publicè ejusmodi collationes fiunt, eò major debebat ſpes adeſſe, ut fines diſputationum eò citius obtineri poſſent, cùm qvilibet de populo ad placidam collationem hîc admittatur, & adeò vix videatur poſſibile, ut veritas, qvam ita unitis animis qværunt plures, in occulto manere poſſit, utpote qvæ aliàs non ita difficilis inventu eſt, ſi modo qvis vel ſolus præjudicia deſerere velit. Sed diffiteri tamen haud poſſumus, eò ferè dilapſas eſſe diſputationes publicas, ut, qvod ni fallor Luthero tribuitur, de plurimis earum jure dici poſſit, diſputando effici, ut veritas amittatur. Potiſſimum autem duo enormia vitia malorum horum fontes ſunt. Debebant Reſpondentes & Opponentes animos pacifice ad inveniendam veritatem unire, & legibus amicitiæ qvàm maximè in diſputando

uti. At pax bellum, amicitia dolum respuit & adulationem, cum amicitiæ, docente Plutarcho, nil magis adversetur, qvàm adulatio. Si verò examinare velis mores disputationum hodiernarum, vel ferociter belligerantes in iis deprehendes, vel impudentes Adulatores, qvorum illi maximè operam dant, ut veritas eripiatur, hi, ut falsitas & error sustineantur. Circa utrumqve à Respondentibus pariter atq; Opponentibus, potissimum autem ab his peccari consvevit. Nihil notius, simul tamen nihil absurdius, qvam qvod in ore omnium est: Disputationes esse instar bellorum, aut: esse bella incruenta. Inde uti in bello pars, qvæ nullam habet fiduciam virium suarum, pugnam detrectat, & interim apud suos milites hostem contemnit, aut coram illis de justitia causæ & felici eventu multa vana differit: ita & in Disputationibus, in qvibus publici errores tanguntur, etiamsi cuilibet potestas publicè opponendi concedatur, multi tamen sunt, qvi cum erroribus adoleverunt, aut qvorum interest, ne veritas populo cognita fiat, qvi adeò collationes publicas sub vanissimis prætextibus detrectant, inqve iis magis muti assident qvàm pisces, at è contrario ê cathedris suis, ubi non est locus contradicendi, plurima in adversarios heroicè, & cum applausu miseræ plebis declamant. In ipsis autem disputationibus nihil freqventius, qvàm ut disputantes vel Sophisticè invicem agant (habet enim & Respondens modos Sophisticos objectionem eludendi,) fraudulentisqve technis unus alterum à veritatis semita seducere intendant, vel clamoribus auditoria repleant, & medios sermones indecorè interpellent, vel interrogatiunculis ad auditores, ridiculisqve gesticulationibus præoccupare animos eorum gestiant, vel apertè rixentur, vel mutuas injurias easqve atroces evomant, vel deniqve, si aliter non possint, pœnis civilibus argumenta proposi-

posita resolvant, aut etiam, si uterqve publicè se prostituerit, de obtenta victoria magis ridiculè certent, & ambo triumphum canant, atqve applausum auditorii expetant. Ita facies rerum mutantur, & ex Auditorio Palæstra fit, ex Disputantibus Pugiles, sæpius & Andabatæ, cùm sæpe clamores illi & Sophismata utrobiqve nihil nisi aërem verberent. Sed pensitemus etiam scenam adulationis, à priori scena in tantum diversam, ut ibi Tragœdiarum, hic Comœdiarum simulacra deprehendas. Tempus hic laudationibus insumitur mutuis, & cùm inter viros virtute præditos ita receptum sit, ut impudentiæ indicium sit, alterum in faciem laudare, penitus amissi pudoris, laudes ejusmodi hilari fronte excipere, qvasi ex compromisso publicè de impudentiæ præmio certatur. Osculis excipiuntur insulsissimæ vel objectiones vel responsiones; parentum, patronorum, patriæ, imò universi ferè orbis literarii felicitas deprædicatur, & nulliter, si unqvam, nomine totius populi, sed absq; mandato, vota solennissimè adduntur. Exulat hîc Veritas, regnat Autoritas. Contra hanc qvi hiscere audet, læsæ majestatis reo judicatur neqvior. Comparanti autem inter se ista duo vitia, vix apparebit, qvodnam majora damna veritatis studio inferat. Videtur tamen contra adulationem esse pronunciandum. Vexatio in bellicis istis congressibus minimùm vexatis intellectum dat. At adulatio suâ naturâ ita apta est, ut ex sapientissimis etiam reddat stultos, & ita vel maximè noxa hoc disputandi modo infertur incautæ juventuti. Et tamen hoc qvoqve vitium tam freqvens esse incipit, ut pro injuria ferè haberi soleat, si qvis cordatè, modestè tamen, errores publicè admissos publicè ostendere satagat, & triumphum ignorantiæ dubium reddere firmissimis rationibus audeat, in tantum, ut fama

 retu-

retulerit, non deesse ignorantiæ defensores publicos, intempestiva consilia pro Academiarum incremento suppeditantes, è re videlicet novarum Academiarum esse, ut indulgeatur aliqvid, & calcar qvasi addatur fratribus ignorantiæ ad honores & gloriam tendentibus. Qvamvis vix credibile sit, ista seriò a qvoqvam prolata esse. Qvis enim sine impietatis nota ex Academiis theatra aucupandæ vanæ gloriæ faceret? Qvis sine justissima censura novas potissimum Academias vellet habere pro Asylis ignorantiæ, in qvibus excrementa aliarum scholarum solatium invenirent & protectionem? Qvis non potius ad officium Professorum pertinere justissimè contenderet, ut omnibus modis operam dent, qvo utrumqve hoc Disputationum vitium è novis potissimum Academiis exulet, & legitimæ Disputationes instituantur, & Sophismata pariter ac rixæ, atqve adulatio illa pestilens in tempore consilium abeundi accipiant? Ego, qvantum in me est, sive Respondentis, sive Opponentis vice fungar, semper ita me soleo gerere, ut litigia præscindantur, Sophismata placidè ostendantur, mens eorum cum qvibus confertur, distinctè proponatur, dubia vel perspicuè exhibeantur, vel perspicuè solvantur, rationes adhibeantur, non verba inania, deniqve & juventus ad justæ disputationis normam & præceptis & exemplo assvefiat. Specimen aliqvod industriæ meæ, sed debitæ, & forte minoris, qvàm à me exigebatur, sistit exercitium præsens; qvod cur ad pedes VESTROS, ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI deponam, non longè qværendum est. Constituit POTENTISSIMUS ELECTOR BRANDENBURGICUS VOS Curatores Academiæ Fridericianæ. Justum est, ut

VO-

VOBIS rationes reddam, & rerum hic à me geſtarum, & intentionis, qvâ motus diſputationes has inſtitui, &, Deo dante, abſolutis iisdem, ſingulis ſeptimanis, qvantum aëris tempeſtas permittet, diſputationibus aliis continuare decrevi. Suſcipite igitur pro eâ, qvâ me hactenus indignum proſecuti eſtis, Gratiâ, fœtum hunc ingenii exiguum, & impoſterum qvoqve libertatem, qvam SAPIENS PATER PATRIÆ, dum me ad hoc munus vocaret, clementiſſimè mihi indulſit, ſub tutamine curæ VESTRÆ, gratioſisſimè protegite. DEUS VOS SERVET.

ILLUSTRISSIMARUM EXCELLENTIARUM VESTRARUM

Dabam in Academiâ Fridericianâ
Anno 1693. menſe
Octobri.

Fidelisſimus Cliens

CHRISTIANUS THOMASIUS.

INDEX CONTENTORUM IN PRÆSENTI DODECADE.

)o(

AD
VENTILATIONEM PUBLICAM
DISSERTATIONUM
CELEBERRIMI AUTORIS
De

RATIONE STATUS,

ET
ADJUNCTARUM
QVÆSTIONUM HISTORICO-PHILOSOPHICO-JURIDICARUM

LECTORES BENEVOLOS

decenter invitat

CHRISTIANUS THOMASIUS, JCtus,
CONSILIAR. ELECT. BRANDENB. PROF. PUBL.
ET ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ ATQVE FACULTATIS IBIDEM JURIDICÆ SENIOR.

b Olim



OLim cum in Academiis disputationes publicæ haberentur, paucæ qvædam Theses ad ventilandum proponebantur, qvi mos etiam hodiè in Academiis Pontificiis solet observari. Mutata est illa consvetudo apud nos, an in melius an in deterius? ego determinare nolo. Vulgare habetur nimis ac ineptum, collectione paucularum thesium, ut qvod nec laboris nec artis est, specimen velle eruditionis edere. Nostri Juvenes longè majora & fortiora scientiæ ac doctrinæ argumenta suppeditant, dum autores fiunt disputationum elegantissimarum de selectis juris materiis, qvà Theoreticis qvà Practicis, sæpius in justi tractatus formam excrescentium. Sed, ni fallor, aberravimus à scopo Majorum nostrorum. Illi specimen eruditionis non qværebant in disputationis elaboratione aut collectione thesium, sed in earundem defensione. Ostendebant ibi Respondentes profectus tùm in disciplinis ipsis, ex qvibus theses excerptæ essent, tùm in artificio disputandi. Hoc, qvoniam freqvens exercitium, ut omnes artes, præsupponit, addebatur Præses Directoris loco, ne à methodo disputandi disputantes aberrarent, cujus adeò partes plerumqve erant rariores, ut plurimum benè se gerentibus thesium defensoribus. At nostri mores de defensione thesium non ita multum sunt solliciti. Non est turpe, crede mihi, adolescentulum respondere ex Tacito, aut Confutio, egregio illo Sinensium Philosopho. Totus mundus cum nomina rerum transmutet, qvidni id liceat studiosis, qvi tot privilegiis sunt ornati in jure, ut subinde ex Præsidibus faciant

ciant respondentes, ipsi verò Præsidum personam sustineant in cathedra inferiori, & cum melius qvicqvam addere non possint, modestiam suam declarent silentio? Qvid verbis, id est, responsionibus opus est, ubi Præsidis & amicorum testimonia in Epistolis aut carminibus gratulatoriis disputationi præ- & sub-missa, adsunt? Esto: publicet Præses disputationes sub suo Præsidio habitas, postea collectas sub suo nomine. Sufficit, qvod interim respondens, dum matrimonium fortè aut officium ambiit, dum in judicio exceptio inhabilitatis ipsi fuit opposita, specimen illud eruditionis suæ in succum, qvod ajunt, & sangvinem converterit. Neqve falsum committitur, dum qvis se Autorem scribit disputationis, cujus nec lineam sæpius elaboravit, sæpius nec intelligit. Vitium in interprete latet. Notum est: verba intelligenda esse secundum substratam materiam. In materia præsenti autor est, qvi autor fuit, ut Præses disputationem conscriberet. Sed & longè alios mores esse hodiernos à veteribus istis majorum institutis, qvantum ad opponentes attinet, cuivis facilè patet. Curabant olim --- At qvid studiosorum vitia enarro, qvæ in disputationibus obtinent? Nostrum id, nostrum est, qvicqvid hac parte peccatur. Qvid enim dissimulem? ubi notorium sit vitium, & ubi vel me tacente pleræqve disputationes nostræ (absit, ut me ipsum eximam!) id non loqvantur, sed clament. Ambitio nostra est, qvæ nos movet, ut hac parte indulgeamus imprudentiæ Juvenum, famam sæpè in dedecore qværentium. Volunt decipi, ergo decipiantur. Sufficit, qvod fama nostra disputationibus istis nitidius elaboratis augeatur. Avaritia nostra est, cujus impulsu Juventutem aliàs ad lapsum pro-

nam adhortamur, ut se prostituat. Ita sumimus pecuniam, & sæpè (neqve enim hæ qværelæ ad rariora Juvenum eruditorum, qvorum laudi adeò nihil detrahitur, exempla pertinent,) mittimus ineptos in inferiorem cathedram. Est lucri bonus odor ex re qvalibet. Inscitia nostra est, qvæ nos impedit nonnunqvam, ut nævos ipsos studentium, vel non videamus, vel neqveamus emendare. Cœcus cœcum subinde ducit, & filum Ariadnæum Dialecticæ à plerisqve, dum discentes sumus, negligitur, igitur & generoso contemtu idem suspiciendum est, dum Doctores evasimus. Audaces fortuna juvat. Defectum justarum responsionum supplere possunt contradictio, clamor, blanditiæ, &, cujus maxima perpetuò autoritas fuit, autoritas. Inde fit, ut in plerisqve Germaniæ Academiis non infreqvens sit, ut Respondens dextrorsum prodeat, opponens sinistrorum, Præses, qvod felix faustumqve sit, retrorsum aut antrorsum. Justum est igitur, ut, cum Ductores esse debeamus Juvenum, ne in errores incidant, ipsimet de propria emendatione incipiamus cogitare, imò justum est, ut ego, cum honoratissimi mei Collegæ jam dudum & exemplo & doctrinâ suâ juventutem ab erroribus strenuè revocent, non ulteriorem moram hac parte committam, sed & qvod in me est, ipsos præeuntes, qvamvis non gressibus æqvis, seqvar. Obtuli igitur non ita pridem publicè studiosæ Juventuti opellam meam in directione ad artificium disputatorium. Non ingrata fuit ipsis hæc oblatio. Proposuerunt enim sibi Generosi & Nobilissimi Juvenes seqventes, absqve præjudicio eruditionis & ordinis sorte locati

Dn.

DN. LAURENTIUS THOMAS, Oschwizio-Varisc.
DN. ENNO RUDOLPHUS Brenneisen / Esena-Frisius,
DN. JACOBUS CONRADUS Keeß / Lindaviensis,
DN. DAVID STAVINSKY, Borussus,
DN. PETRUS BOJE, Dithmarso-Holsatus,
DN. JOHAN. HENRICUS Schlüter / Berolinensis,
DN. JOHAN. DANIEL WOLFART, Hanoviens.
DN. HENNINGUS ADOLPHUS Koch / Hoyensis,
DN. JOHAN. du CLOS, Metensis Gallus,
DN. JOHAN. ADOLPHUS Metzsch / Eqves Anhaltinus,
DN. Gottfried Scheuerer / Servestâ Anhaltinus.
DN. ANTONIUS GUNTHERUS Winckelmann / Oldenburgensis.

qvod & respondendo & opponendo sub meo Præsidio & Directione, secundum regulas bonæ disputationis se inposterum publicè exercere, atqve ita ad ulteriora exercitia qvasi præparare velint. Inserviunt ejusmodi intentioni præprimis disciplinæ, qvæ non certò vera, sed verosimilia tractant, ut sunt Historia, Politica, Jus publicum, & si qvæ sunt aliæ similes. In his enim & facilius rationes dubitandi deprehendunt opponentes, & non ita difficulter ope distinctionum ex natura negotii desumtarum, dubia illa expedire possunt respondentes. Neqve de Autore diu solliciti esse debuimus, postqvam superiori anno bibliopola noster *Celeberrimi Autoris*, titulos omnes & encomia nostra meritis suis dudum supergressi, *tractatum de Ratione Status*, olim in Universitate Viadrinâ disputationibus publicis agitatum, & hactenus ob singularissimam, qvam spirat, eruditionem, diu desi-

deratum, tertiâ vice edidit. Continent eæ theses selectissimas Historico-Politico-Juridicas ad nobilissimam Juris Publici Romano-Germanici doctrinam potissimùm pertinentes, qvæ, etsi qvidem olim, & anteqvam Ministerio Aulico admoveretur *Vir summus*, ab ipso conscriptæ fuerint, & ita umbram saltem sapientiæ *Ejus*, interim longissimo negotiorum gravissimorum, & ad totius Sacri Romani Imperii utilitatem pertinentium, usu ad summum fastigium perductæ, erudito exhibeant orbi, næ tamen vel ex hac umbra de ipso corpore judicare, & qvod in proverbio est, ex ungve leonem licebit agnoscere. Postulavit autem reverentia maxima, qvâ *Ipsius* canitiem veneramur, ut veniam petierimus dissertationes istas iterum revocandi in cathedram Academicam, qvam & pro ea, qva nos immerentes hactenus prosecutus est, benignitate, gratiosè nobis indulsit, qvod beneficium submissâ gratitudine publicè agnoscimus atqve deprædicamus. Jungam ego singulis actibus qvæstionem unam, modò Philosophicam, modò Historicam, modò Juridicam, typis publicis inscribendam, qvæ, ut ne cum dissertationibus *Celeberrimi Autoris* misceatur, aut, ne vilis iste pannus purpuræ *Ejus* intexatur, istis legibus ex pacto disputationes nostras habebimus. Disputabitur duodecies, ita ut singulis vicibus ex dissertationibus viginti qvatuor *de Ratione Status* binæ ventilari debeant. Fiet id diebus Jovis ab hora octava matutina ad duodecimam. Primis duabus horis Respondentem & duos Opponentes Collegas occasione dictarum dissertationum de Ratione Status fideliter ac diligenter exercebo, ut &, ubi in regulas bonæ disputationis impingunt, ipsis modestè & mansvetè ostendam,

dam, & utramqve partem vel *in* objectione vel *in* re-ſponſione deficientem adjuvem, ac *ita in ipſo* conflictu exemplis obvenientibus methodum diſputandi vel doceam, vel corroborem. Auditâ decimâ ceſſantibus Opponentibus ordinariis invitabimus Auditorium, ut ſi qvis contrà qvæſtionem à me propoſitam velit opponere & dubio meo ſatisfacere, ſurgat, vel alio ſigno nobis dato dubia noſtra deſtruere incipiat, & ita ubi copia opponentium extraordinariorum erit, continuabimus ad duodecimam uſqve. Iſtâ verò copiâ deficiente continuabunt Collegæ ordinarii, qvibus liberum erit, utrum in diſſertationibus de Ratione Statûs pergere, utrum qvæſtionem meam impugnare velint. Simul verò his duabus ultimis horis Collegis liberiorem conflictum permittam, ut ipſi ſentiant, qvantum diſtet diſputatio ad regulas juſtè exacta, ab iſto liberiori diſcurſu, atqve eò magis artificio diſputandi adſvefieri ſtudeant. Uti verò non deſpero, ſtudioſam juventutem, qvorum res agitur, non infreqventer exercitiis iſtis interfuturam, atqve eandem decenter invito, ita majorem in modum rogo omnes eruditos hujus urbis, omnesqve Eruditorum Patronos ac Mecœnates abſqve ullo dignitatis aut functionis diſcrimine, velint potiſſimum eo favore atqve amore me proſeqvi, & dubia mea in qvæſtionibus publicè proponenda vel ipſi eximere, vel per alios eximi benevolè curare. Non diffiteor, me & in Philoſophia & in Jure non paucas fovere opiniones, qvæ à ſententia communiter receptâ abeunt. Cumqve tempus videatur eſſe, ut & Philoſophiam & Jurisprudentiam meam, DEO annuente in ordinem redigam, ne temerè qvid agam, conſtitui, non ſolum durante hoc exercitio, ſed &

in

in posterum singulis septimanis qvæstionem aliqvam proponere, vel ad fundamenta Philosophiæ aut Jurisprudentiæ meæ pertinentem, vel ex iisdem deductam, cujus responsio semper sit paradoxa, & vel communi eruditorum sententiæ, vel certè multorum Excellentium ingeniorum & hodiè in Philosophia ferè regnantium doctrinæ adversa. Ne verò in leges modestiæ peccem, non audaci determinatione dissentientibus insultabo, sed per: *non liqvet*: *subsisto*: *videtur*, & similes dubitandi formulas informationem tacitè expetam, rationes verò dubii mei breviter qvidem, sed perspicuè subjungam. Abundat urbs nostra viris, summis honorum Academicorum titulis in omnibus qvatuor facultatibus præfulgentibus. Polliceor mihi ex tanta copia vel unum & alterum futurum esse, qvi vel mei misertus, sicubi erravero, insigni humanitatis officio me in veritatis semitam sit redacturus, vel amore erga dogmata communiter recepta ductus, eorum veritatem contra dubia mea sit defensurus. Habebunt utiqve, habebunt magnam objectionum aut emendationum copiam, aut, si fortè aliqvando eadem deficiet, adsunt in vicinis Academiis celeberrimis tot lumina eruditionis, qvi consilia & objectiones plurimas suppeditabunt. Et, ne materia disputandi unqvam desit, semper liberum erit contra qvæstiones qvasvis, etiam antè ventilatas insurgere. Igitur publicè eorum opem imploro, & vel ut sui ipsius rationem habeant, obtestor, ne posteritas, si qva futura est, sibi persvadeat, qvod silentio suo errores meos, si qvi suberunt, approbaverint, aut errores proprios confessi fuerint, aut ne, ubi post istud silentium loco dubiæ responsionis fidentem assertionem elegero, & tum demum vel vivâ voce, vel scriptis easdem sint aggressuri, ipsis opponam exceptionem, non dicam præscriptionis, sed occasionis ad litigandum elapsæ.

TANTUM.

Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem I. & II.

De

JURIS PUBLICI ORIGINE AC DEFINITIONE,

Deque

RATIONE STATUS IN GENERE,

Cum adjuncta Quæstione

QUID SIT SUBSTANTIA?

Publicè ventilabunt

Die 27. Jul. MDCXCIII. horis matutinis ab 8. ad 12.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

JCtus & Prof. Publ.

& Respondens

LAURENTIUS THOMAS, Oschwizio-Variscus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITERIS CHRISTOPHORI SALFELDII,

ELECT. BRAND. TYPOGR.

Qværo. I

Quid est Substantia?

Ego quidem nescio.

§. 1.



Iste paululum cogitationes Lector, nec præcipitante Judicio quæstionem excipe, quasi quæstionem Domitianam posuerimus, & asininam ignorantiam affectaverimus; quasi quæstio hæc sit inanis, & non nisi grillum Logicum vel Methaphysicum concernens, cum omnes Logicorum libri resonent, substantiam esse ens per se subsistens, & scientia mysterii hujus nihil vel parum prosit. Age videamus. §. 2.

Olim quatuor philosophorum sectas è celebrioribus fuisse, Platonicam, Stoicã, Epicuream & Aristotelicam, alibi diximus. In *PLATONE* de substantia aut ejus prædicamento nihil deprehendi. Nec verosimile est, cum de conceptu substantiæ multum fuisse sollicitum, cùm ex *ejus Sophista* constet, Platonem conceptum *entis* in genere subjecisse conceptui *Unius*, & entis quinque numerasse genera, *essentiam, idem, alterum, statum & motum.* Habes prædicamenta Platonica. Ubi nihil de substantia. *STOICI* duplicem classem entium faciebant, in una reponebant *corporalia*, in altera *incorporalia. Senec Epist. 89. Corporu* voce tam latè utebantur, ut etiam *Deum & materiam* corpora esse assererent, & quatuor saltem *incorporea*, teste *Sexto Empirico*, agnoscerent: *Id quod dicitur, (quod Seneca Epistol 117. effatum* seu *enunciatum* appellat:) *Vacuum, Locum, Tempus.* Vide omnino *Lipsium lib. 2. Physiol. Stoica. Dissert. 5. EPICURUS* apud *Laërtium lib. 10. in Epistola ad Herodotum* paulo post initium, cum sententiam suam de complexu entium seu Universo aperuisset, subjungit, Universum constare ex *corpore* & inani seu *vacuo*, additque, præter hæc duo nihil intel-

intelligi nec comprehendi, quatenus res ut *per se subsistentes*, (*καθ' αὐτὰς φύσεις λαμβανόμενα,*) & non tanquam earum *conjuncta* vel *eventa* (*συμπτώματα καὶ συμβεβηκότα*) considerentur. Ex quo patet, Epicurum per res *per se subsistentes* idem voluisse intelligere, quod alias *substantia* dicitur, & per *conjuncta* seu *eventa*, quod *accidentia* vocamus, nisi quod vacuum etiam ad res per se subsistentes retulerit. *Vid. Gassend. in notis ab lib. 10. Laërtii f. m. 99.* Simul vero id patet, Epicurum, uti nec substantiæ meminit expressè, ita & non posse dici, quod substantiæ justam tradere voluerit definitionem.

§. III.

Jam ad Summum *ARISTOTELEM* progrediamur, & definitionem substantiæ in eo quæramus. Nescio vero, quo pacto factum fuerit, ut Aristotelis de grege oviculæ sibi & aliis persvaserint, *substantiæ* illam communiter receptam *definitionem*, quod sit *ens per se subsistens & sustinens accidentia*, definitionis locum ex mente Præceptoris sui sustinere posse. Age ex ipso ostendamus, quod vel non definiverit Aristoteles substantiam, vel ipse agnoverit, hanc circumscriptionem pro vera definitione venditari non posse. Duo autem loci sunt, in quibus primario de substantia & dilucidè tractat, unus in *Categoriis* in *Methaphysicis* alter. In Categoriis *cap. 5. fol. 13. Edit. Casaub. substantiam primam* definit, quod sit, quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo est, ut quidam homo & quidam eqvus. At cum individua non possint definiri, quis vellet hanc orationem pro definitione vindicare? Pergit n. 2. *substantias secundas* dici species & genera, in quibus primæ substantiæ insint. Nec hic video definitionem. Pergit n. 12. commune omni substantiæ, primæ & secundæ esse, *non esse in subjecto*. Nec hoc definitionem efficere poterit, partim, quia ab Aristotele recensetur saltem ut proprietas substantiæ, (perinde ut illæ, substantias non recipere magis & minus, substantiis nihil esse contrarium,) quæ proprietates non constituunt essentiam rei, sed ejus constitutionem seqvuntur; partim, quia involvit conceptum negativum, exponens, quid res non sit, non quid sit. In libris Methaphysicorum, quantum ego quidem ex curiosis istis subtilitatibus, Scholasticorum ingeniis dignis, percipere potui, Princeps Philo-

 sopho-

ſophorum per integros duos libros, ſeptimum videlicet & octavum, definitionem ſubſtantiæ qvæſivit, non tamen invenit. Excerpamus ſaltem potiſſima. Supponit *cap. 2. lib. 7.* dari ſubſtantias, ut naturalia corpora, ignem, aquam, terram, item cœlum & ejus partes. At hæc pertinent ad quæſtionem, an ſit, neque hanc negamus, aut de ea dubitamus. *In cap. 3.* homonymiam ſubſtantiæ tradit. Pergit; *quaſi in figura dictum eſſe, quid ſit ſubſtantia, quod non de ſubjecto, ſed de quo cætera. Oportet autem non ita ſolum, non enim ſufficiens eſt, & hoc namque ipſum non eſſe manifeſtum.* Atque & hoc pro nobis eſt. *Cap. 5.* determinat, *quod ſolius ſubſtantiæ definitio ſit.* Et hoc pro nobis. Ergo qvæſtio noſtra non Domitiana, quia iſtam defininitionem quærimus. *Cap. 13.* diſputat *nullum ex univerſalibus eſſe ſubſtantiam.* Quam bene, non diſputo. Saltem id patet, hoc aſſertum parum facere ad ſubſtantiæ definitionem, uti & illud, dum *cap. 15.* aſſerit, *ſenſibilium ſubſtantiarum ſingularium, neq; definitionem eſſe poſſe, neq; demonſtrationem*, & aſſertum *cap. 16. quod nulla ex ſubſtantiis ſit ſubſtantia, Librum 8.* excerpere ſuperſedeo. Peto ſaltem, ut Ariſtotelici mihi definitionem ſubſtantiæ vel ibi, vel alio in loco oſtendant.

§. IV.

Sed linqvamus Ariſtotelem, & conſideremus, annon ſufficiat iſta definitio communiter recepta *ARISTOTELICORUM* ad definiendam eſſentiam ſubſtantiæ, etſi Ariſtoteles illam non habuerit? Non videtur. Nam communiter *per ſe ſubſiſtere* exponitur: *non eſſe in alio tanquam in ſubjecto.* Et convenienter ad mentem Ariſtotelis, qui dum *in cap. 1. libri 8.* repetit ea, quæ dixerat *libro 7.* in quo nonnulla diſſeruerat, de *non eſſe in alio*, ita effert, quod determinaverit de *ſecundum ſe, καθ' αυτὸ.* Sed hic recurrit, quod hic conceptus ſit negativus. *Suſtinere accidentia* eſt conceptus relativus. At conceptus relativus non exprimit eſſentiam entis realis, quale ſubſtantiam eſſe, cum Ariſtotele in exemplis modo adductis ſuppoſuimus.

§. V.

Accedamus ad *CARTESIUM*, qui uti omnia ex mente aſſeclarum reſtituit in integrum, ſic & fortè definitionem ſubſtantiæ. *Per ſubſtantiam* ait *P. I. principiorum Philoſophiæ n. 51. nihil aliud intelligere poſſumus, quam rem, quæ ita exiſtit, ut nullâ aliâ re indigeat*

ad exi-

ad existendum. Malè secundum Accursium. Ita nec mens nec corpus substantiæ forent. Ita solus Deus substantia esset. Miscuit subtilissimus Cartesius conceptum τȣ̃ *per se subsistere*, cum conceptu: *à se subsistere.* Sensit ipse Cartesius hanc objectionem. Unde mox *n. 52.* substantias creatas definivit, *quod sint res, quæ solo Dei concursu egent ad existendum.* Obscurissimè & insufficienter. Particula exclusiva conceptum negativum facit. Si sensus est, quod substantiæ creatæ sint à solo Deo, etiam accidentia à solo Deo sunt. Ergo accidentia erunt subsistantiæ. Accedit, quod hic conceptus involvat solam relationem ad causam efficientem. At efficiens non debet ingredi definitionem substantiæ, qvicqvid etiam Cartesiani de excellentia definitionum à causa efficiente desumtarum disserant. Videtur & ista subodoratus esse Cartesius. Ergo statim addit; *Veruntamen non potest substantia primum animadverti ex hoc solo, quod sit res existens, quia hoc solum per se nos non afficit. Sed facilè ipsam agnoscimus ex quolibet ejus attributo. &c. Ex hoc enim, qvod aliquod attributum adesse percipiamus, concludimus, aliquam rem existentem sive substantiam, cui illud tribui possit, necessario etiam adesse.* Respondeo 1. Ex hoc solum infertur, quod sit substantia, non qvid sit. 2. Attributum substantias distingvit, non communem conceptum format. 3. Nondum declaraverunt sufficienter Cartesiani, qvid sit attributum, & quomodo à substantia & modo differat.

§. VI.

Ergo non miraberis si ipsi Cartesiani, quoad definitionem substantiæ inter Magistri sui & Peripateticorum traditiones fluctuent, aut potius Cartesium deserant. *CLAUBERGIUS in Ontosophia p. m. 10. substantiam* dicit *rem, quæ ita existit, ut aliquo ad existendum subjecto non indigeat.* *RÆUS* contra *in opusculis Philosophicis adjunctis clavi Philos. naturalis in differt. pro vera Metaphysica th. 52. seq.* definitionem Cartesii dum explicare nititur, obscuriorem reddit. Summa eò redire videtur: Per *τὸ per se subsistere* in definitione substantiæ intelligi, *ab alio ut causâ non pendere.* Atqve hanc notionem claram esse & clariorem illâ, *non esse in alio tanquam in subjecto*, cum hoc ultimum non possit intelligi considerando substantiam in genere, sed recurrendo ad particularia. Verum premunt Raeum eædem difficultates, quas objecimus ipsi Cartesio.

§. VII.

BENEDICTUS SPINOZA videns, Cartesio licuisse salvâ reverentia in Definitione substantiæ recedere ab Aristotelicis, eandem licentiam sibi sumsit dissentiendi ab utrisque. *Per substantiam*, ait, *P. I. Ethic. defin. 3. intelligo id, quod in se est, & per se concipitur: hoc est, id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debeat.* At nolo me in examinanda definitione deceptoris hujus detinere, cum quilibet videat, eum & obscurissima & falsissima definitioni in istum saltem finem immiscuisse, ut virus atheismi sui, & horrendum dogma, solum DEUM esse substantiam, in eo occultare potuerit.

§. IIX.

Notavit jam ista Philosophorum Cartesianorum acutissimus *PETRUS POIRET* in fundamentis Atheismi eversis *p. m. 737.* Utinam & ita feliciter definitionem Spinosianam emendasset, sed loco unius definitionis substantiæ tradit sex, quarum una est obscurior alterâ. Ad nostrum scopum pertinent illæ duæ, *p. 741. Substantia dependens* est *Ens actuale, cujus idea & existentiæ fundamentum ab alio, in alio, & per alium (qui Deus est) est & concipitur, etsi respectu omnium eorum, quæ Deus non sunt, est independens, eatenus, ut non in illis & per illa, sed in se & per se sit & concipiatur, possitque esse sine cæteris, sive cæteris ad ejus essentiæ & existentiæ rationem nihil conferentibus.* Item: *Idea substantiæ dependentis in homine est conceptus seu notio, realitatem substantiæ repræsentans magis vel minus, perfectius aut imperfectius, clarius aut obscurius, distinctius aut confusius, magis aut minus complete, prout ad ideam divinam magis minusve acceditur, & ingeniorum diversæ sunt sortes.* Quoad posteriorem nihil addo, quia revera non est Definitio. Prior vel idem dicit, quod per se subsistere Aristotelicorum, vel aliud. Si prius, non morabimur. Si aliud, non intelligo, quid sit: *Substantiam concipi in se.* Cum enim nihil possit esse subjectum sui ipsius, non etiam potest concipi in se. Non intelligo, quomodo possit dici, *substantiam concipi per se*, cum non possit concipi absque accidentibus. Non intelligo, *Substantiam posse esse sine cæteris*, cum v. g. supposuerimus, (nec diffitebitur Poiret) hominem

canem

canem &c. esse substantiam. At homo sine aëre & aliis rebus, quæ ipsum sustentant, esse nequit, adeoque illæ ad ejus essentiam & existentiam omninò quid conferunt.

§. IX.

Ergo ad vos me confero, Clarissimi *Philosophi*, Experientissimi *Medici*, *Theologi* maximè Reverendi, & à vobis quæro: *Quid sit Substantia?* Idque non tam mei gratiâ, quam Vestri. Nostra non adeo interest, ut sciamus, quid sit substantia? *JCti* sive circa justitiam & entia moralia occupati sint, entia moralia non sunt substantiæ, sive circa pecuniam, pecunia quantitas est, non substantia.

§. X.

At vestra interest, Acuti PHILOSOPHI, sive *ARISTOTELICI* sitis, aliàs enim totum vestrum Substantiæ prædicamentum corruet, & cum eo prædicamenta omnia accidentium, utpote quæ vobis fatentibus, sine substantia non subsistunt. Ita collabuntur omnes artes & scientiæ; sive *CARTESIANI* sitis. Quomodo enim de clara & distincta vestra cognitione gloriari potestis? quomodo aliis persvadere audebitis, vos possidere distinctum conceptum mentis & corporis (quibus duobus fulcris tota Philosophia vestra nititur) si distinctum conceptum substantiæ non habitis, è quo conceptus mentis & corporis oriri debent? Vestra interest, Excellentissimi *MEDICI*. Sine scientia corporis naturalis ars vestra nihil est, sine scientia substantiæ scientia corporis vana est.

§. XI.

Vestra denique omnium maxime interest, Magnifici *THEOLOGI*. Quomodo *Spinosæ Atheismum* destruere potestis, si non perspicuam tradatis substantiæ definitionem? Aut si hæc quæstio vobis cum Philosophis communis est, vel his planè relinquenda: Quid est illud, quod Apostolus *fidem* appellat ὑπόςασιν, *substantiam* eorum, quæ speramus? Quid est panis ἐπιούσιος in

in Oratione Dominica? Aut si & in his qvæstionibus effugia vobis præstô sint: Qvâ de causâ Orthodoxi Patres in Concilio Nicæno tanta pertinacia litigarunt cum *Arianis* de *consubstantialitate* aut *æquali -- substantialitate*, si nondum constat, qvid sit substantia? Qvâ de causa Majores nostri tam atrociter damnaverunt *Flacium* de Ecclesia nostra aliàs tam benè meritum, saltem eo, quod *peccatum dixerit substantiam* hominis? Cur distinctionem *Flacii* inter *substantiam materialem* & *formalem* admittere noluerunt, & Virum optimum Manichæismi accusarunt? *Conf. Carpzov. Isagog. ad Form. Concord. p. 1159. seq.* Ergo Vestra interest, dubium hoc eximi, ne occasio detur credendi, tanta litigia orta esse de re, qvæ à nemine intelligitur, aut, aliam causam tantarum turbarum & tumultuum fuisse, qvam studium veritatis.

§. XII.

Ergo adhuc qværo: *Quid est Substantia? Ego qvidem nescio.* Expectabo informationem Vestram per annum. Eâ non secuta tentabo, utrum ego minimus eruditorum, veram, perspicuam & distinctam substantiæ definitionem tradere possim.

TANTUM.



Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem III. & IV.

De

RATIONIS STATUS NATURA,

Deqve

ARCANIS STATUS ET CONSILIORUM SILENTIO,

Cum adjuncta Qvæstione

An Imperator Wenceslaus legaliter sit depositus, & tantis vitiis contaminatus, ut vulgo creditur?

Publicè ventilabunt

Die III. Augusti M DC XCIII. horis matutinis ab 8. ad 12.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

JCtus & Prof. Publ.

& Respondens

ENNO RUDOLPHUS BRENNEISEN,

Esenâ Frisius.

B Qværo



Qværo II.

An Wenceslaus Imperator legaliter fuerit depositus, & tantis vitiis commaculatus, ut vulgò creditur? Non videtur.

§. I.



On qværimus, utrum Electoribus competat Jus deponendi ex causis prægnantibus Imperatorem, nec ne? Age enim id supponamus, aut tanqvam conditionem ponamus; si Electoribus Jus deponendi competit: An legaliter fuit depositus Wenceslaus? Cùm autem nunqvam lex de depositione lata sit, nec etiam depositio consvetudine introducta, & sic certis solennitatibus prædita fuerit; *legaliter* hîc significat, qvod conveniens est regulis æqvitatis naturalis & principiis moralibus ac Politicis, item Juris publici Germanici: In qva qvæstione magnum momentum facit; an Wenceslaus tam vitiosus fuerit, ut depositionem fuerit meritus? qvamvis ea sola ad legalem depositionem ostendendam non sufficiant, qvia legalis non esse potuerit depositio, etiamsi Wenceslaus depositione dignus fuerit, puta si depositio v.g. non facta fuerit ab iis, qvibus jus deponendi competit, si deponentes æqvè vitiosi fuerint, si per depositionem turbis implicatum fuerit imperium &c.

§. II.

Jam utut communiter omnes Scriptores, qvos legi, Wenceslaum pro monstro hominis habeant, & ita nemo de dignitate ejus, ut deponeretur, dubitaverit, de legalitate tamen depositionis Autores in duas partes abire sentio, qvibusdam magna fiduciâ & præ-

& præſumtione legalitatem depoſitionis aſſerentibus, ut Gabriele Schwedero *Introd. ad Jus Publ. Part. Spec. Sect. 1. c. 32. §. 8. p. 699.* Carolo Scharſchmidio *ad Schüzii Jus publ. Part. 1. Exerc. III. th. 30. p. 218.* & Joh. Limnæo *Jur. Publ. lib. 2. c. 11. n. 29. ſeqq. & in utroqve additionum Tomo ibid.* qvibusdam eandem negantibus, aut certè de eadem dubitantibus, ut Bœclero, *Notit. Imper. l. IV. c. 1. p. 63.* Illuſtri Rhetio *Inſtit. Jur. Publ. l. 1. tit. 4. in fine p. 184.* & Stamlero *de reſervatis §. 17. n. 4. ſeq.* Licebit adeò & nobis pro libertate Academica & de legalitate & de merito depoſitionis dubitare.

§. III.

De merito incipiemus. Noſtrum verò non erit probare: nam qvilibet præſumitur eſſe bonus. Ergo demus Wenceslao accuſatorem, & qvem alium, qvàm ex Doctoribus adductis Limnæum, Scriptorum Juris Publici anteſignanum, qvi totus in eo eſt, ut omnia ex antiqvis colligat, qvæ ad denigrandum Wenceslaum faciunt. *Cuſpinianus*, ait d. l. *in vita Wenceslai hunc dignum ſcribit, qvi non diadema in capite, ſed laqveum in collo geſtaret, nec inter Reges vel Romanos vel Bohemos, ſed inter hiſtriones ac potius porcos numerandus.* Magna accuſatio, ſi vera eſt. Ego non credo. Cuſpinianus, Æneas Sylvius, Hiſtorici Bohemi, fidem non merentur adverſus Wenceslaum. Sunt Pontifex, Monachi, Bohemi, omnes inimici Wenceslai, ut ex ſeqventibus patebit. Igitur probatione opus erit.

§. IV.

Certè qvod alii, (ita pergit Limnæus) *poſtqvam in lucem prærumpens & naturam (mater enim in partu extincta) & Deum (nam ſacro fonte baptiſmatis abluendus, baptiſterium, ventrem exonerando conſpurcavit, imò ferè biennis in Regem Bohemiæ coronatus, aram, in qva ſedebat, onere ventris fœdavit turpiſſimè) offendiſſet, prædixerunt, illud omne exitus comprobavit.* Dubito, an indignatione an miſericordiâ dignæ ſint iſtæ ineptiæ. Qvis homo ſanæ mentis inter crimina referret, & infanti imputaret, qvod mater in partu extincta, qvod ventris onus decorè retinere non potuerit? Indicia malæ cauſæ ſunt, loco criminum ſtercora infantis conqvirere. At, inqvis, præſagium tamen eſt, qvod in loco ſacro, in baptiſterio, in ara ventrem exoneraverit. At, inqvam ego, præſagia iſta ſunt præſagia digna pro laicis, qvi ſibi imponi patiuntur à Clero, ſanctitatem in lapidibus

 & tem-

& templis, salvâ cordis profanitate, qværente. Qvoties infantes nostri talia committunt? Ridemus mulierculas nostras de ejusmodi præsagiis sollicitas, ac dicimus, si infans cacet, præsagium esse, qvod nutrix debeat lavare fascias. Indicium malæ educationis est, qvod puer ferè biennis, nondum assvetus fuerit actus istos naturæ certo tempore aut debito loco peragendi. Sed hoc vitium nutricum est, non infantis, & adhuc hodie, etiam in liberis magnatum, non infreqvens.

§. V.

Sed audiamus jam, qvomodo id præsagium exitus comprobaverit. *Nam*, ait Ludvvel. *præter cædes, qvas perpetraverat, crudelitatis insignia documenta edidit. Assiduè penes se carnificem habebat, qvem compatrem appellabat, & tam familiariter eo utebatur, ut aliqvoties uno eodemqve eqvo secum vehi illum passus fuerit. Dubrav. lib. 13. Hist. Bohem. p. m. 219.* Pertinent ad hanc imputationem & ea, qvæ Ludwellus adjecit in *Tom. II. Addit. ad istum locum. p. 62. Qvando Rex Wenceslaus bibit excessivè, & ad ebrietatem, incurrebat in furiam, & fuit tunc multum perversus, & periculosus, & dicitur qvadam vice coqvum suum, qvi ad voluntatem suam, sed secundum appetitum suum cibos non paraverat, ad veru ligatum assari jussisse. Item qvodam tempore ad experiendum, qvid decapitandi sub tempore executionis cogitarent, accersivisse spiculatorem, cujus compater fuit, & flexis genibus oculisqve suis velatis præcepisse, ut se decollaret, & qvia spiculator ense nudo dissimulans ipsum cum platto in collum percussisset, surrexisse Regem, & dixisse spiculatori, ut poneret se super genua, qvem sic velatis oculis tunc decollavit. Accidit etiam qvodam tempore, dum Rex causâ venationis ad nemus pergeret, & monachum in via reperiret, ut statim à mangone bodistam peteret, qvâ tensâ, & ex pharetra (qvam semper ad latus suum ferebat) sagittâ extractâ, monachum sic sagittâ percussit, ut inde mortem obiret, dicens adstantibus, se feram singularem sagittasse, qvibus dicentibus, non feram, sed monachum, respondit, monachum esse & debere manere in suo claustro, non in sylva, ubi habitatio & conversatio ferarum. Ita legitur in magno Chronico Belgico p. 327. edit. Pistorii.*

§. VI.

Hic non laudabo Wenceslaum, non omnia ejus facta semper excusabo, id meum erit dispicere, utrum ea facta sufficiant ad depositionem? Neqve disqviram, qvalia & qvanta facinora reqviran-

qvirantur, ut possit dici, Principem dignum esse, ut deponatur; Saltem disputabo ex concessis. Paucæ cædes privatorum, uti Principem non faciunt hostem Reipublicæ, ita omnes, ut puto, concedunt, eas etiam non sufficere, ut qvis dicatur Tyrannus exercitio, ut deponi possit. In privato, qvi pes aut digitus &c. Reip. est, hoc sufficere pôtest, ut ense rescindatur. In capite vitia ejusmodi etsi gravia, toleranda & ferenda sunt. Qvibus præsuppositis, in genere respondeo ad præcedentem positionem Ludvvelli, eam saltem afferre pauca exempla privatorum à Wenceslao interfectorum, ergo nihil ad rem. Addo responsiones plures speciales. I. Illud ridiculum: Wenceslaus assiduè carnificem penes se habebat, Ergo crudelis. Ergo & Consules, Dictatores Romani omnes fuissent crudeles. At carnificem compatrem appellavit, familiariter eo usus est. Et hoc ridiculum. Est enim II. locus qvidam in Marchia satis cognitus, ubi carnifex tantæ est existimationis, ut multi ex viris honoratioribus, nobiles pariter & ignobiles, ipso familiariter utantur, & fortè etiam sint aliqvi ex ipsis illius compatres. An ergo hi viri honoratiores propterea insignia crudelitatis documenta eo ipso edunt? III. Familiariter vulgò receptum est, ut eos, qvi curru ducunt homines ab uno loco in alterum, sive aurigas eos velis appellare, sive alio modo, appellemus idiomate Germanico Herr Schwager. An propterea crudelitatis vel ignominiæ signa edimus? IV. Homines ebrios vino furibundos devenire, est effectus naturalis, qvi crudelem non facit, cum crudelitas sit vitium hominis jejuni & sobrii. V. Et si propter hunc furorem tempore ebrietatis orientem, Principes essent deponendi, qvalia absurda inde seqverentur? VI. Jussit coqvum assari VVenceslaus. Benè. Sed an fuit assatus? De hoc historia tacet. Et vix puto. Sed fuerit assatus. Crudeles fuerunt ministri ebrio Regi obseqvium in re injustissimâ præstantes. Ipsum Regem in foro humano ebrietas excusat. VII. Dubito de veritate totius hujus historiæ. Ipse Ludvvel per τὸ dicitur eam circumscribit, qvod ferè est nota incertitudinis. VIII. Ipsa verò fabella de decollato carnifice ne qvidem verosimilis est, & multis indiciis prodit, autorem ejus non benè calluisse artem mentiendi. Rationes in conflictu suppeditabimus. IX. Qvod monachum in sylva interfecerit Rex, anteqvam ad eam

historiam vel fabellam respondeam, audiam prius; qvid respondeatur ab adversariis ad excusationem ipsius Wenceslai: Monachos debere manere in monasterio, nec vagari in sylvis.

§. VII.

Restat ultima criminatio Ludvvelli. *Inter verò purpuratos suos crebro sermone usurpabat: Ego si me diripiendis urbibus Italiæ sors præsentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impertiar, vini tantum apud me spolia reservabo. Si qvis autem in cellam vinariam fuerit ingressus, gladio ferietur. Æneas Sylvius in Alphons. Paralip. l. 2. c. 15. Unde de eodem veriverbium ortum est, esse auri contemtorem & vini amatorem. Cui indubitatam posteà adjecit fidem, cùm à Noribergensibus pro remissione juramenti fidelitatis offerentibus viginti millia aureorum, spretâ pecuniâ peteret vini Rhenani optimi aliqvot plaustra, (in manuscriptis Chronicis Noribergensibus fit mentio triginta millium aureorum, & qvatuor cuparum* Fürstenberger Weins) *ex Bucholcero Matth. Stephani l. 2. de Jurisd. part. 1. c. 5. n. 48. Fortunâ utiqve dignus Fliolmi, veterum Svecorum Regis, qvi nimiâ familiaritate subditorum compotationibus indulgens, per lasciviam in cerevisiæ dolium conjectus interiisse scribitur.* Adjuvemus Ludvvellum. Si enim meliorem advocatum sententiæ communis invenire potuissemus, dedissemus. Huc ergo pertinet, qvod *ad Schüzii systema d. l. p. 218.* annotat Scharschmidius. *De Wenceslao referunt, qvod contemptim habuerit depositionem, dicens:* Er sey wohl zufrieden / wenn man ihm nur jährlich vier Wagen voll Francken-Weins gen Prag brächte / und er solchen auszutrincken hätte.

§. IIX.

Sed vide qvæso Lector, qvo nos ducat affectus, odium, aut præjudicium alienæ autoritatis. Si JCtus inter celebriores non infimus, non præsupposuisset veritatem opinionis communis, haud dubiè tam misera argumenta ad eam corroborandam non protulisset. Qvot propè verba recenset, tot nobis ob insufficientiam illationis suppeditat responsiones. Paucissimas saltem huc collocemus. 1. Wenceslaus vinum valde amavit, ergo justè ab Imperio est depositus, vel dignus depositione fuit. Si ego hoc argumentum defendendum susciperem, vererer, ne ab adversaris meis de violata Principum plurimorum majestate accusarer. 2. Si

Prin-

Princeps depositione dignus est, qvi relictâ reliqvâ præda, municipio qvodam capto sibi omne vinum reservat, qvid de istis fiet Principibus, qvi & vinum & reliqvam prædam reservant sibi. 3. Fortè de illo dicterio post depositionem adhuc dubitare possemus. Aliam longè responsionem refert ex Historia Bohemica Lehmannus in Chronico Spirensi. Als er vernommen / daß er des Käyserthumbs entsetzt / und Chur-Fürst Rupertus Pfaltz-Grafe beym Rhein zum Käyser erwählet / sol er gesagt haben: Wir seynd des Lasts vom Reich gerne überhaben / hoffen / wir wollen nun mit bessern Nutz das Königreich Böhmen verwalten.

§. 9.

Hactenus accusatorem Wenceslai audivimus; audiamus & sententiam depositionis. Eam refert Goldastus *in Constitut. Imper. f. 379.* Accusatur ibi de indecentibus ac detestabilibus in imperando moribus, qvod Ecclesiæ Orbisqve Christiani defectibus noluerit mederi, qvod pacem in Ecclesia non promoverit, qvod Mediolanum & Provinciam Longobardiæ Duci Mediolani & Comiti Papiensi vendiderit; qvod membranas plures rasas, suæ tamen Majestatis sigillo munitas vendiderit; qvod bella & reliqvas turbas Germaniæ non curæ habuerit; qvod reverendos sacrorum Antistites, Sacerdotes & spirituales personas truculenter peremerit; qvod sæpius admonitus tamen sacræ Ecclesiæ & Imperio opem ferre noluerit, aut mores emendare; deniqve qvod citatus ad Collegium Electorum, non comparuerit, ut adeò opus fuerit in contumaciam ferri sententiam depositionis.

§. X.

Hic regero: Non fuit auditus Wenceslaus, & hæc imputationes ipsi non sunt probatæ. At cur citatus non venit? Non qværam, an fuerit obligatus ad veniendum? id urgeo, habuisse ipsum justissimam exceptionem loci non tuti. Probabo in conflictu. Ergo de Mediolano vendito videndum foret, si fuisset auditus, qvamvis nec hoc suffecerit ad justam depositionis rationem. Deinde fuit status illo tempore turbulentissimus, ita ut non sit probabile, potuisse Wenceslaum extingvere turbas Germaniæ. Oriebantur turbæ ab ipsis Proceribus, fortè à qvibusdam ex Electoribus,

ribus, cur hi non puniebantur? Cur ipsi singuli in suis territoriis pacem publicam non promovebant? De pace Ecclesiæ mox videbimus seorsim.

§. XI.

Adde, qvod ista sententia legatur saltem à Moguntino concepta, nomine qvidem reliqvorum Electorum, sed de qvibus non constet, an in concipienda sententia fuerint omnes præsentes ac consentientes, an omnes ad istum actum fuerint citati. Neqve enim præsumtio est pro Moguntino homine neqvissimo, (ut mox apparebit.) Adde, qvod Rupertus Successor Wenceslai fuerit depositionis autor. *Lehmann. d. l. c. 59. p. 825.* Adde, qvod Rupertus post depositionem Wenceslai à multis pro Rege non fuerit agnitus Wenceslao adhærentibus, qvod schisma fuerit inter Cæsares, duobus Rupertis pro Cæsaribus se gerentibus, qvod Rex Sigismundus Germanus Wenceslai, per literas fuerit conqvestus de depositione Wenceslai, atqve post Rupertum in Imperatorem electus, noluerit Imperium sine consensu fratris suscipere. *Vid. Limn. Tom. II. Addit. p. 63. 64.* Qvæ omnia indicia sunt depositionis illegalis & turbulentæ.

§. XII.

Ergo adhuc responsio mea ad qvæstionem propositam manet verosimilis. Verosimilior fiet, si ostendam causam communis erroris, & cur communiter sic exosus fuerit Wenceslaus. Fiet id in qvæstione peculiari. Deliberandum enim est, annon planè pro martyre Wenceslaus haberi mereatur? Videbimus, Deo dante, alio tempore.

TANTUM.



Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem V. & VI.

De

REVELATIONE ARCANORUM ET DE EXPLORATORIBUS,

Cum adjuncta Quæstione

An Sutor possit esse Philosophus?

Publicè ventilabunt

Die X. Augusti M DC XCIII. horis matutinis ab 8. ad 12.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

JCtus & Prof. Publ.

& Respondens

JACOBUS CONRADUS Keeßl

Lindaviensis.

C



Qværo III.
An Sutor possit esse Philosophus?
Videtur.

§. I.

VAriæ Variorum hodie lites sunt de scriptis Jacobi Bœhmii & ipso autore, & solet in istis disputationibus sæpe oppugnari, & Boehmius & ejus scripta, eò, qvod sutor fuerit Bœhmius. Cum enim qvidam Bœhmi asseclæ eum ex amore Philosophum Teutonicum appellare soleant, & verò adversariis ejus maximè contradictorium esse videatur, sutorem esse Philosophum, notum est, qvod ab his ferè uno ore rursus appellari soleat sutor Philosophus & per ironiam ejus Philosophia, Philosophia sutoria.

§ II.

Jam uti istam litem meam non facio, ita liceat jam ex libertate Academica, vel abstrahendo à Bœhmio, qværere, an talis sit repugnantia inter Philosophum & sutorem, ut non possint combinari in uno tertio? Neqvè enim hoc multum nocebit adversariis Bœhmii, cum, etsi sutor possit esse Philosophus, non tamen propterea omnis sutor sit statim Philosophus, & mille possint illis subesse rationes, ex qvibus sibi victoriam in ista controversia promittere possint, etsi sutorum in genere causam his thesibus paululum egerimus.

§. III.

Id qvidem constat, si statum hodiernarum Academiarum consideres, & divisionem eruditorum in qvatuor facultates, non

habere ſpem ſutores, ut aut Baccalaurei aut Magiſtri Philoſophiæ poſſint evadere. Neqve enim ſolemus talia prædicata aptare talibus ſubjectis, qvia proſtituerentur Academiæ & facultates Philoſophicæ, atqve ſacroſanctis ſtatutis communibus adverſi qvid committerent, ſi ſutoribus ſummos in Philoſophia honores tribuerent, qvi tamen neqve depoſiti eſſe ſolent, neqve albo Academico inſcripti, neqve Latinam lingvam callent, & ita non poſſunt lectiones Dominorum Profeſſorum freqventare, aut dictata eorum excipere, multò minus Chriam in tentamine promotionis elaborare. Sed jam non qværimus de titulis honorum ſed de re ipſa. Uti enim multi ſunt Philoſophi titulares, qvi Philoſophiam neſciunt, ita poſſunt eſſe multi Philoſophi, veri titulis Academicis deſtituti.

§. IV.

Præterea olim Philoſophia totam ſapientiam denotabat, olim qvatuor facultates artium & ſcientiarum ignorabat mundus, olim lingva peregrina non faciebat Philoſophum, ſed Græci Græcè, Latini Latinè philoſophabantur; Olim celeberrimi ex Philoſophis non involvere intendebant Philoſophiam ſuam terminis abſtractiſſimis & obſcuriſſimis, ſed ita aliqvi ex iis philoſophabantur, ut & ſutores eam poſſent intelligere; Olim ridebatur, qvi peculiarem vocationem & privilegium reqvirebat, ut qvis ſapientiæ daret operam, aut qvi putaret, peccare ſutorem contra vocationem à Deo ipſi datam, ut ſutoriam exerceat, ſi artem ſuam exercendo, cogitationibus ſanioribus ſimul operam dare allaboraret. Et tamen olim, credo, erat res Philoſophiæ, etſi neqve Socrates, neqve Plato, neqve Ariſtoteles titulis Academicis fulgerent.

§. V.

Eſt vulgatus Canon Metaphyſicæ Scholaſtico-Ariſtotelicæ: Ab actu ad potentiam valere illationem. Igitur reſponſionem meam ad qvæſtionem propoſitam non melius puto, probare potero, qvàm ſi exemplum afferam hominis, qui & egregius Philoſophus fuerit, & bonus artifex in arte ſutoria. Siſtit eum Diogenes Laërtius in vitis Philoſophorum *lib. II. p. m. 87. Simon Athenienſis Coriarius. Qvoties ad ejus officinam perrexiſſet Socrates, atqve*

qve dissereret, omnia qvæ meminisse poterat notabat. Unde & ipsius Dialogos σκυτικοὺς appellant, qvod inter ejusmodi opifices sint habiti. Sunt autem numero triginta tres, qvi uno ibidem Codice comprehenduntur: De Diis, de bono, de honesto, qvid sit pulcrum & honestum, de justo duo, de virtute qvod doceri non possit, de fortitudine sive virilitate tres, de lege, de popularitate, de honore, de poesi, de bona valetudine, de amore, de Philosophia, de scientia, de Musica, qvid sit pulcrum, de disciplina, de differendo, de judicio, de eo qvod est, de numero, de diligentia, de operando, de avaro, de jactantia, de honesto. Alii autem de consulendo, de ratione sive aptitudine, de maleficentia. Fertur hic primus omnium Socraticos sermones disseruisse. Cum autem Pericles polliceretur, si ad se veniret, cuncta illi se necessaria exhibiturum, libertatem inqvit, vendere, consilii non fuerit. Fateor me maximè attonitum fuisse, cum prima Laertii verba legerem: *Simon Atheniensis Coriarius.* Obveniebant enim mihi statim uno momento omnes illæ rationes, omnia illa dicteria, qvæ tot Viri magnâ autoritate & potentiâ præditi, sutori Bœhmio objecerunt, ut tacitè in mente exclamarem: *Qvid coriarius inter Philosophos?* Volui græcum Laertii textum consulere, (cum in mea Bibliotheca Latinum Codicem saltem habeam,) utrum fortè in Græco aliud vocabulum extet qvod coriarium non significaret, sed cum is non statim ad manus fuerit, suppono rectè se habere versionem illam, qvâ utor, Ergo sutor fuit Philosophus.

§. VI.

Fuit & Philosophus egregius. Nam *primus omnium Socraticos sermones disseruit*, ut Diogenes noster ait. Fuit Socrates fatentibus ferè omnibus, Philosophorum summus. Summi Philosophi doctrinam ita capere, ut eam sibi convenientem iterum exhibere valeamus, indicium excellentis ingenii est. Magnifacimus Platonem, maximi cum fecerunt Patres primitivæ Ecclesiæ. At qvid aliud sunt ejus libri, qvàm doctrina Socratis dialogis exposita? Si sutoris nostri dialogos habuissent Patres, fortè magis adhuc eum existimassent, qvàm Platonem. Certè eo honore non fuisset indignus, qvia si primus Socraticos Sermones disseruit, ergo ante Platonem. Et fortè, uti videtur, simplici inge-

ci ingenio & sincero fuisse; magis puram ac limpidam Socratis doctrinam exhibuit atqve Plato. *Ajunt enim, Socratem, cum Platonis Lysidem audisset recitari, proh Dii immortales! dixisse, qvàm multa de me mentitur adolescens*, referente eodem Laertio *lib.3. de vitis Philosophorum.*

§. VII.

Ulterius qvæ scripsit sutor noster, ad universam Philosophiam pertinent, taliaqve sunt, aut certè de talibus materiis, de qvibus vix celeberrimis hodiernorum Philosophorum constat. Ad primam philosophiam pertinent dialogi *de Philosophia*, *de scientia*, *de disciplina*, *de diligentia*, *de eo qvod est*, ad Oratoriam fortè *de differendo* & *de numero*(nisi ille ad Logicam, hic ad Arithmeticam referendus est, qvod jam, cum Codex Græcus deficiat, definire non possumus,) ad poesin dialogus *peculiaris*, ad Theologiam seu Metaphysicam dialogus de Diis, ad Physicam *de bona valetudine*, ad Philosophiam activam dialogi plurimi, qvos inter maximè doleo dialogos de amore & de pulcro interiisse, tanqvam de rebus & cognitu difficilibus & utilissimis. Qvod *verò virtus doceri non possit*, videtur qvidem primâ fronte paradoxum esse, sed facilè defendi potest, si is sit sensus: vel vulgarem doctrinam virtutis per definitiones & divisiones &c. non reddere virtuosum, sed posse etiam ejus rei scientiam inesse vitiosissimo, vel: appetitum & sensum virtutis non posse ullâ doctrinâ dari hominibus. Qvia autem Socrates morum doctrinam maximè populariter & perspicuè tradidit, & veró Simon noster nullam præsumtionem contra se habet, qvod altiori proponendi modo ac subtiliori fuerit usus, imo potius majori popularitate eum ista proposuisse vero sit simile, qvod dialogos illos, teste Laertio, tanqvam inter opifices habitos conscripserit, inde iterum ex hoc capite etiam præferrem Philosophiam sutoris hujus Philosophiæ Socraticæ à Platone traditæ, subtilioris sæpè & obscurioris qvam vel Philosophia Socratica, vel etiã veræ eruditionis scopus(utilitas & felicitas generis humani) postulabat aut admittebat. Est enim sapientia vera ita apta nata, ut perspicua sit & humano generi communis, unde necesse est eam etiam ab ingeniis opificum intelligi posse.

posse. Unde multo magis libros hos sutoris deploro, qvam si omnes libri Aristotelis interiissent. Idqve credo, fieri posse pace philosophorum Aristotelicorum. Loqvor enim de meo gustu. De gustibus verò non est disputandum.

§. IIX.

Et illud ad præcellentiam hujus sutoris Philosophi pertinet, qvod usus fuerit methodo verâ atqve legitimâ perveniendi ad sapientiam. *Qvoties*, ait Laertius, *ad ejus officinam perrexisset Socrates atqve dissereret, omnia qvæ meminisse poterat, notabat.* Notum est, Socratem non scamna posuisse auditoribus, non certam horam ipsis dedisse, non textum iis aut autorem explicuisse, non dictasse, ut ex parte seqventes Philosophi Græci faciebant, & nos hodiè facere consvevimus, sed ibat per plateas & loca publica immiscens se congregationibus hominum freqventioribus, vel etiam in officinis opificum, in qvibus confabulandi causâ homines conveniebant, se sistebat, & ibi pro re natâ, ex discursibus qvibuscunqve obviis occasionem sumebat præcepta moralia docendi in media confabulatione. Igitur dum sutor noster dicitur notasse ea, qvæ Socrates apud eum disseruit, non putandum est, qvod discursum Socratis calamo ex ejus ore exceperit, sed cum Socrates in ipsius officina, ipso laborante & calceos aptante, cum aliis collocutus esset, solus posteà discursum Socratis repetens in mente & notabat sibi, & ita; qvod ajunt, in succum & sangvinem convertebat Philosophiam Socratéam. Atqve hac methodo si uterentur Juvenes hodierni, næ brevi tempore experiri possent, qvantum illæ ruminationes & adnotationes prosint. At vero istam methodum à Juvenibus postulare non possumus docentes, nisi & ipsi perspicuè atqve populariter doceamus.

§. IX.

Frustrà verò inculcatur Philosophia atqve docetur, nisi in ipsa vita exemplo qvoqve tuo te probes esse Philosophum. Probavit & noster. Atqve eò pertinet, qvod *cum ei Pericles pollice-retur,*

vetur, si ad se veniret, cuncta illi se necessaria exhibiturum, libertatem, inqvit, vendere consilii non fuerit. Voluit verosimiliter Pericles servitio Simonis uti, at servire nescit animus Philosophi. Nemini nisi virtuti servit, & omnibus virtuosis actiones suas sponte accommodat, fugit imperium potentum atqve divitum, & contemnit. Si necessitate coactus serviat, corpus servit, animus liber est. At libertas hæc in spontanea servitute conservari neqvit. Non habebatur Pericles pro vitioso homine, potens erat & autoritate conspicuus apud Athenienses, uno verbo, secundum modum loqvendi hodiernum, erat magnus Politicus. Sed uti plerumqve magni Politici non magni sunt Ethici, ita & Periclem ad hanc classem pertinuisse, vel ex discursu ejus, qvem cum Alcibiade habuit de definitione Legis, *apud Xenophontem in memorabilibus Socratis lib. 1.* junctis iis, qvæ de ipso subinde memorat Thucydides, verosimile est. Philosophus autem verus Ethicam, hoc est sui ipsius cognitionem & emendationem, facit normam Politices, qværendarum videlicet opum & autoritatis.

§. X.

Igitur verosimile est, sutorem non solum posse esse Philosophum, sed & excellentem atqve perspicuum, & methodicum Philosophum, Philosophiam suam exemplo exprimentem esse posse. Qvod si verum est, uti videtur, verum qvoqve erit, inposterum oppugnatores Bœhmii benè facturos esse, si in Disputatione illa argumentum aut scomma de Philosophia sutoriâ omittant, atqve de aliis firmioribus, qvæ nunqvam iis, qvi veritatem tuentur, deesse poterunt, circumspiciant. Nam istud qvidem Appellis: *Ne sutor ultrà crepidam* parum ad rhombum facit. Non, qvod aliàs pictoribus & Poetis qvidlibet audendi semper fuerit potestas æqva, sed qvod apophthegmata pariter ut similia, non sint extendenda ultra tertium. Nos verò ad sutorem nostrum reversi, tacitè cogitemus, qvia Philosopho clamare non convenit: *VIVAT PHILOSOPHIA SUTORIA!*

TANTUM.

Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem VII. & IIX.

De

EXPLORATORIBUS, & CAPITE STATUS RATIONEM TRACTANDI,

Deqve

MONARCHICO REGIMINE & USU MINISTRISSIMI,

Cum adjuncta Qvæstione

Qvomodo differat actio vana à turpi?

Publicè ventilabunt

Die XVII. Augusti M DC XCIII. horis matutinis ab 8. ad 12.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

JCtus & Prof. Publ.

& Respondens

DAVID STAVINSKY Borussus.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND. TYPOGR.



Qværo IV.

Qvomodo differt actio vana à turpi? Videtur, qvod vanæ dicantur illæ, qvæ ſunt indifferentes, qvatenus hæ ab indifferentia ad turpitudinem moventur.

§. I.



Ctio humana moraliter conſiderata eſt vel *honeſta* i. e. legibus præcepta, vel *turpis* i. e. legibus prohibita, vel *indifferens*, i. e. qvam lex nec præcepit nec prohibuit. Permiſſio enim, rectè monente Grotio, non eſt legis actio, ſed actionis negatio. Regulariter autem omnis actio humana ſuâ naturâ i. e. phyſicè conſiderata, eſt indifferens, fit verò honeſta vel turpis ob circumſtantias morales accedentes. Ergo actio indifferens eſt, qvæ non habet circumſtantias morales. Cave verò circumſtantias morales crudè intelligas illas, qvæ communi includuntur verſiculo: *Qvis*, *qvid*, *ubi* &c. Nam alias non daretur ulla actio indifferens, qvia non poteſt concipi actio ulla, ſine aliqva ex his circumſtantiis. Tùm demum hæ circumſtantiæ morales fiunt, ſi aliqva ex iis legibus præcepta ſit vel prohibita. Ita edere domi, eſt actio indifferens, etſi habeas circumſtantias *qvid* & *ubi*; vorare eſt actio turpis, qvia connotat circumſtantiam *qvomodo* aut *cur*, legibus prohibitam.

§ II.

Jam autem *nomina* actionum humanarum talia ſunt, ut vel connotent circumſtantias *ſemper prohibitas*, ut furtum, rapina, inceſtus, vel *ſemper præceptas*, ut pietas, caſtitas, temperantia, &c. vel deniqve *circumſtantias indifferentes*. At hæc ultima ſpecies iterum videtur *triplex* eſſe; aut enim nomen actionis illius *plerumqve* connotat *ejus abuſum*, ut homicidium, vel *plerumqve*

circum-

circumstantiam praeceptam, ut obedientia liberorum, vel ab *utroqve planè præscindit*, ut edere, bibere. Cum igitur communis regula sit, qvod à potiori fieri debeat denominatio, non mirandum, qvod actiones indifferentes primæ classis communiter inter turpes, & secundæ classis inter honestas referantur. Mirandum magis, qvod hanc observationem non notantes Viri eruditi, de rebus facillimæ compositionis magnas lites moverint. Notum est, qvid inter utriusqve Religionis Protestantium asseclas controvertatur *de indifferentia saltationis*, in tantum, ut ex qvæstione morali Theologica evaserit, qvibusdam ex Reformatis omnem saltationem damnantibus, qvibusdam ex nostris in tantum defendentibus saltationem, ut se hoc maximè γνησίως Lutheranos exhibere posse opinentur, si, ut loqvi amant, in odium Calvinianorum saltent, in qvos graviter invehitur Cunradus Dietericus *in Concionibus Germanicis super Ecclesiasten.* Poterat, ut vides, tota lis tolli observatione modo dicta, nec opus erat tantâ vehementiâ utrobiqve defendi sententiam utrobiqve falsam, aut de vocibus tanta litigia movere, multò minus dissidia in articulis religionem spectantibus leviori reverà dissidio augere. Id verò non multum decoris, credo, sectæ nostræ attulit, qvod inter notas hominis Lutherani ita à qvibusdam relata fuerit defensio actionis etsi indifferentis, attamen vanissimæ & parum sapientis.

§. III.

Vanitas vanitatum, ait Ecclesiastes, *& omnia vanitas. Vanitas* autem cum eo in loco latè accipiatur, qvatenus de omnibus creaturis prædicatur, non erimus solliciti, qvomodo Commentatores istam vanitatem definiant. Videamus saltem, qvid denotet, dum de *actionibus* humanis dicitur. Ita *de vanitate scientiarum* scripsit Henricus Cornelius Agrippa utilissimum libellum, & lectione Studiosorum dignissimum, qvamvis ob eum multa indignè passus sit à Pseudo-Theologis & Philosophis superioris seculi, de qvo fortè alibi. Ita ipse Ecclesiastes recensendo vanitates mundi, *cap. 3.* plurimas actiones humanas enumerat, pro stabilienda vanitate generis humani, puta *loqvi, tacere, amare, odisse, flere, gaudere, saltare* &c. Scio eqvidem, qvod Ecclesiastes non dicat directò actiones has esse vanas, scio, qvod plerum-

 qve

qve in præfata controversiâ afferri soleat, actiones ibi recensitas ab Ecclesiaste pro indifferentibus haberi, non pro turpibus, qvia dicatur, eas omnes reqvirere tempus suum. Sed scio tamen etiam, qvod necesse sit per bonam consequentiam eas referri debere ab ipso Ecclesiaste inter vanitates, qvia totum hominem & omnes actiones ejus pro vanis habet, idqve ostendere vult in toto libro.

§. IV.

Jam qvid dicemus? Si *indifferentes* sunt illæ actiones ibi recensitæ, (uti certè al qvæ, ut *loqvi, tacere, flere, gaudere &c.* absqve dubio indifferentibus videntur accensendæ,) non haberi possunt pro illegitimis. At si *vanæ* sunt, (uti modò diximus, omnes actiones humanas esse vanas,) omninò pro turpibus videntur haberi debere, nam ipsa *vox vanitatis turpitudinem* videtur involvere. Nec est, qvod dicas, divisionem actionis in honestam, turpem & indifferentem esse desumtam à relatione actionum ad legem, vanas verò dici actiones humanas ob instabilitatem, adeoqve qvæstionem: *utrùm vana actio pertineat ad honestam an ad turpem?* &c. æqve ineptam esse, ac si qvis qværat, utrum sonus testudinis conveniat cum colore rubro an nigro? Nam respondeo, qvod non diffitear eqvidem, Ecclesiastem in toto libro vanitatem exprimere potissimum per instabilitatem, sed istam instantiam de sono & colore huc non qvadrare arbitror, qvia & vanitas & honestas aut turpitudo sub eodem genere comprehenditur. Et, si omnis actio humana aut honesta est, aut turpis, aut indifferens, necesse est, qvod & vana actio vel ad unam ex tribus speciem referri debeat, vel sub omnibus comprehendatur. At solum *vanitatis* nomen ostendit, plus per id dici, qvàm ut sola *indifferentia* actionis eo exprimatur. Qvid ergo? Certè *non honestas*, ergo, qvia nihil amplius restat, *turpitudo.* Et qvid opus est ulteriori disqvisitione? ab actionibus vanis *homo vanus dicitur.* At *homo vanus* nunqvam sumitur in bonam aut mediam partem. Ergo qvid dicemus?

§. V.

Contradictionem hanc paragrapho præcedente repræsentatam ut evitemus, non melius nos facturos esse arbitramur, qvam si & naturam *indifferentiæ* & naturam *vanitatis* consideremus.

mus. Hæc enim meditatio apertè ostendet, *vanitatem inferre plus qvàm indifferentiam, minus qvàm turpitudinem.* Est *vanitas* nihil aliud qvàm *entis affectio, qvatenus illud mutationi & interitui est obnoxium. Indifferentia* actionis verò notat actionem qvidem lege nec præceptam nec prohibitam, sed qvæ tamen vel levi aliqva circumstantia accedente, præcepta vel prohibita fieri possit, ergo multò magis etiam apta sit, ut levi circumstantia accedente *magis vel minus ad honestatem vel turpitudinem inclinet.* Jam igitur, uti omnis vanitas instabilitatem denotat, ita *actio vana*, qvatenus etiam de indifferenti aliàs prædicatur, involvet conceptum, qvod *actio ista indifferens mutationi & interitui obnoxia sit.* Et *homo vanus* erit, qvi *in actionibus ejusmodi instabilibus, etsi indifferentibus aliàs, qvietem qværit atqve felicitatem, cum tamen propter adhærentem vanitatem, nullam qvietem & felicitatem ei dare possint.*

§. VI.

Jam habemus definitionem. *Actio vana est actio hominis naturâ suâ indifferens, in qva homo falsam qvietem qværit, unde ipsa actio ab indifferentia movetur ad turpitudinem.* Ita *loqvi, tacere, amare, odisse, flere, gaudere*, sunt actiones suâ naturâ indifferentes, ita ut singulæ, si debito tempore fiant ab homine in ipsis qvietem non qværente, sed, ut mediis ad debitum finem destinatis, iis cum indifferentia utente, in indifferentia maneant, nec vanarum actionum nomen assumant. At si qvis *loqvela, taciturnitate, amore, odio, fletu, gaudio*, tanqvã rebus bonis *delectetur*, & iis *tanqvam finibus* omnes aut multas actiones suas subordinet, vanus evadit, & ipsas actiones vanitate suâ inficit, ut & ipsæ vanarum nomen assumant. Qvo magis autem falsæ huic qvieti incumbit, eò magis vana actio fit, in tantum, ut si summum aut magnum bonum in iis qværat, *vanissimæ* fiant, & in *vitium* planè degenerent. Fiet enim ex loqvente *loqvax*, ex tacente *insidiosus*, ex amante *mollis*, ex osore *crudelis*, ex flente *qverulus*, ex gaudente *stultus*.

§. VII.

Non igitur est, qvod tempus perdamus, aut characterem religionis qværamus, in defensione *saltationis*, tanqvam rei omninò indifferentis; non est, juvenes dilectissimi, qvod vanitati cordis vestri indulgeatis, ex eo, qvod à viris maximæ autoritatis legatis defensionem saltationis fuisse susceptam, vobis persvadendi, acsi rem laudabilem & Patriæ vobisqve proficuam suscipiatis in saltationibus vestris. Agite, ipsimet judices estote in causa saltationis. *Est saltatio actio indifferens.*

 Qvis

Qvis negaret? Saltavit & David gaudio sancto repletus. Vel ideò vero, qvia indifferens est, *potest fieri turpis*. Saltavit & filia Herodis de capite Johannis. Imò sit saltatio actio omnino indifferens, *est tamen actio vana*, si in ista saltatione delectationem, in ista delectatione qvietem qvis qværat, aut eâdem tanqvam medio ad alias actiones vanas vel turpes utatur; Ergo, *non est actio*, *qvæ* aut Patriæ aut proximo, aut ipsi homini multum prosit, ut *inter honestas vel saltem laudabiles referri mereatur*. Fluit enim id ex præcedentibus. Et nunqvam saltatio patriam ab hoste liberavit, aut dissidia civium sustulit, aut meliorem Christianum, Theologum, JCtum, Medicum, vel Philosophum effecit, aut ad conservandam sanitatem necessaria fuit, vel reparandam, (nam qvæ de ictis à Tarantula communiter recensentur, qvod nonnisi per saltationem curentur, ad nos non pertinent, qvi de hominibus sanæ mentis loqvimur, qvâ privantur, qvi à Tarantula icti sunt.) *Neqve ullum usum habet indifferentem, qvam ut apti fiamus per saltationem gressus & inclinationes corporis in communi conversatione magis ad decorum formandi, utqve si ista sciamus, alii homines, qvi fortè ope nostrâ indigent, ob illam aliqvalem conformationem cum ipsorum moribus non ita à nobis abhorreant*. Reliqvus usus omnis *vel apertè vanus* vel turpis esse videtur. At jam considerate qvæso, qvàm facile hic usus indifferens in vanum vel turpem degenerare possit, puta, si v.g. decorum istud, cui nos adaptamus, non sit indifferens, sed vel vanum vel turpe; (qvomodo autem id fiat, summatim *in primo & secundo capite introduct. nostræ ad Ethicam* diximus) si absqve saltatione, solâ observatione & imitatione aliorum gestus & inclinationes nostras ita formare possimus, ut saltem pro indecoris haberi non debeant; si qværamus saltatione nostrâ placere aliis hominibus, vel sexui seqviori, vel etiam masculis. Cum enim sapiens nunqvam amicitiam suam det ob saltandi artem, facilè cognoscere possumus, qvales sint illi, qvibus placere studemus, qvales simus nos, qvi illis placere allaboramus, cum similis simili gaudeat.

§ IIX.

His perpensis examinate cor vestrum aut passiones animæ vestræ, ut deprehendatis, utrum saltationem discere cupiatis tanqvam rem indifferentem, an tanqvam vanam, an tanqvam turpem? Dabo vobis exemplum. *Affectus*. Volo discere saltare. *Ratio*. Qvamobrem? *A*. Qvia volo. *R*. Atqvi hoc non sufficit. Scis enim qvod omnia tibi indulgeam si cum ratione velis, semper vero resistam, si absqve eâ. *A*.

Ratio-

Rationes mihi non desunt. Pater ipse, Præceptor, iste vir, magnæ autoritatis &c. mihi hoc consilium dederunt. At vero Parentibus & Præceptoribus obediendum est. *R.* Bene, sed cur non ita promtus es ad studendum, ad te emendandum, ad benefaciendum aliis, cum & id Pater, Præceptor &c. tibi consuluerint? Vides igitur aliam subesse rationem. *A.* Est utiqve. Medicus svasit, qvod debeam motione aliqvâ sanitatem corporis conservare, præ reliqvis vero hæc mihi potissimum placet. *R.* Vides igitur, qvod consilium Medici non sit causa appetibus tui, sed id, ob qvod præ reliqvis motionibus hæc præcisè placet. Atqvi hoc scire aveo. *A.* Qvia unâ fideliâ possum duos dealbare parietes, & motione corpus sustendando, & idem ad gressus decoros aptum reddendo. *R.* Rectè facis. Ad hunc finem poteris mensis unius spatio discere qvod sufficit. *A.* Eja, intrà unum mensem vix possem primum & simplicem saltandi modum (la courante simple) discere, & cogerer desinere anteqvam magis decoras illas figuratasqve saltationes (la bourrée, la menuët, la gavote &c) discerem. *R.* De his non dixisti, sed de gressibus saltem decoris, qvæ in simplici illo saltandi modo addisci possunt. Cur igitur & reliqvos vis discere? *A.* Vivo inter homines, & posset facilè contingere, ut in conversatione essem, ubi risui exponerer, si saltare non possem? *R.* Et qvid si risui expondereris? Tu contrà ridebis te sine justâ causâ ridentes. Sed transeant ista. Dabo duos menses, si diligens esse vis, poteris satis discere, ut non ridearis. *A.* At vero non potero in hâc arte perfectus reddi tantillo temporis spatio, non possum me ita insinuare amicitiis sexus seqvioris, qvas non inhonestas qværo, sed honestas, saltando enim nihil inhonesti committitur. Et scio eqvidem saltationem esse vanitatem, sed qvia sexus seqvior magis involutus est vanitatibus qvam noster, non tam nostrâ qvam ipsius gratiâ nos aliqvatenus iis in rebus indifferentibus debemus accommodare, ut occasionem nanciscamur ipsas ex præjudiciis eruendi. Nosti Titium, qvam egregiè saltet, qvam æstimetur communiter, qvàm tamen honestè in conversationibus se gerat. Hunc imitari volo. *R.* Jam Te teneo pessime. Verè imitari vis Titium. At ego scio, tumet ipse scis, qvantus scortator, qvamvis clandestinus sit Titius. Novi malitiam tuam. Ipse te prodidisti, cùm nuper, ubi saltantem Titium videbas, ipsi posteà diceres, qvod tibi in saltatione istâ, cujus figura liberæ inventioni fœminæ relinqvitur (dans la menuët) qvam maximè

ximè placeat, qvod oculi oculis perpetuò fint affixi, qvod in varia illâ corporis commotione necesse etiam sit vario modo moveri oculos, ita ut alter sexus alteri cogatur qvasi monstrare motus oculorum maximè patheticos; qvod porrò modò corpus corpori proximè accedat, modo iterum paulatim recedat, qvod infinitis gestibus semper ex opposito personæ, cum qvâ saltamus, passionem nostram declarare valeamus. Hæc est vera ratio petiti tui, hic est scopus qvem qværis. *A.* Nimis rigidus semper & suspicax es. &c. Certus sum si simili modo examinetis vos ipsos in actionibus vestris, vos non opus habituros esse laboriosâ disqvisitione circa qvæstionem: an v. g. saltare sit actio indifferens vel turpis? sed statim magis necessariam qvæstionem definire vos valituros esse: utrum vos ipsi saltationem ut indifferentem, vel vanam, vel turpem actionem appetatis? Qvæstiones enim illæ omnes generales & earum enucleatio magis nocent, qvam prosunt, si absqve applicatione id fiat ad nos ipsos. Hæc vero facilis est, etiamsi qvæstiones illas generales non ita exactè dirimere noverimus.

§. IX.

Possem dicta illustrare alio exemplo de *ludo pilæ in Sphæristerie*, qvi tot periculis non est subjectus ut saltatio, & tamen si non cautè & hic agatur, potest & ipse degenerare in actionem vanam & vitiosam. Sed qvoniam discursus præcedens sub manu crevit, & vero illustratio ista non difficulter fieri possit â qvovis ad imitationem eorum, qvæ de saltatione diximus, subsisto, simul monens lectorem, ne ea, qvæ de saltatione prolixius disseruimus, considerare velit, tanqvam digressionem ad ipsam qvæstionem parum pertinentem; cum illa maximè contineant usum qvæstionis propositæ. Proponere enim institui qvæstiones non inanes, sed qvæ usum suum exerunt in vitâ humanâ.

TANTUM.

---

*. Dedi in programmate invitatorio libertatem Dnn. opponentibus, in singuis actibus etiam in veritatem qvæstionum præcedentium inqvirere. Ne tamen libertas illa confusionem pariat, constitui interstitium qvasi aliqvod Disputationum propositarum facere, & futuris duabus septimanis die 24. & 31. Augusti Deo dante, solus cathedram ascendere, atqve ibi ab horâ 8. ad 12. audire dubia, qvæ circa omnes qvatuor qvæstiones hactenus propositas Lectoribus restant, ut posteà remotis illis dubiis omnibus, in propositione novarum qvæstionum, possimus pergere.

Q. F. F. Q. S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS
De
RATIONE STATUS
Dissertationem IX. & X.
De
POLYARCHIS, FOEDERIBUS, ET IMPERIO ROMANO,
deqve
IMPERATORIS MONARCHICA POTESTATE,
Cum adjuncta Qvæstione
An liceat in benè constituta Republ. publicè qværere?
Publicè ventilabunt
Die XIV. Septembr. M DC XCIII. à X. ad XII. & pomeridianis à III. ad V.
CHRISTIANUS THOMASIUS,
& Respondens
PETRUS BOJE, Dithmarso-Holsatus.

E QVÆ



QVÆRO V.

An liceat in benè conſtitutâ Republicâ publicè qværere? Videtur.

§. I.



Ophiſta. Mihi non videtur, proba. *Philoſophus.* Atqvi mihi non incumbit probatio, cur enim non liceret qvod nullo jure prohibitum eſt? Tuum igitur ſi mihi vis contradicere, erit, probare & oſtendere qvo jure hoc non liceat. Ne tamen de re obſcurâ disqviramus, paucis cum pace tuâ liceat ſenſum qvæſtionis paululum explicare. Alibi jam dixi: qvod interrogare, dubitare, & inveſtigare uſurpem ſynonymicè, adeoqve uti interrogatio & inveſtigatio jam communi *qvæſtionis* nomine notari ſolet, ita & ſub eâdem comprehendo dubitationem. *Publicè* id appello, qvod vel nullâ intentione occultandi fit in loco etiam privato, etſi paucis notum ſit, vel qvod etiam fit in loco publico, ita ut reipsâ in plurium perveniat notitiam. Per *benè conſtitutam Rempublicam* non intelligo rempublicam ſecundum ideam ſtatus perfectiſſimi, ſed talem, qvæ in negotio, de qvo qværitur, non aliqvid admittit rectæ rationi repugnans. Deniqve *per licentiam* intelligo non tam externam ſeu impunitatem, qvàm internam ſeu tranqvillitatem conſcientiæ. Qvo pacto duplex qvaſi in qvæſtione propoſita continetur qvæſtio. An qvi in Republicâ, ubi id non eſt prohibitum, publicè dubitationes ſuas proponit, in conſcientiâ tranqvillus ſit? Et: An, ſi Reſpublica hanc licentiam per legem civilem tollat, committat aliqvid contra rationem? Utrumqve videtur. Jam, ſi lubet oppone.

§. II. *S.* Er-

§. II.

S. Ergo de omnibus dubitas. Cartesianus es, Atheus es. Non es tolerandus in bene constitutâ Rep. *P.* Vide qvam multas in paucis verbis iniqvitates adversus me committas. Cartesianus non sum. Et si essem, Atheus non essem. Et si Atheus essem, (qvod Deus avertat!) propterea tamen ex benè constitutâ Republicâ non forem ejiciendus. *S.* Qvid audio? Atheos in benè constitutâ Republicâ esse tolerandos? Qvalis dementia? *P.* Qvæso ne responsionem meam interpellas, nondum enim absolvi. Ne â scopo dilabamur, argumentum de tolerantiâ Atheorum jam ad aliam disputationem reponamus, & ut interim tibi non planè absurdus videar; peto ut id pensitare velis, â vobis in benè constitutâ Republicâ tolerari, non dicam scortatores, adulteros, fures, latrones, sed ebrios, vanos, superbos, avaros, &, si omnia deficerent, stultos. Jam in viam. Cartesianus non sum, qvia non dico dubitandum esse de omnibus, non dico, dum dubito, me etiam id, de qvo dubito, interim negare, sed saltem nescire, & id qværere.

§. III.

S. Non dubitas de omnibus? De qvibus ergo rebus putas dubitari posse? de qvibus non? Aliàs enim non possum tibi opponere. *P.* Jam explicui meam mentem *in Praxi Logices c. 1. n. 49. usqve ad 86.* Non de propositionibus, qvæ statim in sensus incurrunt, & qvæ ab iis absqve longâ ratiocinatione abstrahuntur, sed de primis cognoscendi principiis, & conclusionibus remotioribus â sensu. *S.* Ista non qværo. Putasne etiam de rebus Theologicis dubitari posse? *P.* Mallem ista omitteres, jam enim magis de qvæstionibus Philosophicis qvàm Theologicis sum sollicitus. *S.* Sed tamen informationis gratia hæc qværo, nec dubito, qvin mihi humanitatem responsionis non sis denegaturus. *P.* Ergo & responsionem accipe. De rebus Theologicis qvam maximè, qvia maximè hic interest veritatem nosse. Cave vero per res Theologicas intelligas litigia inania, & qvæ ad salutem hominis non conducunt. Nam de omnibus

inanibus cujuscunqve generis sunt, illicitas qvæstiones esse arbitror, qvia pro fine vel stultam voluptatem, vel inanem gloriam, vel execrandum odium habent.

§. IV.

S. His qvidem effugiis non evades Hypocrita. Firmiter enim te teneo. Spinolista es, Atheus es, libertatem philosophandi cum præceptore isto Tuo, a tot eruditis & piis viris nostratibus, etiam â Patre Tuo impugnatam defendis. *P.* Enimvero ego recriminari nolo, qvamvis apertum sit, te non informationis gratia mihi, ut præ te ferebas, qvæstionem proposuisse, verum ut mihi laqveum poneres, qvem tamen per Dei gratiam facilè evadam. Cur crimina qværis, cur sectarum nomina adducis, ubi de veritate assertionis aut falsitate qvæstio est? Veritas nec vitium est nec virtus, idem de falsitate dicendum est. Sim qvi sim, prudens an insanus, qvid id ad Te? Oppone contrà thesin. Insaniat Atheus, insaniat Spinosa: Qvid id ad qvæstionem præsentem? Nonne in benè constitutâ Republicâ licebit insanire? Sed falleris amice, Spinosista non sum. *S.* Tu non es Spinosista? Annon Spinosa scripsit *tractatum Theologico Politicum, in qvo,* ut titulus ejus apertè præ se fert, *ostenditur, Libertatem Philosophandi non tantum salvâ pietate & Reipublicæ pace posse concedi: sed eandem nisi cum pace Reipublicæ ipsâqve Pietate tolli non posse.* Annon tu idem dicis? *P.* Enimvero si eadem dicerem, qvæ alicubi Spinosa dicit, propterea Spinosista non essem. Dicit Spinosa v. g. *Part. III. Eth. p. m. 153. Superbiam esse, si qvis plus justo sentiat de se præ amore sui.* Poteris & tu Amice eandem sententiam fovere, & tamen Spinosista non esse. Sed transeat hoc: nego me illa dicere, qvæ continet titulus Libri Spinosiani. *S.* Probo: Libertas Philosophandi nihil aliud est qvam libertas tua qværendi. Dum enim qværis, nonne philosopharis? Vapulat Spinosa, qvod hanc libertatem Philosophandi extenderit ad res Theologicas. Et tu cum eadem facias, non vis Spinosista esse, non vis vapulare. *P.* Non facio eadem. Inverto: Qvi qværit non Philosophatur. Philosophari est rem affirmare cum ratione, aut negare cum ratione. Spinosæ vero philosopha-

phari est affirmare aut negare cum ratione etiam ineptâ, seu absqve recta ratione. Ita enim se ipsum explicat *d. tractatu Cap. ult. Ostenditur in liberâ Republicâ unicuiqve & sentire qvæ velit, & quæ sentiat dicere licere.* At ego qværo, non an liceat *sentire*, sed an liceat *dubitare?* non an liceat dubitare, *qvæ qvis velit?* sed an liceat dubitare *cum ratione?* non: an liceat *errores qvoscunqve propalare?* sed an liceat *errores oppugnare & veritatem investigare?*

§. V.

S. Transeat Spinosa. Novam objectionem formo. Si liceat in benè constituta Republicâ etiam de rebus Theologicis qværere, turbabitur tranqvillitas Reip. turbabitur ordo publicus, qvi jubet qvatuor distinctas esse facultates, neq; JCtum, Medicum aut Philosophum debere involare in castra Theologorũ. *P.* Utinam vos hoc monitum observaretis, & vel Philosophiã cum Theologia, vel Theologiam cum Philosophiâ non confunderetis! Minimè turbant qvæstiones meæ distinctionem facultatum. Ego Theologiam doceri nolo à JCto, Medico, vel Philosopho. Non docet qvæstio veritatem, sed eam inqvirit. Permittetis credo, ut JCtus, Medicus vel Philosophus possit veritatem à Theologo investigare. Nolumus involare in castra Theologiæ, expectamus informationem in vestibulo. *S.* Certè non pertinent hæ qvæstiones ad Cathedram tuam. *P.* Neqve etiam in cathedrâ meâ vel proposui eas, vel proponam. Relinqves vero locum, si talia vellem qværere in subselliis auditorum vel opponentium, qvi nihil aliud qvam qværentes esse debent.

§. VI.

S. Minimum valdè periculosa est hæc licentia. *P.* Periculosa utiqve, sed errori, sed vitio. At eo major utilitas inde in Rempublicam redundabit. Periculosa etiam res aliqvando qværenti, qvia veritas odium parit, qvia qvi veritatem qværunt, multa damna patiuntur à potentia errantium & vitiosorum. Sed hoc indicium esset malè constitutæ Reipublicæ. Et si non esset etiam, qvid istud periculum ad te?

§. VII.

S. Imò potius periculoſa toti Reipublicæ, qvia poſſunt ſub prætextu hujus licentiæ etiam errores valdè pernicioſi in Republicâ diſſeminari. Nam qvidſi qvis v. g. ex principiis Jeſuiticis qværeret: *Annon liceat principem interficere?* Et reſponderet, id ſibi videri? *P.* Is haud dubiè peccaret, non qværendo, ſed reſpondendo, qvia etiamſi reſponſionem pro dubitatione vellet habere, dubitaret tamen ſine juſtâ ratione. At defendo ſaltem licentiam dubitandi cum ratione. Et magis vos ferit hæc objectio qvam me. Qvot extant diſputationes de tyrannicidio? qvot limitationibus additis admittitur interfectio principis tyranni? aut ſi non admittitur, ſed magno conatu omne tyrannicidium refutatur, minimum iſte refutans ſententiam qvam refutat, habet pro veroſimili, vel dubiâ, eo ipſo qvod tanto conatu refutat. Qvis enim unqvam diſputavit contrà hominem v. g. negantem bis duo eſſe qvatuor? aut contrà Carteſianum, qvi dum vigilat, dubitat, an habeat manus vel pedes: an vigilet vel dormiat? anteqvam iſtud ſuum: cogito, ergo ſum, invenit. Uti enim contrà negantem principia non eſt diſputandum, ita contra dubitantem absqve ullâ ratione etiam diſputandum non eſt.

§. VIII.

S. Sophiſta es, vis me per hunc diſcurſum averterere à ſcopo. Per alias neceſſarias conſeqventias poſſum oſtendere damnoſam eſſe Reipublicæ licentiam tuam. *P.* Audiam, modo ſint tales conſeqventiæ neceſſariæ, qvas nectere non ſit prohibitum. Scies enim haud dubie, iſtam licentiam nectendi neceſſarias conſeqventias, qvâ multi abutuntur in contumeliam honeſtorum virorum, in turbas Reipublicæ, hic per Dei gratiã eſſe prohibitam. Neqve graviter feres, qvod hæc moneam, qvia jam ſæpius contumelioſis nominibus me inſectatus fuiſti. *S.* Apage. Iſtæ potius turbæ, iſta calumniandi licentia ex tua doctrina ſeqvitur. Qvid ſi enim qvis cum ratione aliqvâ veroſimili qværat? Annon *Titius* ſit ſcortator, latro, improbus? &c. Vides qvanta feneſtra aperiatur omnibus neqvitiis.

P. At

P. At qvis tibi dixit, qvod hæc licentia seqvatur ex doctrina meâ? Annon suprà dixi, illicitas esse qvæstiones, qvæ pro fine voluptatem, gloriam & odium habent? Qvod si hæc nondum videantur satis clara, aliis modis evitabitur ista objectio: Permittatur licentia qværendi, sed ne qvid fiat in fraudem legum, ne qvid fiat contrà bonos mores. Aut: Permittatur licentia qværendi publicè, circa universalia, circa singularia maxima adhibeatur cautio.

§. IX.

S. Sed cur præcisè prætendis licentiam qvæstiones ejusmodi *publicè* proponendi. Si privatim fierent, tolerari possent. At publicè si fiant, multa possent oriri scandala. *P.* Vide qvam insidiosè agas. Si de privatâ licentiâ qvæsivissem, dixisses, eam esse criminis suspectam, qvia privata esset, nunc cum suspicionis hujus avertendæ causâ publicam elegi, suspicio scandalorum adest. Ita nunqvam qvæ vobis displicent, sine scandalo sunt. Et ipsa adeò veritatis inqvisitio vobis scandalosa est. Est scandalum acceptum Domine, non datum, est scandalum pro Hypocritis & Sophistis, non pro veritatis & virtutis amatoribus.

§. X.

S. Qvidsi ergo Princeps aliqvis hanc licentiam tibi tolleret, diceresne: Principem erga te peccasse? *P.* Responde mihi prius, si Princeps tibi sine causa licentiam exspatiandi extra portam auferret, diceresne: Principem erga te peccasse? *S.* Jam ego ex te qværo. *Tuum* est mihi respondere. *P.* At hæc qvæstio inanis est, qvia pro fine odium habet, qvia hac qvæstione novam causam criminandi qværis, qvia crimine læsæ majestatis, more seculi Tiberiani, me involvere cogitas. Est hæc qvæstio injuriosa in *PRINCIPEM OPTIMUM*, â qvo absit, ut Eum suspicemur rem justissimam & utilissimam prohibiturum esse. Absit ut timeamus tempora ni fallor Dionysii, sub cujus imperio non licebat publicè colloqvi aut flere.

§. XI. *S.*

§. XI.

S. Ain vero licentiam hanc qværendi habere usum in Republicâ? *P.* Eqvidem magnum. Veritatem invenire absqve qvæstione non possumus, qvæ qvæstio qvò magis publica est, eò magis occasio datur aliis nos in hâc intentione adjuvandi. Errores & Ignorantiam qvæ sub larvâ sapientiæ regnant, non melius oppugnare possumus, qvàm qvæstionibus. Assertionibus si eam aggrediamur, parata est excommunicationibus, igne, gladio, fuste, exilio. At dum ignorantiæ qvæstiones proponim9, dum ignorantiam nostrã profitemur, & oramus informationẽ qvam dare non potest, dum nihil firmiter asserim9, non potest ita facilè qvæstio pro crimine traduci, non potest non ignorantia seipsam publicè prostituere. Ita Socrates Sophistas aggressus est, ita Christus Pharisæos confudit. Et hæc causa est, cur licentiam hanc nemo magis odio proseqvatur, qvam Sophistæ & fratres ignorantiæ.

§. XII.

S. Qvid ais pessime? An me pro Sophista habes? Non qviescam, nisi te cum licentiâ tuâ è Republicâ ejecero, ne qvid dicam gravius. *P.* Addendum erat: Si Deus voluerit. Qvi si voluerit, in ipsius placito acqviescam. Neqve enim hæc objectio distinctione resolvitur, sed patientia.

TANTUM.



Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem XI. & XII.

De

ORDINUM IMPERII LIBERTATE, AC DE ÆRARIO ET COLLECTIS,

Cum adjuncta Quæstione

An doctrina juris Romani de Servis magnum habeat usum in Servis nostris à Turcis captis?

Publicè ventilabunt

Die XXI. Septembr. M DC XCIII. à X. ad XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

& Respondens

JOHANNES HEINRICUS Schlüter/

Berolinensis.

F QVÆ-



QVÆRO VI.

An doctrina juris Romani de Servis magnum habeat usum in servis nostris à Turcis captis? Non videtur.

§. I.



Vi magnum usum Juris Romani in foris Germaniæ esse defendunt, de primâ tamen personarum divisione communiter fatentur, Institutiones Justiniani non magnum usum habere, partim qvod differentiæ libertinorum & horũ ab ingenuis â Justiniano ipso jure novo sint sublatæ, partim qvod & totum jus Justinianeum ob servitutem inter Christianos sublatam, hâc parte applicationis occasionem ad facta apud nos obvenientia nullam habeat. Qvæ ratio si sola esset, uti communiter sola profertur, seqveretur minimum, jus Romanum aliqvem usum habere in servitute, qvæ hodiè moribus Germaniæ non est sublata, qvalis experientiâ testante, obtinet intuitu infidelium â nobis captorum & vice versâ intuitu nostrorum ab infidelibus captorum, qvia servi etiam sunt apud Romanos, qvi ab hostibus capti sunt.

§. II.

Sed nos alias subesse rationes arbitramur, qvod jus Romanum apud nos in hâc materiâ nullum habeat usum, qvia videlicet ut alibi docuimus, non latius usum habet Jus Romanum, qvàm qvatenus in Germaniâ est receptum, uti verò in paucissimis materiis receptum esse ibidem diximus, ita & videtur in materiâ servitutis, qvæ apud nos adhuc freqventatur, non esse receptum, imò (qvatenus Civile est, & capita juris naturæ

ac

ac gentium circa ſervos non repetit,) nec recipi potuiſſe. Poſſet hæc materia juſto tractatu expediri; at cum & temporis & chartæ ſit habenda ratio, per indicem ſaltem ac ſummatim eam tractabimus, & propterea nec leges Romanas allegabimus. Cave tamen putes nos absqve lege loqvi. Is enim cum lege loqvitur, non, qvi plauſtra legum allegat, ſed qvi loqvitur ea, qvæ legibus continentur.

§. III.

Et initio qvidem apud nos ſervitutes naſcuntur ex ancillis noſtris, qvia ratio naturalis hoc vult, ut partus ſeqvatur ventrem. At non fiunt ex captivitate omni, uti apud Romanos, ſed ſaltem ſi ab infidelibus capiantur. Cur vero ſit ſublata ſervitus inter Chriſtianos, communiter hæc ratio affertur, qvod ſit inter eos bellum plus qvam civile. Qvæ mihi ſemper fuit ſuſpecta viſa. Etſi enim theſis ipſa de bello plus qvam civili rectè explicata tolerari poſſit, connexionem tamen non video, qvia eadem ratio ſvadebat qvoqve bella eſſe non debere inter Chriſtianos. Sepono tamen disqviſitionem eâ de re ad occaſionem aliam. An & noſtri capti ab infidelibus apud nos pro Servis habeantur? valdè dubito. Sed puto eos & patriam poteſtatem, & jus Conjugii, & Dominium rerum ſuarum, & teſtamenti factionem &c. retinere, cum in his capitibus magis ſeqvamur Jus Divinum & Jus Gentium, qvam Jus Romanum, & Peregrinis conjugium, patriam poteſtatem, Dominium & teſtamenti factionem ſine dubio indulgeamus. Unde nec fictio legis Corneliæ, nec fictio juris Poſtliminii, nec aliæ ſubtilitates Romanæ huc pertinentes habebunt locum apud nos.

§. IV.

Fiebant etiam ſervi apud Romanos, ſi qvis liber homo pretii participandi cauſa ſe venundari paſſus ſit, ſi ſententiâ in ſervitutem condemnatus fuerit, ſi ingratus à patrono fuerit revocatus, qvæ omnia etiam in Turcis manumiſſis apud nos

cessare arbitror, qvia causa qvæ Romanos ad illam primam pœnam impellebat, apud nos cessat, qvia servitus pœnæ sublata est, qvia ingratitudinis causas Romanis hoc passu usitatas ignoramus, & genius Germanorum est, ut ingratitudo apud ipsos tanto rigore non puniatur.

§. V.

Igitur si statum Germaniæ cum statu Italiæ & Romano conferre velimus, deprehendemus, qvod alius longè status sit, liberorum hominum & horum servorum apud nos qvàm olim apud Romanos. Magna privilegia Civium Romanorum erant, qvibus etiam viliores de plebe gaudebant, qvà liberi & cives, neqve distinctio hâc parte erat inter rusticos & urbanos homines, nisi fortè in eo, qvod rusticarum tribuum cives olim apud Romanos pro nobilioribus habebantur, qvàm urbanarum. Ipsi Romani cives magnis abundabant opibus, & plurimi inter ipsos Principes divitiis, splendore, luxu æqvabant. Inde tot servorum diversissima munia, inde tantus mancipiorum numerus, ut Lege Fusiâ Caniniâ cautum fuerit, si qvis ultrà centum servos haberet, non posse manumitti, nisi partem qvintam, ita tamen ut ultrà centum manumittere non liceret, h. e. etiamsi qvis ultrà qvingentos haberet, qvem casum freqventer fuisse obvium verosimile est, aliàs de eo non fuisset lex concepta. Servi ipsi in tantâ copiâ educabantur & aptabantur ad mores Romanos, & nulla differentia videtur observata fuisse, qvam conditionem apud Suos obtinuerint capti, ita ut etiam nobilissimi in servitute retinerentur, & sæpè plebejis servirent, neqve alia spes emergendi qvam applicatio vel ad bonas artes, vel ad insigniter malas, & cum magnâ astutiâ conjunctas. Hinc non solum multi servi, præprimis novioribus temporibus, ubi Jus vitæ & necis erat sublatum, reipsâ non deterioris conditionis erant, si non melioris, qvam apud nos Aulici apud qvosdam Principes vel parum potentes, vel parum divites, sed & sæpè spem habebant partici-

pan-

pandi imperii summi, qvod tot qverelæ apud Historicos de Potentiâ Libertorum testantur. Apud nos autem pleraqve sunt inversa. Olim qvidem, cum adhuc saperemus, in eo Romanis eramus æqvales, qvod nobilissimi essent rustici & vilissimi atqve mancipia urbes incolerent. At hodiè cultura morum uti alia damna infinita, ita & hanc introduxit, qvod ambitio urbanos qvidem suprà rusticos extulerit, sed & his tamen nobilitatem ademerit. Unde libertas solâ potentiâ & divitiis æstimatur, viliores de plebe nomine liberi sunt, re mancipia ditiorum & potentum, rustici verò in multis locis, non dicam durius tractantur qvam neqvissimus vappa inter servos Romanos, sed qvam bestiæ, cum multi canes delicatius sustententur cibo, potu, lècto, qvàm multi rustici. Et tamen isti divites, isti potentes, ad potentiam & divitias civium Romanorum ne minimam partem comparandi sunt. Et qvotus qvisqve est inter nos privatos, qvi vel viginti mancipia sustentare possit? unde nec alia ferè officia servorum nostrorum sunt, qvam ut stabularii sint, vel pedisseqvi. Servi ipsi in tantâ copiâ apud nos non sunt, & per brevissimi temporis spatium hactenus vix mille mancipia per totam Germaniam dispersa in bello cum Turcis capta sunt. Horum ingenia horrida, ferocia, truculenta, & ad culturam parum apta. Neqve curamus eorum educationem, aut aptationem, qvi ne liberorum qvidem nostrorum debitam habemus curam. Prætereà vilissimos cepimus, & qvi apud Gentem suam in aliqvâ dignitate fuerit, inter mancipia vix conspicitur. Et tamen sæpè his hominibus tot & tanta crimina indulgemus, ut reverâ magis liberi sint, qvàm qvi liberorum nomine gaudent, & non inaudita sint exempla etiam stuprorum violentorum in liberas ab iis impunè commissorum.

§. VI.

Status diversitas diversum Jus facit, & status modo memoratus liberorum pariter atqve servorum, apud Romanos occasionem dedit multis legibus servos concernentibus, qvæ non

possunt non ad statum Germanorum diversum parum aptæ esse. Consideremus paululum potissima earum legum capita. Habent Domini nostri nullum jus vitæ & necis in servos à Turcis captos, non qvod Jus Romanum ista disponat, sed qvod jus vitæ & necis nullus privatus apud nos habeat. Coercitio modica Dominis concessa est, qvæ ex Jure Gentium provenit, non ex Jure Romano. Posset & ex eodem Jure Gentium Dominus per Turcos captos acqvirere, sed tam exigua sunt qvæ ipsis donantur, ut turpe habeatur, si Dominus id lucellum Turcæ suo velit auferre, nisi fortè vestimenta magis luxuriantia ei per illas donatiunculas comparet. Si heredes instituerentur apud nos servi ejusmodi, locum qvidem obtineret non solum Jus Gentium, sed &, si qvæ hâc parte specialia disposuit Jus Romanum, qvia in materia testamentariâ est receptum in Germaniâ; sed rationes, cur apud Romanos non ipse Dominus institueretur, sed servus, in nostris Turcis vix locum habebunt, ut casus aliqvis sperandus sit, qvo mancipium Turcicum sit institutum. Testamenta non faciunt qvidem Turcæ nostri, non tàm qvod servi sint, sed qvod nihil habeant de qvo testentur, etiamsi Domini, ut dixi, donaria iis relinqvant.

§. VII.

Multa dicuntur in Jure Romano de servorum peculio, qvia & ditissimi erant Romani, qvi servis peculia varia concedere possent, & aptissimi servi ad ea administranda. Utraqve ratio cum in Nobis & Turcis nostris non inveniat locum, inde & exiguum usum habebunt illæ qvæstiones Romanæ de peculio servi legato, cui post manumissionem peculium debeatur, &c.

§. VIII.

Actiones noxales plus æqvitatis naturalis habent, qvam subtilitatis civilis. Sed cum alibi dixerimus, apud nos cessare actionem furti & vi bonorum raptorum, cessabunt haud dubiè etiam istæ noxales. De damno dato & injuriâ possent obtinere,

sed

ſed partim qvod potentiores ſaltem ejusmodi mancipia habeant, contrà qvos viliores parum obtinent, partim qvod noxæ deditio plus oneris qvam commodi allatura ſit plerumqve actori, & has rariſſimè in uſum venire arbitror.

§. IX.

Jus naturæ dictitat, rem meam vendi poſſe. Unde & mancipia Turcica vendi poterunt. At diſpoſitiones Juris Romani non habebunt locum in mancipiis noſtris. Credo ſuperſedere poſſe advocatum in addiſcendis tricis Juris Romani, qvæ in titulo de Ædilitio Edicto occurrunt, circa venditionem mancipiorum Turcicorum. Si enim ne qvidem in venditione jumentorum obſervatur Jus Romanum, multò minus obſervabitur in venditione mancipiorum, præprimis qvia in Nævis Jurisprudentiæ Romanæ oſtendimus probabiliter, Ædiles hoc edictum publicaſſe, ut diſſidia multiplicarentur in populo. Taxatio etiam ſervorum, qvæ in conſtitutione Juſtiniani de communi ſervo manumiſſo præſcripta eſt, apud nos non habebit locum, partim qvia diſtinctiones officiorum aut qvalitatum, ſecundum qvas diverſa ibi taxa imponitur, ad noſtros Turcas non qvadrant, partim qvia qvæ ibi de notariis, medicis, evnuchis diſponuntur, ex rationibus deſumta ſunt, qvæ apud nos longè aliter obtinent.

§. X.

Manumiſſio ſervorum hodiè fieret ſaltem Jure Gentium ex Regulâ, nihil eſt tàm naturale, qvàm ut voluntas Dominorum, de re ſuâ diſponentium effectum ſortiatur. Unde qvemadmodum jam tempore Juſtiniani manumiſſio per cenſum exoleverat, ita haud dubiè rideretur, ſi qvis privatus vellet Turcam ſuum manumittere, vindictâ. Neqve in Eccleſiis id commodè fiet, qvia manumiſſio in Eccleſiis ideò olim facta, qvod omnes contractus alicujus momenti ibi celebrabantur. Illa tamen in teſtamento habebit locum. Inter amicos & per Epiſtolam etiam adhiberi poſſet, ſed duobus ſaltem teſtibus ad-

adhibitis, cum qvinqve testes apud Romanos videantur ex eâdem causâ esse adhibiti, ex qvâ qvinqve testes in testamento olim adhibebantur, qvæ ratio apud nos non obtinet.

§. XI.

Qvodsi tamen manumittatur, id parum proderit Domino ad jus Patronatus. Qvî enim illud exercere posset, cum Turca manumissus non possit fieri civis, qvippe neutri ex tribus Religionibus qvæ in Imperio tolerantur, addictus. Ergo non in alium finem obtineret manumissio, qvàm ut possit securè in patriam redire. Id tamen obiter notes, parum cohærere mores nostros, qvi religiones omnes tolerant in mancipiis, non in liberis hominibus, adeoqve mancipia melioris conditionis sunt hoc respectu, qvam liberi. Qvalis absurditas?

§. XII.

Sed ponamus, etiam apud nos manere manumissos. Non videtur jus Patronatus ad mores qvadrare. Operæ fabriles propriè ad id non pertinent, qvia debebantur ex promisso. Sed honorariæ & officiales ex moribus magis Romanis oriebantur, qvas si apud nos manumittens exigeret à manumisso. v. g. ut in curiam comitaretur, in templum &c. rideretur, nisi post manumissionem ex contractu locationis id debitum deduceretur. In materia successionis ab intestato non seqvimur ubiqve Jus Romanum, & ubi seqvimur, (qvod & de successione testamentariâ intelligendum est,) saltem recepimus & introduximus in successione liberorum hominum. Igitur qvæ Jus Romanum de Successione Patroni disposuit, qvia apud nos receptum non est, non obtineret.

TANTUM.



Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem XIII. & XIV.

De

ELECTORIBUS, COMITIIS, COMPARATIONE ORDINUM ET VOTIS IN COMITIIS.

Cum adjuncta Quæstione

An Favorabilia & Odiosa in materia de interpretatione definiri possint?

Publicè ventilabunt

Die XXIIX. Septembr. M DC XCIII. horis antemer. à X. ad XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

& Respondens

JOHANNES DANIEL WOLFART, Hanoviensis.

G QVÆ-

QVÆRO VII.

An Favorabilia & Odiosa in doctrina de interpretatione definiri possunt?

Non videtur.

§. I.



IN omnium ore sunt regulæ, dum de interpretatione pactorum & legum agitur: *Favorabilia esse latius, odiosa strictius interpretanda*: Item: *Favorabilia esse extendenda, odiosa restringenda*, qvarum explicationem potissimum suscepit Hugo Grotius *in capite de interpretatione Libri II. de J. B. & P.* Intendi verò *in Institutionibus meis Jurisprudentiæ divinæ Lib. II. cap. 11. §. 160. usqve ad 176.* ostendere, has regulas nullum habere usum in materia interpretationis, qvin potius aptas esse, ut sub earum prætextu interpretationes cavillatoriæ & ineptæ possint salvari. Rationes ibi vide. Est verò inter eas non infima, qvod obscurissimum sit, qvid sit favorabile vel odiosum, cum omne, qvod uni favorabile est, alteri odiosum sit, adeoqve favorabilia & odiosa non possint describi. *vid. d. l.* §. 169. Postea cum Halæ Anno 1691. de nævis qvibusdam Jurisprudentiæ disputarem, inter corollaria disputationis sententiam illam repetii: *Falsum esse Brocardicum JCtorum de Favorabilibus extendendis & odiosis restringendis, neqve enim definiri posse, qvid sit favorabile, qvid odiosum?*

§. II.

Res autem ipsa ostendit, hîc non agi 1. de definitione favoris & odii, sed de definitione favorabilium & odiosorum, neqve seqvi, definiri posse favorem, ergo & favorabile, non magis qvam definiri posse amorem, ergo & amabile. Etenim non sufficit dicere, qvod favorabile &c. sit objectum favoris, non enim qværimus notionem generalem conceptûs nostri de favorabili, sed definitionem rei ipsius, ita ut per eam favorabilia ab odiosis in exemplis omnibus aut certe plerisqve discernere possimus. Deinde cum favorabile vel no-

tet

tet ens favore dignum aut favorem merens, vel ens, qvod pro favorabili ab hominibus habetur, qvorum illud possis appellare favorabile juris, hoc favorabile facti; patet 2. favorabile juris pertinere ad Philosophiam moralem & à præsenti qvæstione esse alienum, cum interpretatio pertineat ad Logicam, & qværat, non qvid homines pro favorabili habere debeant, sed qvid in pactis aut legibus pro favorabili habuerint. Nam interpretatio non qværit primariò, qvid alter dicere debuerit, sed qvid voluerit. 3. Adeoqve ad favorabile facti pertinere etiam id, de qvo agit Jus humanum. Qvia legislatores non solum non semper in legibus id observant, qvod debebant, sed & qvod leges humanæ versentur in rebus indifferentibus, ad utilitatem Reipublicæ pertinentibus, qvæ utilitas cum variet, & res, qvibus faveant in ferendis legibus variare necesse est.

§. III.

Qvibus ita præmissis, ad oculum patet sententiam meam à natura rei esse petitam. Ea, qvæ facti sunt, non possunt definiri, qvia infinitis modis variant affectus humani, neqve certam normam seqvuntur. Unde & laudabile, & amabile, & favorabile, & in genere omnia affectuum humanorum objecta nullâ definitione possunt comprehendi, sed uti qvid laudatur ab his, culpatur ab illis, ita & rei alicui favetur ab his, non favetur ab illis. Adde qvod, cum diximus, omne, qvod in pactis & legibus uni favorabile est, alteri odiosum esse & vice versâ, & vero, etiamsi concedamus, à potiori faciendam hîc esse denominationem, tamen libra expendendi id, qvod potius est, hîc deficiat; etiam inde illa impossibilitas definitionis elucescat, cum duo possint pro diversitate affectuum, unam eandemqve rem diverso favoris & odii gradu proseqvi.

§ IV.

Qvæ cum ita evidentissimè se habeant, fateor, me mirari, qvid moverit Clarissimum Placcium, ut in nova editione tractatus *de JCto perfecto, non solum capite IX. p. 269.* hoc corollarium meum notaret, sed & in adjunctis eidem Musis Juridicis huic corollario meo refutando peculiare opusculum in ordine sextum, cui titulus: *Idea Tractatus Juridici Methodici Theoretico-Practici de favorabilibus & odiosis in jure* destinaverit, cum tamen nil minus ibi differuerit, qvàm qvod sententiæ huic meæ contradicat, sed reverà aërem verberaverit, non meum corollarium. Age videamus. *Ego verò*, aït, *p. 177.*

Musar. Jurid. postqvam corollarium meum recensuisset, *jam dum ante annos bene multos Ideam hanc in chartam conjeceram, & cum auditorum meorum aliqvibus etiamnum eandem asservantibus communicaveram, & ODII atqve FAVORIS affectus in Rhetoricis meis excerptis, qvin & Ethices compendiolo ita definitos dederam, ut nihil inde facilius existimarem, qvàm definitiones FAVORABILIUM & ODIOSORUM conficere, vel certè qvod confici possint, videre. Neqve sine meis hisce scriptis, vel ex Aristotele adeò idem non confici etiamnum posse mediocri meditatione putem. Et si qvidem non possint talia definiri, de totius Ethices & Rhetorices optimis partibus scientificè tradendis desperata res foret. Qvippe qvæ non minus facilium definitu affectuum, distincta notitia & scientifica, sine accuratis definitionibus nullo habenda modo nituntur. Imò & de illâ ipsâ, qvam vel præcipuè Vir Celeberrimus, ut sibi primitus constitutâ, latentes animi affectus & mores divinandi arte conclamatum foret omninò.* Qvid opus tot verbis in adstruenda possibilitate definitionum favoris & odii? Qvis eas negavit? Cur fluctus in simpulo movet Vir Clarissimus? A favore autem & odio ad favorabile & odiosum jam negavi conseqventiam *§. 2.* qvam si non ostendat, uti propter dicta §. *3.* ostendere neqvit, verba illa omnia modò recensita in cassum sunt prolata.

§. V. Pergit: *Qvamobrem operæ omninò pretium duxi, haece meditamenta mea oppidò qvàm imperfecta modestè proponere, ut Practicæ Philosophiæ Rhethoricæqve artis tam nobiles partes æqvè ac JCtorum tot numero tantæqve autoritatis consensum à suspicione tàm indigna ipsis & noxia liberarem: aut certè in qvonam illud ἀδύνατον definiendi tàm obvia consisteret, amplius edocerer. Cui sanè rei non suffecerit fortè meas definitiones vellicasse vel evertisse, si fieri qveat etiam, penitus, sed solidâ demonstratione ostendisse oportebit; meliores etiam & sufficientes, vel speciatim saltem explosis adeò novè regulis interpretandi iisdem superstructis, nullas dari. Qvod qvi fecerit, næ is erit mihi magnus Apollo, meqve illi Minerval debere, nunqvam diffitebor.* Eqvidem mihi nec cum Philosophia Practica, nec cum Rhetorica hîc qvicqvam negotii intercedit. Loqvitur ipsum corollarium, qvod in regulis interpretandi aliqvid moneam. Autoritatem tot JCtorum istam Pseudoregulam adhibentium si defendere voluisset Vir Clarissimus, non debuisset committere aut affectare ignorationem Elenchi. Vix enim mihi imaginari possum, qvod Vir Cl. revera ignoraverit, de qva re agatur. Etsi enim objectiones suas saltem contrà corollarium direxerit, multas tamen rationes habeo, qvæ mihi persvadent, Institu-

tiones

tiones meas Jurisprudentiæ divinæ ab ipso non obiter fuisse lectas. Ipsa obliqva censura, qva *p. 116. in Idea JCti Romano-Germanici perfecti* qvæ & ipsa pars est Musarum juridicarum, doctrinam meam de Jure divino positivo universali notat, id abundè testatur. In specie verò caput meum de interpretatione ipsi probè lectum esse ostendit censura similis *in ipso tractatu de JCto perfecto cap. 2. p. 27.* Jam si legerat, qvæ in dicto capite de interpretatione *§. 164. 169.* dixeram, cur favorabilia & odiosa definiri neqveant, rationes illas meas aggredi, & Grotium, contrà qvem ibidem disputo, defendere debuisset, non inanes qverelas contra me movere. Definitiones ipsius non vellicabo, qvia nihil ad me. Demonstrationibus non amplius opus, qvia jam factæ sunt. Et tamen nec minerval exigo à Viro Clarissimo, nec ut me pro magno Apolline habeat, postulo, contentus, si me sinat esse Thomasium, & monitiones has meas, ut promisit, non ægrè ferat, aut ad §. 3. hujus disputationis respondere velit.

§. VI. Ergo transeant illa omnia, qvæ Vir Clarissimus *p. 179. 180. 181.* de favoris & odii definitione, deqve favorabilibus & odiosis in jure disserit, qvippe qvæ salvâ sententiâ meâ, vel rectè vel secus se habere possunt. Propius ad me pertinent, (an pro me planè contrà ipsum Virum Clarissimum faciunt?) qvibus ideam hanc claudit. Ita enim infit. *Qvamvis autem ex hisce fundamentum peti possit omnium favorabilium & odiosorum juris, qvia tamen 1. varia in eandem personam, rem & actionem coincidere possunt, qvorum alia sint odiosa, alia favorabilia, 2. in actionibus plerisqve plures personæ conveniunt, aut opponuntur, aliæ aliis minus odiosæ vel favorabiles, 3. varii sunt gradus favoris & odii, prout magis aut minus egent ac merentur personæ vel earum actiones: Hinc multa adhuc meditatione in istis omnibus comparandis ac decidendis opus erit ad specialia, imò specialissima, proindeqve praxi circa singularia versanti demum maximè accommodata præcepta, methodicè scientificèqve elaborata sistenda. Necesse namqve fuerit, certas favorabilium singulorum proportiones, certa momenta sive pondera, & fortassis horum iterum certos gradus constituere. Qvod ipsum sanè perqvam erit difficile, qvemadmodum illud expertus est Claramontius in causis moralis Semeiotices lib. 4. ponderandis.* Atqvi hoc ipsum est, de qvo *in Instit. Jurispr. div. d. c. 11. lib. 2. §. 169.* & *hîc* §. 3. conqvestus sum, nisi qvod ego dixerim, talia definire esse impossibile, Vir Clarissimus autem difficile esse saltem judicet. Accedit, qvod ego, ut dixi, loqvar de favorabilibus facti, ipse autem apertè de favorabilibus juris disserat. Unde novum meæ sententiæ accedit robur. Si enim Vir Clar. valde difficile esse confitetur definire favorabilia juris,

 qvid

qvid dixiſſet, ſi perpendere voluiſſet, ſententiam meam de favorabilibus facti eſſe conceptam, aut qvid ipſe aſſeruiſſet, ſi modo conſiderrare voluerit illam infinitam variationem favorabilium facti?

§. VII. Sed fortè novum argumentum adverſus me deſumi poterit ex illa norma, qvam Vir Clar. ſuppeditat circa juſtam definitionem etſi difficilem favorabilium juris. Age ex ipſomet cognoſcamus. Ita enim ſuam hanc Ideam Tractatûs Juridici Methodici Theoretico-Practici de Favorabilibus & Odioſis in jure claudit: *Qva de cauſa lineolas haſce ulterius deductas, nedum coloribus ſuis vivis illuſtratas, dare nunc prohibemur: aliis otio & ingenio prævalentibus id laboris etiam relinqventes. Qvem non parum ſublevabunt collectanea tot ab aliis edita, nec omnia æqvè inordinata & confuſa, qvia huic noſtræ methodo ſatis facilè qveant adaptari, tùm de favorabilibus & odioſis in genere, tùm de perſonis & rebus actibusqve certis variis ſpeciatim, qvæ ex Lipenii aliorumqve Bibliothecis, meisqve excerptis deſcribere, ac diſputationes non contemnendas eodem pertinentes ex mea etiam Bibliotheca illis adſcribere nunc non vacat. Uſuro tamen cuiqve & hoc opus aggreſſuro non denegabo. Cui, ut qvam optimè labor hic cedat ſuſceptus, ex animo precabor etiam, & qva poſſe me ſiverit ipſe, Deusqve, abjuvabo & lubens.* Mallem, talia non excidiſſe Viro Clariſſimo. Mallem, conſideraſſet, qvod titulus opuſculi promittat ideam tractatus de favorabilibus, adeoqve Lectorem haud qvaqvam ſpe inani lactaſſet, qvi certè nil minus expectare poteſt in hac idea, qvam generalia ſaltem & communia de favorabilibus in genere, de qvibus nemo dubitat, ſed titulum hunc legens vel maxime expectat primas ſaltem lineas circa modos iſtam difficultatem definiendi favorabilia in ſpecie. Ergo hîc Rhodus erat. Qvid dixiſſet Vir Clariſſimus, ſi ego ideam tractatûs cujusdam adverſus ipſum promiſiſſem, & poſteà ubi ad rem perventum eſſet, & potiſſima capita, alios ad id opus conficiendum promiſſione libellorum meorum aut locorum communium, vel ablegatione ad Bibliothecam Lipenii fuiſſem adhortatus? Hoc non eſt Ideam juſti tractatûs delineare, ſed alios ad formandam ſibi aliqvam ideam de re, cujus nos ipſos ideam non habere inviti profitemur, excitare. Ego verò ſvadeo illis, qvi otio & ingenio abundant, ut ea non fruſtrà impendant, cùm apertè videant, neqve Lipenium, neqve excerpta, neqve diſputationes, Viro Clariſſimo qvicqvam profuiſſe, ut ipſe ſibi juſtam ideam de favorabilibus & odioſis formare fuerit auſus.

§. IIX. Qvanqvam & id monitum addere jubeat ſuprà §. 2. expoſita negotii, de qva agitur, natura, Virum Clariſſimum & in titulo & in

operis

operis delineatione non debitè distinxisse favorabilia juris moralis, à favorabilibus juris positivi. Definitiones in delineatione traditæ pertinent ad favorabilia juris moralis. At qvæ in tractatu *de JCto perfecto cap. 9. p. 269. seq.* prolixè de interpretatione favorabilium collegit, ad favorabilia juris positivi pertinent. *Ex mente itaqve*, ait *p. 271. seu Justiniani seu Triboniani, favorabilia sunt* &c. qvæ nos meritò suprà *d.* §. 2. ad favorabilia facti retulimus. Aliud enim est scire, qvid Justinianus pro favorabili habuerit, aliud qvid pro favorabili habere debuerit. Favit Justinianus in favorem Conjugiis sexui muliebri in mitiganda pœna adulterii, qvi favor tamen non magis ac error jus facit. Nec est, qvod opponas, favorabilia tamen hæc etsi facti, per dicta à nobis *d.* §. 2. pertinere ad doctrinam interpretationis. Nam respondeo. Si ipsa lex dicit & inculcat, Justinianum rei alicui in legibus favisse, interpretatio hujus legis Grammatica est, non Logica, qvam qværimus. Neqve poterit iste favor in regulis interpretationis Logicæ adhiberi, si non velimus dare occasionem interpretationi calumnianti. Ita notum est, qvàm ineptè, qvàm impiè sæpius Pontificii, favorem causarum piarum (qvem & ipse Vir Clarissimus *p.* 271. in catalogo rerum favorabilium refert,) adhibeant ad extensiones nescio qvas. Ita rideretur, si qvis seductus favore Justiniani erga sexum fœmineum, illum vellet adhibere ad mitigationem pœnæ in delictis aliis, &c.

§. IX. Addo: neqve cohærere regulas Viri Clarissimi de interpretatione favorabilium & odiosorum. Ex pluribus, qvæ in hanc rem afferri poterant, pace ipsius unum saltem exemplum affero. *P.* 274. dicit Vir Clarissimus: *Odiosa strictius esse interpretanda*, & inter odiosa ibidem refert *pœnarum inflictionem* earumqve exasperationes. Ipse tamen *in Musis Jurid. opusc. 1. p. 27.* inter erroneas regulas refert illam; *pœnales leges non esse extendendas.* Scio qvidem ex communi sententia posteriorem hanc propositionem pertinere ad interpretationem extensivam, priorem ad declarativam (secundum Virum Clarissimum *Musar. Jurid. p. 94. 95. 96.* ad interpretationem hypercriticam electitiam internam perfectivam,) adeoqve non videri contradictionem subesse. Sed scio etiam communiter Doctores, qvi statuunt pœnalia tanqvam odiosa strictius interpretanda esse, etiam dicere: Pœnalia non esse extendenda, à qvibus adeò *V*ir Clarissimus per istam distinctionem non bene videtur dissentire. Si enim (*secundum ipsum*) pœnales leges rectè extenduntur, multò magis (*contrà ipsum*) eædem in laxiori significatione sunt explicandæ. Rem declaro exemplo. Lex pœnalis est: qvi frumentum exportat, puniendus est. Hæc lex qvamvis pænalis, rectè extenditur ad farinæ exportatores. Cur ergo eadem non etiam in lata acceptione esset explicanda, ut sub se omnes frumenti species comprehendat, si modo ratio legis non obstet. At si hæc obstat, tum stricta interpretatio certè non desumetur ab eo, qvod lex sit odiosa.

§. X. Eadem observatio suppeditat adhuc aliud monitum circa totum ejus tractatum. Suggillat Vir Clarissimus *p. 27. tractatus* & Dn. Pufendorffium & me, qvod cum meliora Grotio dare desperaverimus, ferè κατὰ πόδα eum seqvamur. Sit ita, qvamvis adhuc non pauca adversus hæc regerere possimus. Qværo ex Viro Clarissimo: Qvem usum habeat ipsius tractatus de JCto perfecto, seu de interpretatione Legum? Lego in indice centum species interpretationis, qvas ipse excogitavit, ad qvas intelligendas minimum anno opus est. Putatne Vir Clarissimus, effictione terminorum novorum melius Grotio se illustrasse doctrinam de interpretatione? Putatne meliores progressus facere juvenem, si discat: regulam aliqvam pertinere ad interpretationem hypercriticam electitiam internam perfectivam, qvam si notet secundum doctrinam communem, eam perinere ad interpretationem declarativam?

tivam? Atqvi hoc est rem intricare, non explicare. Porro regulas interpretationis in tractatu numerat omninò 344. Qvanto tempore putat Vir Clarissimus opus esse, ut juvenis eas non dicam, intelligat, (nam pleræqve nihil significant, & sunt mei sine mente soni,) sed memoriâ teneat, & si teneat, cui usui? Non jacto mea, sed si qvæ benè posui, divinæ gratiæ ea adscribo, si qvæ malè, mihi. Interim ut paucis me expediam: Repetii post Grotium & Pufendorffium, Duumviros de interpretatione optimè meritos, doctrinam meam de interpretatione *in Praxi Logices cap. 3.* Constat tota doctrina paucis pagellis, & regulis omnino qvinqve vel sex, ostendiqve ibidem doctrinam de speciebus interpretationis rem obscurare potius. Jam suppeditet Vir Clarissimus exempla, qvæ non æqvè benè & longè facilius ex paucis regulis meis, qvam ex suo apparatu tanto possint definiri, aut, si qvæ sunt, qvæ qvis ex regulis meis interpretari neqveat, qvæ ex ipsius tractatu resolvi possint? Qvodsi hæc facere neqveat, cogitet, qvid communes interpretes Juris de ipsius libro dicturi sint, contra qvos *Musar. Jurid. p. 27.* sic disserit: *Nos hasce tricas, tanqvam cruces ingeniorum superfluas & sine ratione excogitatas, meritò rejicimus; contenti, nostra præcepta suis fundamentis superstruxisse.*

§. XI.

Credo & spero, Virum Clarissimum responsiones has meas atqve brevia monita non ægre laturum, sed promissionis publicæ *Musar. Jurid. p. 178.* recordaturum esse. Rationes adhibui, non verba iniqva. Qvodsi tamen & in ipsa veritate amarum qvid propositum fuit, id tanqvam præter intentionem factum deprecor, eumqve invito & rogo: velit id, qvod *Musarum Jurid. p. 116.* obliqvè indicavit, proximè expedire, & rationes suas proponere, per qvas putet, demonstrationem juris positivi universalis à me in Institutionibus Jurisprudentiæ divinæ tentatam in nihilum redigi posse. Cedam semper rationibus firmis, ipsiqve valde obstrictus ero, si me errantem in veritatis semitam reduxerit.

TANTUM.



Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem XV. & XVI.

De

VOTORUM PLURALITATE ET ARBITRIO IMPERATORIS, DEQVE REGIMENTIS IMPERII, DEPUTATIONE, CIRCULARIBUS CONVENTIBUS, ET VISITATIONE CAMERÆ,

Cum adjuncta Qvæstione

An Mancipia Turcica per Baptismum manumittantur.

Publicè ventilabunt

Die V. Octobris M DC XCIII. horis antemer. à X. ad XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

& Respondens

HENNINGUS ADOLPHUS Koch/

Hoyensis.

H QVÆ-



QVÆRO VIII.

An Mancipia Turcica per Baptiſmum manumittantur?

Non videtur.

§. I.



Iximus qvæſtione 6. non magnum uſum habere Jus Romanum in mancipiis Turcicis. Revocavit ea qvæſtio in mentem dubium jam ante aliqvot annos conceptum. Videlicet diſputavit Amicus ante qvadriennium in vicinâ Academiâ cum conſenſu & autoritate Magnifici ibidem JCtorum ordinis, de *Mancipiorum Turcicorum Manumiſſione Baptiſmo implicitâ*, eamqve materiam per totam ſervitutis doctrinam fuſius executus eſt. Putavi tùm ſtatim diſputari de non ente, ſed autoritas ordinis Juridici ex alterâ parte me dubium fecit, ut præſumerem, Conſultiſſimum iſtum ordinem JCtis pluribus atqve celeberrimis conſtantem, autoritatem ſuam non interpoſiturum fuiſſe, niſi ipſis de exiſtentiâ hujus manumiſſionis conſtaret. Sed ſucceſſu temporis dubium pro parte negativâ magis magisqve corroboratum eſt, unde, qvoniam de materiâ practicâ agitur, non ægrè laturos arbitror & Amicum Diſputationis Præſidem, & Inclutum iſtum JCtorum ordinem, ſi ipſis dubia mea propoſuero, paratus informatione debitâ accedente in ipſorum caſtra tranſire.

§. II.

Si qvæſtionem: An ſit? diſſertationi ſuæ præmiſiſſet Clariſſimus Autor, facillimo negotio dubia mea expedire poſſem. Jam autem cum exiſtentiam hujus manumiſſionis præſuppoſuerit, paulo altius res videtur eſſe repetenda. Præſuppono igitur, etſi aliàs qvilibet de re ſua diſponere pro lubitu poſſit, noluiſſe tamen pleraſqve gentes ob intereſſe publicum, & potiſſimum Romanas manumiſſionem ſervorum ſine aliqva ſolennitate fieri, adeoqve modos manumittendi lege

lege publicâ definivisse. Jam autem manumissio per baptismum est ens Juri Romano planè incognitum, neqve de eâ diligentissimus antiqvitatum Romanarum in re præsenti indagator Wilhelmus a Loon *de manumissione servorum apud Romanos* qvicqvam meminit. Neqve juri Justinianæo hanc manumissionem cognitam esse indicio est, qvod Judæis in specie interdictum sit habere mancipia Christiana, qvâ prohibitione opus non fuisset, si per Christianismi professionem qvis ex servitute in libertatem transivisset. Jus Canonicum qvod attinet, neqve in eo qvicqvam deprehendere potui, qvod manumissioni huic per baptismum faveret, multa vero argumenta visus mihi fui deprehendisse, qvæ contrarium indicarent. 1. Servi non potuerunt promoveri ad sacros ordines, nisi â Dominis libertatem consecuti fuerint. Si tamen servus sciente Domino fuerit ordinatus, ex hoc liber habebatur & ingenuus. *Lancellott. Instit. Juris Canon. lib. I. tit. 25. §. 2.* Ergo servi etiam Christiani fuerunt, neqve baptisma pro manumissione valuit, sed ordinatio. 2. Servus si prius ignorante Domino ad sacra ministeria ordinatus monachus fieri elegerit, jugum servitutis evadere hoc ipso potuit, aliàs intrà unius anni spatium Domino & servilem fortunam probare & servum suum recipere licebat. *Lancell. l. 1. tit. 30. §. 6.* Ergo monachismus demum manumissionis efficaciam habuit, non baptismus. 3. Idem Lancellotus *l. 2. t. 11. §. 7.* dicit, servum à sacramentis Ecclesiæ & à matrimonio non esse removendum. Ergo mancipia per baptismum non sunt liberata á servitute.

§. III.

Neqve moribus hæc manumissio est introducta. Qvin potius iidem contrarium testantur. Ipse ego in illo loco, ubi Disputatio dicta fuit habita, patrini personam in baptismate ejusmodi mancipii Turcici sustinui, & nihilominus tamen Dominus æqvè post baptismum Dominium in servum istum retinuit, atqve antè habebat, eumqve non diu post donando alii, alienavit. Adde qvod & utilitati publicæ & principiis Christianismi videatur aliqvo modo repugnare, si per baptismum fiat manumissio. Nam id certum est baptismum non denegandum esse mancipiis qvibuscunqve infidelibus ad Christianismum adspirantibus, etiam invitis Dominis. At si per baptismum simul conseqverentur mancipia libertatem, occasio daretur, ut multi propter bonum temporale simularent desiderium Christianismi, aut ut Christiani fierent propter utilitatem temporalem, non propter veritatem & salutem spiritualem. Qvamvis autem notet B. Brunnem. *Juris Eccles. lib. 2. cap. 18. §. 9. p. 696.* non esse

 Simo-

Simoniacum, expressâ promissione alicujus rei temporalis aliqvem allicere ad Baptismum vel religionem suscipiendam, graviter tamen addit Illustr. Dn. Ordin. *p. 715.* sine dubio illum, qvi Baptismum vel religionem spe præmii temporalis recipiat, gravissimum committere peccatum. Nec ab hoc eum absolvendum esse, qvi alterum spe præmii allicit. Aliis argumentis utendum, qvò ad religionem adducatur infidelis, & non temporaria sed divina ipsi demonstranda retributio. Repleretur adeò civitas malis hominibus, & Dominorum jura sine ulla utilitate aut necessitate publicâ infringerentur. Deteriores essemus Pontificiis, apud qvos, notante B. Zieglero *ad Lancellott. p. m. 166.* ideò prohibita fuit ordinatio servorum, non qvod servus Clericus esse non posset, sed ne fides Christiana malè audiret, ac si Dominorum jura per ea inverterentur.

§. IV.

Jam videamus qvid ex Disputatione Viri Clarissimi pro existentia hujus manumissionis colligere possimus. Sunt vero omnino duo. Primum est *in cap. 1. §. 2.* ubi adducitur, *qvod Pontifex Gregorius M. in Epistolâ qvâdam ad Fortunatum Neapolitanum, cujus fragmentum continetur in can. 15. dist. 54. decreverit, cogendos esse Dominos, ut sua mancipia, qvæ ad Christianam fidem converti & baptizari desiderant, pro pretio dimittant, adeoqve locorum Episcopos omni sollicitudine eò laborare debere, ut omnibus modis in libertatem vindicentur.* Sed si allegatum canonem 15. distinctiq percipias, deprehendes hunc ejus sensum esse: Si qvis de Judæorum servitio, sive judæus sive paganus, intra tres menses (postqvam Judæus eum emerat,) ad religionem Christianam, converti voluerit, pretium ejq Judæo ab emtore Christiano debet solvi. Si post tres menses id contingat, absqve restitutione pretii & absqve venditione liber debet fieri. Hic textus cum de Judæis Dominis disponat, ad Christianos Dominos non potest applicari, qvia cessat ratio applicationis. Ideò enim hæc constitutio concepta est; qvia Judæus non potest habere mancipium Christianum. Deinde etiam hoc casu baptismum non semper vim manumissionis habuisse patet, qvod, si intrà tres menses primos ad religionem Christianam se convertere voluerit mancipium Judæi, idem in potestate Domini Christiani, qvi pretium Judeo solverat, manserit.

§. V.

Secundum est *in cap. ult. §. 10.* ubi sic Clarissimus Autor: *Qvamvis absurdum non videatur illos, qvi in bello Turcico capti sunt, servos etiam permanere debere arg. l. 5. §. 2. ff. de capt. qvamvis ejuraverint religionem Mahumeanam*

metanam & Christianâ imbuti sint, cum sententia sit probata servitutem personarum, & dominicam potestatem legi divinæ non adversari. Hahn ad Wesenb. tit. ff. de capt. n. 1. nec Evangelium abolere Politias 1. Cor. 7, 21. Qvam ob causam in Lusitania aliisqve regionibus adjacentibus adhuc moris esse dicitur Bodino, ut capti Turcæ servi permanere debeant, licet Religionem Christianam fuerint amplexi. Qvæ fortè & ratio, cur usus mancipiorum & vernarum etiam duraverit per tempus inter Christianos, in tantum, qvod etiam Ecclesiæ suos servos habuerint. Attamen cum charitate Christianorum paululum increscente inter eosdem servitus evanuerit, &c. ideò palam est, qvod mancipia Turcica post baptismum non amplius pristinam immanem servitutem subire, sed potius verâ Christianorum libertate frui debeant. Continet hic paragraphus Viri Consultissimi & rationes dubitandi & decidendi. Rationes dubitandi qvod attinet, (qvas forte Hahnius ab ipso citatus, qui jam ad manus non est, ex Gudelino magnam partem hausit, qvem vide *de Jure Novissimo l. 1. c. 4. p. m. 6.*) illæ qvidem, cum pro mea sententia faciant, possunt manere intactæ, nisi qvod illud obiter saltem moneam, me non videre, qvale argumentum pro illa sententia ex *l. 5. §. 2. de capt.* extrui possit, ubi Pomponius; *in pace*, inqvit, *qvoqve postliminium datum est, nam si cum gente aliqvâ, neqve amicitiam, neqve hospitium, neqve fœdus amicitiæ causâ factum habemus, hi hostes qvidem non sunt. Qvod autem ex nostro ad eos pervenit, illorum fit, & liber homo noster ab eis captus servus fit, & eorum. Idemqve est, si ab illis ad nos aliqvid perveniat. Hoc qvoqve igitur casu postliminium datum est.* Dubito, an paragraphum hunc intellexerit Vir alias eruditissimus, Dionysius Gothofredus. Nam notæ, qvas ad eundem confecit, planè à paragrapho alienæ sunt. Intendit JCtus latrocinium gentis in gentem, tum temporis valdè receptum, de qvo vide integram disputationem B. Patris. Sed qvid latrocinium gentis in gentem cum mancipiis Turcicis commune habet?

§. VI.

Venio ad rationem decidendi, qvæ hæc affertur, *qvod ideò manumissio per baptismum introducta fuerit, aut introduci debeat, qvod crescens charitas Christiana moverit gentes Christianas, ut servitutem planè tollerent.* Qvæ ratio ob varias causas id qvod probare debebat, mihi probare non videtur. 1. enim nullum est dubium, qvod tempore Apostolorum in primitiva Ecclesia major fuerit charitas qvàm seculis subseqventibus, & illis, ubi servitus inter Christianos fuit sublata. Si ergo excellentia illa charitatis Christianæ non impulit Christianos primos, ut servos etiam fideles manumitterent, uti non impulit, *Ephes. 6. v. 9.*

 1. Timoth.

1. Tim. 6. v. 2. causa non est, ut dicamus eandem successu temporis & in seculis remotioribus, ubi Christianismus jam multis principiis Antichristi erat deterior redditus, id effecerit. 2. Falsum est eo tempore, qvo servitus inter Christianos fuit sublata, crevisse Christianam charitatem, qvæ profecto multo tepidior fuit & frigidior, qvàm esse debebat, utpote cum illo tempore & ambitio, & avaritia & voluptas nomen charitatis sibi falso vindicarent. Ergo cum ista charitas crescens sit non ens, non potuit hunc effectum produxisse. 3. Servitus eo tempore saltem in tantum evanuit, ut Christianus à Christiano captus servus non fieret, mansit autem ad nostra usqve tempora servitus, ut Turcæ capti servi fierent. Ergo si Christiana charitas illius temporis non impedivit initium servitutis in Turcis, non potest etiam allegari, qvod impulerit eos ad Turcas manumittendos per baptismum. 4. Supponit illa ratio, qvod erat in qvæstione. Probari debebat, introductam fuisse manumissionem per baptismum, & loco probationis inqviritur in causam, cur introducta eadem fuerit. Alia plura ut jam taceam.

§. VII.

Sed pergit Vir Consultissimus: *Id qvod luculentissimè confirmat Pius V. Papa, constitutione suâ de anno 1566. latâ, qvæ habetur in Magni Bullarii Romani Tomo I. sub n. 17. qvod edidit Laertius Cherubinus JCtus Romanus, in qva disposuit Pontifex captivos eorumqve prolem à servitute liberari debere, suscepto SS. baptismate.* Video similia afferi à Gudelino *d. l. p. 6. Verum*, ait, *recens est Pii Qvinti Constitutio extans apud Petrum Matthæum in summa Constitutionum summorum Pontificum, captivos fieri liberos suscepto Baptismate qvi sub tutelam civis cujusqve Romani confugerint.* Respondeo 1. Constitutio Pii V. qvaliscunqve etiam sit, non probare potest, qvod manumissio per baptismum sit introducta tempore eo, qvo ex hypothesi Consultissimi Autoris, Christiana charitas movit gentes Christianas, ut servitutem abrogarent, qvia illa constitutio Pii V. est multò recentior abrogatione illa servitutis. 2. Si Pius V. demum introduxit hunc modum manumittendi per baptismum, non pertinet ad nos Germanos, qvia obligat saltem eos, qvibus lata fuit. At nos protestantes in Germania post reformationem (qvo tempore latam esse illam constitutionem fatetur ipse Consultissimus Autor,) non agnovimus Papam legislatorem, imo nec Pontificii cives in Imperio eo tempore Papam Legislatorem agnoverunt. Ergo probare debebat Consultissimus autor, Constitutionem illam Pontificis in Germania esse receptam.

Sed

§. VIII.

Sed fortè etiam id non constituit Pius V. qvod constituisse fertur Mallem ut mihi licuerit ipsam constitutionem inspicere. Qvæsivi eam in Septimo Decretalium, qvem librum Petrus Matthæi edidit, sed ibi non inveni. Istum vero librum qvem Gudelinus allegat, non habeo. Adduxit qvidem Consultissimus Autor ex prædicto Bullario verba prolixius. Sed exinde mihi videtur parum probari posse. Contraham rem in summam. *Provocat Pius V. ad constitutionem Pauli III. qvi redintegraverit facultatem & privilegia Conservatorum & Populi, mancipia (seu Sclavos,) post baptismum ad Senatus Cameræ officium ac illius conservatores confugientia, secundum veterem consvetudinem ab aspero servitutis jugo liberandi. Hanc Constitutionem Pauli III. Pius V. confirmat, & servos prædicto modo per Senatum Cameræ & Urbis Conservatores liberatos vult haberi plenissime pro civibus Romanis.* At vero ut taceam 1. istam constitutionem specialem ad districtum urbis Romæ pertinentem malè extendi ad Germaniam, non potest 2. sensus illius constitutionis perspicué cognosci, si non & ipsa Pauli III. Constitutio, ad qvam se refert Pius V. inspiciatur, qvia referens sine relato interpretari non possumus. 3. Ipsa constitutio apertè ostendit, neqve ex mente Pii V. aut Pauli III. manumissionem tum per ipsum baptismum factam fuisse, sed per dationem specialem Conservatorum & Senatus Cameræ, postqvam mancipia baptizata ad ipsos confugissent, ergo baptizati eò non confugientes manebant servi. 4. Qvia & Paulus III. ad veterem consvetudinem provocat, à verò non est absimile, totam constitutionem utriusqve Pontificis non loqvi de mancipiis baptizatis omnibus, sed de mancipiis Judæorum vel aliorum infidelium. *Confer suprà* §. 4. Qvodsi esset, eædem responsiones essent hic repetendæ, qvas jam suprà *d.* §. 4. dedimus.

§. IX.

Ergo si nulla datur in Germania manumissio per baptismum, uti hactenus adhuc videtur, frustraneæ sunt qvæstiones â Viro Consultissimo de hac manumissione per baptismum motæ, v. g. an maritus mancipium uxoris possit ita manumittere? an uxor possit invito marito? an Proprietarius ita manumittere possit servum usufructuarium? an socius invito sacro possit? *vid. cap. 1. §. 12. usqve ad 27.* frustraneæ sunt assertiones: differentiam esse inter hanc manumissionem & reliqvos modos manumittendi, qvod in illis olim apud Romanos inviti libertatem consecuti fuerint *l. 15. §. 2. C. de testam. manum.*

manum. ad hanc vero invitus non cogatur; (*d.c.1.* §. *42.* & *43.*) item qvod ad hanc manumissionem omnes admittantur etiam Jure Romano inhabiles, ut servi plagiarii, Candidati torturæ, servi oppignorati &c. (*d.c.1.* §. *47. seqq.*) qvod manumissi per baptismum gaudeant jure civitatis & fiant municipes in illo loco, ubi Patronus sit municeps, debeantqve inter opifices recipi & tolerari; qvod munera patrinorum pertineant ad manumissorum patrimonium, nec sint peculium; qvod habeant testamenti factionem activam & passivam, & possint ab intestato succedere; qvod sint capaces honorum & dignitatum in Republicâ; qvod Uxor infidelis Turcæ baptizati gaudeat iisdem honoribus qvibus maritus, non vice versa &c. (*vid. cap. ult.* §. *30.31.32.33.*) Id saltem duobus verbis addere liceat (1) falsum esse, qvod apud Romanos inviti libertatem acceperint servi, non obstante, qvod in *d.l.15.* §. *2. C. de manum. testam.* dicatur: *nemini servorum licere Romanam civitatem recusare.* Pertinet enim hæc assertio ad flosculos errorum Triboniani. 2. Occasionem dari ad malitiam, si per baptismum qvis manumitteretur, vel eò qvod hoc casu servi oppignorati in fraudem creditorum manumitterentur, qvod juri naturali est contrarium. 3. Repugnare praxin morum nostrorum assertioni, qvod munera patrinorum non pertineant ad peculium, qvod est in proprietate Domini. Pluribus observationes declarabimus in discursu.

T A N T U M.



Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem XVII. & XIIX.

De

REVISIONE, CONVENTU PRINCIPUM, REGIMENTO PERPETUO, REGALIBUS STATUUM IMPERII, ET TERRITORIO.

Cum adjuncta Quæstione

Cur Imperator Wenceslaus, Princeps non optimus qvidem, sed tamen nec etiam malus, communiter tàm malè audiat?

Publicè ventilabunt


Die XII. Octobris MDCXCIII. horis antemer. à X. ad XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

JCtus & Prof. Publ.

& Respondens

JOHANNES du CLOS, Metensis Gallus.



QVÆRO IX.

Cur Imperator Wenceslaus, Princeps non optimus qvidem, sed tamen nec etiam malus, communiter tàm malè audit? Videtur, odium Cleri Pontificii, & protectionem aut tolerantiam Hussi ansam iniqvioris ejusmodi famæ dedisse.

§ I.



Robavimus in qvæstione secunda, verosimile esse, Wenceslaum legaliter non fuisse depositum. Hic duo probanda sunt: I. Wenceslaus non fuit Heros inter Principes, sed tamen Princeps, qvi magis, si non laudem, saltem excusationem qvàm vituperium meretur. Fuit enim Princeps timidus qvidem, piger, vino deditus, nec ad magna natus, sed sincerus, benignus, clemens, & neqvitiæ osor ac veritatis amans, certè non hostis. II. Causa pessimæ ejus famæ fuit, partim qvod ipse & oderit Clerum Pontificium, & ipsis iterum fuerit valde exosus, partim qvod veriorem Hussi doctrinam, qvantum status turbulentus Bohemiæ & Genius ipsius Imperatoris admittebat, defenderet.

§. II.

Non justum tractatum scribo, sed breve Schediasma. Igitur melius facere non possum, qvàm si ex duobus saltem vel tribus autoribus fide dignis, (qvia omnes more communi Wenceslaum increpant,) qvædam huc facientia excerpsero. Qvare non tam ad eorum verba, qvàm ad rem ipsam, qvam narrant respiciendum erit. Et valde mirandum, qvod communiter omnes Historici, etiam Protestantes & moderni, Wenceslaum tam petulanter increpent, cum tamen jam suo tempore Aventinus

tinus referente Boxhornio *Historiæ Univers. p. m. 887.* postqvam secundum opinionem communem recensuisset scelera Wenceslai, amore veritatis victus addiderit: *Complura de eo alia scelera referuntur, qvæ ego falsa atqve conficta (ita sunt ingenia hominum,) ab inimicis esse reor.*

§. III.

De Wenceslao hæc refert Lehmannus *Chron. Spir. lib. 7. cap. 60. p. m. 826.* Demnach die Böhmen an Käyser Wenceslao gespürt/ daß er seinem Vater an Tugenden und Verstand sehr ungleich/ haben sie wenig von ihm gehalten. Der Käyser vermercket die Verachtung / macht es wette / und thât dergleichen gegen die Böhmischen Herren/ zog zu sich Teutsche/ und bestellt mit denenselben die fürnehmste Amts-Verwaltung. Daher erwuchsen zwischen beyden Nationen eyferige Verbitterung. Die Böhmen machten Bündnüß wider die Teutschen / und bedrängten sie / wo sie Gelegenheit hatten. Deßhalben ließ der Käyser am Sambstag nach Ostern die Fürnehmste der Verbündnuß verhafften / und den Montag hernach öffentlich enthaupten. Hernach berufft der Käyser alle Raths-Personen der Alten und Neuen Stadt Prag zu Hof/ und als sie erschienen / hat er sie heissen zu seiner Tafel sitzen. Als sie gesessen / ist der Scharffrichter / des Käysers Gevatter / ins Zimmer vor den Käyser getretten / und hat gesagt: Gnädigster König und Herr: Aus was Ursachen bin ich hieher erfordert? Der Käyser antwort: Lieber Gevatter/ wart draußen / nach der Mahlzeit wil ich dir zu schaffen geben. Den Gästen ist Hertz und Muth gesuncken / denn sie wol gewust / daß der Käyser zuvor mehrmals Schuldigen und Unschuldigen mit gleicher Maß gemessen. Nach verrichter Mahlzeit hat ihnen der Käyser unterschiedliche Befehl und Beschwernüß auffgebunden. Darauff die Raths-Personen ein jeder allen Gehorsam / darzu ihr Leib und Leben vor Ihre Majestät auffzusetzen allerwilligst versprochen. Welches der Käyser mit Gnaden angehört / und weil er sie zu seinem Willen gewonnen / wieder unbeleidigt hingehen lassen. Observa ex hac historia, subditos irreverentes & rebelles Imperatori occasionem dedisse severa remedia ad eorum coercitionem adhibendi. Ipse tamen, si adeò crudelis fuisset, uti describitur,

bitur, tàm benignè istos Senatores omnes non dimisisset, præprimis cum multò verisimilius sit, eorum aliqvos rebellioni fuisse implicitos, & hanc causam timoris fuisse, qvam qvod juxta Lehmannum, Imperator assvetus fuerit insontes cum sontibus punire.

§. IV.

Pergit Lehmannus *Cap. 61.* Im Jahr 1393. ist der Käyser gen Beraun verreist/ daselbst verkleidet ins Kloster gangen/ zu besehen/ wie sich die Münch in ihren Orden verhalten. Im Kloster ward er von 16. Mann unversehens überfallen / und in geheim gen Prag in ein Gefängnüß mit Namen Schpinka geführt / darinn er 15. Wochen gelegen. Eines Tages ließ er den Rath bitten / sie wollen ihm erlauben im nächsten Bad am Rath-Hauß zu baden / mit Verheissung / daß er nach dem Bad wieder ins Gefängnüß wolt gehen. Dem Käyser zu willfahren / haben sie ihme vier vertraute Diener zu Verwahrung und Wiederlieferung zugeordnet / der Diener haben zween mit ihm gebadet / zween die Wacht gehalten. Nach langen Baden sagt der Käyser / er wolle sich an der Lufft erkühlen. Das liessen die Diener zu. Das Bad-Hauß war im nächsten an der Mulde gelgen / dabey ein Fischer-Nachen angehenckt. Der Käyser fragt eine Bad-Magd / ob sie mit dem Nachen fahren kont / da sie ja geantwortet / bat sie der Käyser / den sie doch nicht gekennet / sie wolt ihn eilends überführen / und versprach ihr ein gut Trinck-Geld. Die Magd thats / rudert eilends hinüber. Im Aussteigen stieß der Käyser den Nachen vom Land/ daß die Magd nicht wieder drein kont kommen / sagt / sie solt mit dem Ruder eilends nachfolgen / so wolt er sie mit hundert Gülden begaben. Sind also beyde gegen dem Dorff Kuchel gelauffen/ daselbst sie wieder einen Nachen gefunden / und seynd wieder übers Wasser gefahren / und biß zum Neuen Schloß gangen davor sie zu Abend gar spat ankommen. Der Käyser hat dem Thorwarter zugeruffen / der erkennt im finstern die Stimm / meldt den Käyser beym Hauptmann an / der ihn allsbald eingelassen / und als nackenden sambt der Bade-Magd Susann genannt / nach Vermögen bekleidet / und mit einem Imbiß ergötzt. Der Erledigung erfreuet sich der Hauptmann samt allen den Seinen. Nach dem

Essen

Essen ließ der Käyser hundert Gülden an Gold herbey bringen/ liefert sie der Susanna mit Dancksagung - sagt ferner / weil sie seine Erlöserin/ sein Geferth und Tischgenoß gewesen/ so sol sie auch sein Schlaffgesell seyn / welches die Baderin geschehen lassen. Als der Käyser auff dem neuen Schloß mit seiner Susannen sich etlich Tag frölich gemacht/ ist er hernach samt derselben gen Ziebrack verreist / dahin er die Herren von Prag zu Gast beruffen. Aber es wolt niemand erscheinen / sagten/ sie hättens zu Prag besser / als auffm Ziebrack. Sistit hæc Historia Wenceslaum Optimatibus rebellibus exosum, á plebejis & suis valdè amatum, Monachis non faventem, & ab iis iterum non amatum, voluptuosum, & erga beneficos gratum.

§. V.

Seqventi *cap. 62.* narrat Lehmannus, qvomodo mox Imperator iterum à subditis suis rebellibus captus, occultò Viennæ captivus duriter detentus, & à piscatore iterum liberatus fuerit. Excerpam saltem exitum. Seynd hernach (der Fischer und der Käyser) durch einen Wald und andere Umbwege in Böhmen am Tag Martini vor das Schloß Wischerad ankommen und eingelassen worden. Der Käyser sagt zu den Unterthanen / welche seine Getreue wären/ die solten zu ihm treten / deren alsbald auff zwantzig Personen herbey gelauffen. Demnach er von ihnen verstanden / daß der Hauptmann des Schlosses vom Rath zu Prag in der alten Stadt dahin gesetzt / hat er denselben zu verhafften befohlen / und in dessen Nahmen ein Schreiben an gedachten Rath gefertiget / des Innhalts/ daß sie in Eyl dahin kommen solten. Inmittelst den Scharffrichter des Orts auff das Schloß beruffen. Der Rath zu Prag ist aufs Hauptmanns Beschreiben als in eilfertiger schwerer fürgefallener Sach mehrentheils im Schloß angelangt/ welchen der Käyser von Stund an die Hände zusamen knüpffen / und einen nach dem andern samt dem Hauptmann des Schlosses die Köpfe lassen abschlagen. Nach solcher Verrichtung hat der Käyser wieder sein Anwesen zu Prage angestellet / andere Raths-Personen eingesetzt / viel mit guten Worten wieder zu Freunden gemacht / die sich widersetzig erzeigt / denen ist er mit seinem Gevatter dem Scharffrichter und andern Scherganten vors Hauß geritten / hat dieselbe heraus lassen reissen / uud öffentlich vorm Hauß lassen enthaupten. Bißweilen hat er sich gegen männiglich hohes und niedern Standes grosser Fröligkeit angenommen/ und jederman gnädigen guten Willen erwiesen/ daß man

sich seines Wandels zu Zeiten erfreuet / zu Zeiten höchlich zu beschweren gehabt. Hans Grundeln den Fischer hat er samt Weib und Kind/ die er von Wien lassen abholen/ in stattliche Nahrung gesetzt/ und ihnen alle Gnad und Beförderung beständig erwiesen. Ecce iterum Wenceslaum prudentem, severum, justum, benignum, gratum. Verosimile, ex hoc ejus justæ severitatis exemplo ortam calummiam de ejus crudelitate.

§. VI.

Pergit Lehmannus, *p. 828*. Der Käyser ist von Natur des Gemüths gewesen / daß er vor den gemeinen Nutzen nimer eyffrige Sorge getragen / die Armen / und vor den mächtigern Betrübte und Betrangte nicht gehöret / noch vor Gewalt beschützt. Die Höhere und Mächtigere haben des Käysers Wesen ihnen lassen wolgefallen / sagten / der Käyser wäre ein frommer gütiger Herr. Die Geringere / so unter der Preß gestecket / führten hierüber unersättliche Klag und Beschwernüß/ sagten hingegen / daß er unachtsam und böß wäre. Diese Reden von beyden Theilen sind dem Käyser fürkommen/ darüber er zur Antwort geben / wenn einem etwas wil zu schwer seyn / so lege ers nieder / ist einer in Angst / mag er den Dampff von Hertzen hinweg reuspern. Ne Jupiter qvidem omnibus placet, ut in proverbio est. Qvid Wenceslaus placeret omnibus? Qvamvis Wenceslaus melior fuerit Jove Gentilium. Laudatur ab his, culpatur ab illis. Causæ odii injustæ fuerunt, ut præcedentia ostendunt, ex qvibus etiam, qvæ hîc contra Wenceslaum allegantur, facile refutantur. Non poterat defendere oppressos Wenceslaus, etsi voluisset, cum ipse sæpius jam à subditis duriter tractatus fuisset. Non adeò vana timoris causa, & metu laborabat, qvi etiam in virum constantem cadit.

§. VII.

Jam qvædam ex Michaelis Saxonis Käyser Chronica excerpamus. Is *cap. 2.* ejus symbolum sic refert: *Morosophi Moriones pessimi:* vel: *Moriones docti moriones mali.* Qvod non odium ejus erga eruditionem, sed justum odium erga Clericos illius temporis corruptissimos indicat, qvi falsâ eruditione turgidi, nil nisi morionum pessimorum personas sustinebant. Accusatur *cap. 3.* lasciviæ tantæ, daß er andere Weiber und Jungfrauen geschändet mit List und Gewalt/ wo er gekont. Qvod si verum esset, non fuissent obliti Electores in accusatione ejusdem. Sed non factum, & probabile est, eum à lascivia non fuisse planè qvidem alienum, occasionem verò ad hanc calu-

calumniam dedisse Imperatorem, qvod minus decenter cum liberatrice suâ Susannâ, ut memoravimus, vixerit. *Cap. 5.* memorat autor, qvod Carolus IV. morti vicinus ipsi consilium dederit, qvomodo feliciter regnare possit. Wenn du wilt wohl und friedlich regieren/ so halte dich also. 1. Habe die Pfaffheit/ Päbst und Bischöff lieb. &c. Hinc illæ lacrymæ. Hinc Carolus IV. tam laudatus à virtutibus & prudentiâ (vide suprà §. 3. initiò) Hinc frater Wenceslai Sigismundus adeò commendatus ab Historicis, qvod Clericorum sputa lingeret, & fidem Husso datam violaret. Eodem *cap. 5.* hæc refert Sachse: Den Münch Bartoldum Schwartz hat er ertödten lassen/ darum daß er die Büchsen erfunden hatte/ zu geschwinder Ertödtung der freudigsten und stärckesten Menschen. Justissimum factum. Pestilentissimæ inventionis autor, qvi vitam Deo voverat, non poterat mitius puniri. Sed hoc non erat ferendum, ut Imperator tam memorandum exemplum in sacram Monachi personam exerceret. Confer simile exemplum suprà *qvæst. 2. §. 5.* Hinc illæ qverelæ Electorum *ibid.* §. 9. qvod reverendos sacrorum Antistites, Sacerdotes & Spirituales personas truculenter peremerit. Cum tamen ipse ejus accusator & testis potissimus, Johannes Archi-Episcopus & Elector Moguntinus Latro & Sicarius notoriè fuerit, Fridericum Brunsvicensem, invito ipso in Imperatorem post depositionem Wenceslai electum, per assassinos interficiens.

§. IIX.

Finem imponant excerpta qvædam ex Theobaldi Hussiten-Krieg. Is *Part. 1. c. 3.* postqvam narrasset, Clericos irritatos valde fuisse contra Hussum, subjungit: Drumb solches durch die Geistlichen für den König bracht wurde/ durch welches Hülffe sie vermeineten dem Hussen alsbald Brief in ein anders Kloster zu geben. Aber was geschach. Der so mehr um andere unnütze Sachen bekümmert war/ lachet/ sagende: Ey ey/ laß ihn nur gehen/ die Gans wird mir güldne Eyer legen. Hinc accusatio Electorum, qvod Ecclesiæ noluerit mederi, qvod pacem in Ecclesia non promoverit, & qvod sacræ Ecclesiæ opem ferre noluerit. Res magis patet ex seqventibus. *Ibid. cap. 7. p. 20.* Der Ertz-Bischoff von Prag wie er vernommen/ daß sich König Wenceslaus in die Sach nicht flechten wolte/ sondern ließ alles/ wie es gieng/ gehen/ machet sich auf/ zog in Hungarn zu dem Käyser Sigismundo, begehrt bittlichen von ihm Hülff mit Vermelden/ daß man sonst den Ketzereyen nicht wehren könte/ wo er nicht aus besonderer Lieb zu der Christenheit selbst persönlich ins Land Böhmen käm/ das glimmende Feuer ausleschet. Er beklagt sich auch hoch über des Käysers Bruder Wenceslaum

um, Böhmischen König/so alle Käyserliche Heiligthumen/so bey der Schloß-Kirchen/so wol auch bey den Capellen Corporis Christi in den Gewölben unter der Erden/so mitten auf dem Neustädter Marckt stehet/nehmen/und auf das Schloß Carlstein wider der Prager Willen führen/verschliessen und verpetschieren lassen/ darumb dann die Prager allbereit fleissig sollicitirt/ daß er ihnen den Nutz nicht nehmen/ nicht anders aber zur Antwort bekommen/dann: Gehet hin erstlich zu euern Böhmischen Magistern in die Collegia, und fraget sie/wer ihnen den Ehrgeitz gegeben/ daß sie dreyer Stimm begierig worden sind/ dargegen die Teutschen eine haben sollen/ dadurch sie alle Studenten aus Prag vertrieben/deren ihr besser als dieser Heiligthümer genossen habt. Dieweil sie euch dann eine Unordnung gestifftet/ warumb wolt ich euch nicht die andere anrichten? Haben euch eure Magistri das eine fürnehmste Einkommen genommen/so könnet ihr die andern auch entrathen. A vero haud absimile est, Wenceslaum id fecisse in favorem Hieronymi Pragensis, de qvo idem autor *pag. statim seqvente 23.* narrat, qvod contra cultum reliqviarum fuerit concionatus. Non potuit non hoc modo odium Cleri incurrere Wenceslaus, unde cum postea ex omnibus cathedris tonarent contra Hussum, (welches der König wohl wuste/aber nichts sagte/ließ es gehen/wie es wolte/enthielt sich auf dem Schloß Roczenick) ut noster ait *p. 30.* non poterat justo metu plura contra eos tentare. Huc faciunt ea, qvæ seqvuntur *p. 33.* Der Pabst war erzürnet/ schrieb König Wenceslao, drohet ihm ernstlich/ wo er die Lehr Wicleffs nicht unterdrücket/welches alles vergebens war. Der König so sich vor Aufruhr des Volcks befahrt/nahm sich keiner Sachen an/biß daß Huß und Hieronymus verbrennet/die Krieg entstanden/ und alles bund übergieng. *P. 77.* efert, qvomodo Cardinales vanâ spe lactaverint Wenceslaum de Imperio recuperando. *P. 132.* Status Bohemici Regem rogant, ut ad ipsos Pragam veniat. Respondet, er fürchte sich vor der Spincka/ (vide suprà §. 4.) Sey vor deren Böhmen weder im Kloster noch in dem Königlichen Hof sicher gewesen. Postea promittentibus statibus fidelitatem, Pragam rediit, & Hussi asseclis qvædam templa concessit, in welchen sie beyde das Volck nach ihren Willen lehren/ und die Sacramenta nach Christi Einsetzung austheilen möchten. *P. 37.* Wenceslaus Ziscam famigeratissimum Hussitarum postea Generalem benignè dimisisse narratur, ipsiqve concessionem indulsisse, die Schmach zu rächen/ so ihm ein Geistlicher/der seine Schwester stupriret/ zugefüg /welche Vergünstigung der König mit angehängtem Siegel bekräfftiget/ qvamvis Theobaldus putet hoc factum esse á Wenceslao ex contemtu Ziscæ, qvod pauper esset, & simplex ipsi videretur.

§. IX.

Concludo: Si ad martyrium sufficeret, qvod qvis injusta propter veram religionem pateretur, martyr esset Wenceslaus.

TANTUM.

Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem XIX. & XX.

De

TERRITORIALI POTESTATE CIRCA SACRA IN COMMUNI,

De

EADEM IN IMPERIO, ET DE JURE REFORMANDI.

Cum adjuncta Quæstione

Qvid sentiendum de articulo 5. & 7. Reformationis Friderici III. de anno 1441. contra Doctores Juris & Jus Romanum?

Publicè ventilabunt

Die XIX. Octobris M DC XCIII. horis antemer. à X. ad XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

JCtus & Prof. Publ.

& Respondens

JOHANNES ADOLPHUS METZSCH,

Eqves Anhaltinus.

K QVÆ-



QVÆRO X.

Qvid sentiendum de Reformationis Friderici III. de anno 1441. articulo 5. & 7. contra Doctores Juris & Jus Romanum? Videtur ejus intentio fuisse maximè salutaris.

§. I.



Xtat illa reformatio apud Goldastum *p. 166. seq.* der Reichs-Satzungen / & dicitur, qvod proposita fuerit in Comitiis Imperii Moguntiæ anno 1441. habitis. Constat illa XII. articulis & declarationibus horum articulorum. Sunt, qvi dubitant de veritate hujus Reformationis, & fatendum, eam stilo consveto Recessuum aut Constitutionum Imperii non esse conceptam, neque memini, me legisse, qvod antiqvior Historicus mentionem faciat conventus Imperii Moguntiæ isto anno habiti. Lehmannus *in Chronico Spirensi lib. 7. c. 98.* expressè dicit, Fridericum III. primam diætam indixisse 1442. Francofurti, cujus recessus extat in vulgari editione Recessuum Imperii, statim post auream bullam. Ipse Goldastus in vindicatione hujus reformationis, *p. 312.* variat, modo enim dicit, ab ipsomet Friderico Cæsare Ordinibus propositam esse, multis autographis doceri posse, modo: eam in medium adductam esse in Comitiis regni Germanici à Germaniæ Urbibus. Conringius *de Orig. Jur. Germ. cap. 32. p. 199. seq.* neutrum horum certò vult asserere, id tamen constare dicit, in comitiis libellum hunc publicæ deliberationi propositum esse, & actum esse illâ ætate de tota Republ. rectius in posterum instituendâ, magno studio & multo labore, & *p. 202.* præterea tum temporis cùm alibi, tùm in superioris potissimum Germaniæ præcipuis urbibus cœpisse Juris Doctores senatoriâ dignitate excludi, qvod jam Besoldo & VVinthero fuerit annotatum, deniqve *p. 204.* Fridericum Imperatorem de Juris Doctoribus minus benignè sensisse, ut qvi teste Cuspiniano in ejus vita, dixerit, juris ab eis æqvitatem

tatem inverti justitiamqve fœdari. Mihi sic videtur, propositos fuisse articulos ab urbibus Imperatori, declarationem articulorum vel à reliqvis statibus, vel à Consiliariis Imperatoris. Res patebit è seqventibus.

§. II.

Excerpere autem volumus ea saltem, qvæ ad Doctores Juris pertinent & ad Jus Romanum. De Doctoribus juris conceptus est articulus 5. Alle Doctores der Rechten / sie seynd Geistlich oder Weltlich im H.R.R.T.N. sollen nach laut der fürgenommenen Reformation an keinem Gericht bey keinem Rechten/ auch in keines Fürsten oder anderen Räthen mehr gelitten / sondern gantz abgethan werden. Sie sollen auch fürbaßhin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden / schreiben oder Rath geben. Sintmals GOtt dem Menschen mit seiner eigenen Weißheit begnadet und versehen hat / so mag er in der neuen fürgenommenen Ordnung seines Rechtens selb wohl warten.

§. III.

Declarationes supra hunc articulum sunt qvatuor ap. Goldast. *f. 171. seq.* Summas saltem afferemus. 1. In omnibus Universitatibus tres Doctores Juris debere sustentari, qvi Jura benè fundata & recepta explicare, & si de jure interrogentur in casibus dubiis, conjunctim intra 30. dies debeant respondere. 2. Doctores Juris non debere admitti in ullis judiciis, neqve superioribus neqve inferioribus, tanqvam judices aut assessores, qvia jus iis magis sit occultum qvàm Laicis, & qvia sint mercenarii, non heredes Juris &c. 3. Et qvia sint vitrici Juris, non debere etiam Procuratores aut Advocatos esse in judiciis &c. additur: Das hat euer verkehrte Lehr inner fünffzig Jahren zu wege bracht/ wo ist es vor erhört worden? 4. Permissum esse omnibus statibus uti Consiliis Doctorum, sed non debere admitti in consiliis ordinariis, sed separatum consilium, si qvis eis velit uti in causis difficilioribus, formari debere. Denn bey ihnen ist nichts verschwiegen / sie seynd nits anders Räth / denn des Solds und des Geitzs. Verba dura, sed qvis non videt, per Declarationem primam & qvartam eludi totum articulum, adeoqve hæc verba ad decipiendos incautos fuisse adhibita?

§. IV.

Articulus 6. qvamvis affinis sit, & de Clericorum remotione à negotiis civilibus conceptus, tamen brevitatis studio omittetur. Seqvitur articulus septimus. Alle Käyserliche weltliche Recht/ so bißher in H.R.R.T.N. gebraucht und darfür gehalten seynd/ sollen alle todt und ab seyn;

 allein

allein die / so durch die Rechtverständigen mit lauterm Grund und klarer Warheit ohne Argelist rechtlich erkandt sind / sollen gehalten und bestättiget werden / damit der Arm so viel Freyheit und Zugangs habe im Rechten als der Reich / und ob er schon ein Fürst wäre / sonder Argelist und Gefährde.

§. V.

Declarationes iterum sunt qvatuor *f. 173.* Constituenda esse in Imperio 1. Cammer-Gericht / 4. Hof-Gericht / 16. Land-Gericht / 64. Frey-Gericht. Forma eorum maxime favorabiliter ibi depingitur. Sed in fine additur: Man mag sich auch an all den Gerichten der Käyserlichen Rechten recht gebrauchen / die mit Rechten wahren Grund erkläret / angezeigt und zugelassen seynd / laut der Gerichts-Ordnung. Qvis non videt iterum tolli reverà articulum? Et hæc ratio fortè est, qvod cum sentirent urbes, aut ii, qvi proponebant articulos, qvod ita falsè riderentur, non amplius urgere voluerint rem desperatam, sed rem dimiserint.

§. VI.

Qvicqvid hujus sit, de utilitate aut damno hujus intentionis qværamus. Sunt, qvi posterius asserunt, & Reipubl. gratulantur, qvod rabulæ non obtinuerint. Sed ni fallor contra rabulas tùm actum fuit, non à rabulis. Et celebertimi etiam Juris Doctores possunt esse celeberrimi Rabulæ. Ergo ne cum turba nobis res sit, audiamus judicium Conringii *d. c. 32. p. 202. seq.* Postqvam retulisset ultimam Declarationem articuli 5. subjungit: *Qvam eqvidem periniqvam judico & longè durissimam. Enimverò in atrocem adeò sententiam itum est procul dubio non alia de causa, qvàm qvod illi ordini Doctorum permisti qvidam rabulæ, pessimis fori Pontificii moribus tranqvillitatem Germaniæ tùm perturbassent. Illi scilicet curiæ debetur, qvicqvid est rabularii negotii. Et verò primorum apud nos Juris Doctorum pleriqve in Italia educati sunt, ut mirum non sit, scabiem Aulæ Pontificiæ illorum multis affrictam. Qvin ex Italis ipsis nonnulli in Germaniam tùm transiere. Qvomodo ex Italia secum adduxit Bogislaus decimus Pomeraniæ Dux Petrum Ravennatem, ejusqve filium Valentinum. Itali qvoqve fuerunt, qvi Matthiâ Hunniade Rege, Hungariâ subitò litibus repletâ, effecerunt, ut ipsum Jus Romanum, ubi pedem intulisset in Regionem illam, vicissim mox inde pelleretur. Cæterum utut illi peritorum Romani juris ordini qvidam fuerint permisti tùm vitilitigatores, non tamen paucorum vitio totus laudatissimus ordo proscindi meruit. Et verò qvid vel Romani vel Pontificii juris peritia bonis consiliis obstat vel judicandi prudentiæ? Ex adverso omni ævo visum prudentioribus, eum ad Rempubl. utilissimum, qvi Ulyssis exemplo; Multorum*

mores

mores populorum novit & urbes. Taceo nunc, ea tempestate commodè Rempublicam nostram geri non potuisse sine legum illarum notitia, saltim ob aulæ Pontificiæ etiam in mediâ Germania autoritatem, & Italiæ Galliaeqve viciniam, qvæ jam leges illas observabant. Omnis hominum ordo sua carcinomata habet. Ipse sanctissimus Apostolorum cœtus, scelus ingens intrà se aluit. Si paucorum crimen in omnium culpam trahendum, actum est profecto de universo humano genere.

§. VII.

Hic nescio, an Conringius Declarationem saltem, an etiam articulum impugnet? An seriò defendat Doctores Juris, an saltem hæc adscripserit, ne odium eorum incurrat? Qvia verba modo allata non exhibent modum disputandi Conringianum. Opponamus Conringium Conringio, & ex ipso adducamus, qvæ ad defensionem articulorum videntur facere. Ita verò ait *cap.33. p.m. 215. Ex qvo judicia Romani illius juris Doctoribus commissa sunt, fieri vix aliter potuit, qvin eorum multi, illius Juris, cujus audiebant Doctores, qvàm priscarum Germaniæ legum ac consvetudinum cum peritiores, tum observantiores hujus Romani juris usum sensim introducerent, præsertim apud populum qvoqve cnata Juris illius utut ignoti, præ antiqvis institutis singulari existimatione.* Et *cap. 34. p.228. Contentionibus & litibus forensibus immane qvantum ab illo usqve tempore Germania omnis infecta ac contaminata. Qvod qvam sit Reipublicæ noxium, in propatulo est. Neqve verò justitiæ suus locus est in litium illâ multitudine, tùm diuturnitate, justitia autem utiqve anima est omnis societatis. Arguit verò hoc, nisi fallor, sole clarius: saltem leges forensium actionum judiciorumqve haud vacare vitio.*

§. IIX.

Res ex eodem paulò altius repetenda est. Constat, Augustum, ut populum eò magis in devotione retineret, multiplicandarum litium gratiâ JCtis dedisse potestatem publicè respondendi, de qvo diximus *in Nævis Jurisprud. Rom. Germ. For. lib. 2.* Fortè eodem consilio ab ipso missi JCti in Germaniam. Germani tum temporis simplici processu asveti, occiso Varo maximè sævierunt in causarum patronos: Aliis oculos, aliis manus amputabant; unius os sutum, recisâ prius lingvâ: qvam in manu tenens barbarus: tandem, inqvit, vipera sibilare desiste. *Florus l. 4. c. 12. Conring. de judiciis Reipubl. Germ.*

 §. 17.

§. 17. *p. m. 225.* Et tamen illo tempore apud Romanos processus brevi tempore & ad summum regulariter anno finiebatur. Et verosimile est inter occisos causarum patronos fuisse multos viros egregios, Trebatiis, Alsenis, Javolenis nostris non cedentes. Ejusmodi processum brevem ac simplicem Germani usqve dum cum Academiis Jus Romanum introduceretur, retinuerunt: *Vide Conring. de O. I. G. c. 28. p. 173.* De Italis, apud qvos etiam ante Cæsaream autoritatem legum Romanarum mansit autoritas, notabilis est historia, qvam refert Conr. *ibid. c. 23. p. 141.* Fridericus I. Imperator in Italia aliqvando cum assessoribus Bulgaro, Martino, Jacobo & Hugone ipse audiebat & terminabat negotia. Videns autem multitudinem eorum, qvi cruces bajularent (is enim Italorum mos erat, ut habentes qværelas crucem manibus præferrent) misertus illorum, ait: Mirari se prudentiam Latinorum, qvi cum præcipuè de scientia legum glorientur, maximè legum invenirentur transgressores, qvamqve sint tenaces justitiæ sectatores, in tot esurientibus ac sitientibus justitiam evidenter apparere. Eodem tempore S. Bernhardus ad Eugenium Papam (*apud Conring. d. l. p. 142.*) *Qvotidiè perstrepunt in tuo palatio leges, Sed Justiniani non Domini. Rectius etiam? Istud tu videris. Nam lex Domini immaculata convertens animas: eæ autem non tàm leges, qvàm lites sunt & cavillationes, subvertentes judicium.*

§. IX.

Seculo 13. Jus Pontificium in Germania cœpisse Conringius docet *ibid. cap. 26.* & ut observaretur publicâ sanctione à Friderico II. Imperatore constitutum fuit. *ibid. p. 156. seq.* Nam eo tempore Clerici ad judicia sua etiam traxerant causas seculares. *Conring. de judic. Reipubl. Germ. §. 80. p. 298.* Taxat hunc processum *Idem ibid. §. 70.* ob iniqvitatem, qvod actoribus maximè adversus sit, & reis nimium faveat, & tamen magis faveat multiplicandis litibus in damnum Reipub. *Conf. §. 81. p. 299.* Autoritas verò Juris Romani in Germania cœpit seculo 15. præprimis, cum Imperator Sigismundus in Concilio Constantiensi disposuerit de sustentatione Doctorum Juris. *Conr. de O. I. G. cap. 32. p. 198.* Fuisse autem tam statim lites mirum in modum multiplicatas ex eo patet, qvod ante illa tempora in judicio Aulico tam paucæ causæ per Appellationem eò deductæ ventilatæ

fuerint,

fuerint, ut uno opus fuerit saltem judice & actuario. Hoc vero seculo in tantum creverunt lites, ut non solum tempore Friderici III. de ejiciendo iterum Jure Romano cogitatum fuerit, sed & mox opus fuerit, Judicium Camerale instituere. *Conring. de judic. th. 97. 98. 99.* Qvamvis verò ibidem iterum potissimam causam turbarum juri Pontificio velit adscribere, ex eo tamen refutatur, qvod hoc jam seculo 13. in Germaniam fuerit receptum, & qvod Ju. Pontificium multa qvoad processum ex Jure Romano Justinianéo desumserit.

§. X.

Notabilis est noxa, qvam notat Idem *dict. differt. § 59. 60. p. 272. seqq. Id qvoqve planè novo more cœpit, qvod ipsimet Principes aut Cæsar ipsemet non amplius jam vacent dijudicandis controversiis suis ut antehac: sed omnem hanc curam in Romanarum legum peritos plebeji licet generis, ministros suos, soleant rejicere. Cui rei mos patrius ab omni retrò ævo hactenus observatus plurimum adversatur. Non potuit verò non hoc obtinere, ex qvo pro legibus majorum Romanæ atqve Pontificiæ in Germania invaluerunt, qvod ab ætate usqve Maximiliani qvàm maximè cœpit. Neqve verò effici temerè poterit, ut Principes ipsi Romanum & Canonicum jus addiscant, qvæ hujus doctrinæ est prolixitas, & plerumqve aulicæ educationis indulgentia. Ut taceam, ingeniorum, qvæ nonnunqvam est, ruditatem. Imò & alia studia, ad qvæ cum Principes omninò debeant institui, præripitur tempus addiscendo Juri Romano impendendum. Igitur, ex qvo non potuit in Principibus esse juris peritia, ex eo coacti qvoqve iidem sunt, judicia etiam maxima aliis committere. Secus qvàm antehac solitum, cum leges & consvetudines patrias nemo paulò intelligentior ignoraret, & pleraqve ex æqvo & bono componerentur. Huic rei conseqvens est mutatio circa diuturnitatem litium. Namqve multum profectò lites illæ Principum solito factæ sunt diuturniores, ex qvo per alios & coram aliis, qvàm qvi sunt sui ordinis, litigare cœperunt, &c. Porrò unà cum legibus Romanis simul etiam ea in foro procedendi ratio, qvæ Papali Curiæ laudatur, opinionem in Germania accepit eximiæ prudentiæ pariter & æqvitatis &c. Jam verò constat, cùm aliunde, tùm ex qverelis Ordinum Imperii publicis, jam tum seculo qvinto decimo effusis, eo tempore, qvo leges Romanæ cœperunt pedem in Germaniam inferre, artis rabulariæ qvoqve sparsam in mores nostros sementem, uberrimâ fruge brevi divitem &c.*

§. XI.

Deniqve eâdem differt. §. *107. pag. 323.* dum remedia suppeditat, sic differit: *Emendari fortassis poterit Germania, si in temerè litigan-*

gantes omnes, & seorsim in litium iniqvos patronos gravissimis pœnis animadvertatur, si judicibus nihil ex partium sportulis aut muneribus sit exspectandum, sed cogantur illi suis ex publico stipendiis esse contenti; si processus judiciarius ad priscam simplicitatem, qvâ tot seculis floruit Germania, qvaqve in omnium veterum rerumpublicarum optimarum foris, in suis Hebræorum ab ipso Deo fuit probata, si non omni ex parte, saltem potiore reducatur; si postremò qvæcunqve in controversiam trahi solent, singulis in locis legibus plebi etiam, qvoad fieri potest, perspicuis definiantur &c.


§. XII.

Sed qvid ita cum Doctoribus juris fieret? Præprimis cum Academicis? Sudat hîc Conringius, *de O. I. G. circa finem p. 244.* ut ipsis persvadeat, eorum nihil interesse, etiamsi mutationes istæ contingerent. Tandem tamen liberè subjungit: *Sed & licet scholæ velint imposterum fastidire illa Romana & Pontificia jura, qvoniam pauci amant discere, qvod in usum non est; Reipublicæ tamen commodissima esse hæc, qvæ nos in medium consuluimus, manifestum est. Et verò non ex scholarum improbo more componenda Respublica; sed hanc illarum normam oportet esse.*

§. XIII.

Omnia, qvæ hactenus recensuimus, Conringii sunt. Liceat duo verba addere. Fiat justitia, & pereat mundus. Fiat justitia & pereant Leguleji ac Rabulæ. Is verò alterutri classi accensendus Doctor Juris, qvi sublatâ Legulisticâ & Rabulisticâ, nil aliud didicit, unde Reip. inservire possit. Si qvi sunt, qvorum intersit, ut veritatis hujus defensione Studiosis non aperiantur oculi, illi humanissimè invitantur ad opponendum.

TANTUM.



Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS
De

RATIONE STATUS

Dissertationem XXI. & XXII.

De

PROTESTANTIUM STATU, ET DE JURE EMIGRANDI,

Cum adjuncta Quæstione

An Philosophia communis tàm Peripatetica qvàm Cartesiana Dogmatica sit an Sceptica?

Publicè ventilabunt

Die XXVI. Octobris M DC XCIII. horis antemer. à X. ad XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

& Respondens

GOTTFRIED Scheuerer/
Servestâ Anhaltinus.

L. QVÆ-



QVÆRO XI.

An Philoſophia communis tam Peripatetica qvam Carteſiana Dogmatica eſt, an Sceptica?

Videtur plus qvam Sceptica.

§. I.



P*Eripateticus.* Spero hactenus te ſatis percepiſſe doctrinam de Prædicabilibus, jam ad alia in lectionibus noſtris Logicis pergendum. *Diſcipulus.* Ignoſce Præceptor, qvod, anteqvam ad ulteriora progrediaris, qvædam ex te qværam. *P.* Qvære liberè, erit gratiſſimum. *D.* Qvid eſt Philoſophia Sceptica & Dogmatica, & qvomodo hæc duo genera Philoſophandi à ſe invicem differunt? *P.* Cur iſta qværis? Sæpè monui, qvod non debeas in Sectis aliis curioſus eſſe, aliàs non magnos progreſſus facies in unicâ verâ Philoſophiâ, qvam doceo. Dicam tamen. Philoſophi *Dogmatici* dicuntur, qvi aliqvid affirmant vel negant, & verum aliqvid eſſe, idqve ab hominibus inveniri poſſe, aſſerunt. *Sceptici* contrá de omnibus rebus dubitant, & nihil verum eſſe, aut ſi aliqvid verum ſit, id tamen ab hominibus inveniri non poſſe putant. Sunt vero *Sceptici duplicis generis,* alii *Academici,* qvi veritatem qvidem dari ſed non inveniri poſſe dicebant, & hanc ſolam propoſitionem pro certò verâ venditabant, nihil eſſe certum, ſeu nihil ſciri; alii *Pyrrhonii* ſeu *Sceptici ſtrictè dicti,* qvi & verum non inveniri poſſe dicebant, &, an aliqvid verum ſit, hæſitabant, nec illud certum eſſe dicebant, qvod nihil ſciatur. *Dogmatici* contra in varias ſectas diſtribuuntur, qvas inter eminuerunt olim illæ qvatuor, *Platonica, Stoica, Epicuræa, Ariſtotelica,* hodiè vero ſola præ reliqvis merito

rito suo fulget Aristotelica tanqvam inter stellas Luna minores. *D.* Adhuc unum lubentissime qværerem, si id cum pace Tua fieri possit: *An Aristotelica Philosophia, & qvidem illa qvæ hodiè in Academiis docetur, Sceptica sit an Dogmatica?* *P.* Qvalis hæc est qvæstio? Jure Consulti qvæstiones ejusmodi vocant qvæstiones Domitianas. Qvis ita absurdus esset, ut Aristotelicam Philosophiam haberet pro Scepticâ, qvæ tot egregias Disputationes suppeditavit contrà Scepticos, qvæ tantâ cum constantiâ Dogmata sua defendit, & pro veritate doctrinæ suæ & refutandis adversariorum doctrinis nihil non suscipit?

§. II.

D. Nec ego contradico. Sed audivi tamen hominem, qvi heri in conversatione familiarii, seriò defendere volebat, Aristotelicam Philosophiam qvæ in Academiis docetur, plusqvam Scepticam esse, qvia Sceptici pugnaverint saltem adversus alios, imò non tam impugnaverint alios, qvàm contrà eorum insultum se defenderint, ipsi vero permiserint qvemlibet opinione suâ frui, & eos certè qvi de sectâ eorum erant non insectati fuerint. Sceptici item inserviebant hypothesi, & cum disputabant, regulariter conclusiones eorum primis eorum principiis, aut accuratius primis eorum dubitationibus cohærebant. At Aristotelicam Philosophiam, dicebat impugnare non saltem alias sectas, sed & ipsam iterum in varias sectas pessimò more inter se litigantes secerni. *Scholasticam,* videlicet, & *Libere philosophantem*, (si modo Philosophia simul libera esse possit & sectaria,) *Nominalem, Realem, Thomisticam, Scotisticam, Albertisticam &c.* Adhæc id maximè miserandum esse in Philosophia Aristotelica, qvod fundamenta habeat Philosophiæ Scepticæ simillima, & his tamen fundamentis superædificet dogmata, qva ratione longe peior connexio sit in Philosophia Aristotelica, qvàm in Scepticâ.

§. III.

P. Ex Discursu tuo facilè divinari possum, qvis sit autor hujus calumniæ. Qvis alius esset qvam iste novator, qvi sub larvâ Philosophi Eclectici est ipse periculosissimus Scepticus. Qvoties te monui, ô dilecte, ut tibi ab occulto veneno istius hominis caveres! Nil nisi apertissimæ calumniæ sunt, qvas effutiit, & pos-

 sem

ſem in iis refutandis centum rationes afferre, ſi dignæ eſſent ut refutentur. Talia enim narrando, aut audiendo ſaltem ſolidiſſimè jam refutata ſunt. Habent hoc omnes Sectæ, ut iterum novæ Schiſmata facta ſint ab iis, qvi genuinam ſemitam deſeruerunt, & pugnandum eſt pro veritate, qvicqvid etiam dicant errorum patroni, qvi libertatem aliqvam philoſophandi ineptiis iſtis introducere ſatagunt. Et qvæſo qvàm apertiſſima injuria eſt, aſſerere, Philoſophiam Ariſtotelicam habere fundamenta Philoſophiæ Scepticæ ſimillima. Neceſſe eſt, ut omnem pudorem ejuraverit homo neqviſſimus, qvi contra veritatem evidentiſſimam talia profert. Qvid? Logica noſtra, inſtrumentum iſtud inſtrumentorum, qvo mediante ſemper proſtravimus Scepticos, Carteſianos, Gaſſendiſtas, Spinoſiſtas, Hobbeſianos & omnes qvoqve in Theologiâ adverſarios, Logica inqvam hæc Sceptica eſſet? Logica qvæ in ipſâ ſtatim definitione pro dogmate primario, qvod Logica ſit ars, non habitus, pugnat, hæc Logica eſſet fundamentum Philoſophiæ Scepticæ ſimile? O Corydon Corydon!

§. IV

D. Qvæſo ne iraſcaris. Nam qvæ ſeqvuntur Logicam noſtram tangunt propius. Vel ideo enim dixit, Philoſophiam Ariſtotelicam eſſe plusqvam Scepticam, qvia diſciplinas Dogmaticas ſuperædificarent Logicæ plusqvam Scepticæ, qvæ non doceret, qvomodo qvis conſeqvi deberet veritatem, imò qvæ de eâ apertè deſperaret. *P.* Qvantæ injuriæ! Sed perge. *D.* Atqve hanc aſſertionem ita ſe monſtrare poſſe dixit. Non urgere ſe velle, qvam incerta apud vos ſint omnia in Logicis, & qvantæ Diſputationes per ſingula Logices veſtræ capitula in utramqve partem ventilentur; ſe ſaltem aſſumere velle ea, qvæ ferè unanimi conſenſu doceantur à Vobis. Communiter ventilari Syllogiſmum pro medio inveniendi veritatem. At Syllogiſmo veritatem inveniri non poſſe. Sive enim Syllogiſmum conſideres formaliter bonum, qvem ſolum Logica veſtra doceat, eum poſſe conflari ex propoſitionibus falſiſſimis, ſive etiam materialiter bonum, hunc non poſſe extrui, ſi non qvis habeat qvæſtionem & medium terminum. At vero hoc pacto veritatem haberi ante Syllogiſmum, non per Syllogiſmum inveſtigari. Deinde, ait, Veritatem in communi-

munibus Libellis Logicis dici esse finem Logices externum, finem externum vero definiri, qvod sit talis finis, qvi sit extrà potestatem Artificis. Et itaqve Veritatis inventionem ex mente vestrâ non esse in potestate Logici, hoc est, Philosophum per Logicam non posse invenire veritatem. Nec diffiteor Domine, valde me constrinxisse has rationes, ultimam potissimum. Qvid si enim eam huic Syllogismo includerem:

Qvæc. Philosophia ventilatur pro Dogmatica, & nullum suppeditat instrumentum veritatem inveniendi, imò qvæ in eâ disciplinâ, qvæ veritatis inventionem se docere profitetur, fatetur inventionem veritatis esse extrà potestatem illius disciplinæ; illa Philosophia est plus qvam Sceptica.

Atqvi Philosophia Aristotelica ita comparata est. Ergo. qvid Tu respondere velles? Ego enim non video qvid responderi possit?

§. V.

P. Ah! jam de Te actum est. Venenum istius hominis jam totum te infecit. Qvalis impudentia? Vix absolvimus doctrinam de Prædicabilibus, & tu me jam de universâ Logicâ qvasi examinare vis? Et non erubescis contrà disciplinam à tot gravissimis viris, qvibus ex qvarto præcepto reverentiam debes, tam turpes ineptias proferre? Abi, abi ad Tuum istum Novatorem. Es enim indignissimus, ut responsio tibi ostendatur, qvia eam ipse tu facillimè posses invenire, nisi isto pestilentissimo veneno oculi mentis tuæ jam essent excœcati. Abi inqvam, nam ego Te omninò desero. *D.* Me miserum! qvi bonâ ex intentione dubium proposui, sine causa vapulo. Præceptorem amitto, virum aliàs optimum. Jam qvo me vertam nescio.

§. VI.

Cartesianus. Salve adolescens optimæ spei. Audivi omnia qvæ inter Te & Præceptorem acta sunt. Non despera. Seqvere me. Ego te viam ducam qvâ solâ ad veritatem itur, qvâ solâ Sceptici efficacissimè refutantur. *D.* Ago gratias decentes Vir Honoratissime pro benevolè promisso officio. Tu vero qvis es? *C.* Seqvor vestigia acutissimi Cartesii. *D.* Multa aliàs sed confusè audivi de istâ Philosophiâ. Nisi grave sit, valde me tibi obstringeres

res, si methodum saltem aperire velles, qvâ Scepticos aggreditur Cartesius, qvia valdè vereor, ne in Scepticam incidam Philosophiam.

§. VII.

C. Lubentissimè faciam: Initio dubita. D. Benè, sed de qvibus rebus? C. de omnibus. D. At qvomodo dubitare possim v. g. me tecum jam loqvi? C. Cur non? Annon putasti aliqvando te videre baculum curvum in aqvâ, qvi tamen fuit rectus? Ita etiam poteris dubitare an verum sit qvod me videas. D. Mihi nulla videtur conseqventia, qvia infers à diversis, aut à particulari ad universale. Sed transeat. Qvomodo dubitare possim qvod v. g. habeam manus & pedes? C. Æqvè benè. Annon aliqvando putasti in somno te habere cornua, aut manum esse abscissam? & tamen res aliter se habuit. D. Ita qvidem est Domine, sed tum dormiebam. C. At nescis utrum dormias an vigiles. Qvoties enim in somno te putasti vigilare? D. Videris iterum mihi malè à somno ad vigiliam inferre. Nunqvam enim vigilans putavi me dormire. Sed transeat & hoc. Qvomodo dubitare possim de certissimis qvibusdam axiomatibus v. g. Totum esse majus suâ parte, aut de veritatibus Mathematicis v. g. bis duo esse qvatuor. C. Imo verò, qvia potest ens aliqvod potentius te esse, qvod te & in his deceperit. D. Atqvi omnis internus assensus hic ref agatur, qvi potius dictitat impossibile esse ut in his & præcedentibus decipiar. Qvomodo ergo de illis dubitare possem? C. Non poteris aliter evadere præjudicia, qvæ in tenerâ juventute contraxisti. Neqve dubitabis solum de his omnibus, sed utile qvoqve erit, ut illa de qvibus dubitas, habeas pro falsis. D. Sed qvomodo hoc possem, si ne qvidem dubitare possum? Et qvomodo pro falsis habere possum, de qvibus dubito? Qvia si pro falsis habeo, non dubito amplius. C. Imò hæc omnia facienda sunt, ut tantò clarius, qvidnam certissimum & cognitu facillimum sit, inveniamus.

§. VIII.

D. Dic mihi seriò Domine. Esne Scepticus an Dogmaticus? C. Sum utiqve Dogmaticus. Expecta saltem, mox audies qvomodo post dubitationem de omnibus per τὸ Cogito, ergo sum, Scepticos refutem. D. At tu potius expecta paulisper, ut anteà videam, utrum Sceptico me committam an Dogmatico?

Videris

Videris esse plus qvam Scepticus. Initio enim dubitas de omnibus. Idem facit & Scepticus. Deinde ea de qvibus dubitas, simul negas. Eò temeritatis ne Scepticus qvidem progrediebatur.

§. IX.

C. Confundis dubium Scepticum & Dogmaticum. Illud dubitat, ut semper dubitet: Hoc dubitat ut veritatem inveniat. *D.* Non confundo. Nego saltem dubium de omnibus rebus posse referri ad dubia Dogmatica. Qvi enim dubitat ut verum inveniat, veri aliqvid præsupponit, verum aliqvod dari in qvibusdam propositionibus certò persvasus est. Ergo non de omnibus dubitat. Qvi vero de omnibus dubitat, qvomodo potest dicere se dubitare, ut veritatem inveniat, præprimis si omnia pro falsis habeat? Est enim apertissima contradictio, omnia habere pro falsis ut aliqvid verum esse deprehendam. Et considera qvæso: annon methodus tua eò me perducat, ut incipiam Scepticus esse, ut Scepticus esse desinam. Jam si semel sum Scepticus, impossibile est ut supposito hoc principio Dogmaticus fiam, qvia jam istud commune & indemonstrabile postulatum Dogmaticorum omnium, dari aliqvid verum, eo ipso qvo de omnibus dubito, sustuli. Et ut videas te nihil agere posse methodo tua erga Scepticos, assumam in Tui gratiam illud tuum principium. Dubito de omnibus & ea pro falsis habeo, qvid tum posteà?

§. X.

C. Atqvi dum dubitas, tamen cogitas. *D.* Nescio, qvia dubito de omnibus. *C.* Atqvi de hoc non poteris dubitare, qvia impossibile est ut, dum dubites, non cogites. *D.* Fortasse possibile est: qvia dum videbam baculum in aqva, cogitabam etiam illum curvum esse. Ergo si una cogitatio me decepit, non est fiducia ponenda in cogitationibus. *C.* Tamen non poteris non cogitare. *D.* Sæpe deceptus sum, qvod putaverim me nihil cogitasse, & tamen posteà admonitus recordatus sum me cogitationis fuisse oblitum, ergo possum etiam decipi, si putem me cogitare, ut dum hoc puto, non cogitem. *C.* Infers à diversis. Cogitas utiqve. *D.* Fortè. Fortè etiam non, qvia poterit aliqvod ens potentius me esse, qvod me etiam decipiat, si putem me cogitare.

re. *C.* Minimè. Nam fallat me qvantum poteſt, nunqvam tamen efficiet, ut nihil ſim, qvamdiu me aliqvid eſſe cogitabo.

§. XI.

D. Si Scepticum continuare vellem, ſaltem perpetuò tibi contradicerem. At ſatis qvidem iſtam perſonam ſuſtinui, jam ad me redeo, & regero. Fallat me qvantum poteſt, nunqvam tamen efficiet, ut totum non ſit majus ſuâ parte, ut bis duo non ſint qvatuor, ut ego integer & vigilans non habeam manus ac dedes, ut baculus extrà aqvam rectus ſit curvus, ut nos jam non loqvamur invicem. Ergo non eſt dubitandum de omnibus. Ergo falſa eſt tua methodus. Ergo non opus eſt, ut plusqvam Scepticus fiam, ea fine ne fiam Scepticus, præprimis cum cum Sceptico planè non ſit diſputandum, qvia hoc æqvè fruſtraneum eſt, atqve, qvod communiter profertur, qvod Scepticus verberibus erroris ſit convincendus, de qvo tamen jam qvidem diſſerere nolo.

§. XII.

C. Falleris optimè Adoleſcens, & qvantum percipio, mentem meam non rectè percepiſti. Qvi Mathematici non ſunt, non poſſunt iſta percipere benè, fortè alio tempore fies ad hæc cognoſcenda magis habilis. *D.* Hoc audivi commune effugium Dominorum Carteſianorum. Sed hoc indicium malæ cauſæ eſt. Miſera philoſophia, qvæ non poteſt intelligi, niſi ab aſſeclis. Qvæ hactenus diſſeruimus, Matheſin præcedunt, qvia juſſiſti & de veritatibus Mathematicis dubitare. Ego iſta Fundamenta Philoſophiæ meæ ponam. Malè agit, qvi ſine firmâ ratione & cum primis veritatibus connexâ qvid certò aſſerit, ut fit in Philoſophiâ vulgari. Et malè agit, qvi ſine juſta ratione de re aliqvâ dubitat, ut fit in Philoſophiâ Carteſianâ.

T A N T U M.



Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem XXIII. & XXIV.

De

JURE EMIGRANDI ET TOLERANTIA DISSIDENTIUM,

Deqve

TERRITORIALI POTESTATE CIRCA REGIMEN SECULARE,

Item de

FORMA ET REFORMATIONE AC DECREMENTO IMPERII,

Cum adjuncta Qvæstione

Qvid sit accidens Prædicamentale?

Qvid attributum & modus Cartesianorum?

Publicè ventilabunt

Die II. Novembris MDC XCIII. horis antemer. à X. ad XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

& Respondens

ANTHONIUS GUNTHERUS Winckelmann/

Oldenburgensis.

M QVÆ-



QVÆRO XII.

Qvid eſt accidens prædicamentale? Qvid attributum & modus Carteſianorum? Ego neſcio.

§. I.



Uæſivimus qvæſtione I. qvid ſit Subſtantia? Hactenus nemo certam definitionem nobis tradidit. Liceat jam progredi ulterius, & qværere etiam de accidente. Communis enim Peripateticorum doctrina eſt: Ens eſſe vel ſubſtantiam vel accidens. Communis doctrina eſt, accidens eſſe vel prædicabile vel prædicamentale. Prædicabile, qvod opponitur rei eſſentiæ, prædicamentale, qvod opponitur ſubſtantiæ. De prædicamentali autem nobis ſermo eſt. Utrumqve accidens Græcè συμβεβηκὸς dicitur: Uti utrumqve qvod utriqve huic accidenti ex communi doctrina opponitur, (ſcilicet eſſentia & ſubſtantia,) Græcè ὀσία audit.

§. II.

Atqve hîc præmoneo, me diſtinctionem illam inter accidens prædicabile & prædicamentale, inter ſubſtantiam & accidens, ſupponere atqve indulgere Peripateticis, utrumqve dari. Nam multas aliàs poſſem afferre rationes, cur jure dubitem, an unqvam Ariſtoteli fuerit cognita Subſtantia ab Eſſentia diverſa; & adeò, an unqvam cognitum fuerit ipſi accidens prædicamentale diverſum à prædicabili. ὀσία regulariter eſſentiam denotat, & ita apud Platonem communiter ſumitur. Reddenda

ergò foret ratio Peripateticis, cur vocem ὀσίας apud Aristotelem per *substantiam* explicaverint, & hanc substantiam *essentiæ* contradistinxerint, cum tamen loca, ubi Aristoteles de ὀσία ex professo loqvitur, ut in categoriis, capite περὶ ὀσίας & in lib. 4. Metaphys. c. 8. ὀσία ποσαχῶς λέγεται commodissimè possint de essentia etiam intelligi, (præprimis si notes, essentiam vel sumi pro ipso ente reali, vel pro idea, qvâ homo ens reale concipit.) Ex qvo capite obiter in usum seqventium illud notes, qvod Aristoteles videatur ὀσίαν, qvam vulgo substantiam reddunt, restringere ad corpora. Deinde qvod accidens attinet prædicamentale, in ipsis categoriis, ubi tamen sedes materiæ erat de accidente prædicamentali, sive de prædicamento accidentis, nihil apud Aristotelem deprehendi. *In lib. 4. Metaphysicorum cap. 30. seu ult.* iterum ex professo de accidente tractat: qvot modis dicatur accidens: & incipit: *Accidens est, qvod inest alicui.* Sed videtur mihi & hoc caput saltem de accidente prædicabili loqvi, qvamvis verba ultima dicti capitis sint maxime obscura. Certè non arbitror perspicuè posse doceri, intelligi accidens tale, qvod sub se comprehendat novem categorias reliqvas.

§. III.

Sed, uti dixi, transeat illa qvæstio de Aristotele. Concedo Peripateticis dari accidens prædicamentale, & exemplum do: qvantum, qvale &c. Qvoniam autem potest lis oriri, utrum ens aliqvod debeat ad substantiæ an accidentis classem locari, nec possum litem istam dirimere sine justa definitione, qværo, qvid est accidens? Non pigebit autem hîc ea præmonuisse, qvæ notavimus §. *præced.* Si enim Aristoteles ignoravit istud accidens prædicamentale, neqve definitio ejus etiam qværenda est apud ipsum. Ergo qværamus apud Sectarios Aristotelis. Ita vere communiter definiunt: *Accidens prædicabile est, qvod potest adesse & abesse sine subjecti corruptione.* Desumta est hæc definitio ex Isagoge Porphyrii, deqve ea nihil addo. *Accidens prædicamentale est, qvod inest alii* (i. e. substantiæ,) *tanqvam subjecto.* Unde hæc definitio sit, nescio. Si *ex libro 4. Metaph. c. 30.* esse debet, recurrit objectio mea *in* §. *2.* Sed sit, unde sit: qværo rursus, qvid est: *inesse alicui tanqvam subjecto*? Respondent: *ita inesse alicui rei*

ut sine,

ut sine illa re non sit. Ita communiter explicatur. Hic ingenuè fateor, me nescire, qvid dicant, imò videri potius, falsam esse definitionem accidentis,

§. IV.

Hoc ut intelligatur eò melius, suppono jam, novem reliqvas categorias esse debere accidentia prædicamentalia. Ad *qvantitatem* refertur oratio, numerus, tempus, locus. (an benè? jam non disputo.) Locus non inest rei, sed est extra rem; tempus & numerus rebus non insunt, nam v.g. dum sum qvadraginta annos natus, qvadraginta anni non insunt mihi, sed perierunt, dum sum tertius in ordine aliqvo, tertium illud vel numerus ternarius mihi non inest. Oratio ore prolata, qvæ hîc intelligitur, anteqvam proferretur, inerat mihi qvidem, sed prolata, non amplius inest. Inter *qvalitates* forma & figura non inest rei, sed eam terminat, & ideò, qvia terminat, extrinsecum qvid dicitur. Qvalitates sensiles malè dicuntur inesse rebus, cum jam dudum à novioribus demonstratum sit, v. g. nullum colorem esse in re, sonum, humidum, calorem, frigus &c. provenire à motu rei, aut dispositione externâ partium. *Relatio* non inest rei, qvia vi ejus res refertur ad aliam extra se. *Actio*, certè transiens est motus proveniens à substantia, ergo non inest; *Passiones* pleræqve tangunt saltem substantiæ extrinsecum, ergo non insunt. *Qvando* & *Ubi* pertinent ad tempus & locum, de qvibus jam diximus. *Situs* non inest, neqve enim sessio, neqve ambulatio, neqve statio mihi inest. *Habitus* non inest. Si nudus sum, nihil inest, si vestitus sum, extra me qvid est; si calceatus sum, nec calceus nec calceatio insunt. Et tamen hæc omnia sunt accidentia. Ergo vel accidentia non insunt substantiis, vel non intelligo, qvid sit inesse, & justam causam habeo qværendi definitionis istius explicationem.

§. V.

Ulterius. Si accidens est, qvod est in alio tanqvam in subjecto, seqvitur *substantiam esse accidens*. Si id, cui alterum inest,

tanqvam ſubjecto, eſt ſubſtantia, ſeqvitur *accidens eſſe ſubſtantiam.* Probo conſeqventiam utramqve uno exemplo. Creaturæ omnes ſunt in loco & tempore, tanqvam in ſubjecto. Ergo locus & tempus erunt ſubſtantiæ, & creaturæ accidentia. Probo, qvod ſint tanqvam in ſubjecto, qvia ſine loco & tempore nullæ creaturæ eſſe poſſunt. Probo, qvod non eſſe poſſint, qvia per *eſſe* hîc (in propoſitione: Id eſt in alio tanqvam in ſubjecto, qvod ſine illo alio *eſſe* non poteſt,) non intelligitur concipi, ſed exiſtere. Nam virtus, albedo &c. concipi poteſt ſine reſpectu ad aliqvod ſubjectum, ſed non exiſtit ſine ſubjecto. At verò nec creaturæ exiſtere poſſunt ſine tempore & loco. Ergo rurſus non intelligo, qvid ſit accidens prædicamentale.

§. VI.

Neſcio, an has difficultates ſubodorati fuerint Carteſiani, qvod communiter cum magiſtro ſuo abſtineant voce *accidentis*, & loco ejus *modi* aut *attributi* vocem adhibeant. Utinam verò per iſtos terminos modi & attributi rem non implicent magis qvàm explicent. Ipſorum ſingulorum ſententias evolvere nolo, qvia dulcius ex ipſo fonte bibuntur aqvæ. Ita verò Carteſius *Part. 1. Princip. Philoſ. n. 48. ſeq.* (1) *Qvæcunqve ſub perceptionem noſtram cadunt, vel tanqvam res rerumve affectiones qvaſdam conſideramus, vel tanqvam æternas veritates, nullam exiſtentiam extra cogitationem noſtram habentes.* (2) *Ex iis, qvæ tanqvam res conſideramus, maxime generalia ſunt ſubſtantia, duratio, ordo, numerus, &c.* (3) *Non autem plura qvàm duo ſumma genera rerum agnoſco, unum eſt rerum intellectualium &c. ſive ad ſubſtantiam cogitantem pertinentium; aliud rerum materialium, ſive qvæ pertinent ad ſubſtantiam extenſam. &c.* (4) *Cum autem agnoſcimus, fieri non poſſe, ut ex ex nihilo aliqvid fiat, tunc propoſitio hæc: Ex nihilo nihil fit, non tanqvam res aliqva exiſtens, neqve etiam ut rei modus conſideratur, ſed ut veritas qvædam æterna, qvæ in mente noſtra ſedem habet, vocaturqve communis notio, ſive axioma. Cujus generis ſunt, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe &c.* (5) *Qvantum autem ad ea, qvæ tanqvam res vel rerum modos ſpectamus, operæ pretium eſt, ut ſingula ſeorſim conſide-*

consideremus. Per substantiam nihil aliud intelligere possumus &c. (vid. qvæ excerpsimus qvæst. 1. thes. 5.) (6) *Ex qvolibet attributo substantia cognoscitur, sed una tamen est cujusqve substantiæ præcipua proprietas, qvæ ipsius naturam essentiamqve constituit, & ad qvam aliæ omnes referuntur. Nempe extensio in longum, latum & profundum substantiæ corporeæ naturam constituit, & cogitatio constituit naturam substantiæ cogitantis &c.* (7) *Duratio, ordo & numerus à nobis etiam distinctissimè intelligentur, si nullum iis substantiæ conceptum affingamus, sed putemus, durationem rei cujusqve esse tantum modum, sub qvo concipimus rem ipsam, qvatenus esse perseverat, & similiter nec ordinem nec numerum esse qvicqvam diversum à rebus ordinatis & numeratis, sed esse tantum modos, sub qvibus illa consideramus.* (8) *Et qvidem hîc per modos planè idem intelligimus, qvod alibi per attributa vel qvalitates. Sed cum consideramus substantiam ab illis affici vel variari, vocamus modos, cum ab ista variatione talem posse denominari, vocamus qvalitates, ac deniqve cum generalius spectamus, tantum ea substantiæ inesse, vocamus attributa.* Si verba adspicias, videtur hîc omnia Cartesius clarè & distinctè proposuisse, si rem, ego qvidem fateor, me nihil planè intelligere, neqve graviter ferent Cartesiani, si ipsis seqventia proponam dubia, occupata circa istas qvatuor voces, qvibus hîc utitur Cartesius: *Res, rei modus, attributum, æterna veritas.*

§. VII.

Qværo I. An *æterna veritas* differat à re & rei modo? Videtur affirmandum, ob verba expressa in *n.1. & 4. excerptorum.* Videtur negandum, qvia dicit Cartesius, utrobiqve eas in mente nostra sedem habere, ergo sunt modi mentis. Qværo II. *An res* & substantia sunt idem? Videtur affirmandum ob *num.3.* item *num.5.* verbo: *seorsim*, junctis verbis: *Per substantiam autem.* Videtur negandum, qvia sub re comprehenditur duratio, ordo, numerus, *n.2.* qvæ non sunt substantiæ *n. 7.* Qværo III. *An res & rei modus* differunt? Videtur affirmandum, *ob n. 1.3.5. 8.* Videtur negandum, qvia duratio & res est per *n.2.* & rei modus per *n 7.* Qværo IV. An *modus, attributum* &c. idem est cum eo, qvod vulgò dicitur accidens? Videtur affirmandum per *n. 8.* & potissi-

potiſſimum ibi verba finalia. Videtur negandum, qvia duratio, numerus &c. ſunt accidentia, & tamen ſunt Carteſio res ipſa durans & numerata *n.* 7. Qværo V. An *attributum* & *modus* differunt realiter? Videtur negandum, per *n.* 8. Videtur affirmandum, per *n.* 6. & qvia communiter à Carteſianis attributum dicitur aliqvid nobilius eſſe modo. Qværo VI. An *attributum* ſit *res* an *rei modus*? Videtur eſſe ipſa res, qvia Carteſius alibi dicit: mentem & corpus, qvæ ſunt res per *n.* 3. eſſe ipſam cogitationem, ipſam extenſionem, qvæ ſunt attributa per *n.* 6.

§. IIX.

Si hæc dubia non reſolvant Carteſiani, tota earum philoſophia non intelligi poteſt, ut qvæ his notionibus eſt ſuperſtructa. Puto autem eſſe talia dubia, qvæ non aliter reſolvi poſſint perſpicuè, qvam ſi clara & diſtincta definitio rei, attributi, & modi detur, qvam qværo.

§. IX.

De uſu verò qvæſtionis præſentis non puto eſſe, qvod rideant Philoſophi Peripatetici, (qvamvis aliqva Facultas talis Philoſophica in Academia qvâdam vicinâ, cenſurâ ſuâ approbaverit riſum nonneminis intempeſtivum ſuper qvæſtione, qvid ſit ſubſtantia?) Si enim dubia mea non reſolvant, fortè qvæſtiones meæ, ſi ita, uti incepi, ſim perrecturus, deſtruere poſſent omnia eorum prædicamenta, & imò totam ſcalam prædicamentalem ſubſtantiæ, cui tota eorum Phyſica & Pnevmatica eſt ſuperſtructa.

TANTUM.



NÆVORUM JURISPRUDENTIÆ ROMANÆ *ANTEJUSTINIANEÆ* LIBRI DUO

editi

à

CHRISTIANO THOMASIO JCto,

Consil. Elector. Brandenburgic. & Univ. Frider. Prof. Publ. Senior.

Præfatio indicat summam Nævorum Jurisprudentiæ Justinianeæ & hodiernæ Romano-Germanicæ.

Accesserunt ob similitudinem argumenti

1. Disputatio Academica de Nævis Jurisprudentiæ Romanæ sub Regibus ad tempora Legis XII. Tabb. 2. Programma de Causis inutilium doctrinarum in studio Jurisprudentiæ. 3. Vindiciæ Corollarii de exiguo Pandectarum usu in foris Germaniæ adversus Programma Wittebergense.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis & Impensis CHRISTOPHORI SALFELDII, Regimin. Elector. Brand. Typographi

1695.



PRÆFATIO
ad Lectorem

DEſtinaveram ante biennium & qvod excurrit in Lectionibus publicis occaſione Hiſtoriæ Juris exponere Auditoribus meis nævos ultra 60. graves Jurisprudentiæ Romano - Germanico-Forenſis, ut oſtenderem & palpandum iis darem communem JCtorum hodiernorum errorem ſecundum quem multi ex docentibus atque Pragmaticis ſibi ac aliis perſvadent Jurisprudentiam eſſe in Statu florentiſſimo, nec opus habere emendatione, cum ad ſummum ferè perfectionis apicem in Germaniâ pervenerit. Propoſueram autem ſimul, meditationes meas hâc de re typis publicare, partim ut auditores tædio deſcribendi privarentur, partim, ut & alii, qui paradoxon hoc concoquere difficulter poſſent, ſentirent, quod non absque ratione idem defenderem ac docerem. Et præſtiti quidem prius per diſcurſum, in quo non ſolum nævos Jurisprudentiæ Ante-Juſtinianeæ, ſed & Juſtinianeæ, & hodiernæ Romano-Germanicæ diſtinctè fuerunt monſtrati. At publicatio meditationum mearum variis negotiis impedita fuit, poſtquam Libris duobus prioribus abſolveram nævos Jurisprudentiæ Romanæ ante Juſtinianum. Cum tamen ſperarem, impedimenta illa mox remotum iri, diſtuli publicationem illorum duorũ librorum qui jam exhibentur, donec alia atque alia negotia ſibi ſuccedentia perſvaderent differendam eſſe ulterius elaborationem vel potius collectionem teſtimo-

 niorum

niorum pro monſtrandis nævis Juris Juſtinianei & hodierni Romano-Germanici Forenſis. Quare factum eſt, ut titulus interior quidem ante lib. I. cap. 1. præferat Nævos Jurisprudentiæ Romano-Germanico-Forenſis: Titulus vero totius tractatûs ſaltem nævos Jurisprudentiæ Romanæ Ante-Juſtinianeæ.

2. Nævi ipſi ex principiis Politicis ac Moralibus deducendi parum difficultatis habent. At eorum applicatio ad Jurisprudentiam Romanam & Germanicam ideò difficilior redditur, quod hîc opus ſit genuinâ Juris utriusque Hiſtoriâ, quæ tamen, ſi verum fateri debeo, adhuc in medio tot Hiſtoriarum Juris ſcriptorum, inter deſiderata in ſtudio Jurisprudentiæ numeranda eſſe videtur. Hiſtoria Juris Romani Ante-Juſtinianei corrupta eſt, & nævi diſſimulati. Unde mihi opus fuit ex Livio, Dionyſio Halicarnaſſæo &c. veram Statûs Romani & inde profluentis intentionis Legislatorum hiſtoriam & connexionem juris indagare ac colligere ut ex libris his duobus patet.

3. Hiſtoria Juris Juſtinianei eodem modo ſe habet. Nil hîc ferè deprehendes quam adulationes Juſtiniani & Juſtinianei juris, ſaltem craſſitie ac ſubtilitate differentes. Fundamenta adulationum deſumta ex Procopio, Agathiâ Nicephoro &c. Unde ſua ex novioribus vitæ Juſtiniani ſcriptoribus ſumſerant Giphanius & Gvinetus, quamvis hic ultimus adulationes novas admiſcuerit nauſeam parituras vel ipſis Panegyriſtis aliis. Turbavit valde horum & JCtorum Juſtiniani adoratorum circulos Nicolaus Alemannus Cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ anno 1624. Lugduni Publicans Procopii Anecdota, Juſtinianum, Theodorum & totam Juſtiniani aulam peſſimis

pessimis coloribus depingentia. Non patiendum id erat admiratoribus Justiniani. Igitur Johannes Eichelius, Vir in Aristotele & Justinianeo Jure valdè eruditus, suppressis aut omissis Alemanni observationibus nequaquam ineruditis, defensionem contrà Procopium & Alemannum suscepit, prolixiorem illam quidem & laboriosam, sed si accuratè inspicias, nonnisi affectibus & sophismatibus repletam ac in singulis paginis à tramite justæ ratiocinationis aberrantem. Effecit tamen viri Autoritas & amor Nostrorum erga Justinianum, ut utrâque manu defensionem hanc Justiniani amplecterentur. Ut adeò frustrà videantur proponi Lectorib⁹ nævi Juris Justinianei, nisi anteà removeatur illa Eicheliana defensio atque fallæ ratiocinationes & summa sophisticationum capita, atque injuriæ hinc inde & Procopio & Alemanno factæ, liquidò ostendantur. Quare novam editionem meditor Historiæ arcanæ Procopii, conjunctis & Alemanni & Eichelii dissertationibus ac notis, ac interspersis utrobique meis observationibus, affectus utriusque & aberrationes à regulis verosimilitudinis indicantibus.

4. Atque eò magis utilem arbitror esse ejusmodi operam, quo plura adhuc in doctrinâ de fide Historicâ restant Præjudicia seu errores communes, magnum præjudicium facientia non solum inquisitioni veritatis in vitâ Justiniani & Historiâ Juris Justinianei, sed & in altioribus facultatibus & controversiis gravioribus. Laudabilis est intentio Clarissimi Eisenharti, Professoris in Academiâ Juliâ, diligenter colligentis in tractatu de Fide historicâ, quæ huc pertinent. Sunt tamen & hic circa potiora & præcipua, dubia non pauca nec parvi momenti, quæ in aliam abire sententiam svadent, de quibus suo lo-

co. Fortè & Vossii aliorumque libelli de arte Historicâ suppeditabunt observationes de officio & virtutibus Historici in quibusdam aliter ponendas ac vulgo fit.

5. Meretur etiam ulteriorem dispectionem comparatio historiæ publicæ & arcanæ, præprimis cum Eichelius ubique eam neglexisse videatur, Procopium ex iis, quæ dixerat in historiâ publicâ, refutare intendens. Notavit eam in rem facientia Varillasius nonnulla in præfatione ad Anecdota sua historiæ Florentinæ. Et in specie quoad historiam Procopii discursus est in operibus Matthæi Vayerii Gallicis. Non malè Celeberrimus Leibnützius, in Præfatione ad Codicem Juris Gentium diplomaticum, comparat duplicem hanc historiæ speciem cum duplicibus bellorum causis apud Grotium, justificis & suasoriis, quamvis applicationem ibi non faciat. Ego historiam publicam suasoriis, arcanam justificis compararem. Id vero notabile, & in paucis verbis multa latent, dum ait: *Duas esse Historiæ leges, sed quæ æqualiter observari ambæ in utroque historiæ genere non possint. Nam Historiæ publicæ esse:* nihil falsi dicere; *Arcanæ prætereà,* nihil veri non dicere, *ut illa uno pede claudicare videatur.* Et reverà omnes Historiæ publicæ multa cum Romanciis mihi videntur habere communia, etsi haud dubiè hæc sententia multis vel durior vel ridicula videbitur. Huc tamen refero, quæ ibidem pro excusando defectu Historiarum publicarum afferuntur. *Fatendum est, ut in scenico opere machinas apparare indecorum esset; ita Historiam aliquando nonnihil de pulcritudine amissuram, si causæ veræ semper cernerentur, appareretque, Heroas subinde puerili studio, aut Muliebri libidine, aut etiam servili cupiditate, egisse.* Quamvis & plura ibi sint allata ad ostendendam prærogativam

Hiſtoriæ publicæ præ arcanâ, neſcio tamen an probanda omnibus, ſi ad lydium veritatis lapidem exigantur.

6. Mihi ſic videtur. In hiſtoriis omnibus, humanis etiam de rebus non longe remotis multa incertitudo. Exempla præbent v.g. Relationes variæ & contradicentes ſibi, de vitâ & moribus Mariæ Stuartæ matris Jacobi Regis Britanniæ, de morte Guſtavi Adolphi Regis Sveciæ, de perduellione & interitu Seriniorum, Nadaſti, Frangipani &c. Cauſa incertitudinis partim ignorantia Hiſtoricorum, partim affectus. Ignorantia provenit, quod ſcribant ex auditu, & ſua colligant ex novellis, aut ex rumoribus, aut ex archivis etiam, quorum fides in controverſiis ipſorum principum inter ſe, non eſt omni exceptione major. Aliter Philoſophi aut Hiſtorici judicant, aliter leges. Qui hæc non capit, conferat Hiſtoriam duplicem ejusdem Autoris, Hiſtorici ſine pari, ſed ex duobus archivis ſcriptam? Brandenburgicam & Svecicam. Tres potiſſimum affectus ſunt Hiſtoricorum; Timor, Benevolentia, Odium: qui omnes veritati præjudicant, & pariunt adulationem ac maledicentiam. Regnat tamen ex illis affectibus frequentius timor & benevolentia, rarius odium. Et quotidiana experientia docet, ex his quæ in hiſtoriis arcanis adverſa de Principibus ſcribuntur plura eſſe vera, quam ex iis, quæ virtutes eorum deprædicant in Hiſtoriis publicis. Iterum Leibnützius: *Sæpè unam noctem principis malè dormientis, & inde conſilia acerba ex præſenti animi vel corporis habitu capta, mox multa miſerorum millia ſuo ſangvine luerunt. Interdum muliebris impotentia maritum vel amatorem impellit. Sæpius affectûs miniſtrorum in Dominos contagio transferuntur.* Cum quibus parum cohærent, quæ mox ſeqvuntur, *Itaque*

que nec facilè fides illis adhibenda est, qui de Principibus indigna narrant, sed occultiora, quæ à paucis nosci possunt. Et tamen cum adulatoribus parum credatur, satyram scribentibus nimis pronæ præbentur aures. Historia publica Principes describit ut coram populo publicè apparent, arcana, ut in locis secretioribus existunt. Publica fucatam, arcana nativam eorum mentis formam adumbrat.

7. Historia juris Hodierni planè à JureConsultis neglecta, quia neglecta est Historia Juris Germanici, quod tamen regulæ locum adhuc habere fatentur ferè ex Hodiernis Justiniani Admiratoribus cordatiores, dum Jus Justinianeum rectè asserunt esse jus subsidiarium. Turpe vero quod communiter tantoperè solliciti sint de historiâ juris subsidiarii & historiam juris ordinarii derelinquant. Videlicet si melius excoleretur, palparent studiosi, usum Juris Romani hodie tantum non esse, quantus jactatur. Glaciem quidem hîc fregit Conringius in tractatibus de Orig. Juris Germanici & de Antiquitatibus Academicis, item etiam de Judiciis Germaniæ. Sed tamen multa adhuc reliquit curæ ac diligentiæ aliorum. Potissimum res ex doctrinâ de augmentis & incrementis Academiarum eruenda, ubi multa notabilia hinc inde occurrunt in scriptoribus Germanicis nondum observata Conringio. Sed ea colligere hoc opus, hîc labor est.

8. Nævorum porro reliquorum ostensio etsi fundamentis historiæ ritè jactis sit facilis, quia tamen Juris studiosi autoritate eorum, qui adversa inculcant, fascinati sunt, & prætereà etiam Politici, & qui ad Gubernacula Reipublicæ sedent, eodem fascino abrepti horrent jura Germaniæ, & sacram Jurisprudentiam Justinianeam

venera-

venerabundi adſpiciunt, veram autem doctrinam, ut peſtilentem & periculoſam vel infamant, vel fugiunt, ideo & horum præjudicio aliquid dandum & ex præſtantiſſimis & ſuperioris & hujus ævi JCtis oſtendendum eſt, quod jam dudum ante nos obſervati fuerint illi nævi & notati, etſi timidius ſubinde aut ſparſim. Hâc ratione inductus malui in libris duobus prioribus, nævos Jurisprudentiæ Ante-Juſtinianeæ notantibus, quoties occaſio ſe obtulit, aliorum JCtorum loca, etſi prolixiora quandoq; deſcripta ipſorum verbis propriis exhibere, etſi ſtili inæqualitas inamœnitatem paritura ſit. Similia vero teſtimonia in exponendis nævis Jurisprudentiæ Juſtinianeæ & hodiernæ colligere plus otii & temporis requirit, etſi nullum ſit dubium apud Hottomannum, Balduinum, Duarenum, Antonium Fabrum &c. multa extare ad noſtrum ſcopum apprimè facientia, & fortè plures adhuc nævos ſuppeditantia, quam hactenus numeravimus.

9. Ergo ut appareat cuivis, nos non tam argumento, quam tempore ad amplificationem neceſſario hactenus fuiſſe deſtitutos, ſum̃am nævorum hucusq; notatorum exhibebimus. Sunt igitur *Nævi Jurisprudentiæ Juſtinianeæ,*

I. Inſufficientia Triboniani & Juſtiniani ad hoc opus. Hîc duæ quæſtiones non miſcendæ. (1.) An Juſtinianus fuerit analphabetus planè & literarum rudis? quod puto negandum eſſe inductꝰ rationibus Eichelii *p. 63 ſeqq. conf. Mæſtert. l. 1. dubit. 2. p. 7. ſeq.* (2.) an fuerit princeps prudens & verè eruditus, adeoq; ſufficiens ad arduum hoc opus corrigendi & emendandi Jurisprudentiam? quod nego, non obſtantibus rationibus ejusdem Eichelii *p. 61 66.* utpote quæ probant ſaltem, fuiſſe principem ſuperſtitioſum, metaphyſicum & eruditione Scholaſticâ re-

pletum. Quod Tribonianum attinet, fatendum quidem, eum fuiſſe prudentiſſimum vel potius aſtutiſſimum ſuorum temporum, ſed propterea tamen nihilominus fuit inſufficiens ad hoc opus. Vide omnino Hotomann. *Anti Tribonianum c. 11. p. 55. ſeqq. potiſſ. p. 59.* Res ipſa oſtendit, & defectûs mox indicandi. *Conf. Eichel. p. 242. 273.*

II. Imperfectio & ineptitudo Codicis Juſtinianei. Fraudes & ineptias intuitu Codicis Theodoſiani ſaltem à Compilatoribus Codicis Juſtinianei commiſſas refert Jacob. Gottofr. *in proleg. ad Cod. Theod. cap. 4. p. 191.* ex quo intelligi poterit, quantum licentiæ ſibi ſumſerint intuitu Codicis Gregoriani & Hermogeniani.

III. Excerptio Pandectarum ex diverſis & diſſentientibus JCtis. Impoſſibile enim ita fuit, cohærens aliquod opus perficere. Declaravimus id in diſcurſu exemplo ſyſtematum ex omnibus quatuor Facultatibus Diſciplinarum deſumto. Ratio hujus impoſſibilitatis imperfectio intellectûs noſtri, & obſcuritas connexionis concluſionum remotarum cum primâ aliquâ hypotheſi, tantum abeſt, ut accuratè penetrare poſſit aut memoria retinere, tot diverſas hypotheſes, quot ſibi poſuerunt Autores, ex quibus Pandectæ collectæ, & connexionem aut habitudinem concluſionum ad eaſdem. Nec obſtat, ſi quis nobis objiciat Centones ex Poëtis factos, ut eſt Cento Virgilian⁹ Auſonii &c. quos admiramur ob elegantem connexionem rerum anteà diſperſarum. Eſt enim inter illos Centones & Centones Pandectarum ingens differentia. In Centonibus Poeticis centum & plura cogitata aliorum aptamus aut potius detorquemus & mutamus ad unum ſcopum mentis noſtræ, & ſic unimus. At in excerptis ex diſſentientibus eruditis in uſum unius ſyſtematis colligendis,

gendis, deberet unus intellectus noster distribui in centum & ultrà cogitata diversa & sibi invicem repugnantia, quod impossibile est moraliter.

IV. Multitudo operariorum in conficiendis Pandectis. Quæ primâ fronte videbatur equidem defectum præcedentem tollere, cum oculi plus videant quam oculus, sed re accuratius ventilatâ potius auget eundem, quia horum virorum neuter scivit cogitata alterius, & quam hypothesin unus præ altero fuerit secutus. Nam probabile est, opera JCtorum fuisse distributa ad excerpendum. At hoc pacto, absolutè necessarium fuit, ut antinomiæ fuerint insertæ.

V. Virorum horum imperfectio quoad eruditionem. Probatur tum ex nævo I. quia Tribonianus fuit eruditissimus; tùm quod ipsorum in Vitâ Justiniani apud Historicos Veteres ferè nulla fiat mentio. Facit & huc barbaries illorum temporum.

VI. Corruptio legum in pandectis partim per detractionem, partim per additionem juris novi. Scripsit hoc de argumento Wissenbachius peculiarem tractatū, quem inscripsit: Emblemata Triboniani. Sed præter ea Emblemata, quæ Wissenbachius ibi observavit, sunt adhuc plura alia. Quædam observavi subinde in notis ad Strauchium, in Scholiis ad Huberum, in disputationibus passim. Hîc duæ quæstiones non sunt confundendæ. I. An Tribonianus peccaverit, arrogando sibi hanc potestatem, quod nonnulli arbitrantur, sed sine ratione. Contrarium patet ex §. 7. *Constit. Deo Auctore.* 2. An sapienter hoc fecerit? Quod negamus. Quia (1) hoc pacto omnes regulæ bonæ interpretationis interpretibus sunt obstructæ, dum vident, quædam asseri, quæ sunt contrà

veritatem Historicam, ut: dum lex Julia in Institutionibus dicitur adulterium gladio punire, dum *in l. 1. de interr. act.* Callistratus affirmat, interrogatorias actiones usu esse desiisse &c. (2) quia necesse est, ut inde fiant antinomiæ, dum illi collaboratores non æquales habuerunt cogitationes, adeoque quod unus in hoc JCto interpolavit, alter in alio in tactum reliquit: (3) quia nulla ita est cohærentia in Jurispr. Justinianeâ, dum sæpe conclusiones ex assertione interpolata profluentes fuerunt retentæ, e. g. quod transactio de adulterio olim erat illicita, ratio erat, quod adulterium esset crimen non capitale. Istam conclusionem retinuit Tribonianus, cum tamen suo tempore esset capitale. Unde Dd. torquent se in inveniendâ ratione exceptionis à communi regulâ. Tolerari adeo potuisset hæc interpolatio, si per signa quædam certa demonstrasset, ubi ea facta fuerit. Quamvis per hoc saltem primæ inconvenientiæ fuisset satisfactum.

VII. Repetitio & geminatio eorundem verborum, rerum, legum contra instructionem quæ est *in §. 9. Const. Deo Autore.* Excusat quidem id Tribonianus *in §. 14. Constit. Tanta*, sed rationibus insufficientibus & falsis. Falsum enim est, paucas leges similes contineri, quæ idem inculcant. *Vide Mülleri discursum de Studio Juris feliciter instituendo*, ubi magnam farraginem legum concordantium & geminatarum recenset ex Gvidone Pancirollo *Thes. Var. lect. l. 1. c. 78.*

IIX. Positio multarum Antinomiarum in Pandectis contra *§. 8. Constitutionis: Deo autore.* Negat quidem id Tribonianus *in §. 15. Constit. Tanta.* Sed impudenter satis, quamvis hanc ejus negationem adorent multi. Dari autem ejusmodi antinomias plurimas in Pandectis, pro-

probatur 1. ex necessitate ob nævum 3. & 4. 2. exemplis infinitis, quæ notavi subinde in Disputationibus Lipsiensibus & ad Strauchium ac Huberum. In discursu respondi dissentientium rationibus (1) *ex d. §. 15. Constit. Tanta.* (2) Leges non amplius considerandas esse ut leges veterum JCtorum, sed ut Triboniani, (3) omnia potiùs admittenda esse, quàm ut statuamus antinomias. Comparatio etiam fuit instituta inter duas has sententias, & ostensum: thesin, quod dentur antinomiæ esse convenientiorem Theoriæ, quia rem definiat ex justis regulis bonæ interpretationis, cum adversa sententia utatur distinctionibus nihil significantibus, & faciat sophistas, atq; simul responsum objectioni, quod confessio antinomiarum sit asylum ignorantiæ. Deinde demonstratum, majorem utilitatem doctrinæ hujus se exerere in praxi, cum adversa hypothesis faciat cavillatores legum, & pactorum, atque sæpè faciat, ut partes processus amittant & causâ cadant, si advocatus nimiam sui fiduciam habeat.

IX. Incapacitas Antecessorum ad proprio Marte conficiendas Institutiones. Probatur ex *Constitutione Tantâ §. 11.*

X. Electio Caij præ aliis. Quia Cajus à temporibus Justiniani nimis fuit remotus & Jus post illa tempora maximè mutatum; neque erat JCtus acutissimus. Et hoc ipso factum fuit contrà instructionem in *d. §. 11.*

XI. Selectio trium virorum ad hoc opusculum. Confer nævum IV.

XII. Defectûs & omissio necessariarum & potissimarum doctrinarum in institutionibus, ut adeò falsò jactentur, esse totius legitimæ scientiæ prima elementa. Ita omissa divisio personarum in cives & peregrinos, materia dotium, pactorum, contractuum inominatorum, jurisdictionis, processus &c. Ut nihil dicam de toto Jure Publico & sacro, quod tamen fusè tractatur in Codice & Novellis, & nobilissima pars est legitimæ scientiæ.

XIII. Recensio juris antiquati & antiquandi. Jus antiquatum sæpè nimis prolixè recensent e. g. in titulis de Attiliano tutore, testamentis ordinandis, fideicommissis universalibus. Jus

 anti-

antiquandum continent titulus de exheredatione liberorum & tituli de ſucceſſionibus ab inteſtato.

XIV. Inepta methodus non ſolum generalis quam jam notavit Leibnützius, ſed & ſpecialis in ſingulis titulis, ubi paragraphi ſæpiſſimè inconvenienter ordinati, quaſi ſtudio factum eſſet, e.g. in titulo: *quib. mod. tutela finitur.* Scio artificium, quo quidam utuntur, ſingulos titulos Pandectarum, ſingulos paragraphos Inſtitutionum per dichotomias combinando, idque incautæ juventuti tanquam arcanum ingens ſub fide juratâ carè vendunt. Sed oſtendi in diſcurſu, quod id artificium nullius uſus ſit & ſaltem ad decipiendum paratum, cum per id facillimè mille res diverſiſſimæ confuſiſſimo & quoc. fortuito ordine collocatæ, ex tempore ſic combinari poſſint.

XV. Inconvenientes & ſæpè ridiculæ verborum phaleræ, quoties ad ſuas conſtitutiones provocat Juſtinianus adhibentes ſæpè medios terminos, qui ſummam Juris Romani ignorantiam produnt. e.g. in titulis de Lege Æliâ Sentiâ, & Lege Fuſiâ Caniniâ.

XVI. Poſitio jurium in Pandectis, jam in Codice Juſtinianeo abrogatorum. Probavit hoc Wiſſenbachius ad Codicem p.m. 4. ubi ex Codice repetitæ prælectionis enumeravit Conſtitutiones Pandectis derogantes quæ ex Codice Juſtinianeo in alterum illum Codicem translatæ ſunt.

XVII. Relictio adhuc plurium antinomiarum in Pandectis. Probabile enim eſt eas ſaltem in Codice & Novellis eſſe ſublatas, quæ coram tribunalibus eo tempore occurrebant.

XIIX. Poſitio multarum Antinomiarum in Codice repetitæ prælectionis. *Vid. Wiſſenb. ad Cod. p. 5.*

XIX. XX. XXI. Iidem Nævi in Codice Repetitæ prælectionis repetiti, quos jam notavimus in Pandectis N. III. IV. V.

XXII. Interpolatio legum Codicis. Confer ſuprà Nævum II. & VI. & Emblemata Wiſſenbachii.

XXIII. Tædioſa verba & tautologiæ obſcurantes mentem

tem Imperatoris & cruces figentes interpretibus in Novellis e. g. *in Nov. 115. 118. &c.*

10. Ad *Nævos Jurisprudentiæ Romano-Germanicæ* refero.

I. Introductionem Juris Pontificii in Germaniam.

II. Introductionem Juris Justinianei cum Academiis.

III. Multiplicationem litium statim post introductionem horum jurium ortam.

IV. Glossatorum primorum ignorantiam historiæ & philosophiæ Veterum JCtorum.

V. Nimium Glossatorum studium conciliandi antinomias.

VI. Variantium opinionum ex præcedentibus nævis necessarium ortum.

VI. Ramistarum curas & methodum causalem infeliciter Jurisprudentiæ applicatas.

VII. Multiplicationem Systematum & Compendiorum juris.

IIX. Cœcam defensionem, non dari antinomias.

IX. Vanam persvasionem, Institutiones esse libellum aureum.

X. Doctrinam, quod, si concurrat Jus Justinianeum cum Juribus Germaniæ, in dubio Jus Romanum Germanico præferendum.

XI. Dissensus infinitus Collegiorum Juridicorum, etiam in territorio unius Principis, etiam in uno municipio.

XII. Mutationem frequentem observantiæ Judicialis etiam intuitu unius collegii.

XIII. Neglectum philosophiæ tàm à docentibus quàm discentibus.

XIV. Inde ortam ignorantiam arrogantem & cum opinione singularis Jurisprudentiæ conjunctam.

XV. Omissionem diligentiæ debitæ & nimiam properantiam in cursu juris.

XVI. Neglectum Juris Germanici & Historiæ pariter ac Antiquitatum Germanicarum.

XVII.

XVII. Vana studia & consilia JCtorum quorundam, emendandi defectûs inemendabiles.

XIIX. Persvasionem docentiam Jurisprudentiam esse in statu florentissimo, nec opus habere emendatione &c. &c.

11. Uti autem ex dictis patet, spectant hi nævi omnes ad Jurisprudentiam Romano-Germanicam Forensem i. e. ad *privatam*. At privata saltem aliqua nec præcipua Jurisprudentiæ pars est. Nobiliores sunt Jurisprudentia *naturalis, Publica, Ecclesiastica*. Habent & singulæ suos nævos nec paucos, sed cum illâ differentiâ. Nituntur hæ primariò Legibus Divinis, uti privata humanis; Ergo in his nævi non tam afficiunt ipsam Jurisprudentiam, quam sunt saltem JCtorum nævi. De quibus alibi dixi, & de nævis Juris publici modò in allocutione ad Auditores præmissâ novæ editioni Monzambani.

12. Affinitas denique materiæ loquitur, cur accessiones in titulo memoratæ tractatui huic fuerint adjunctæ. Putabam equidem, doctrinam de exiguo Pandectarum usu aliquando in salvo futuram esse. Sed nupera nimis palpabiliter affectata insultatio dicam, an vellicatio? ostendit, vindicias illas nondum esse concoctas. Insultatorem facile excusatum habeo, cum alias actiones non permittat motus sangvinis, quo agitatur. Sed qui talia fovent & promovent, modestè & placidè rogo, velint vel illum jactatum Pandectarum usum tandem aliquando ostendere, vel vindiciis istis meis per rationes respondere, & promitto, quod tunc inter primos sim futurus, qui errorem meum publicè sim recantaturus. Quodsi neutrum fecerint, omnem perdent operam, similibus ejusmodi technis & vexationibus, quæ me, DEO adjuvante, nullo modo unquam movebunt, ut contrà movear, aut collisione aliquâ in positas insidias incidam. *Dabam Halæ Magdeb. d. 21. Septembr. 1695.*

NÆVI



NÆVI JURISPRUDENTIÆ ROMANO-GERMANICÆ FORENSIS, deducti ex HISTORIA JURIS.

LIBER I.

De Jure Romano ante Julium Cæsarem.

CAPUT I.

De Jure tempore Regum seu Legibus Regiis.



Rbem Romam à principio Reges habuere, (1) sub qvo statu initio sine Lege & Jure certo Populus Romanus vixit, cum omnia manu à Regibus gubernarentur (2) & Romulus ferè, ut libitum esset, imperitaret. (3) Posteà auctâ civitate Romulus ipse leges qvasdam curiatas ad populum tulit. Tulerunt & seqventes Reges. (4) Nam Numa Religionibus & divino jure maximè populum devinxit: repertaqve qvædam à Tullo & Anco. Sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, qvibus etiam Re-

ges obtemperarent. (5) Ejectis verò Regibus & pulſo Tarqvinio omnes iſtæ leges Regiæ exoleverunt, & populus incerto iterum jure & conſvetudine magis qvam lege certa uti cœpit. (6)

(1) Tacit. *I. Ann. I. 1.* (2) Pomp. *l. 2. §. 1. de O. J.* (3) Tacit. *III. Ann. 26. 5.* (5) Pomp. *d. l. 2. §. 2.* (5) Tacit. *d. III. Ann. 26. 5.* (6) Pomp. *d. l. 2. §. 3.*

Explicatio.

Dictum ſummatim de origine urbis Romæ & ſeptem ejus Regibus. Qvid manus Regia? Romuli qvædam facta, ut aſylum, fratricidium, raptus Sabinarum ad regulas morales & Politicas exacta. Status Reip. Romanæ ſub Regibus an monarchicus abſolutè fuerit an temperatus? Numæ Pompilii ſingularis ſapientia & ſtudium pacis. Qvid Tacitus per leges Tullii intelligat, qvibus Reges obtemperarent? Leges Regiæ utrum lege Tribunitia fuerint abrogatæ an deſvetudine deletæ. Eberlinus notatus, qvod aſſerat non omnes leges Regias exoleviſſe. Collector Legum Regiarum Papirius. Fabulam ſapere, qvæ de Papirio iſto, matris curioſitatem eleganti mendacio eludente narrant Gellius & Macrobius. &c.

NÆVUS I.

Non parum turbavit Jurisprudentiam Romanam, qvod ejectis Regibus ſimul omnes Leges Regiæ exoleverint.

Explicatio.

Dictum ſummatim de cauſis, ex qvibus Jurisprudentiæ corruptio oritur. De vitiis Legislatorum, ſi leges ferantur ex intentione diſſidia inter cives multiplicandi, aut eorum libertatem ſupprimendi, ſi Legislatores non ſint ſapientes, h. e. ſi non intelligant officium Principis. Verus ſenſus dicti Platonici, de beatitudine Rerumpublicarum, ſi Philoſophi regnent &c. Vitia Legum, à vitiis legislatorum orta, ſi leges contradictoriæ, irrationabiles, rationes earum ſummè obſcuræ

ſcuræ & ſibi oppoſitæ, inter ſe malè cohærentes, ſæpiſſimè mutatæ. Maximum vitium incertitudo juris. Vitia Jure-Conſultorum ſeu Legis interpretum. Si ſint Leguleji, & Calumniatores. Qvomodo differat Legulejus, Calumniator, & Rabula. Legum Regiarum ſingularis æqvitas & præſtantia. Non habuiſſe Populum Romanum juſtam rationem tollendi leges Regias, ſed nimium excedens odium erga Reges, & Regiam poteſtatem illos eò impuliſſe. Damnum exinde in Jurisprudentiam emergens juris incertitudo. Hanc tamen corruptionem Jurisprudentiæ ad nos non multum pertinere.

CAPUT II.

De Legibus XII. Tabularum.

VAriis intereà iisqve gravibus disſidiis inter Patres & plebem ortis (1) tandem evenit, ut conſenſu communi tres legati mitterentur in Græciam, ut inde leges deſcriberent atqve colligerent. (2) Qvibus reverſis Decemviri creati ſunt juris communis condendi gratiâ, qvi etiam decem tabulis jus conditum populo publicè propoſuerunt, idqve ad nutum populi emendarunt. (3) Sed cum viderentur adhuc qvædam leges deeſſe, aliæ adhuc tabulæ à Decemviris adjectæ ſunt, qvæ tamen demum abrogato iterum Decemviratu à novis Conſulibus vim legis acceperunt, & ita leges XII. Tabularum appellatæ ſunt (4) qvæ adeò ſunt fons omnis Juris Romani (5) & leges ſeqventes ferè pro augmentis earum haberi debent.

(1) Livius *lib. 2. & 3. dec. 1.* (2) Liv. *l. 3. c. 31. p. m. 113.* Dionyſ. Halicarnaſ. *l. 10. f. m. 676. edit. Sylburgii in folio.* (3) Liv. *d. l. 3. c. 23. ſeq.* Dionyſ. *d. l. 10. f. 657. ſeq. 680. ſeq.* (4) Liv. *d. l. 3. c. 34. & 35.* Dionyſ. *d. l. 10. f. 681.* (5) Livius *d. c. 34.*

Explicatio.

Democratiarum felicitatem consistere in exæqvatione Patriciorum & plebis, horumqve inter se benevolentiâ mutuâ. Neglectum utriusqve apud Romanos post ejectos Reges causam fuisse omnis mali. Recensita ex Livio & Halicarnassæo historia dissidii Patrum & Plebis, à morte Tarqvinii usqve ad creatos Tribunos plebis, propter nimiam sævitiam fœneratorum in pauperes debitores plebejos. Maximam hic culpam patrum fuisse Aristocratiam affectantium. Indultam provocationem ad plebem & introductionem Tribunorum Plebis plus damni dedisse Reipublicæ, qvam si plebs senatoriæ dignitatis fuisset particeps facta. Historia novorum dissidiorum populi Romani occasione legis Agrariæ, & de ferendis legibus utriqve ordini æqvis. Ex isto dissidio ortas esse Leges XII. Tabularum. Harum decem saltem initio cur publicatæ fuerint à Decemviris? Historia tyrannidis Decemvirorum, & datæ plebiscitis efficaciæ legum, cur item duæ postremæ Tabulæ prioribus decem fuerint adjectæ?

NÆVUS II.

Imperfectionem vel statûs Romani, vel Legislatorum sapit, qvod Leges XII. Tabb. à Græcis petitæ sint.

Explicatio.

Legislatorem in Legibus scribendis solum populum, cui leges fert, non alios respicere debere. Non excusari Romanos, qvod Leges Græcorum fuerunt optimæ & instituto Romanorum aptissimæ. Petentem Leges ab aliis propriam turpitudinem allegare, & amittendæ libertatis periculum subire. (Digressio de Fabula Accursiana, qvâ disputationem inter sapientem Græcum & stultum Romanũ præcessisse legum Græcarum impetrationem narrat. Conjectura: autorem, qvisqvis etiam sit, fabellæ hujus fortè respexisse ad nævum præsentem.) Non juvare Romanos, qvod ex Legibus Græcorum

rum ſelegerint Leges ſibi convenientes. Petitionem hanc indicare, ſtatum Romanum fuiſſe turbidum, & Senatores per hanc petitionem moras qvæſiviſſe decipiendæ plebis, ipſosqve Romanos prudentiâ legislatoriâ fuiſſe deſtitutos.

NÆVUS III.

Imperitia Legum condendarum & aſtutia ex modo, qvem Decemviri in conficiendis Legibus XII. Tabb. adhibuerunt, elucet.

Explicatio.

Hermodorum, Epheſium tabulas decem nomine Decemvirorum conſcripſiſſe, Decemviris & Græci ſermonis planè ignaris & prudentiâ legislatoriâ omninò deſtitutis. Decem priores tabulas ad rumorem hominum plebejorum, & inſipientum fuiſſe correctas, duas tabulas poſtremas ad fovendas diſſenſiones inter Plebem & Patres à Decemviris fuiſſe adjectas. Encomium Decemvirorum, qvod ipſis ſub Craſſi perſona Cicero tribuit, hyperbolicum aut catachreſticum eſſe.

NÆVUS IV.

Non ubiqve æqvitatem obſervarunt Leges XII. Tabb.

Explicatio.

Communiter JCtos encomia LL. XII. Tabb. abſqve judicio colligere. Parum inferri pro præſtantia & æqvitate Legum harum ex encomio Craſſi apud Ciceronem & Taciti, dum eas finem æqvi juris appellat. De rigore juris veteris, furti actionem adverſus eos indulgentis, qvi re aliter atqve convenerat, fuerat uſus. De diſceptatione Favorini apud Gellium contrà æqvitatem legis XII. Tabb. De pœna viginti qvinqve aſſium & talionis contra injurias. Immanitatem legis XII. Tabb. ex conceſſa creditoribus diſſectione corporis debitoris obærati, eſſe conſpicuam. Parum aptè immanita-

tem hanc à Cœcilio contrà Favorinum defendi. Aliam iniqvitatem Legis XII. Tabb. ex prohibitione conjugiorum inter Patres & Plebem apparere, neqve eam tolli rationibus Rittershuſii. (Digreſſio: An ejusmodi conjugia ſunt utilia Reipublicæ? Adductum caput ex Hiſtoria Sevarambes de ſublatâ in iſta Republica differentiâ nobilium & plebejorum.)

NÆVUS V.

Non parum impedit ſtudium Jurisprudentiæ qvod Legibus XII. Tab. careamus.

Explicatio.

Leges XII. Tabularum fuiſſe fontem reliqvarum legum & adeò earum interitum maximum defectum afferre interpretationi juris Romani. Qvando Leges hæ interierint? Earum reſtauratores & encomium Jacobi Gothofredi.

CAPUT III.

De Diſputatione Fori.

CIrca augmenta Legis XII. Tabularum cum ad apicem ob hiſtoriæ obſcuritatem deduci neqveat, qvo ordine eadem ſint inſecuta, (1) ſeqvemur communem Doctorum ſententiam ad Pomponium potiſſimum reſpicientem. Paucæ erant & ſatis obſcuræ Leges XII. Tabularum, (2) inde mox orta interpretatio prudentum & diſputatio fori, qvæ primis temporibus tacito populi cònſenſu vim juris obtinuit, atqve propriâ parte aliqvâ non appellatur, ſed communi nomine vocatur jus civile, (3) item media Jurisprudentia. (4)

(1) Vide Commentatores paſſim *ad l. 2. §. 5. ſeq. de O. J.* (2) Gellius *lib. 20. c. 1.* Cicero *II. de LL.* (3) *Pomp. d. l. 2. §. 5.* (4) *§. media inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.*

Ex-

Explicatio.

Rectè qvidem duplicem interpretationem legum facit Holtermannus *de orig. juris p. 16.* unam rabularum, qvæ consistat in temerariis explicationibus & corruptionibus Jurisprudentiæ, alteram verorum JCtorum, sed qvod addit illam posteriorem hîc intelligi, qvæ facta fuerit ab iis, qvibus experientia & longus rerum usus prudentiam & autoritatem comparaverit, id à vero valde est dissimile. Neqve enim fuerunt ista tempora tam felicia, ut Rabulæ veris JCtis non fuerint immixti. Imò contrarium præsumendum est, cum interpretationes tacitâ populi approbatione vim juris acceperint. Natura autem populi est, ut veros JCtos pro idiotis, Rabulas & Legulejos pro JCtis habeat.

Nota est communis objectio ex §. *Responsa Prudentum de J. N. G. & C.* qvod responsa prudentum pertineant ad Jus scriptum. Nota qvoqve est communis responsio, qvæ placet, & melior videtur distinctione, qvâ utitur Strauchius *dissert. 1. th. 13.* post Galvanum. *Vid. Schilterum. Ex. II. th. 2.* Non diffiteor eqvidem, interpretationem etiam fieri posse citra responsa, at responsa rarò fiunt citra juris interpretationem, adeoqve utrobiqve & juris interpretatio reliqva, & qvæ per responsa prudentum fit, intelligitur. Et imò magis ultima, etiam hîc, ob *l. 2. §. 35. de O. I.*

Per mediam Jurisprudentiam in *d. §. 3. de leg. Agnat. success.* intelligi interpretationem prudentum, non legem singularem Voconiam monstrat Dn. Schilter. *d. l. §. 1.* Et in hoc sensu elegantem libellum scripsit Pandulphus Prateius sub titulo *de media jurisprudentia.*

NÆVUS VI.

Et paucitas Legum XII. Tabularum, & brevitas earum atqve inde subsecuta obscuritas ad nævos Jurisprudentiæ Romanæ referenda est.

Explicatio.

Disputat eqvidem contra Corasium & Lipsium Rupertus *ad Enchiridion Pomponii p. 96. seq.* Istis paucitatem, hoc multitu-

titudinem commendantibus. Sed media via merito tenenda eſt. Paucitas mater obſcuritatis eſt & inſufficiens ad caſus omnes determinandos. Multitudo occaſionem cavillationibus dat, antinomiis &c. exemplo Juris Juſtinianéi, de qvo infrà ſuo loco.

Qvod obſcuritatem attinet, Polybius *l.3. cap. 22. Veteris,* inqvit, *lingvæ Latinæ tanta diverſitas eſt ab illa, qvâ hodie utuntur, ut vel peritiſſimi nonnulla ægrè, ubi animum attenderint, explanare qveant.* Unde qvemadmodum neqvaqvam apud Gellium *lib. 16. c. 10.* ridetur ille, qvi, cum Jurisperitus vocari vellet, verba XII. Tabb. priſca nec tenebat nec interpretari aut enarrare poterat, uti qvidem perperam allegat Eberl. *de O. J. p. m. 36.* ita etiam neqve jure rideri poterat, ſed bene reſpondit: *Dicere ac interpretari hoc deberem, ſi jus Faunorum & Aboriginum didiciſſem, ſed enim cum -- omnis illa duodecim tabularum antiqvitas -- conſopita ſit, ſtudium, ſcientiamqve ego præſtare debeo juris & legum vocumqve earum, qvibus utimur.* Qvanqvam neqve Julius Paulus antiqvitatum illarum gnarus encomio ſuo ſit defraudandus. Ornamenta JCti ſunt iſta, qvibus ſi qvis careat, pro ſordido tamen haberi neqvit. Meretur locus integer Gellii, ut inſpiciatur. Igitur hic nævus Jurisprudentiæ & legibus qvidem adhæret, fortè tamen nec legislatoribus nec JCtis imputandus eſt. Pulcrè iterum Gellius *l. 20. c. 1. Obſcuritates non aſſignemus culpæ ſcribentium, ſed inſcientiæ non aſſeqventium, qvanqvam hi qvoqve ipſi, qvi, quæ ſcripta ſunt, minus percipiunt, culpâ vacant. Nam longa ætas verba atqve mores veteres obliteravit, qvibus verbis moribusqve ſententia legum comprehenſa eſt.* Fortè tamen legislatores hac parte non planè extrà omnem culpam; qvos non improbabile eſt ex Græcorum legibus, qvæ excerpſerant, nec qvid vellent, intelligebant, obſcuris verbis extuliſſe in hac lingva, aut potius Hermodorum Epheſium legum Græcarum, ut *cap. præced.* diximus, interpretem non ſatis calluisſe idioma Latinum. Pertinet huc aliqvo modo locus Ciceronis *II. de LL. c. 23. p. m. 1202. Leſſum veteres interpretes, Sextus Ælius L. Acilius non ſatis ſe intelligere dixerunt, ſed ſuſpicari veſtimenti*

menti aliqvod genus funebris; L. Ælius Lessum qvasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat; qvod eò magis judico verum esse, qvia lex Solonis id ipsum vetat.

NÆVUS VII.

Magna juris incertitudo introducta fuit per disputationem fori.

Explicatio.

Maximè continuata fuisse plebis dissidia cum patribus (de qvibus cap. 2. in explic.) etiam post publicatas leges XII. Tabularum ex Livio apparet. Notabilis ejus locus *lib. 3. cap. 65.* Magna contentio plebis cum patribus de tollenda lege XII. Tabb. connubia patrum cum plebe interdicente memoratur *lib. 4. capp. prioribus,* de qva judicium nostrum dedimus in *disput. de nævis jurispr. observ. 4. §. 9.* Renovatæ sæpius qværelæ justæ populi adversus patres de lege agraria, nimio rigore creditorum erga debitores pauperes, & suppressâ qvantum fieri poterat, libertate plebis. Prima enim cura patrum erat, ut plebs in paupertate detineretur, unde perpetuo ipsi denegata justa agrorum divisio, & cum crudelitate adversus ipsos, si debitores essent, sævitum fuit. Sævitum fuit imò in ipsos Patres aut Patricios, qvi injustitiam reliqvorum detestabantur, & populo succurrebant. Mox enim benigni ejusmodi homines sub prætextu rebellionis aut regni affectati miserè trucidati sunt. Pertinet huc miseranda mors Sp. Melii ob eam solam causam, qvod largitiones frumenti plebi fecerit, qvicqvid etiam pro coloranda justitia internecionis illius afferat Livius *d. l. 4. c. 13. 14. 15.* Istæ enim omnes circumstantiæ ostendunt, processum injustissimum subfuisse, & criminationem saltem Melii, nullam probationem. Veritatem rei exponunt, & nihil aliud summatim memorant, qvam qvod Livius ipse fusius enarraverat, illæ conciones, qvas seditiosas qvidē vocat Livius *d. l. 4. c. 35.* sed nulla ratione suffultus, nisi qvod semper pro seditione habitum fuerit, si pars imbecillior, cu-

jus libertas in Rep. à potentiore invaditur, conqveratur, & libertatem suam defendere intendat. Evidens est, in fraudem plebis creatos tribunos consulari potestate omnes patritios ap. Livium *l.4. c.44.* Memorabilis patrum astutia in solvenda tribunicia potestate, cum dissidium de legibus agrariis oriretur, legi poterit *c.48. d.l.4.* Adde similem astutiam & justas qverelas plebis *cap.50. in fin. & c.51. init.* In dissidio de hibernaculis Vejensibus prolixior qvidem pro patribus adducitur oratio Arrii Claudii, qvam pro populo tribunorum plebis *lib.5. c.2.-7.* sed ipse Livius initio *d. c.7.* ut ea persvaderet, necesse habet casum vocare in subsidium, Plebejis tribunis militum creatis *lib.5.c.13.* non memoratur qvicqvam in odium patrum illo tempore gestum, sed qvanta invidia patrum id factum fuerit ex *seq. cap.14.* videri potest. Non nisi per fraudem, & ut populum delinirent agros plebi divisos recenset *cap.30. d. l.5.* Scelestissimo facto M. Manlius ut regni affectati reus occiditur, verus patriæ pater, & meliori fortunâ dignus, atque Bruto Tarqvinii exturbatori tanto magis præferendus, qvanto major erat tyrannis, qvâ plebem subigebant Patres præ tyrannide Tarqvinii: Lege & judica apud Livium *lib. 6. cap.11. usqve ad 20.* Verissima sunt, qvæ Manlius dicit *cap.18. in fine* de dictatura & consulatu tollendo; & qvæ seqvuntur, apertè ostendunt accusationem de regno affectato ipsi per calumniam fuisse intentatam. Ingratissimam plebem & stultissimam ostendit *cap.20.* neqve pœna diu emansit. Vide, qvæ habet *cap.34. d.l.6.* Notabile plebiscitum de agris, pecuniis, & consule plebejo est in *cap.35. lib.6.* ubi & qvod Patres anteqvam id admitterent, citius passi fuerint tribunos solos per integrum qvinqvennium Magistratum gerere. Tandem cum plebs vinceret, aliâ viâ rem aggrediendam putarunt, à plebe impetrantes redhostimenti loco, ut ex patribus Prætor unus crearetur, qvi jus in urbe diceret, & ludorum causa ex patribus crearentur ædiles curules. Prætextus ludorum honor Deorum; vera causa, ut mollis fieret populus. Unde & ludi scenici simili prætextu tùm ortum duxere. *Conf. Liv. l.6. c. ult. l.7. c.1. & 2.* Plura jam afferre supersedeo.

Ex

Ex qvibus vel hoc saltem observari velim; qvanta cura potestatem juris dicendi sibi vindicaverint patres, & qvantâ imprudentiâ eam admiserit plebs. Ante hæc tempora Consules jus reddiderunt, *Vinnius in notis variorum ad l. 2. §. 27. de O. I. p. m. 45. edit. Leevvji.* Jam cum Patres adigerentur consulatum cum Plebe communicare, sufficere sibi putarunt, si potestatem juris dicendi sibi solis reservarent, & non tam Consulibus, qvàm Plebi adimerent, gnari, qvantum valeat ad summam rerum potestas juris dicendi, de qvo pluribus infrà.

Præter autem hanc juris dicendi potestatem sibi solis anteà vindicarunt etiam potestatem legum interpretandarum, *ut cap. seq.* dicetur pluribus, qvo pacto etiam magnum frenum libertati plebis injectum est, cum potestas interpretandi, (libera illa, & qvæ æqvalem ferè vim habet cum interpretatione authentica) tantum valeat, qvantum potestas legislatoria. Maximè verò valuit incertitudo juris per disputationem fori necessario orta ad detinendos in perpetuo dissensu plebis animos, & impediendos adeò, ne concordiâ apti fierent ad libertatem suam defendendam.

Incertitudinem juris necessariò ortam fuisse ex disputatione fori, patet, qvia necessarium erat, ut ex ista disputatione fori dissentirent JCti. Non afferemus jam conjecturam non improbabilem, fortè ad dissensum plebis augendum studiò sæpius dissensisse JCtos. (ut hodie fit à Rabulis, cum partes divites in ipsos incidunt,) Fingamus, non fuisse Rabulas inter ipsos JCtos primorum temporum. Fuerunt homines iisdem animi vitiis subjecti, qvibus hodie sumus, putà variis præjudiciis autoritatis & præcipitantiæ, qvæ cum hominibus adolescunt, amori lucri, (prout videbant legis expositionem favere parti, qvi ipsos consuluerant) odio & æmulationi erga alios æqvales, cupiditati gloriæ ex contradictione eruditâ acqvirendæ. Adde qvod Leges XII. Tabb. non conditæ fuerint secundùm regulas artis, ut ita dicam, aut systematicè, seu ut leges connecterentur, & ex communi princi-

pio deduceretur. Ubi autem hoc non fit, necessarius est dissensus interpretum in deducendis conclusionibus ex ipsis legibus.

Hic defectus qvò major & ex præcipuis erat, ita debuisset majori curâ & in tempore ipsi occurri per legem novam. Sed hoc non erat ad palatum patrum. Igitur potius tacito consensu sententiæ istæ JCtorum dissentientium vim legis acceperunt, qvo pacto incertitudo juris fuit necessariò aucta.

CAPUT IV.

De Legis Actionibus.

VIndicarunt igitur sibi Patres vel Patricii non solum potestatem interpterandi leges, sed & juris dicendi, (1) & populo certas solennesqve formulas, ne, prout vellet, actiones institueret, præscribendi, qvæ appellantur legis actiones. Residebat autem potestas hæc interpretandi & formularum potissimum apud collegium Pontificum, qvi olim etiam ex solis Patriciis legebantur, (2) ex qvibus postea constituebatur, qvis qvoqvo anno præesset privatis interpretando & respondendo de jure. (3)

(1) *Vid. Expesit. navi 7. conf. l. 2. §. 35. de O. I.* (2) vide Livium *lib. 10. cap. 6.* (3) Pomponius *l. 2. §. 6. de O. I.*

Explicatio.

Repetendum ex *explicatione cap. 2.* neglectum exæqvationis patriciorum & plebis in Rep. Romanâ, eorumqve odium mutuum caussam fuisse omnis mali in Rep. Romanâ. Ex hoc fonte igitur malum etiam qvotidie longius invasit ipsam Jurisprudentiam, præprimis cum Patres magnopere dederint operam legum interpretatione atqve jurisdictione ibi reservatis plebis libertatem conculcare, non ita facilè sentiente hîc astutiam patrum plebe, uti cum agros detinerent, & crudeliter

deliter cum debitoribus suis procederent. Ergo omnis intentio patrum intuitu jurisprudentiæ eò collinavit, ut vel potestate legislatoriâ, aut vi, aut fraude pleben excluderent, vel subtilitates nimias sub prætextu decori aut justi in legum interpretationem & formam juris administrandi introducendo, jus incertissimum redderent, & ita pleben in perpetuo dissensu detinerent. Ostendunt, id ex parte ea, qvæ *in explicatione capitis 2. & nravi* 7. ex Livio excerpsimus. Continuabimus pedetentim in hoc & seqq. quibusd. capitibus, jam qvidem ea, qvæ ex Livii *lib. 7. usqve ad 11.* huc pertinent, excerpturi.

Cum iterum, qvamvis post satis freqventem patrum procrastinationem, consul plebejus crearetur, difficillima res & plerumqve parti utriqve, semper alteri gravis de pecunia fœnebri & solutione nominum placidè fuit ad tempus sopita. *Livius l. 7. cap. 21.* Dictator Publius Philo tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit: unam: ut Plebiscita omnes Qvirites tenerent: alteram, ut legum, qvæ comitiis centuriatis ferrent, ante initum suffragium Patres autores fierent: tertiam; ut alter utiqve ex plebe, cum eo ventum sit, ut utrumqve plebejum consulem fieri liceret, censor crearetur. *Livius lib. 8. c. 12.* C. Sulpitio Longo, L. Ælio Pæto Coss. Q. Publius Philo Prætor primum de plebe, aversante Sulpicio Cos. qvi negabat, rationem ejus se habiturum, est factus. *Liv. lib. 8. c. 15.* Paulò post plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum est, qvo ob L. Papirii insignis fœneratoris libidinem necti desierunt, jussiqve Coss. ferre ad populum, ne qvis, nisi qvi noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur; pecuniæ credita bona debitoris non corpus obnoxium esset. *d. 8. cap 28.* Successu vero temporis Appius Claudius solus censuram invito P. Sempronio, invitisqve aliis sex tribunis, ob intercessionem trium aliorum tribunorum retinuit. *Liv. l. 9. cap. 33. seq.* Eod. *lib. 9. c. 46.* memoratur factum Flavii, evulgantis jus civile Pontificum, de qvo *cap. seq.* Porro cum in honoribus plebs Patri-

bus ferè esset exæqvata, & nihil præter sacerdotia, qvæ nondum promiscua erant, deesset, M. Valerio, & Q. Apulejo Coss. tribuni plebis rogationem promulgarunt, ut cum qvatuor Augures, qvatuor Pontifices eâ tempestate essent, placeretqve augeri Sacerdotum numerum, qvatuor Pontifices, qvinqve Augures, de plebe omnes allegerentur, & obtinuerunt. Eodemqve anno etiam lex de provocatione tertium renovata fuit. *Livius lib. 10. c. 6. seqq.* Mansisse tamen patribus altâ mente repostam illam plebis exæqvationem, vel origo aræ pudicitiæ plebejæ ap. *Liv. d. l. 10. c. 23.* docere potest.

His præmissis jam facilè ostendi potest qvoad intellectum capitis præsentis, primariam causam, cur Legis actiones inventæ fuerint & à Pontificibus directæ, in eo consistere, ut hoc pacto Patres imperium clam sibi firmarent. Erant enim legis actiones non solum ad disceptationes forenses restrictæ, sed in genere solennes ritus, secundum qvos omnes ferè actiones civium momentum aliqvod in civitate habituræ instituebantur sub pœna nullitatis aut graviori. Conf. Eberl. hic *c. 7. p. m. 40. N. V. p. 14.* Neqve parum abfuisse eos à ritibus illis, qvibus apud nos utuntur opifices in conventibus suis, aut qvibus utuntur Depositores Beanorum, vel ex antiqvis manumissionis, & emancipationis ritibus tironibus notum est. Qvamvis verò non sit diffitendum solennitatum præscriptionem per se non tribuere imperium, & magnam adeò esse differentiam inter justum, qvod ab imperantis voluntate, & decorum, qvod dependet ab arbitrio ejus, qvi autoritatem habet in societate aliqvâ, facilè tamen patet, qvod qvo magis is, qvi autoritatem (est autem autoritas opinio de alterius virtute conjunctâ cum potentiâ,) habet, aliorum animos spontè devictos tenet, eò facilius is etiam possit grassari ad imperium, præprimis cum moribus perversissimis & antiqvis & modernis Aula, Sacerdotes, eruditi, plebs justum in decoro actionum exteriorum qværant, non in animo. Prætereà solent ii, qvibus norma decori committitur, haberi pro prudentioribus. At prudentiores etiam imperio digniores sunt.

Ergò

Ergo vana est verborum Pomponii (*ne populus prout vellet, actiones institueret*) interpretatio, qvam afferrt Eberlinus *d. p. 40. hoc est, ne* temere *aut pro libitu, arbitriove suo ageret*, scientiamqve longe sacratissimam *profanaret*. Qva ratione enim disciplina decori, qvæ à mero ingenio humano dependet, & in dies variat, ac potissimum vanitatem, luxuriam & stultitiam hominum pro fundamentis habet, possit sibi titulum scientiæ sacratæ vindicare, nisi apud homines superstitiosos & præjudicio autoritatis immersos? Apertè Pomponius: *ne prout vellet actiones institueret:* id est, ut aliorum voluntati sub prætextu decori actiones suas submitteret, qvæ est pronissima ad libertatem amittendam via. Clarius Cicero *lib. 1. de orat. Veteres illi, qvi huic scientiæ præfuerunt, obtinendæ atqve augendæ potentiæ suæ causa pervulgari artem suam noluerunt.* Qvid evidentius dici poterat? Iterum Pomponius *d. l. 2. §. 35. de O. I. In omnibus, qvi scientiam nacti sunt, ante Tiberium Coruncanium publicè professum neminem traditur. Cæteri autem ad hunc* vel in latenti jus civile retinere cogitabant, *solamq; consultatoribus vacare potius qvàm discere volentibus se præstabant.* Jam si consideres, Tiberium Coruncanium primum ex plebe fuisse Pontificem Maximum creatum, uti in *Epit. Livii lib. 18.* legitur, iterum constabit, reliqvos ante eum Patricios ideo in latenti retinere jus cogitasse, ut ne imperium ab ordine suo auferretur, Tiberium Coruncanium contrà ut aliqvo modo plebem pedetentim ex servitute tolleret, primum Juris Professorem fuisse.

Stabilitur ulterius sententia nostra, si Pontificum originem & officia consideres. Vide Coccejum *in N. V. hîc p. 15.* Eberlinum *p. 40. 43.* Numa Pontifices primus ex patriciis instituit, haud dubie ex familia regia, ut imperium Regibus hac parte eò magis firmaret. Non senserunt vim & momentum officii hujus, de plebe homines, alias id post Reges ejectos per tantum temporis spatium solis patritiis non reliquissent. Summatim potentiam eorum ex Cicerone colligere licet, *initio orationis pro domo suâ ad Pontifices. Cum multa divinitus, Pontifices, à majoribus nostris inventa atqve instituta sunt, tum nihil*

præcla-

præclarius, qvam qvod Vos eosdem & religionibus Deorum immortalium & summæ Reipublicæ præesse voluerunt, ut amplissimi & clarissimi cives Remp. bene gerendo, Pontifices religiones sapienter interpretando Rempublicam conservarent. Qvod si ullo tempore magna causa Sacerdotum Populi Romani judicio ac potestate versata est, hæc profectò tanta est, ut omnis Reipubl. dignitas, omnium civium salus, vita, libertas, aræ, foci, Dii, penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatiqve commissa creditaqve esse videantur. Adde omninò, qvæ prolixè congessit Alexander ab Alex. *Gen. dier. lib. 2. c. 8. p. m. 303.* Ubi inter alia ex Plutarcho affertur, qvod dignitas Pontificum proximè accesserit ad dignitatem Regiam.

Dabant igitur Pontifices formulas agendi: qvarum potissima capita summatim indicat Qvintilianus *lib. 3. c. 8. In omnibus ferè causis, in qvibus cecidisse qvis formulâ dicitur, hæ sunt qvæstiones. An* huic? *an* cum hoc? *an* hâc lege? *an* apud hunc? *an* hoc tempore *liceat agere?* At putabam, inqvis, formularum forensium dationem pertinuisse ad Prætorem. Sed initio non erat Prætor, ut mox videbimus distinctius, & jam suprà duobus verbis monuimus. Deinde differentiam inter dationem formularum Pontificiam & Prætoriam hanc exponit Holtermannus *de Orig. Juris Historica. p. m. 27. seq.* Post Pontifices, ait, Prætores dedere actiones, imo etiam cum illis, sed aliter atqve aliter. Pontifices monstrabant jus & formam experiundi, qvâ instructus actor, post in jure Reo actionem, qvâ usurus erat, edebat, tumqve eam à Prætore sibi dari, hoc est, concedi, eoqve nomine judicem sibi dari postulabat. Prætor reo audito & ejus exceptionibus cognitis in vim concedendæ actionis rem complectebatur formulâ, qvæ contineret actionem & exceptionem, & cum illa actorem mittebat ad judicem &c. Pontifices ergo ostenderunt jus suum in jure proponendi sine peccato, formulam ritè & sine peccato agendi, ne qvis causâ caderet & formulâ excideret, qvod si factum apud judices privatos, Prætor eos restituebat. At Prætor dabat potestatem actione editâ jus suum prosеqvendi,

imò

imò Magistratum suum iniens edicto, qvod proponebat, pollicebatur, se ex certis causis Juris Civilis, vel interpretandi vel supplendi causâ judicium vel actionem daturum, agere permissurum, & agendi potestatem facturum promittebat, vel edicebat se negaturum actionem vel judicium, & non daturum. Hactenus Holtermannus. Qvi an omnia hîc acu tetigerit, jam non disqviro, & fortè mox eâ de re dispiciam ulterius.

NÆVUS VIII.

Incertæ fuerunt, variantes & incognitæ populo hæ legis actiones.

Explicatio.

Jus norma esse debet actionum civilium. At qvæ felicitas potest redundare in Remp. si norma ista qvotidiè variet & magnæ populi parti sit incognita?

Istos verò nævos inhæsisse legis actionibus & formulis istis, partim ex dictis constat, partim ex istis locis duobus apparet. Sic Cicero *pro Murana c. 11. Posset agi lege, nec ne, pauci qvondam sciebant; fastos enim vulgò non habebant. Erant in magna potentiâ, qvi consulebantur, à qvibus etiam dies tanqvam à Chaldæis petebantur.* Ita & Amm. Marcellinus *lib. 26. p. 311. Hæc nondum extentis fusius regnis diu ignoravere Romani, perqve secula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profundâ caligine fluctuabant, cùm in Sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi: qvi licenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum subtrahebant tempora vel augebant. Hocqve excepto emerserunt alia plurima, qvæ fallebant, qvorum meminisse nunc supervacuum puto.* Conf. Rupertum *hîc p. 114.*

NÆVUS IX.

Nimis subtiles erant istæ formulæ, & iniqvum, qvod si litigatores præeuntibus Jure-Consultis in pronunciando vel syllaba deerrassent, formulâ cecidisse aut causâ dicebantur, id est causam perdidisse.

Explicatio.

Vide Cicer. *2. de invent.* Qvintil. *lib. 7.* Sveton. *in Claud. cap. 7.* Unde & hæc verborum aucupia à Constantio sublata sunt *l. 1. C. de formul. & impet. sublat.*

Excusare vel temperare hunc nævum studet Rupertus *hic p. 109.* Qvis hic curiæ Romanæ furor? qvæ improvisa fortunarum clades? Inter Anthropophagos sit ista lex, non inter illos, qvi verbo Plinii *l. 2. c. 5.* numine Deum electi, ut ritus mollirent, & humanitatem homini darent; vel judicio Strabonis, gentes antea feras pro agresti vita civilem docerent. Qvid enim aliud hoc esse dicam, qvàm sangvinem humanum bibere? Ecce in hoc procelloso formularum pelago qvot juvenum imperitorum, qvot innocentum naufragia? Sed bona verba qvæso. Ad qvod enatarent innoxii vel fraude circumventi, humanitas Romana patere voluit tanqvam salutare litus, ipsum Prætorem, à qvo in integrum restituebantur. Docet Seneca *ep. 48. Qvid enim aliud agitis, qvam eum, qvem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, qvam ut formulâ cecidisse videatur? sed qvemadmodum illum Prætor, sic hos Philosophia in integrum restituit.* Hæc Rupertus. Mihi nihil minus docere Seneca videtur, qvam restitutionem eorum, qvi formulâ ceciderant: Agit de restitutione ob dolum. Hæc ad restitutionem eorum, qvi formulâ ceciderant, nihil facit. Ergo comparatio Senecæ non est extendenda ultrà tertium, & manet adeò iniqvitas ista à Jureconsultis Pontificibus eum in finem introducta, ut eo magis subigerent plebem & reliqvum populum.

CAPUT V.

De Jure Flaviano.

POstea cum Cn. Flavius invitis nobilibus Ædilis curulis factus esset, formulas istas evulgavit, & fastos in albo reposuit, ut à toto populo qvotidiè cognosci

ſci poſſent. (1) Unde appellatur Jus Civile Flavianum, qvamvis Flavius de ſuo nihil adjecerit. (2) Graviter verò cum hoc tulerint Juriſconſulti, novas qvasdam agendi formulas excogitarunt, easqve certis qvibusdam notis vulgo incognitis deſcripſerunt. (3) Verum Sextus Ælius & has publicavit peculiari libro, qvi appellatur Jus Ælianum. (4)

(1) Val. Max. *l. 2. c. 5.* Livius *lib. 9. in fine.* A. Gellius *lib. 6. c. 9.* (2) Pompon. *l. 2. §. 7. de O. I.* (3) Cicero *pro Murena c. 11.* (4) Pompon. *d. §. 7.*

Explicatio.

Pomponius *d. §. 7.* refert, qvod Flavius Ædilitatem & Tribunitiam poteſtatem in præmium vulgatarum formularum acceperit, qvorſum & inclinat Plinius *Hiſt. Nat. l. 33. c. 1.* Sed veroſimilior ſententia Valerii Maximi, Livii atqve Gellii, præprimis cum hi duo poſteriores ad annales antiqvos provocent, & modus proponendi, prout eum Valerius refert, factus fuerit in albo (ædilitio.) Publicavit igitur, ut Livius narrat, qvia ſe contemptum viderat à nobilibus & ante ſuſceptam ædilitatẽ, & in ipsâ ædilitate. *Vide omninò citatos autores.* Qvemadmodum autem ægrè tulerunt Patres, cum Flavius Ædilis fieret, in tantum, ut annulos abjicerent, ita nullum eſt dubium, qvin magis adhuc eos affecerit publicatio formularum & faſtorum, qvas probabiliter ab Appio Claudio acceperat, cujus ſcriba fuerat, Pompon. *d. §. 7.* Dicit Pomponius, Appium hunc Claudium in formam redegiſſe has actiones, qvod explicatur *in Notis Variorum p. 16.* qvod in ordinem eas redegerit. Puto fuiſſe meram collectionẽ aut ad juſtũ ordinem non ſatis exactam. Cicero *l. 1. de Oratore c. 41. Deinde poſteaqvam eſt editum* (Jus Civile) *expoſitis à Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qvi illa artificiosè digeſta generatim componerent.* Poſt publicationem vero Juris hujus Flaviani alias formulas fuiſſe compoſitas à JCtis, præter Ciceronem *pro Murena c. 11.* etiam ex *d. §. 7.* Pomponii

appareret, si lectio illa, qvam affert Eberlinus *p. 49.* approbaretur: *Augescente civitate, qvi praerant, qvaedam genera agendi composuerunt.* Miror verò, qvod de Jure Æliano nihil amplius reperiam, qvam apud Pomponium, & interpretes ferè hac parte taceant. Videndum adeò, an Jus hoc Ælianum sit idem cum tripartitis Sexti Ælii, de qvibus idem Pomponius *d. l. 2. §. 38. de O. I.*

NÆVUS X.

Jus Flavianum incertitudinem qvidem formularum sustulit, sed neqvaqvam subtilitatem. Qvin imò JCti novas legis actiones & notis qvidem incognitis excogitando, incertitudinem auxerunt.

Explicatio.

Ex facti expositione nævus hic jam satis patet. Igitur nihil addam, qvam ut ex Cicerone ostendam Legulejis nostris, qvam non committat crimen læsæ majestatis, qvi nævos Jurisprudentiæ & ineptias JCtorum detegit. Loci duo sunt ita pulcherrimi, ut non possim non, qvin eos integrè adscribam. Unus est de Oratore lib. 1. *Jureconsultus ipse per se nihil nisi legulejus qvidam cautus & acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum.* Alter prolixior *in oratione pro Murena cap. 11. seqq.* qvi maximè conducit ad intellectum hactenus dictorum. *In vestro* (JCtorum) *artificio, nihil est, qvod aut plurimas gratias, aut firmissimas amicitias, aut maxima studia pariat. Primum dignitas in tam tenui scientia, qvæ potest esse? Res enim sunt parvæ, propè in singulis literis atqve interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde, etiam si qvid apud majores nostros fuit in isto studio admirationis; id, enunciatis vestris mysteriis, totum est contemtum & abjectum. Posset agi lege, nec ne, pauci qvondam sciebant: fastos enim vulgò non habebant; erant in magna potentia, qui consulebantur: à qvibus etiam dies, tanqvam à Chaldæis, petebantur. Inventus est scriba qvidam Cn. Flavius, qvi cornicum oculos confixerit, & singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit, & ab ipsis cautis Jurisconsultis eorum sapientiam compilarit. Itaqve irati illi, qvod sunt veriti, ne, dierum ratione*

tione pervulgata & cognita, sine sua opera lege posset agi, notas qvasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent. Cùm hoc fieri bellissimè posset: Fundus Sabinus meus est: imò meus; deinde judicium: noluerunt: Fundus, *inqvit*, qvi est in agro, qvi Sabinus vocatur. *Satis verbosè, cedò, qvid posteà?* Eum ego ex Jure Qvir. meum esse ajo. *Qvid tum?* Inde ego te ex Jure manu consertum voco. *Qvid huic tam loqvaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat. Transit idem Jureconsultus, tibicinis Latini modo:* Unde tu me, *inqvit*, ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco. *Præter intereà, ne pulchrum se, ac beatum putaret, atqvè aliqvid ipse suâ spontè loqveretur, ei qvoqve carmen compositum est, cum cæteris rebus absurdum, tùm verò in illo:* Suis utrisqve superstitibus, præsentibus: istam viam dico: inite viam. *Præstò aderat sapiens ille, qvi inire viam doceret:* Redite viam. *Eodem duce redibant. Hæc jam tùm apud illos barbaros ridicula, credo, videbantur, homines cùm rectè atqve in loco constitissent, juberi abire: ut, unde abiissent, eodem statim redirent. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia.* Qvando te in Jure conspicio; *& hæc:* Sed anne tu dicis, qvi causa vindicaveris? *qvæ dum erant occulta, necessariò ab eis, qvi ea tenebant, petebantur: posteà verò pervulgata, atqve in manibus jactata & excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem & stultitiæ plenissima. Nam cùm per multa præclarè legibus essent constituta, ea Jureconsultorum ingeniis pleraqve corrupta ac depravata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt; hi invenerunt genera tutorum, qvæ potestate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt, horum ingenio senes ad coëmtiones faciendas, interimendorum sacrorum causa reperti sunt. In omni deniqve Jure Civili æqvitatem reliqverunt, verba ipsa tenuerunt: ut, qvia in alicujus libris, exempli causâ, id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, qvæ coëmtionem facerent,* Cajas, *vocari. Jam illud qvidem mihi mirum videri solet, tot homines tamen ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum: judicem an arbitrum: rem an litem dici oporteret. Itaq; (ut dixi) dignitas in ista scientia consularis nunqvam fuit, qvæ tota ex rebus fictis commentitiisq; constarent,*

ſtaret, gratiæ verò multò etiam minores. Qvod enim omnibus patet, & æqvè promptum eſt mihi & adverſario meo, id eſſe gratum nullô pactô poteſt. Itaqve non modò collocandi beneficii ſpem, ſed etiam illud, qvod aliqvandiu fuit, licet conſulere, *jam perdidiſtis. Sapiens æſtimari nemo poteſt in ea prudentia, qvæ neqve extra Romam uſqvam, neqve Romæ, rebus prolatis qvicqvam valet; peritus ideò haberi nemo poteſt, qvod in eo, qvod ſciunt omnes, nullò modô poſſunt inter ſe diſcrepare; difficilis autem res ideò non putatur, qvod & perpaucis & minimè obſcuris literis continetur. Itaqve ſi mihi homini vehementer occupato ſtomachum moveritis, triduo me Jurisconſultum eſſe profitebor. Etenim qvæ de ſcripto aguntur, ſcripta ſunt omnia: neqve tamen qvicqvam tàm anguſtè ſcriptum eſt, qvò ego non poſſim, qva de re agitur, addere. Qvæ conſuluntur autem, minimô periculô reſpondentur. Si id, qvod oportet, reſponderis, idem videare reſpondiſſe, qvod Servius, ſin aliter, etiam controverſum Jus noſſe & tractare videare.*

Nihil elegantius, fremant omnes licet, & ad Jurisprudentiam forenſem hodiernam convenientius dici potuiſſet, qvam qvæ hîc commemoravit Cicero. Qvæ adeò ut præ oculos haberent omnes, qvi inani faſtu turgidi Rabuliſticam illam pro ingentibus theſauris venditant, & ſe ſapientiſſimos omnium mortalium eſſe ſibi primum perſvadent, tum ſi alii id credere nolint, iraſcuntur; maximoperè optandum eſſet. Sed vix ſperandum. Loqvor autem, ne cavilleris, non de Jurisprudentia hic in genere, nobiliſſimâ diſciplinâ ac Dei ſingulari dono, ſed de Jurisprudentia Legulejâ & Rabuliſticâ, qvalem & ipſam Cicero depinxit, & qvam tamen Juvenes ſæpius vitio vel manuductorum, vel ſuo, pro genuina Jurisprudentiâ amplectuntur.

CAPUT VI.

De Plebiſcitis.

PORro evenit inter iſtas diſſenſiones Patrum & Plebis, ut & Plebs qvandoqve poteſtatis legislatoriæ partem

partem ad se traheret, potissimum per secessiones, qvarum tres memorantur. Prima in montem sacrum Servilio & Appio Coss. Ann. Urb. 259. in qva Plebs obtinuit, ut haberet suos Tribunos plebis, (1) qvi potestatem habebant, ut qvod ad plebem tulissent, qvodqve plebs jussisset, id ratum esset, qvæ Plebiscita vocata sunt. (2) Secunda secessione Anno Urb. 303. in montem Aventinum, cum velut in controverso jure esset, tenerenturne Patres Plebiscitis, L. Valerius & Horatius Coss. legem centuriatis Comitiis ad populum tulere, ut, qvod tributim plebs jussisset, populum, teneret. (3) Verum cum ea ipsa Lex Horatia populi tantum mentionem faceret, patresqve populi nomine se appellari negarent, ideò Lege Publiliâ à Q. Publilio Philone in dictaturâ datâ anno urbis 416. est renovata, statutumqve, ut ejusmodi Plebiscitis omnes Qvirites tenerentur. (4) Deniqve cum patriciorum ambitione legi huic iterum esset derogatum, ad ultimum Qv. Hortensius dictator, in tertia plebis in janiculum secessione eam revocavit, anno urb. 467. (5)

(1) Livius *lib. 2. c. 33.* (2) Coccejus *in Notis Variorum ad l. 2. §. 8. de O. I.* (3) Liv. *l. 3. c. 55.* (4) Livius *lib. 8. c. 12.* Eberl. *de O. I. p. 54.* (5) Pompon. *d. l. 2. §. 8. hic* Epitome Livii *lib. 11.* & Freinshem. *in supplement. lib. 1, c. 26.* August. *l. 3. de C. D. c. 17.* Plinius *lib. 16. hist. nat. c. 10.*

Explicatio.

Patres populi appellatione se contineri aliqvando negasse, qvamvis apud Livium & antiqvos non deprehendam, sed solum apud Eberlinum, à vero tamen non est absimile. Nec obest *§. 4. Instit. de I. N. G. & C. 1. §. 2. eod.* neqve enim asserimus, patres ex rei veritate ita legem Horatiam exposuisse,

se, sed per cavillationem. Cùm igitur in tertia demum secessione plebiscita lege Hortensiâ plenum robur acceperint, non iniqvè fecit Pomponius, qvod hujus solum mentionem fecit in *d.* §. 8. Rupertus *hîc p. 120.* ubi & *p. 123.* Ampelium qvatuor secessiones memorantem refutat. Exempla horum plebiscitorum vide apud Eberlinum *hîc p. 55. seqq.*

NÆVUS XI.

Damnum sensit aliqvod Jurisprudentia Romana; qvod Plebi potestas legislatoria fuerit tali modo communicata.

Explicatio.

Aliqvoties dixi; beatitudinem Democratiarum consistere in exæqvatione Patrum & Plebis. Anteqvam hanc admitterent Patres, potius alia omnia sibi magis noxia, & inter hæc etiam hanc Plebiscitorum extensionem admiserunt. Cæterum, ne putetis, qvi Autoritatis præjudicio estis immersi, me hominem scholasticum ineptè disserere de rebus Politicis, efferat pro me distinctius hunc nævum Vir summus Joh. Freinshemius *d. c. 26. supplem. Inde minor aliqvamdiu ordinum in urbe dissensio fuit: sed imperii sensim deformata dignitas, cum plebe ad ambitiosorum hominum fraudes parum cauta, & vel potestatis exercendæ causâ, qvibuslibet rogationibus accipiendis facili, multa sciscerentur, qvæ Reipublicæ decus, & ad extremum ipsa fundamenta convellerent. Documentum insigne res regentibus, ne vulgus, si re familiari commode uti possit, majora non cogitaturum, injuriis opulentiorum ad cupiditatem potestatis, qvâ uti non didicit, adigi patiantur.*

CAPUT

CAPUT. VII.
De Edictis Prætorum.

EAdem diſſenſio inter Patres & Plebem originem dedit, ut Prætor crearetur (1) primum ex Patribus, (2) mox ex plebe, (3) primum unus, mox duo, & ſucceſſu temporis adhuc plures. (4) Poteſtas eorum in jure reddendo primum conſtabat, (5) poſteà variis modis aucta fuit, (6) in tantum, ut non ſolum ipſorum Edicta, qvæ in Albo proponebant, (7) certam juris ſpeciem conſtituerent, (8) ſed & ut adjuvare, ſupplere & corrigere eis jus civile liceret. (9)

(1) Livius *lib. 6. c. ult. l. 7. c. 1.* (2) Livius *d. l.* (3) Livius *lib. 8. c. 15.* (4) Alex. ab Alex. *lib. 2. dier. gen. c. 15.* (5) Livius *d. l. 6. c. ult. & l. 7. c. 1.* (6) Alex. ab Alex. *d. c. 15.* (7) Alex. ab Alex. *l. 2. c 8. p. m. 305.* unde actio de albo corrupto *l. 7. de jurisd.* (8) Pomponius *l. 2. §. 10. de O. J.* (9) Papinianus *L. 7. §. 1. de J. & J.*

Explicatio.

Cur hîc ordinem turbemus, & de edictis Prætorum ante, qvàm de SCtis agamus, ex dicendis capite ſeqventi conſtabit. Ipſa verò hiſtoria de Prætorum edictis & poteſtate maximè obſcura & intricata eſt, qvamvis glaciem aliqvatenus fregerit Alexander ab Alexandro *d. c. 15. libri 2. dier. gen.* qvem communiter abſqve judicio exſcribunt noviores. Nos potiſſima pro more notabimus.

Recenſuimus jam ſuprà *c. 3. p. 10. & c. 4. p. 13.* ſummatim ex Livio occaſionem & creati primum Prætoris, & poſteà communicati hujus qvoqve honoris cum plebe. Ex qvibus conſtat, utriqve huic negotio cauſam dediſſe iniqvitatem & abſurdiſſimam ambitionem patrum. Jam res diſtinctius

D perlu-

perluſtranda. *Vix dum*, ait Livius *d. l. 6. c. ult. perfunctum eum* (L. Furium Camillum dictatorem) *bello atrocior domi ſeditio excepit, & per ingentia certamina dictator Senatusqve victus, ut rogationes tribunitiæ acciperentur, & comitia conſulum adversâ nobilitate habita, qvibus L. Sextius de plebe primus Conſul factus. Et ne is qvidem finis certaminum fuit, qvia patricii ſe autores futuros negabant. Propè ad ſeceſſionem plebis res terribilesqve alias minas civilium certaminum venit; cum tamen per dictatorem conditionibus ſedatæ diſcordiæ ſunt, conceſſumqve ab nobilitate plebi de conſule plebejo: à plebe nobilitati de Prætore uno, qvi jus in urbe diceret, ex patribus creando.* &c. *Et lib. 7. c. 1. Annus hic erat inſignis novi hominis conſulatu, inſignis novis duobus magiſtratibus, præturâ & curuli ædilitate. Hos ſibi patricii qvæſivere honores pro conceſſo plebi altero conſulatu &c. Principio anni & de Gallis, qvos primo palatos per Apulejam congregari jam fama erat, & de Hernicorum defectione agitata mentio. Qvum de induſtria omnia, ne qvid per plebejum conſulem ageretur, proferrentur, ſilentium omnium rerum ac juſtitio ſimile otium fuit, niſi qvod non patientibus tacitum tribunis, qvod pro conſule uno plebejo tres patricios magiſtratûs* (prætorem unum, duos ædiles curules) *curulibus ſellis prætexatos tanqvam conſules ſedentes nobilitas ſibi ſumſiſſet, prætorem qvidem etiam jura reddentem, & collegam conſulibus atqve iisdem auſpiciis creatum, verecundia inde impoſita eſt ſenatui, ex patribus jubendi ædiles curules creari. primò ut alternis annis ex plebe fierent, convenerat, poſteà promiſcuum fuit.*

Qvæ cum ita ſint, patet apertè falſam eſſe cauſam introducti Prætoris, qvam refert Pomponius *l. 2. §. 27. de O. I. Cumqve conſules avocarentur bellis finitimis, neqve eſſet, qvi in civitate jus reddere poſſet, factum eſt, ut Prætor qvoqve crearetur, &c.* Neqve moramur Rupertum, qvi *cap. 13. Enchirid. Pompon. Vera*, ait, *cauſa creatorum Prætorum, qvam dedit Pomponius. Cicero ad Plancum. Placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutum Prætorem urbanum literas deferrent, qvi, qvod Conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more majorum. Livius lib. 31. Comitiis Prætorum perfectis*

ctis SC. factum est, ut Q. Fabio extrà ordinem urbana provincia esset, isqve potissimum Consulibus ad bellum profectis, urbi præesset. Nihil ad rem. 1. Non seqvitur: successu temporis, aut demum tempore Ciceronis Prætor absente Consule jus dixit, ergo hæc etiam fuit causa introducendæ Præturæ. 2. Et Cicero & Livius (certè hîc posterior) in iis locis loqvuntur non de potestate ordinaria Prætoris, seu de ejus jurisdictione, sed de extraordinaria. 3. Creatus fuit Prætor anno 388. Et jam diu Consules bellorum causa abfuerant, & tamen jurisdictionis gratiâ non opus erat creare Prætorem. Unde igitur tam nova necessitas fuisset orta? Magis inepta nobis videtur combinatio harum duarum causarum, genuinæ ex Livio, & falsæ ex Pomponio, qvâ postqvam semel usus erat Alexander ab Alexandro *d.l. 15. p.m. 381.* securè & ex reverentia in Pomponium eum seqvuntur communiter interpretes. *Vide Coccejum in not. Variorum ad d. §. 27. l. 2. de O. I. p. m. 45. Eberlinum de O. I. c. 23. n. 3. p. 212.*

De Prætore ex plebe idem Livius *lib. 8. c. 15. Eodem anno* (C. Sulpitio Longo, P. Ælio Pæto Coss. Anno U. Cond. 416. cum primus Prætor creatus fuerit Anno 388. Vinnius & Coccejus *in notis Variorum ad l. 2. §. 27. de O. I.*) *Q. Publilius Philo Prætor primum de plebe, aversante Sulpitio Cos. qvi negabat rationem ejus se habiturum, est factus: senatu, cum in summis imperiis id non obtinuisset, manus in præturâ intendente.* Hæc ultima verba satis ostendunt, plebejum prætorem creatum esse propter ambitionem Patrum & justam diffidentiam plebis erga Patres. Vana igitur ratio Eberlini, qvam assignat *de O. I. cap. 33. n. 4. p. 212. seq. Hic honos* (præturæ) *diu apud patricios non mansit. Licet enim initio de præturâ nulla qverela, nullaqve plebis vox exaudiretur, ob id fortasse, qvod cum unus Prætor crearetur, eum ipsum locum appetere impudentiæ videretur; Prætorum tamen numero posteà aucto, ne Magistratus alicujus plebs particeps non esset, Prætura etiam cum Plebejis hominibus communicari cœpta est, primusqve omnium Q. Publilius Philo &c.* Etenim ipsa verba Livii qvæ adduximus,

mus, ostendunt, tùm temporis cum Philo crearetur Prætor, nondum numerum Prætorum auctum esse, & id jam observavit Alexander ab Alex. *d. c. 15. p. m. 382.* qvi postqvam rem de Philone narrasset ex Flori Epitome Livii *lib. 19.* subjungit: *Sed cum Prætores magis ex usu Reip. viderentur, ita brevi illorum numerus auctus fertur, profecto ut mirum sit, qvàm facilè coaluerint. Qvippe latius propagato & aucto imperio, qvo tempore Attilius Calatinus primo Punico bello dictator, extrà Italiam duxit exercitum, cum obire tantum munus solus non posset, duo Prætores creati, exqve his alter urbanam alter peregrinam jurisdictionem sortiti fuere.*

Narrat Alexander in seqventibus fusius, qvomodo postea ex duobus Prætoribus qvatuor, tum sex, posteà decem, paulò post duodecim facti sint, donec Augustus sedecim expleverit numerum, qvem numerum non excessurum Tiberius jurejurando firmaverit &c. qvæ omnia apud ipsum latius videri poterunt.

Potestatem Prætoris primum in jure reddendo fuisse positam, verba Livii *ex l. 6. c. ult. & l. 7. c. 1.* initio expositionis præsentis descripta ostendunt. Summatim eam potestatem exponit Eberlinus *de O. I. c. 33. n. 7. 8. 9. p. 215. seqq.* & fortè eâ de re pluribus infrà in nævis. Statuit Eberlinus in facinorosos animadvertere Prætori non licuisse. Contrarium asserit Alex ab Alex. *d. c. 15. p. m. 389.* qvam & ipsam litem meam jam non facio. Peculiari lege potestatem hanc Prætori datam esse notat Alexander *d. l. p. 386. Deniqve*, ait, *nullo præfinito numero tot fuere, qvot expedire Reipublicæ visi sunt, qvod lege prætoria cavebatur, cujus verba subjeci. Juris disceptator, qvi privata judicet, judicarive jubeat, Prætor esto, juris civilis custos esto, huic potestati parento: qvotcunqve Senatus creverit, populusqve jusserit, tot sunto.* Qvam assertionem post alios ab ipso citatos repetiit Camillus Borellus *de magistratuum Edictis lib. 2. cap. 17. n. 21. p. 235.* Sed notat Tiraqvellus *ad Alex. d. l. Hæc verba sunt Ciceronis lib. 3. de Legibus. Cavendum autem hic ab Alexandro, qvi legem*

legem Ciceronis fictitiam de Prætoris imperio viguiſſe exiſtimat, ubi lege prætoriâ cautum ait, qvam ſcilicet ipſe Cicero de imperio Prætoris ſuæ Reipub. ut alias complures ad inſtar Platonis confinxerat.

Sed propterea non omninò cum Prætoribus noſtris comparari debet Prætor Romanus, qvippe cujus poteſtas & ab initio non multum à poteſtate conſulari differebat, & ſucceſſu temporis variis modis aucta fuit.

Ob honorem & majeſtatem jurisdictionis cui præerat, eadem inſignia & ornamenta conceſſa erant, qvæ Conſulibus. Sellâ curuli, trabeâ candidâ & eqvis albis utebatur, lictores cum faſcibus præeuntes adhibiti & nivei ad frena Qvirites ſubminiſtrabant. Et cum iisdem cum Conſulibus auſpiciis, comitiis centuriatis Prætor crearetur, Conſulum collega habitus eſt, licet Conſulis imperium majus, Prætoris conſulari minus fuit. Fuerunt & haſta, & gladius prætoriæ jurisdictionis inſignia, qvod de civilibus cauſis cognoſcentes pro tribunali haſtam, & in facinoroſos homines animadvertentes gladium erigerent. Inde venditiones ſub haſta, qvæ publicâ autoritate haſtâ appoſitâ fiebant. Ita Simon Leevvius *in Not. Var. ad l. 2. §. 27. de O. I. p. m. 46.* ad cujus declarationem non pauca conducent, qvæ diſſerit Eberlinus *d. c. 23. n. 5. & 6. p. 213. ſeq.* & Alex. ab Alex. *d. lib. 2. c. 15. p. m. 382.* (Edit. Belgic. cum Not. Var.) *& 392.* qvi eâd. *p. 382.* obſervat, qvod & aliqvando ſicut Conſules provincias ſortiti fuerint, hisqve & exercitibus cum imperio præeſſe cœperint. Jus dicentis officium latiſſimum eſſe *l. 1. de jurisd.* notat Ulpianus, ad qvæ verba Bartolus an Baldus (uter enim horum ſit, memoriâ excidit) elegantem qvæſtionem proponit, cur Jus dicentis officium latiſſimum dicatur & non longiſſimum? & adhuc elegantius reſpondet, homo haud dubio puſilli corporis ſed magnæ ſtoliditatis, qvod longi homines raro ſint ſapientes. Qvam latum autem Prætorum officium in jure dicundo fuerit, recenſet idem Alex. ab Alex. *p. m. 387. ſeq.* ſimul addens *p. 390.* qvod tam plebeji & humiles, qvam ædiles & qvæſtores reliqviqve magiſtratus, qvi nec vocationem nec prehenſionem habent, apud Prætorem in jus

vocare, cuivis poteſtas ſit. Apud Græcos autem Præturæ officium maximi momenti fuiſſe præter alia, quæ hunc in finem adducit idem *p.393. ſeq.* exinde apparet, qvod Dionyſius cum in eo magiſtratu eſſet, gradum ad tyrannidem fecerit. *Juſtinus lib. 21.* qvamvis & vocabulum Prætoris apud veteres tàm latè fuerit ſumtum, ut omnis magiſtratus, qvi jure & exercitu præiret, hoc nomine fuerit appellatus. Vide autores, qvos citat Eberl. *cap. 10. n.3. p. 80.*

Venio ad Edicta Prætorum. Sunt autem Edicta ea, qvæ Dionys. lib. 5. Romanos τὰς τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων διαγραφὰς appellaſſe ſcribit, in qvibus videlicet notum fit ſubjectis, qvid magiſtratus fieri vel omitti velit. Unde & Ædiles curules, Conſules, Cenſores & Tribuni Plebis ſæpius apud hiſtoricos edixiſſe, vel edicta propoſuiſſe referuntur. Vide Eberlin. *d. c. 10. n. 1. & 2. p. 79. ſeq.* qvi & circa diverſitatem inter Edicta urbana & provincialia *n. 5. p. 82.* evolvi meretur. Edicta hæc annua fuiſſe & in Albo eſſe propoſita; notum eſt. Cæterum id non vulgare eſſe opinor, qvod Rævardus obſervat *lib. ſing. Protrib. c. 4. p. m. 887.* aliud fuiſſe album edictorum, aliud formularum ſive actionum. Poſterius album qvod communiter aliàs cum primo coincidere creditur, exinde deducit. Poſteaqvam Cnejus Flavius actionum illarum, qvas Appius Claudius compoſuerat & ad formam redegerat librum ſurreptum populo tradidiſſet, actiones â pontificibus peti tandem deſiiſſe. Et cum primum creatus eſſet Prætor qvi inter privatos jus diceret, in ordinem cum iis qvas Sextus Ælius & alii compoſuerant, directas & publicè propoſitas fuiſſe, actionesqve directas ſive conſtitutas appellari cœpiſſe, qvæ anteà legis actiones dictæ fuerint. Qvodſi ita ſe haberet, veroſimile eſſet, hoc album Prætoris jam olim fuiſſe perpetuum, album edictorum autem ſingulis annis variaſſe.

Prætorum edicta non modicam obtinere juris autoritatem, & hoc jus honorarium ſolere appellari, atqve Ædilium Edictum juris honorarii portionem eſſe, Tribonianus

aſſerit

asserit §. 7. *Inst. de J. N. G. & C.* ex Cajo *l. 2. §. 10. de O. I.* Notatur communiter: Jus honorarium genus esse, cujus species aut portio æqve sit Jus Prætorium atqve jus Ædilium. *Vid. Eberl. d. c. 10. n. 15. p.* 87. Nisi dicere velis, Prætoris vocem in latâ, qvam modo innuimus, acceptione usurpare Cajum. Magis urget, cum Jus Prætorium dicatur saltem non modicam habere juris autoritatem, indicio, qvod non æqviparandum sit reliqvis juris scripti speciebus eò, qvod Prætor potestate Legislatoriâ caruerit, qvi fiat tamen, qvod Papinianus *l. 7. §. 1. de J. & J.* jus prætorum definiat, qvod Prætores invenerint adjuvandi & supplendi ac corrigendi juris civilis gratiâ. Qvomodo enim qvod minorem autoritatem habet qvam leges reliqvæ, reliqvas tamen leges, qvæ, ut notum, in oppositione ad jus prætorium jus civile dicuntur, corrigere potest? Sed de hoc commodius differemus in nævis.

NÆVUS XII.

Prætor mala intentione ad decipiendam plebem creatus, eiqve clanculum & insidiose indulta potestas legislatoria Jurisprudentiam Romanam maximè obscuram & intricatam reddidit.

Explicatio.

Prætorem malâ intentione & ad decipiendam plebem creatum fuisse, ex præcedentibus constat, qvia videlicet ideò creabatur Prætor, ne plebs participando de consulari dignitate, participaret de exercitio potestatis omnis, sed ut præcipuam retinerent patres potentiam judicandi de fortunis imò & (si, aut qvatenus Prætori merum imperium aliqvando fuit indultum) de corpore & vita civium. Non ergo mirandum, qvod & Patres illam contradictionem moralem admiserint, & Prætori, qvi saltem magistratus inferior erat, potestatem legislatoriam indulserint, qvia ipsi hac parte nihil perdebant; sed ipsi ordini Senatorio (contra cujus interesse

Prætor

Prætor in legum emendatione nihil committebat,) potius aliqvid accrescebat. Non mirandum, qvod plebs passa fuerit legislatoriam potestatem magnâ ex parte magistratui inferiori indulgeri, qvia qvæ ita indulgebantur, non indulgebantur sub specie potestatis legislatoriæ, sed sub specie interpretationis æqvissimæ aut adjumenti & qvæ sunt similia. Plebs autem facile decipitur, si nomina mutentur, uti historia omnium seculorum testatur.

Jam igitur facile patet, cui contradictio, qvæ subesse videtur in legibus Romanis, hac parte imputari debeat? Dicit Tribonianus *§. 7. de J. N. G. & C. Prætorum edicta non modicam obtinere autoritatem. Rectè* ait Eberl. *cap. 10. n. 4. p. m. 81. Tanta enim ut reliqvæ juris partes potestatis & efficaciæ non sunt. Nam lex tutorem facit, Prætor tutorem facere non potest.* (Describo saltem sententiam Eberlini absqve allegatis) *Lex heredem facit, Prætor non idem; Lex qvicqvid facit, vi suâ & ipso jure facit, ita ut alio facto opus non sit; Prætor vero non æqvè, sed si qvid præstat, per exercitium jurisdictionis suæ h. e. ministerio suo & facto partis id præstat. Plebiscita, SCta, placita Principum legi similia sunt, vicemqve legis obtinent; Prætoris edictum simile legi non est. Etenim Plebiscitum lege Hortensiâ non minus valet qvam lex; SCtum vice legis est, siqvidem & vice populi senatum consuli traditur. Placita principum verò legis vigorem habent, qvæ omnia de Prætoris edicto non dicuntur, sed hoc solummodo, qvod non modicam obtineat juris autoritatem. Et qvamvis interdum legis nomine edictum Prætoris appelles, propriè tamen id non fit, sed καταχρηστικῶς, ac propriè qvidem Prætoris edictum pars juris est, pars legis verò minimè, cum secundum proprietatem Jus Prætorium à Jure Civili perpetuo distingvatur &c.* Vides qvam se torqveat Eberlinus ut id exponat, qvod Prætoris edictum minus sit reliqvis speciebus juris. Si dixisset, debuisse ex naturâ officii Prætorii, tanqvam magistratus inferioris Edictum Prætoris minorem obtinere autoritatem, id tamen dolo senatus non esse observatum, brevissimis se expediisset. Nunc cum regiam hanc veritatis semitam deserit,

rit, dum ſe expedire vult, magis ſe implicat, ita ut leviſſimo negotio poſſim ferè ex ipſiusmet rationibus contrariam ab ejus ſententia defendere. Qvidſi enim dicerem: *Edictum Prætoris æqvalem habuit autoritatem atqve aliæ juris ſpecies. Prætor enim etſi hæredem non dedit, dedit tamen bonorum poſſeſſorem, qvi in effectu fuit heres, aliqvando plus qvam heres. Prætor etſi ipſo jure non faciat, ſed miniſterio ſuo, hoc tamen miniſterium æqvalem habet effectum cum eo, qvod ipſo jure fit, cùm JCtus fateatur; nihil intereſſe ipſo jure qvis actionem non habeat, an ope exceptionis elidatur. Verum eſt: de Prætoris edicto non talia dicuntur, qvæ de legibus, SCtis aut Principum placitis; at nos non de iis qværimus, qvæ dicuntur, ſed qvæ ſunt. De uxore, qvæ precario vel clam regnat, imperium non dicitur, habet tamen. Miſera verò diſtinctio eſt inter partem juris & legis, cum jus cujus pars dicitur edictum Prætoris, hic pro lege ſumatur. Eſto: Jus Prætorium contradiſtingvitur Juri civili, non contradiſtingvitur tanqvam genus generi, ſed tanqvam ſpecies ſpeciei.* Ergo Eberlinus explicando aſſertionem Triboniani effecit, ut nihil explicuerit.

Si fiduciam in ſapientia Triboniani aut Juſtiniani aliqvam ponerem, provocarem ad *Novell. 24. & 26.* In *Nov. 24. pr.* ita dicitur: *Veteres Romani ſuos Imperatores Prætores appellabant, ſimulqve illis præbebant, ut militaribus præirent copiis,* (de qvo jam ſuprà in expoſitione hiſtorica capitis hujus egimus,) *& deſcriptis ab illis parebant legibus, & prorſus erat hic magiſtratus ex ambobus contemperatus, præ ſe ferens & oſtentans tàm in inſtruenda acie robur, qvàm inferendis legibus rectum & decentem ordinem.* In *Nov.* autem *26. c. 1. Si Prætor Romanorum Imperatoris ſimul & legislatoris locum in ſua Republica tenuit, in confeſſo eſt, qvod nihil perinde hujus magiſtratûs* (Prætoris Thraciæ) *appellationem deceat, qvam nomen Prætoris.* Sed cum ego non adeò magnificè ſentiam de ſapientia horum virorum, adduxi ſaltem *καθ' ἄνθρωπον*, ut valeant contrà eos, qvi ſputa Juſtiniani lingunt. Et mallem audire, qvomodo cum Eberlino conciliare velint iſta cum illa doctrina communiter receptâ, qvod Edicta Præ-

 torum

torum non habuerint æqvalem vim legum reliqvarum, & qvod Prætor non exercuerit poteſtatem legislatoriam. Mihi ſufficiat, qvod ſapientiſſimus JCtorum Papinianus *d. l. 7. §. 1. de J. & J.* Jus prætorium definiat, *qvod id Prætores introduxerint, adjuvandi, vel ſupplendi vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam.* Atqvi hæc omnia excedunt officium Magiſtratus inferioris, qvi miniſter eſt & interpres legis. Nam adjuvare plus eſt qvàm interpretari, ſupplere plus qvàm adjuvare, corrigere plus qvàm ſupplere, ut adeò is, qvi adjuvare, ſupplere & corrigere legem poſſit, neceſſariò exercitium habeat poteſtatis legislatoriæ.

Miror acutiſſimum Bachovium, ut mitigaret hunc exceſſum Prætorum, verba hæc JCti explicatione planè incommodâ expoſuiſſe, dum *in πρώτοις p. 55.* ita diſſerit: *Credibile eſt initio Prætores ea tantum propoſuiſſe Edictis, qvæ ad modum & formam Jurisdictionis & dicendi Juris pertinere videbantur, poſteà autem ſenſim progreſſu temporis id uſurpaſſe, ut etiam jura conſtituerent. Qvod ipſum non legislatoriâ autoritate factum, præter id, qvod diximus Prætorem magiſtratum fuiſſe, & nihil amplius, multa inſuper confirmant. Et 1. qvod populus, cujus ſuprema poteſtas erat, nec Prætori leges condendi unqvam dedit poteſtatem, ſed propter æqvitatem eorum, qvæ edicebat Prætor, populus eo jure lubens & ultrò uſus eſt. 2. Qvod nihil contrà leges ſtatuere, nec leges ullas abrogare poterat Prætor,* l. cum ſponſus 12. §. ſi res 4. de publ. in rem act. l. non eſt 12. §. 1. de bon. poſſ. *Sed tantum præter jus aliqva ſtatuebat, & de iis edicebat, qvæ lege ſancita aut expreſſim vetita non erant. Nam ſanè cum L. XII. Tabb. ſui tantùm vocarentur, ſatis hoc ipſo emancipati excludi videbantur. Attamen qvoniam expreſſè hi à ſucceſſione prohibiti non erant, ſuo Edicto Prætor eos admiſit. Qvæ qvædam ſpecies eſt correctionis, qvomodo accipiendum eſt, qvod Papinianus reſpondet,* in l. 7. de Juſt. & Jur. *Jus civile corrigi per jus Prætorium* &c. Hic id verum eſt, Prætorem uſurpaſſe poteſtatem legislatoriam, & qvod populus ei nunqvam hanc poteſtatem conceſſerit. Falſum eſt, qvod populus propter æqvitatem

eo

eo jure ultrò & lubens usus fuerit. Æqvitas consensum non infert. Poterit tyrannus & invasor multa æqva statuere, ex qvibus tamen non inferendum, populum isto jure ultrò & lubenter uti. Senatus utebatur lubens, plebs utebatur decepta novitate nominum & fictionum. Falsum ulterius, tantum Prætorem præter jus qvædam statuisse, & hoc innui per correctionem, de qva loqvatur Papinianus. Confundit Bachovius *suppletionem* cum *correctione*, in illa præter jus aliqvid statuit Prætor, hîc contrà Jus, e. g. dum bonorum possessionem & secundum & contra tabulas concessit, qvarum utrâqve Juri civili contradicitur. Unde etiam falsum est, qvod Prætor nihil contrà leges statueret, qvamvis id & Paulus & Ulpianus asserat; ille *d. l. 12. §. 4. de publ. in rem act. Si res talis sit, ut eam Lex aut Constitutio alienari probibeat, eo casu Publiciana non competit, qvia his casibus neminem Prætor tuetur*, ne contrà leges faciat. Hic *d. l. 12. §. 1. de B. P. UbicunqveLex vel Senatus vel Constitutio capere hereditatem probibet*, & bonorum possessio cessat. Nam non novum est, falsas assertiones aut rationes contineri in corpore juris.

Ergo consensit Senatus huic invasioni prætoriæ ex ratione suprà dictâ, qvi aliàs facilè technas & cavillationes prætorias olfacere potuisset. Videntur & JCti consensisse, fortè eò, qvod sæpè in disputationibus fori similem artem decipiendi plebem usurpaverint Et videtur illa ars summatim in duobus momentis constitisse, fictionibus, & novis nominibus pristinam rem significantibus.

Qvantum vero per hæc duo capita obscurata sit Jurisprudentia Romana, facile demonstrari potest. Difficillima est tota materia fictionum, qvæ si non in totum, saltem maximam partem invasioni & Prætoris & JCtorum in potestatem legislatoriam videtur originem debere. Hinc maxima difficultas intelligendi naturam actionis publicianæ, & dominii illius ficti, ex qvâ profluit, qverelæ inofficiosi testamenti & fictionis in qva ea fundatur.

E 2 Porrò

Porrò qvod nova nomina attinet, notum eſt, qvantis difficultatibus prematur doctrina de actionibus in factum, aut ſi hoc exemplum diſpliceat, qvantis tricis non eſt involuta doctrina de bonorum poſſeſſionibus? Sudat Studioſus Juris, dum videt heredem juris civilis manere heredem, & tamen ex hereditate nihil accipere, bonorum poſſeſſorem contrà heredem non eſſe, & tamen habere omnia commoda heredis; hereditatis petitionem poſſeſſoriam dari ei, qvi heres non eſt, contra heredem &c. Pertinet etiam ad hanc iſtius artificii partem, qvod Prætor novas leges cudendo, aliqvando nomina retinebat antiqva, tollebat definitiones. Ita cum certi modi eſſent conſtituti, qvibus per leges ipſo jure tolleretur actio, & hi non adeſſent, deberetqve Prætor actionem concedere, novo invento ſe expedivit: Dedit actionem, ſed exceptione elidendam. Unde nova crux. Actio eſt remedium obtinendi juris. Hæc inventio Prætoris Actionem format, qvæ nihil obtinet. Et qvanta difficultas eſt in cognoſcenda differentiâ exceptionum & modorum, qvæ actiones ipſo jure tollunt? Sufficiant hæc per modum primarum linearum. Alii diſtinctius hunc nævum expediant.

NÆVUS XIII.

Maxima Juris confuſio ex mutatione freqventi edictorum Prætoriorum orta eſt.

Explicatio.

Res ipſa per ſe patet, cum omnis mutatio juris freqvens ejus incertitudinem, incertitudo confuſionem pariat. Saltem mutatio probanda eſt. Ne aliqvid innovaſſe videar, malo rem verbis aliorum juris Interpretum qvam meis efferre. Ita vero Simon Leevvius *in Not. Var ad l. 2. §. 10. de O. I.* *Solebant Prætores ſtatim initio Magiſtratus edicta de multis rebus proponere, ſecundum qvæ toto anno jus redderent. Superiorum Prætorum edicta utplurimum ſeqvebantur, niſi fortè dignum ipſis aliqvid viſum fuiſſet,*

fuisset, qvod adderetur aut mutaretur, aut novo edicto caveretur, cujus rei perqvam erant cupidi, (vide ergo annon melius fecisset Leevvius si paulo ante scripsisset; superiorum Prætorum edicta ut plurimum non secutos fuisse successores,) *ut aliqvid viderentur ipsi à se excogitasse, & in publicam utilitatem nonnihil de suo contulisse.* Et paulò post: *Turpe habitum est nec minus reprehensibile, edictum suum mutare, qvo nomine reprehenditur à Cicerone Verres, qvod ex edicto suo non semper jus dixisset. Neqve qvod Romæ edixissent de jure communi sine aliqvâ suâ infamiâ in provinciali Prætura, si qvam posteà fuerint adepti, mutare, testante eodem Cicerone adversus Verrem.* Et iterum: *Uti & magistratus, ita qvoqve & eorum edicta annua erant, cum id honori eorum tribueretur &c. Sed cum hæc edictorum inconstantia & mutabilitas magnam Prætoribus tribueret licentiam, arbitrio suo qvidvis decernendi & statuendi, prout qvisqve avaritiâ aut ambitione duceretur, qvo factum, ut cum singulis annis nova edicta proponerentur, ipsum jus ob edictorum varietatem turbaretur, C. Cornelius Balbus Tribunus plebis, qvem Cicero defendit, etsi nemo repugnare ausus fuerit, multis tamen invitis legem tulit:* Ut Prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent. *Qvæ lex multum autoritatis & gratiæ sustulit ambitiosis Prætoribus, qvi variè jus dicere assveverant. Vide Dion. l. 36.* Conf. Eberl. *cap. 10. de O. I. n. 8. p. 84.*

Obscura sunt, qvæ de Lege Corneliâ & edictis Prætorum *perpetuis* hîc differit Leevvius, triplici sensui subjecta, qvasi nempe 1. post illam legem Prætores nec Antecessorum edicta mutare potuerint, aut 2. sua saltem, sive illa solum, qvæ initio anni promulgaverant, sive 3. illa etiam, qvæ in prima prætura (si fortè iterum Prætores fierent) jam proposuerant. Primum sensum videtur in mente habuisse Leevvius. Sed is mihi parum verosimilis videtur. Potius tertius videtur esse hujus loci & constitutum esse lege Corneliâ, ut ex Edictis semel à se propositis perpetuò jus dicerent, nec illa amplius mutare possent, qvæ est sententia Antonii Augustini *de LL. popul. Roman. tit. de LL. Corneliis*, ut & Wesenbe-

cii *in Paratitl. ad Tit. de Offic. Præt.* Et admodum ſvadetur per inſignem locum Aſconii Pediani *in Orat. Cicer. pro Cornelio*, ubi inqvit, qvod Cornelius per legem hanc Corneliam gratiam Oratoribus ambitioſis ſuſtulerit, effeceritqve, ne ab iis, qvæ ſemel publicè propoſita eſſent, recedere poſſent. Conf. Franzkium *ad Pand. de O. I.* Maximè res patet ex iis, qvæ Dio Caſſius narrat *Hiſtor. Rom. lib. 36. p. m. 20. ex interpret. Xylandri. Prætores ſolebant jura ea, ſecundum qvæ eſſent judicaturi, ſcripta edere. Neqve enim Prætores id jus qvod ad contractus dirigendos poſitum erat, obſervabant, neqve id unqvam fecerant, neqve ſcripto juri ſteterant: ſed ſæpènumero ea variaverant, crebroqve per gratiam & odium certorum hominum, veluti fieri aſſolet, multa gerebantur. Igitur rogationem tulit, ut & ſtatim à principio Prætores prædicerent, qvo jure eſſent uſuri, & deinde neqvaqvam ab eo deflecterent.*

Subjungamus pauca ex Holtermanno, *in prælectionibus de O. I. p. m. 54. ſeq. Qvare poſt hanc legem edicta propoſita toto illo tempore, qvo qvis Magiſtratus erat, durabant, & in cauſis incidentibus non ante, qvam cauſa finita, finiebantur, atqve ita ratione intentionis Prætoriæ perpetua dicta, licet aliâ ratione & reſpectu edicta hæc ita perpetua fuere annua, ſicut ipſi Magiſtratus, unde nec ſucceſſorem tanqvam parem obligabant l. 41. de arbitr. ita ut non poſſet diverſum ſtatuere. Hinc Cicero in Verrem 3. hanc legem annuam dicit, cui adferant finem Calendæ Januariæ. Res tamen ipſa, hoc eſt jus in eo propoſitam* (mallem dixiſſet: *Sententiæ tamen Prætorum & jus ex iis aut ex Edicto qvæſitum.* Hoc enim probant ſeqventia, non de jure in Edicto propoſito. Imo ſi de jure in Edicto propoſito hic loqveretur, contradiceret ſibi ipſi in præcedentibus) *non fuit annuum ſed duravit, qvia ſeqventibus novis Prætoribus, novis ſuis edictis à deceſſorum propoſitis juribus diverſum temere proponere, & ita jus alterius reſcindere & convellere non erat licitum. Jus enim ita in benè conſtitutâ Republ. in libidine qvaſi & arbitrio Magiſtratuum non debebat eſſe, attamen hoc teſtantur actiones Prætoriæ, qvæ licet ad exitum anni Præturæ cujusqve natæ, tamen annum vixere non continuum qvo abſolvebatur Magiſtratus, ſed utilem, qvare*

poſt

post annum Pratores actionem dederunt l. 1.pr. de vi & vi arm. l. 4. de vi bon. rapt. imò & pleræqve perpetuæ fuerunt l. 35. de O. & A. pr. Inst. de perp. & temp. act. Testatur id etiam hoc, qvod diu ante Hadrianum & illius edictum perpetuum, ex qvo ille jus reddi voluit, JCti in componendo Edicto Prætoris, qvasi unum & non multiplex esset jus Praturæ occupati fuere, quod frustrà fuisset factum, si cum cujusqve Prætoris imperio jus à qvoqve propositum expirasset. Testatur id vox: translatitium apud Cicer. in Epist. l. 3. Ep. 8. qvæ propriè significat id, qvod crebro de uno loco in alterum transfertur, qvia usurpabatur præcipuè de capitibus sive partibus edictorum, qvæ omnibus edictis ferè eodem sensu & iisdem verbis repetita inserebantur & sic in aliud transferebantur. Cic. lib. 1. in Verr. In re tàm usitatâ satis est ostendere, omnes anteà jus ita dixisse, & hoc vetus edictum translatitiumqve esse, & hinc eâdem accipitur notione, qvâ aliàs dicimus vulgare, receptum, solenne, qvod passim occurrit. Petron. Intelligebam me non tralatitiâ deformitate esse insignitum, i. e. me valde esse deformem. Svet. Aug. c. 10. Ac ne publicum qvidem & tralatitium jus ulla in re sibi sine factione gravissimæ mercedis impartiente. Proponebantur etiam edicta Prætorum Jurisdictionis perpetuæ causâ, non prout res inciderent l. 7. de Jurisd. qvæ ideò perpetua dicta. Ideò extant sub liberâ Rep. leges, qvibus Prætores jussi ex edictis suis perpetuis jus dicere. Tum recenset locum Dionis suprà datum. Sunt verò in hoc loco Holtermanni multa obscura, dubia, & inconvenienter dicta, qvæ discursui reservamus.

NÆVUS XIV.

Dolendum est, qvod Chronologiam actionum â Prætoribus inventarum non habeamus.

Explicatio.

Fluit hic defectus ex præcedenti, qvamvis magis ad casus pertineat qvam ad vitia. Cum seqventes Prætores sæpius corrigerent aut emendarent vel supplerent Edicta antecessorum, sæpè eveniebat ut actio aliqva inveniretur, qvæ

cum

cum præcedente aliqvâ affinitatem habebat aut pingvior erat, ut adeò poſt illam poſteriorem, prioris vel nullus vel exiguus uſus eſſet. Igitur ſi Chronologiam aɛtionum haberemus, poſſemus evitare multas difficultates in jure ideò obvenientes, qvod neſciamus, qvænam aɛtiò Prætoria ſit prior alterâ.

Ita jam alibi *in diſſertatione de Uſu aɛtionum pœnalium in foris Germaniæ* exemplum dedi de *Vi bonorum raptorum aɛtione.* Circa hanc enim ſe torqvent communiter Dd. ut declarent juventuti, qvâ de causâ Prætor eam invenerit, cum aɛtio furti manifeſti multo pingvior ſit, videlicet tota pœnalis, & raptor manifeſtus ſit fur haud dubiè improbior, & tamen aɛtione vi bonorum raptorum ſaltem pœnâ tripli coërceatur. Unde manet objeɛtio ex *pr. Inſt. h. t. Ridiculum eſt, qvod levioris conditionis ſit, qvi vi rapit, qvàm qvi clam amovet.* Res omnis hîc ſita videtur in Chronologia. Ex conjeɛturis veroſimilibus olim furti aɛtio ex Jure Civili dabatur in duplum indiſtinɛtè, ſive fur manifeſtus eſſet, ſive nec manifeſtus, ſive clam, ſive vi res abſtuliſſet. Poſteà Prætor aliqvis ſentiens majorem malitiam eſſe raptoris qvàm furis, invenit aɛtionem vi bonorum raptorum cum pœna tripli. Huic ſuccedens alius poſteà ob furem manifeſtum aɛtionem furti in qvadruplum invenit. Quo faɛto manebat adhuc diſtinɛtio inter furem & raptorem non manifeſtum, & videbatur adeò neceſſarium eſſe, ut etiam aɛtio vi bonorum raptorum in raptore manifeſto ad eam proportionem extenderetur. Hoc ſi fieri debuiſſet, debuiſſet augeri aɛtio vi bonorum raptorum in qvintuplum & qvidem tanqvam meram pœnam. At hoc non admittebat ſtilus Curiæ Romanorum, apud qvos aɛtiones ultrà qvadruplum non dabantur. Ergò nihil amplius reſtabat, qvàm in raptore manifeſto augere aɛtionem vi bonorum raptorum in qvadruplum, ut hoc caſu merè pœnalis ſit, ſed nec hâc inventione opus erat, cum in rapinâ poſſet etiam qvis formulâ aɛtionis furti manifeſti uti, qvia utiqve raptor fur

eſt,

eſt. Et ita manſit actio vi bonorum raptorum intuitu raptoris manifeſti intacta. Sed haud dubiè poſt inventam actionem furti manifeſti ejus hoc caſu nullus amplius vel exiguus uſus fuit.

Similiter circa §. *6.& 7. Inſt. de Actionibus* occaſione actionis Paulianæ & Servianæ qværunt Doctores: qvid opus ſit actione Paulianâ, cum per miſſionem in poſſeſſionem bonorum qvis accipiat pignus Prætorium, & ſic habeat actionem Qvaſi Servianam ſeu hypothecariam, qvæ pingvior ſit actione Paulianâ, cum in actione hypothecariâ non debeat probari, an alienatio facta ſit fraude an minus. Qvamvis autem non ſim neſcius, etiam poſt actionem hypothecariam Paulianam habere uſum intuitu rerum ante miſſionem impetratam alienatarum, qvæ per hypothecariam repeti neqveunt, manet tamen dubium, qvid opus ſit, qvod Pauliana data ſit non tantùm de rebus ante miſſionem alienatis, cum de rebus poſt miſſionem alienatis jam adfuerit hypothecaria? Hic ergo dico, vel Paulus Prætor ante Servium præturam geſſit, adeoqve dum Pauliana introduceretur, Serviana nondum erat in uſu, aut, ſi Servius etiam ante Paulum Servianam ſuam ſtabiliverit, qvia illa tantum de rebus coloni dabatur, ſaltem Servianam demum poſt Paulianam à JCtis ad omnes hypothecas eſſe extenſam, & ita minimum Qvaſi Servianam eſſe poſteriorem Paulianâ &c.

NÆVUS XV.

Diſtinctio officii Prætorii ab officio Judicis Pedanei moribus noſtris non recepta, difficilem maximè reddit Jurisprudentiam Romanam.

Explicatio.

Ordinariè Prætor proceſſum ſaltem ordinabat, ipſe non judicabat, nec probationes coram ipſo fiebant, ſed coram judice pedaneo, qvem dabat, & cui formulam ſenten-

tionandi præscribebat. Si Prætor ipse cognosceret, & partes dirimeret, dicebatur id fieri extra ordinem, *§. ult. Inst. de interdictis.* Hæc officiorum Prætoris & Judicis distinctio uti erat qvasi fundamentum primarium Processus Romani, ita exinde, qvod hodie moribus nostris (dico: *moribus nostris*: Nam qvamvis communis sententia Doctorum statuat, qvod idem obtineat etiam de Jure Justinianeo, notabimus tamen in Comment. ad Instituta, id nondum adeò certum esse,) idem homo sit Prætor & Judex, multæ distinctiones Juris Romani, qvæ in ista divisione Prætoris & Judicis fundabantur, qvia non sunt ad mores nostros, obscurissimè & tradi solent ab interpretibus & intelligi.

Ita *juris* & *judicii* distinctio in Pandectis sæpius obvia, item τȢ *jus dicere* & *judicare* non semper à Lectoribus aut Interpretibus, uti fieri debebat, attenditur. Ita citatio hodierna non solum abest longè ab *in jus vocatione*, sed & ab ipsa *citatione* antiqvâ. Ita aliud est deferere *vadimonium*, aliud, *eremodicium*, circa qvorum terminorum expositionem etiam acutissimi JCti aliqvando hallucinantur. Ita *notio* & *jurisdictio mandata* toto cœlo differunt ex principiis Juris Romani, ista tamen differentia sæpè in doctrina de Commissariis confusè & obtorto collo applicatur. Ita differentia *actionum bonæ fidei & stricti juris* à sola hac officiorum divisione & potestate judicis pedanei oritur, adeoqve hodiè, qvicqvid etiam dicant JCti forte omnes in contrarium, nullum usum habet. Ita totus titulus *Instit. de divis. stipul.* & qvod aliæ *stipulationes* sint *Prætoriæ*, aliæ *Judiciales*, aliæ *communes*, istâ differentiâ sublatâ suâ spontè corruit. Ita qvod *Exceptiones* aliæ dicantur *facti* aliæ *juris*, aut convenientius, qvod qvidam sint modi tollendi obligationem *ipso jure*, qvidam *ope exceptionis*, ad distinctum Prætoris & Judicis officium pertinent, qvo confuso istæ subtilitates Juris Romani hodie nullum habent usum, qvamvis iterum ferè unanimiter Doctores statuant, modos tollendi obligationem ipso jure posse opponi etiam ante li-

tem conteſtatam, exceptiones ſolum poſt eam, qvod aſſertum tamen eſſe falſiſſimum videbimus ad Inſtituta, ubi & de reliqvis punctis hîc per indicem ſaltem notatis dicemus diſtinctius.

Id ſaltem hîc noto, ex non obſervatâ hac diſtinctione inter *jus dicentis* & *judicis* officium, à multis antinomiam ſtatui inter *l. 10. ff. de jurisd.* & *l. 77. de judiciis*, cum tamen nihil minus ſit. In priori lege Ulpianus: *Qvi* jurisdictioni præeſt, ait, *neqve ſibi jus dicere debet, neqve uxori vel liberis ſuis, neqve libertis vel cæteris, qvos ſecum habet.* Ratio eſt aperta, qvia in cauſa ſuorum eſt ſuſpectus ille, qvi proceſſum dirigit. In poſteriori lege autem Africanus aſſerit. *In privatis negotiis pater filium vel filius patrem judicem habere poteſt.* Nam judicis officium ad formulam eſt adſtrictum. Qvare qvæ Tribonianus in *l. ſeq. 78.* ex Paulo inſeruit, *qvippe judicare munus publicum eſt*, ea à ratione legis præcedentis videntur eſſe alienisſima. Et fortè in *l. 77.* emblema Triboniani ſunt verba: *In privatis negotiis.* Nam non video, cur non & in publicis eſſe judex poſſit ex juris Romani principiis? Sed hæc obiter.

NÆVUS XVI.

Maximè obſcura redditur Jurisprudentia Romana, qvod non habeamus accuratam deſcriptionem Proceſsûs antiqvi judiciarii Romani.

Explicatio.

Diverſiſſimum fuiſſe proceſſum juris Romani antiqvi à noviore & hodierno maximè communiter recepto nullum dubium eſt, & loqvuntur id plurima vel tyronibus juris cognita, puta diſtinctum officium Prætoris & Judicis pedanei, in jus vocatio privata autoritate facta, litis conteſtatio in actionibus realibus ſuper re præſenti, formulæ ſolennes hinc inde in negotiis coram Prætore ventilatis, deductio ad album, & alia infinita. Sunt tamen adhuc plurima, qvæ non ita accuratè vel ſciuntur, vel qvomodo ex aliis circumſtantiis profluxerint, & cum iis connexæ ſint, penſitantur, ſine qvi-

 bus

bus tamen jus Romanum, & Pandectæ potissimum, utpote qvod ad ea sæpissimè respicit, vel planè non intelligi possunt, vel erronea doctrina juris animis studiosorum non potest non instillari.

Ita v. g. qvod *domus* dicatur tutissimum cujuslibet refugium, ut non possit inde in jus vocari *l. 18. de in jus voc.* ratio in violenta & privata in jus vocatione consistit, qva in hodierna citatione cessante, absurdus foret, si qvis eam observationem ad citationem nostram vellet applicare, etsi alias Dd. in multis observationes ad in jus vocationem pertinentes transferant ad citationem.

Ita eadem ratio in jus vocationis introduxit *missionem in possessionem bonorum l. 19. eod.* qvæ adeò cum toto cœlo diversa sit à missione hodiernâ in possessionem bonorum post sententiam, non potest non magna confusio oriri, si ex legibus Romanis de missione in possess. loqventibus advocatus omnes sine selectu velit pro jure clientis sui allegare in processu nostro.

Ita *editio actionis* in processu Romano alio longè modo fiebat ac hodie, & cum obscurissimum sit, qvid JCtus velit in *l. 1. §. 1. de edendo* atqve Commentatores in expositione & lectione textûs insigniter discrepant, similiter & ratio *ejusd. l. 1. §. 2.* de editione sine die & consule adhuc maximè lateat, constat, qvod & totus ferè titulus de edendo erroneæ expositioni subjiciat, si in istis capitibus principalibus erroneos conceptus qvis sibi formaverit, & multò magis erronea applicatio ad editionem hodiernam timenda sit.

Ita dum JCti de differentia *vadimonii* & *eremodicii* litigant, & de vadimonio an id anteqvam ad Prætorem qvis veniret, an coram Prætore, an utrobiqve promissum fuerit, dubiè inqvirunt, multi textûs Juris Romani simul incertam & dubiam expositionem nanciscuntur.

Ita dum alia ratio erat *cautionis à reo præstandæ* propter in jus vocationem, ac hodiè, admiratur studiosus juris differen-

rentiam juris hodierni à veteri, si causas differentiæ ignorat.

Ita dum ad *fidejussorem idoneum* illo tempore etiam id reqvirebatur, ut & ipse non latitaret, (aliàs enim actor ipsum non potuisset in jus vocare) & id dicebatur, qvod fidejussor locuples vel idoneus sit conveniendi facilitate *l. 2. pr. qvi satisd. cog.* ex dictis qvis facile judicat, cur hodie conveniendi facilitas judicetur saltem ex eo, si qvis sit sub ejusdem judicis jurisdictione, cum tamen *l. 7. pr. ff. eod.* idoneitas fidejussoris & identitas fori tanqvam omninò diversa notentur. Istâ autem ratione ignoratâ facilè *d. l. 7.* ipsum torqvebit.

Ita si qvis consideret naturam *citationis antiqvæ* qvod & cur vivâ voce præconis facta fuerit, *l. 7. pr. de in integr. restit.* deprehendet minus apposité à Georgio Obrechto *in Exercitio juris antiqvi p. 25.* citationem hanc ita fuisse exhibitam, qvod viator reum ex domo evocet, eumqve, qvi jam fidejussorem dederat, citet, ut in jus die perendino veniat; deprehendet, minus apposité Doctores plurimos deceptos processu hodierno, edictum peremtorium in *l. 68. seqq. ff. de judic.* ad citationem referre, cum tamen citatio in *l. 73. ff. eod.* edicto opponatur, & edictum magis vices in jus vocationis qvàm citationis videatur supplevisse, si videlicet actor nesciverit, ubi reus habitaverit, qvod in urbe magnâ facilè contingere potest.

Ita si qvis modum & formulas *litis contestationis circa rem præsentem* examinet, & qvod in rebus immobilibus ob eam solennitatem *gleba* fundum repræsentaverit, qvodqve *formula qvam Prætor judici præscribebat*, satis apertè indicaverit initium processûs coram judice à probationibus incepisse, litis contestationem autem coram Prætore fuisse peractam, is simul cognoscet, errorem sapere, commune Pragmaticorum observatum, ea qvæ antiqvitus coram Prætore gesta sint, applicari posse [ad] ea, qvæ hodiè fiunt in judiciis nostris ante litem contestatam, ea verò, qvæ coram Judice pedaneo sint peracta, spectare ad ea, qvæ hodie à litis contestatione ad finem judicii peraguntur; cognoscet, inepte Doctores qvos-

dam concipere hodie formulas libelli in actione ad exhibendum; cognoſcet, inſigniter fuiſſe lapſum Georgium Obrechtum *in d. Exercitio p. 28.31. & 47.* ubi triplicem format litis conteſtationem in rei vindicatione, unam coram judice pedaneo, duas coram Prætore, alteram anteqvam gleba ex fundo, de qvo agebatur, apportetur, alteram poſtqvam gleba apportata fuerit, &c.

Ita dum ex dicta ratione *gleba* in jure *fundi* nomine qvandoqve veniat, & vero facilè conjici poſſit, extra litis conteſtationem hunc ſignificatum non fuiſſe in uſu, ſeqvitur, errare qvosdam Doctores, dum in materia legatorum loco dubii proponunt; An fundo legato legatum debeatur? dum & gleba fundus ſit, & conſtet legatum non valere, ſi genus legatum poſſit venire ad rem minimam, ut ſi qvis animal, vinum &c. leget.

Ita ſi qvis conſideret, ex qva ratione Prætor in proceſſu Romano qvasdam interrogationes in jure inſtitutæ actioni, ſive reali ſive perſonali, præmiſerit, & adverſus malè reſpondentem in pœnam mendacii actiones interrogatorias indulſerit; is & obſcurum aliàs titulum *de interrogationibus in jure faciendis* facilè intelliget, & errorem eorum notabit, qvi hodie qvamvis interrogationibus ſublatis, eum, qvi in litis conteſtatione ſuper rei vindicatione negaverit ſe eſſe poſſeſſorem, putant poſſeſſione poſtmodum probatâ condemnandum eſſe, qvamvis actor dominium non probaverit, non ſentientes, ſimile qvid in jure Romano conſtitutum fuiſſe ſolum propter uſum actionis interrogatoriæ. Deniqve iterum deprehendet, Obrechtum *d. Exercitio p. 51.* malè inſtruere Actorem ſuum, ut coram Judice probet, Reum poſſidere fundum, qvod Reus jam confeſſus fuerat Prætori, & de qva probatione nunqvam in formula Rei vindicationis judici præſcripta aliqvid continebatur. Alia ut jam taceam.

Optandum igitur eſſet, ut Proceſſus iſte juris Romani à JCto aliqvo, qvoad hiſtoriam fuerit deſcriptus. Sed hic defe-

defectus jam videtur tempore Triboniani Jurisprudentiam irrepsisse. Aliàs enim credo, nobis in tertio Instutionum capite de actionibus non exhibuisset tam jejuna fercula ex Gajo suo, sed probabiliter historiam illam additis mutationibus suis in istud caput transtulisset.

Nostris temporibus qvi id præstiterit, nondum aliqvem novi. Laudanda qvidem industria Georgii Obrechti, qui *in dicto Exercitio Juris antiqvi* tolerabilem in defectu meliorum adumbrationem Processus Romani dedit; & nævi, qvi hinc inde in eo deprehenduntur magis genio seculi, qvam ipsi videntur adscribendi. Scripsit enim istum libellum anno 1600. (recusum tamen Francofurti 1682.) qvo tempore Germani JCti rarius antiqvitati Historicæ operam dederant. Interim tamen, qvia nævi illi, ut modo qvosdam exhibuimus, satis notabiles sunt, accuratius aliqvod scriptum non immeritò desideratur.

Scripsit & Franciscus Polletus Duacensis JCtus *Historiam fori Romani*, recusam Francofurti in 8. 1676. libellum satis doctum, & additionibus qvibusdam ab ejus genero Philippo Broidæo illustratum. Sed dolendum, qvod morte præventus tractatum non absolverit, & in ipso processu causarum privatarum, qvem in libro qvinto delineare voluerat, morte præventus desierit. Qvamvis enim Gener à cap. qvarto dicti libri qvinti ad finem usqve suppleverit defectum, non tamen hoc supplementum correspondet operi ipsi.

Interim non diffitendum, multa subsidia hodie suppetere, si qvis laborem hunc non omninò inutilem in se velit suscipere, & ex antiqvitate historiam hanc Processus Romani eruere. Multa præter centones Pandectarum latent in Plauto, Cicerone, aliisqve, maximè in Ciceronis orationibus. Dolendum est, eximium JCtum sui temporis Franciscum Balduinum, qvam alicubi promisit Jurisprudentiam Ciceronianam ad perfectionem non perduxisse. Dolendum, nostros Criticos, qvi in edendo Cicerone occupati sunt, magis in colli-

colligendis Notis Variorum de literis & syllabis qvàm de rebus esse sollicitos, nec esse inter ipsos, qvi justam commentationem in orationes Ciceronis tentent.

Qvod si qvis scripta excellentium JCtorum, qvi studio antiqvitatis famam sibi acqvisiverunt, puta Duarenorum, Alciatorum, Connanorum, Hottomannorum, Rævardorum, Cujaciorum, Balduinorum, Brissoniorum &c. percurrat, & capita ad processûs notitiam pertinentia notet atqve digerat, non adeò magno labore putarem eum multa egregia ad hunc finem pertinentia, & colligere & in ordinem redigere posse.

CAPUT. IIX.

De Edictis Ædilium.

EOdem tempore, qvo Prætor creatus fuit, etiam Ædiles curules ortum sumserunt, qvorum primitus cura in suspectione ludorum publicorum consistebat, (1) postea potestas eorum aucta fuit, ut & viarum & venditionum publicarum curam gererent, atqve eo nomine Edicta proponerent, qvæ similiter vim legis habuerunt. (2)

(1) Livius *lib. 6. in fine.* (2) *t. t. ff. de Ædil. edict.*

Explicatio.

Origo Ædilium Curulium omnium optimè ex Livio hauriri potest. Qvi postqvam de Prætura à plebe patribus in compensationem communicati cum Plebe Consulatus, egisset, subjungit: *Ita ab diutinâ irâ tandem in concordiam redactis ordinibus, cum dignam eam rem Senatus censebat esse, meritòqve id si qvando unqvàm aliàs, Deum immortalium causâ libenter facturos fore, ut ludi maximi fierent, & dies unus ad triduum adjiceretur; recusantibus id munus Ædilibus plebis, conclamatum à patriciis est juvenibus*

vibus, se id honoris Deûm immortalium causâ libenter acturos, ut Ædiles fierent, qvibus cum ab universis gratiæ actæ essent, factum SCtum, ut duos viros Ædiles ex patribus dictator populum rogaret, patres autores omnibus ejus anni comitiis fierent.

Pomponius pro more causas Prætoris creati cum causa Ædilium institutorum miscet *l. 2. §. 26. de O. I. Deinde* ait, *cum placuisset creari etiam ex plebe Consules, cœperunt ex utroqve corpore constitui. Tunc ut aliqvo plures patres haberent, placuit duos ex numero patrum constitui, ita facti sunt Ædiles Curules.* Rupertus ut Pomponium defenderet, ita arbitratus est *Comment. ad Enchirid. Pompon. p. m. 240. Corasius negat hanc veram esse causam, sed illam potius: ut ludi maximi fierent. Sed nullum conseqvens: Ædiles Curules creati sunt propter ludos maximos, ergo non creati sunt, ut plus dignitatis accederet patriciis. Sunt enim unius rei plures causæ. Et si qvid ex statu temporum illorum colligere possum, potior videtur causa, qvam Pomponius tradidit, vulgatâ illâ cæterorum historicorum. Victus Senatus sævientis populi consensu, dat potestatem creandi plebeji Consulis. Contrà ut patres aliqvid recipiant à plebe, petunt & impetrant Prætorem. An credibile est, Patres sic acqvievisse; nec ultrà qvicqvam excogitasse ad stabiliendam dignitatem suam, qvi contra plebem omnes calliditatis artes semper advocârunt? Imò machinati sunt hoc ipsum, qvod scribit Pomponius. Vulgatur speciosissimè. Cum ab diutinâ irâ demum in concordiam redacti sint ordines, in honorem Deûm immortalium ludos faciendos esse, feriisqve Latinis diem addendum ad triduum. Sciebant versutissimi, Ædiles plebis hoc oneris oneribus suis vix adjecturos; & præterea reconciliatâ plebe per communicatum Consulatus honorem, magna novi magistratus indipiscendi spes erat. Igitur plebejis Ædilibus novum onus recusantibus, nec attendente calliditatem patrum nimiâ lætitiâ plebe, conclamatum à patriciis est juvenibus, se honoris Deûm causâ libenter facturos, ut Ædiles fierent. Ita verò compositum fuisse patriciorum consilium, credere nos jubent tùm priora Senatus adversus plebem acta, tùm ea, qvæ posteà secuta sunt. Nam ut scribit Livius, statim illo ipso anno 387. in concionibus qverebantur Tribuni Plebis, qvod pro uno*

Consule plebejo tres patricios magistratûs curulibus sellis prætexatos, tanqvàm Consules, nobilitas sibi sumsisset. Igitur ex post facto veram causam sagaciter eruit Pomponius, neqve scriptorum aliorum silentium nostro præjudicare debet, qvi causam creatorum Ædilium curulium solummodò vulgatam prodiderunt. Breviter: Distingvit Rupertus inter causam veram & prætextum. Illam à Pomponio, hanc à Livio fuisse expositam. Distinctionem ipsam ejusqve applicationem ad historiam rei gestæ approbo: Applicationem ad sagacitatem Pomponii nego, qvippe qvem nil minus intendisse qvam hoc, ostendit, qvod in §. *seq.* de orig. Prætorum, nec prætextum nec causam veram narret, ut *in cap. præced.* contra eundem Rupertum ostendimus. Interim gratias agimus Ruperto, qvod hac responsione nobis ansam dare voluerit cogitandi de novo qvodam Jurisprudentiæ nævo, de qvo paulò pòst.

Magnam autem fuisse autoritatem Ædilium plebis sub prætextu ludorum, ex Cicerone patet *in 5. Verr. Nunc sum,* inqvit, *Ædilis: habeo rationem, qvid à populo Romano acceperim: mihi ludos sanctissimos maximâ cum cærimonia Cereri, Libero, Liberæqve faciendos: mihi Floram matrem populo plebiqve Romano ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiqvissimos, qvo primi Romani sunt nominati, maximâ cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæqve esse faciendos; mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem & sollicitudinem fructus illos datos, antiqviorem in Senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam Curulem, jus, imagines ad memoriam posteritatemqve prodendam.* Et fuisse hunc *nobilium juvenum illustrissimum principatum* observat Polybius *lib. 10.*

Probabile est sub prætextu inspectionis ludorum publicorum maximis cerimoniis actorum, Ædiles etiam nactos esse curam viarum publicarum, eoqve pertinere edictum, ne qvis animal qvod nocere possit, habeat in via publica, ne scilicet in ludis publicis alicui damnum fiat. Cura viæ publicæ & fori facilè posteà ad se traxit curam venditionum, qvæ

in

in foro fierent, qvo spectant reliqva edicta in Pandectis, qvæ, qvoniam speciem utilitatis publicæ præ se ferrent, facile tacito consensu à populo approbata sunt. Nam & hodie ejusmodi dispositiones ad vias publicas & venditiones in foro pertinentes, non tam legum, qvam ordinationum nomine venire solent, ad administrationem officii magistratuum pertinentium, eæqve magistratibus inferioribus apud nos permittuntur à Principibus, etsi potestas legislatoria iis neqvaqvam indulgeatur.

NÆVUS XVII.

Creatio Ædilium in odium plebis facta, suspecta reddit eorum Edicta, qvod per ea non semper utilitatem publicam, sed magis ut plebs multis litibus involveretur, intenderint.

Explicatio.

Ædiles in odium plebis creatos esse modo vidimus ex Ruperto. Consideremus tamen rem paulò distinctius. Viderant Patres, plebem obtentu Consulis Plebeji inebriatam esse, ut non sentirent damnum ipsis accedens per creationem Prætoris, de qvo *cap. præced.* Ut ergo insatiabilis est ambitio, tentabant per insidias ei omnem libertatem tollere. Ludis maximè delectatur plebs, ludis tempore pacis mollescit, ut inepta fiat ad fortia facta tentanda, unde antiqvum consilium eorum, qvi tyrannidem affectant, populum delinire per ludos. Non affectabant Patres Æditiam dignitatem, probè gnari, qvod Ædiles plebis onus cerimoniarum ordinandarum tanqvam earum ignari non sint suscepturi. His detrectantibus Patricii ad ludos & cerimonias inanes aptissimi, (ut nostra juventus) ex composito se offerunt. Prætextus: se velle ad munus in honorem Deûm suscipere. Semper enim ambitioni prætexta fuit pietas. Non ignari erant, curam viarum, fori, edicta secutura. Ineptissimus populus gratias agit pro hac

 amica

amica hostilitate hostibus juratis. Sed mox sentit fraudem, communicatur honor cum plebe &c.

Jam qvis istis præsuppositis, magnificè vellet de Edictis Ædilium sentire, qvemcunqve prætextũ etiam honestatis aut necessitatis habeant? Tria de iis restant in titulo de Edicto Ædilitio. Transeat, qvod curam viarum respicit. Duo reliqva de venditione mancipiorum & jumentorum primâ fronte æqvissima videntur. Si paulò penitius spectes, videntur saltem ad multiplicandas lites esse proposita. Lege titulum de Ædilitio Edicto & qvæstiones inanes, sæpè ridiculas de morbis servorum & jumentorum, qvibus omninò occasionem dabant Edicta Ædilium. Videbimus pluribus, Deo dante, ad Pandectas. Jam saltem nota, qvod hæc fortè causa sit, cur rigorem istum Edicti Ædilitii non observent mores nostri. *Confer, qvæ dixi dissert. de usu act. pœnal. cap. 3. §. 33.*

CAPUT IX.

De Senatus Consultis.

REferuntur qvidem communiter Senatus Consulta inter augmenta legis XII. Tabb. (1) sed verius est Senatum tempore liberæ Reipublicæ potestatem Legis condendæ non habuisse.

(1) *l. 2. §. 9. de O. I. §. 5. Inst. de J. N. G. & C.*

Explicatio.

Pomponius *d. l. 2. §. 9. Deinde qvia difficile plebs convenire cœpit, populus certè multò difficilius in tanta turba hominum: necessitas ipsa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit. Ita cœpit Senatus se interponere, & qvicqvid constituisset, observabatur, idqve jus appellabatur Senatus Consultum.* Ex qvo in suas institutiones transtulit *d. §. 5.* Tribonianus. *Senatus Consultum est, qvod Senatus jubet atqve constituit. Nam cum auctus esset populus Romanus in eum modum,*

dum, ut difficile esset in unum eum convocari legis sanciendæ causâ; æqvum visum est, Senatum vice populi consuli. Adducerem pro hac sententia Ulpianum in *l. 9. ff. de LL.* ubi dicit: *Non ambigitur, Senatum jus facere posse*, si non verosimile esset, Ulpianum loqvi de temporibus Imperatorum, non de temporibus liberæ Reipubl. De temporibus Imperatorum autem suo loco videbimus.

Ita communiter adoratores Legum Romanarum sententiam Pomponii & Triboniani seqvuntur, qvam cum optimè refutaverit Bachovius in πρώτοις *p. 38. seq.* non injucundum erit locum hunc qvamvis paulò prolixiorem legere. *Diximus suprà in tribus consistere administrationem totius Reipublicæ, in judiciis, magistratibus & Senatu; qvi plurimum Romæ potuit, & maximæ habitus dignationis. In hoc de legationibus, provinciis, bello, fœderibus &c. tractabatur, sed ita, ut ferè Senatus placita rata non essent in rebus gravioris momenti, nisi à populo fuissent probata: itaqve qvæ Senatui placuerant, ex auctoritate ejusdem à Consule ad populum referri, ut qvasi lege lata confirmarentur, solebant, qvod infinitis Livii locis contestatissimum est. Nobis de tota potestate Senatus & objectis istius consilii tractare propositum non est: sed tantùm de ea parte, qvæ legis sanciendæ potestatem concernit. Diximus ea, qvæ Senatus decreverat (exceptis qvibusdam) non fuisse rata, nisi populus ea rata esse jussisset, apud qvem tum summa Reipublicæ erat: Et certum est, Senatum jus & potestatem Legis condendæ non habuisse, sed eam populi fuisse potestatem: qvin hoc jus populi fuisse etiam sub Regibus (ex horum ipsorum voluntate,) locuples testis est Dionys. Halicarnas. lib. 6. antiqvit. Rom. apud qvem Consul in Senatu ita loqvitur: Scitis, nobis legem esse ab urbe condita, qvæ omnia ponit in arbitrio & potestate Senatûs, præter magistratuum creationem, inferendi belli deponendiqve arbitrium, & legum contendarum potestatem: & hæc tria esse penes populum. Qvæ magis sub libera Republ. præsertim, cum potestatem, qvam expulsis Regibus optimates sibi vindicarant, extorsissent sibi contestantur, & perpetuo propria fecit & usurpavit: & postremis qvoqve temporibus paulò ante oppressam Rempubl. populum usum esse, qvæ Plutarchus in Lu-*

cullo, Cæsare, Pompejo, Mario, Cicerone, Grachis &c. & Dio Cassius 35. & 36. histor. & alii scribunt, faciunt plenam fidem. Et qvid igitur est, qvod sub nomine Pomponii scriptum legimus in l. 2. §. deinde 9. de Orig. Jur. & ex eo in §. Senatus Consultum 5. Inst. de jur. nat. cùm auctus esset populus Rom. in eum modum, ut difficile esset in unum eum convenire, placuisse, Senatum vice populi consuli. Et qvid enim, an ante populum ita auctum, non fuit consultus Senatus? Hoc nihil falsius dici potest: cùm istud consilium publicum statim ab urbe condita fuerit, & perpetuò manserit, porrò etiam maximè aucto populo temporibus posterioribus, nihilominus ut anteà, leges à populo latas fuisse, modò relati autores liqvidissimè docent: & jus istud ad Senatum nunqvam translatum fuisse à populo, oppidò qvam certum est. Nec superest aliud, qvam ut liberè loqvamur, & falsum esse fateamur, qvod in d. l. 2. §. deinde 9. de orig. jur. & in d. §. Senatus consultum inst. de Jur. nat. scriptum est: qvod nec ullo colore potest defendi, & manifestò historicæ veritati repugnat: maximè si id cum Theophilo ad §. 5. explices, placuisse τὴν σύγκλητον μόνην νομοθετεῖν, ut Senatus solus leges ferret, qvod omninò falsissimum est: Et in hujusmodi, qvæ ex principiis Politicis, Ethicis, aut ex Historiis deducenda sunt, autoritas sive Pomponii sive Triboniani, sive cujuscunqve tandem, sicubi ejus assertio illis repugnat, facilè contemnitur, imò contemnenda est. Illud qvidem non negarem, Senatum qvædam aliqvando ad se traxisse, qvæ populi erant: veluti Asconius scribit in Corneliana in pr. cùm nemo legibus solvi posset, nisi lege ad populum lata, Senatum tamen hoc usurpasse, ut ipse legibus solveret. Et Cicero in Topicis Senatus consulta refert inter partes Juris Civilis. At, qvin, qvod ita placuerit, vice populi Senatus expediret ea, qvæ ad populum pertinebant, & leges suo jure ferret, prorsus falsum est. Observandum insuper est, qvod qvæ Consulibus referentibus decernebantur à Senatu, non perpetuum, sed tantùm annuum robur habuerint, ut scribit Dion. Halicar. 9. antiq. Rom. & pluribus tractat Bodin. 1. de Republ. 10. An forte qvia Consulum imperium & ipsum anno finiebatur? An fortè à Græcis hoc acceptum? Demosthen: in orat. contra Aristocratem: ὁ νόμος, inqvit, ἐπέτεια κελεύει τὰ τῆς βουλῆς εἶναι ψηφίσ-

ψηφίσματα. Lex decreta Senatus jubet esse annua. Atqve hinc apud Romanos teste Halicarn. in fin. lib. 11. προβούλευμα *fiebat qvotannis: qvoniam praecedentis vires cum anno expirabant: & populi demum accedente consensu, qvae Senatus decreverat, perpetuò rata manebant.* Γραφέντος τοῦ προβουλεύματος, καὶ ἐπικυρώσαντος τοῦ δήμου, *ubi decretum scriptum seu Senatusconsultum populus firmasset, ut loqvitur idem autor lib. 8. & 10. Objicitur tamen hic l. non ambigitur 9. d. Legibus, ubi dicitur, nec ambigi, qvin possit Senatus jus facere, cui rei tot SCta, qvae legimus in Jure nostro adstipulantur; qvorum sane non annua, sed perpetua autoritas fuit. Res repetenda paulò altius est. Augustus cùm Rempubl. post Caesarem occupasset, populo concessit adhuc non pauca, & qvod Dion Cassius prolixè exeqvitur, etiam provincias qvasdam populo, leges etiam adhuc populi suffragiis per tribus ferri permisit: sicuti constat sub Augusto Falcidiam legem promulgante seu rogante Tribuno plebis à populo sancitam fuisse. Sed hanc potestatem mox Tiberius populo ademit: qvippe Tyrannorum praecipuè interest, ut qvàm minimum populus possit: ideoqve Tiberius populi minuit potestatem, & eam ad Senatum, à qvo minus metuebat, transtulit. Tacitus 1. annal. (ubi de Tiberio,) Tùm primum è campo comitia ad patres translata: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, qvaedam tamen studiis tribuum fiebant. Hactenus Tacitus: & rem ita se habuisse, coaetaneus Taciti Plinius ostendit 3. Epist. penult. Itaqve sicut magistratus creandi, ita & Juris faciendi potestas qvodammodo à populo in Senatum fuit translata; qva re deceptus videtur, qvisqvis ille fuit, qvi in d l. 2. §. deinde 9. de orig. Jur. de Senatuscons. scripsit, qvod repugnare fidei historicae probavimus. Ex hoc ipso autem, qvod dicimus, efficitur, qvod Senatus non propria, sed precaria qvasi autoritate jus & legem constituerit: nam & qvod plurimi textus juris nostri ostendunt, pleraqve SCta praecedere solebant orationes Principum, qvod boni Principes, qvae volebant obtinere, modestiae causâ ad Senatum referre solerent. Qvod si citra hujusmodi orationes Senatus qvid statuisset, id haud dubiè ad Principem referendum erat, penes qvem tum sola juris statuendi erat potestas. Postqvam autem in orientem fuit imperium sedesqve ejus translata,*

cùm abesset Roma Princeps perpetuò, non amplius eam potestatem Senatus fuisse Romani, nec Constantinopolitani, haud dubium est: qvod & ratio svadet, & ostendit satis l. ult. C. de LL. ubi Justinianus rectè & verè ait, solius esse Imperatoris, condere legem, & humanitatis est, qvod in l. humanum 8. C. de legibus sancitur, ut leges promulgandæ in & à Senatu approbentur, & insuper qvod de firmitate Senatus consultorum sancitur in l. un. C. de Senatus consultis, non ad nova, sed ad vetera & ante recepta Senatus consulta haud dubiè pertinet. Novissimè eandem sententiam defendit JCtorum Belgicorum decus Ulricus Huberus *in digress. Justin. l. 1. c. 3.*

Pro Pomponio vero contrà Bachovium prolixè pugnat Rupertus *ad Enchirid. Pompon. cap. 10. p. 125. seq.* Verba prolixiora sunt qvam illa Bachovii, adeoqve responsionem ad singula reservo discursui. Huc saltem transfero verba finalia disputationis illius. *Absente populo SCtum fieri poterat sine lege, sed de rebus minoribus. In rebus verò maximi momenti vel aderat populus, vel absens agebat per tribunos suos, & SCtum fiebat subscribente Tribuno, vel etiam cum lege. Certè majorum nihil transigebatur, vel validum erat, absqve voluntate populi. Utrumqve igitur verum, qvod Pomponius dicit, explicandus de SCtis prioris generis, & qvod illi historici, qvorum autoritatibus in Pomponium ire cogitabat Bachovius, sed frustrà.* Si igitur nihil aliud haberemus, qvod Ruperto regereremus, sufficeret, qvod ipse concedat, SCta non habuisse vim legum, & expressè *p. 126.* hac in parte deserat Tribonianum *in d. §. 5. de J. N. G. & C.* qvodqve explicatio ipsius de SCtis minoris momenti, non videatur qvadrare ad mentem Pomponii propter rationem, qvam Pomponius dat, de difficultate convocandi populum, (qvid enim opus convocatione populi in rebus minoris momenti, qvæ ad officium Senatorum qvà talium pertinent?) qvam rationem etiam Rupertus *d. l.* non defendit, cùm tamen perspicuum sit, eam esse vanissimam, ut aliàs in aliis capitibus, jam notatis.

NÆVUS

NÆVUS XVIII.

Propter tot variantes leges, Plebiscita, Edicta, necesse fuit etiam multiplicatum esse dissensum JCtorum in Explicatione eorundem, & per hunc auctam fuisse juris incertitudinem.

Explicatio.

Necessaria fuisse incrementa dissensus JCtorum, patet ex iisdem rationibus, qvas suprà *cap. 3. nævo 7. pag. 11.* adduximus.

Sed qvid faciemus Pomponio, qvi iterum *d. l. 2. §. 47. de O. I.* de Labeone & Capitone dixit: *Hi duo primum velut diversas sectas fecerunt, nam Atejus Capito in his, qvæ ei tradita fuerant, perseverabat, Labeo ingenii qvalitate & fiduciâ doctrinæ, qvi & ceteris operis sapientiæ operam dederat, plurima innovare instituit.* Aut ergo falsum, qvod nos hîc asserimus, jam diu ante dissensum & adeò sectas fuisse cognitas ac freqventatas, aut falsum, qvod dicit Pomponius, sectas demum sub Augusto cepisse. Videtur dicendum: Vel Pomponio nihil de dissensu illo ante Labeonem & Capitonem constitisse, vel aliud esse dissentire, aliud sectas facere. Ante Capitonem & Labeonem pro Libertate Reipublicæ (saltem in ordine Senatorio & Patronorum atqve paucorum ex plebe selectorum,) singuli dissentiebant à singulis dissensu Eclectico. Tempore Augusti & Tiberii, ubi etiam Senatores vilissimis adulationibus assvefiebant, adeoqve libertas animi cum libertate civili peribat, sectæ factæ sunt, ubi dissensus non nitebatur ratione cujusvis, sed autoritate Præceptoris, etiam qvod mireris, in discipulis Labeonis, qvi tamen, ut Pomponius tradit, ipse à Præceptoribus suis recedebat, & multa innovabat, sive qvod discipuli Labeonis in culpâ fuerint, non eâ libertate præditi ut Labeo, sive fortè

H etiam

etiam vitio ipsius Labeonis, qvod ambitione seductus libertatem, qvâ ipse usus erat, nollet & auditoribus suis relinqvere. Commune hoc vitium est, & alibi diximus. Plato, Zeno, Epicurus, Aristoteles & in universum omnium sectarum capita Eclectici fuerunt, ipsi tamen sectas non post se reliqverunt, sed studiò fecerunt.

Incertitudinem juris ex isto dissensu ortam qvod attinet, nescimus, qvo medio tum temporis judices usi fuerint in hoc dissensu qvoad praxin tollendo. An communiorem opinionem secuti sunt? An singuli judices, qvi & JurisConsulti erant, propriam? An qvia judicis officium à Prætore dependebat, Prætor secundum amicorum suorum & agnatorum sententias actiones dabat? Qvocunqve nos vertamus, deprehendimus miserrimum vel ex hac incertitudine, jam tum temporis fuisse statum Jurisprudentiæ Romanæ.



LI-



LIBER II.
De Jure Romano à temporibus Julii Cæsaris ad Justinianum.

CAPUT I.
De intentione Julii Cæsaris emendandi Jus Civile.

OBtinebant ista, qvæ hactenus recensuimus in libera Republica, in qva successu temporis nævos Jurisprudentiæ simul fuisse auctos natura vitiorum persvadet. Unde inter primas ac præcipuas curas Julii Cæsaris fuit, novo Juris systemate proposito emendare istos defectus, nisi mors eum prævenisset. (1)

(1) Svetonius *in ejus vitâ c. 44.*

Explicatio.

Nævos crevisse successu temporis ut probemus, opus non est. Dato uno absurdo ex natura rei seqvuntur plura. Ergò multò magis datis tot absurdis. Neqve causæ nævorum cessarunt, sed odium patrum & plebis perpetuò continuatum, imò factionibus inter patres ipsos ortis, & inde subsecutis tot bellis civilibus non potuit non Jurisprudentia simul magis magisqve reddi incerta. Neqve enim ulla ejus emendatio seriò fuit tentata. Donec Julius Cæsar de emendatione cogitaret, de qvo ita Svetonius *d. l. Jam de ornandâ instruendâq; urbe, item*

 de

de tuendo ampliandoq; imperio plura ac majora indies destinabat &c. Jus Civile ad certum modum redigere, atqve ex immensâ effusâq; legum copiâ optima qvæq; & necessaria in paucissimos conferre libros &c. Talia agentem atq; meditantem mors prævenit. Fuit Julius Cæsar magnis vitiis commaculatus, fuit invasor imperii, non diffitemur, habuit tamen & magnas virtutes, atqve non intendit tyrannicè imperare, sed maximoperè defectuum Reipub. emendandorum studio incubuit, & capaci ingenio ad emendationem potissimum Juris qvam tentabat, atqve judicio fuit præditus. Vide iterum de ejus institutis ad utilitatem publicam pertinentibus Svetonium *cap. 40. 41. 42. 43.* Ad nos propius pertinet, qvod memorat *cap. 40.* qvod Julius Cæsar fastos correxerit jampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, ut neqve messium feriæ æstati, neqve vindemiarum autumno competerent. Fuisse hanc fastorum confusionem probabiliter etiam ob Jurisprudentiæ confusionem à Pontificibus factam, non dubitare sinunt ea, qvæ suprà disseruimus *l. 1. c. 4. p. 15. seq. & cap. 5. næv. 10. p. 20. ex Cicerone. Cap. 43.* refert Svetonius, qvod Jus laboriosissimè & severissimè dixerit &c.

NÆVUS XIX.

Dolendum, qvod morte præventus Julius Cæsar Jurisprudentiam nævis tot insigniter laborantem emendare non potuerit.

Explicatio.

Malo nævum hunc verbis Consultissimi Huberi qvam meis efferre. Ita verò hîc *in Auspiciis domest. orat. 5. p. m. 177. seqq. Nec minus Jurisprudentia legum multitudine & interpretum copiâ non sine magno judiciorum dispendio & omnium rerum confusione laborabat. Adeò qvidem, ut Cæsar Julius inter præcipuas ordinandæ Reipublicæ curas huic morbo non nisi magno & audaci remedio succurrendum judicaret. Qvippe ex infinita legum & Disputationum mole supervacua seligere & in paucos conferre libros, ut multis postea seculis à Justiniano*

factum

factum, probatissima qvæq; decreverat. Qvod, nisi mors eum infausta & hac utiqve parte inauspicata occupasset, cis paucos menses incredibili cum posteritatis fructu absolvisset. Per me qvidem fruere conscientia tua, Brute, & qvantum vis, imputa Idus Martias populo Romano. Consuluisti tamen immortalitati tuæ potius qvam orbi terrarum, pessimo dicam an pulcherrimo facinore. Manes tuos non insectamur, nec Tyrannicidæ statuam invidemus, sed rosæ ac lilia sepulchrum tuum non ornent, qvi nimis crudo servitii odio & improspera festinatione saluberrimi conatus fructum generi humano intercepisti. O qvam præstitisset, corruptos & degeneres tuos cives legum & imperii obseqvio licentiam exuere, qvàm ancipiti & piaculari libertate intempestivè onerari! cujus adò incapaces & indigni erant, ut ne traditam qvidem & inculcatam à vobis recipere & conservare potuerint. Si carunculam Senis expectare, & tantisper indomitam regni impatientiam cohibere, qvàm Rempublicam in casum dare, & civilibus bellis involvere maluisses. O qvàm præclaro Magni Dictatoris beneficio Jurisprudentia frueretur! Qvantò cultius Justiniano (ignoscant sacratissimi manes) Caji Cæsaris ingenium, qvantò melior & doctior Triboniano Sulpicius, qvàm dispares Dorotheo nescio cui, vel Theophilo, Scævola atq; Trebatius, qvantò beatiora florentis Romæ qvàm jacentis & à Gothis oppressæ tempora, tantò elegantius, tantò concinnius & eruditius (confessionem vis veritatis extorqvet) Julianum præ Justinianæo Compendium extaret. Non versaretur in ore doctorum tristis qverela, fractum nobis & lacerum, & enervè Juris corpus esse relictum. Non repræsentarent deliciæ nostræ Pandectæ, qvasi rudera Magnificentissimi ædificii pulvere multo dissipata, qvasi tabulas ornatissimæ classis ex infelici naufragio reliqvas, aut merces pretiosissimas irreparabili jactura mari vasto fluctuantes. Ille, qui ingeniosâ Calendarii emendatione suas anno tempestates, suas vices Soli & Cælo restituerat, qvantam non lucem foro idem ac tribunalibus, id est, ipsi Justitiæ, unico societatis humanæ præsidio, immortali posteritatis bono infudisset. Non hoc solo, qvanqvam fortuna major, Patre fuisti minor Auguste! Qvi potentiæ securus & otio affluens, cum abjecto Trium-viratu, jura dares, qvibus pace & tanqvam Principe populus uteretur, institutum Divi Julii adeò non perseqvebaris, ut potius de cumu-

landis legibus augendaq; fori diſceptatione cogitares. Interpretes Juris non modò autoritate, qvàm & olim populari conſenſu obtinebant, ſed inſuper immenſa Legislatorum poteſtate armaſti. An ita dominationi viſum expedire? ut nova reſponſa vetus Edictum & Prudentium autoritas judiciale regnum Prætoris everteret? An ut otii dulcedine plebs emollita, nobilioresq; animi civilibus ſtudiis ac forenſi occupatione partium & armorum obliti, priſtinam ferociam & atrocem Reipubl. memoriam deponerent? Sed interim gloriæ ac diſſentiendi libido docentium copiâ & dignitate aucta, non modò judicium religionem multitudine ſententiarum diſtraxit; Sed & Græculorum exemplo ſcholaſticas contentiones & ſectarum nomina ſanctiſsimis auditoriis intulit.

CAP. II.

De relictis aut mutatis Juris veteris ſpeciebus ſub Auguſto & Succeſſoribus.

IMperio ad Auguſtum delato neceſſe fuit aliam etiam faciem Legum & Jurisprudentiæ fieri. Res tamen pedetentim proceſſit. Leges initio in ſpeciem libertatis non paucæ latæ, (1) ipſæ conſtitutiones Principum per modum SCtorum propoſitæ, (2) Reſponſa Prudentum ſanctione corroborata, ut judici ab iis recedere non liceret, (3) Ædilium & Prætorum poteſtas coercita, (4) Prætorum edictum in perpetuam formam redactum, (5) formulæ ſublatæ, (6) & ipſum deniqve collegium Pontificum extinctum fuit. (7)

(1) Jac. Gothofr. *Hiſt. Jur. c.3.* (2) Gothofr. *d. l.* Struv. *Exerc. I. ad Pand. th. 10.* (3) *l. 2. §. ult. de O. J. §. 8. Inſt. de J. N. G. & C.* (4) Eberl. *c. 22. n. 6. p. 210. & c. 24. n. 11. p. 217.* Rupertus *ad Enchir. Pompon. p. 245.* (5) Gothofr. & Struv. *dd. ll.*

dd.ll. (6) *l.1. C. de formul. & impet. sublat.* (7) Coccejus *in not. Var. ad l.2. §.6. de O.I. p.m.15.*

Explicatio.

Fuit Augustus princeps astutus, omnes artes adhibens, ut imperium partum confirmaret. Inde *primum inter initia Principatus*, sunt verba Gothofredi *d.l.p.12. leges adhuc complures à populo, veteri ritu, Augusto autore, tantum non Julio latas, deprehendere licet (unde Juliis legibus tot nomen) Comitiis de Campo Martio ad Patres nondum translatis: qvod à Tiberio demum factum. Ita veteris libertatis instar umbraq; & simulacrum qvoddam ab Augusto relictum, à Tiberio ademptum, ne alioqvin vis principatus (ut ejus verba erant) resolveretur: Cujus ea conditio est, ut non aliter ratio constet, quàm si uni reddatur.*

Secundò Senatui qvoqve, inqvit Struvius & Gothofredus *dd.ll. Simulacrum aliquod pristinæ autoritatis in Jure constituendo relictum l.9. de LL. Nam quæ Principes de Jure privato constituturi essent, orationibus in senatu prius complectebantur; de his censendi arbitrio Senatui relicto; eas deinde orationes SCtum sequebatur l.1. de reb. cor. l. pen. ad Tertull. l.1. pr. de fer. l.60. pr. & l.16. pr. d. r. n. l.8. pr. de transact. l.16. de Sponsal. l.32. pr. de donat. inter vir. & ux. Hinc quod uno loco oratione introductum dicitur, vid. d. l.8. pr. de transact. d. l.1. de reb. eor. l.60. §.5. de r. n. id alibi SCto tribuitur l.23. §.2. de condict. indeb. l.7. C. de interd. matrim. Add. Brisson. 1. sel. antiq. 26. Atque hæc sunt illa Senatus Consulta, quorum tàm multa mentio in jure. Qvæ sanè observare est ibi incipere, ubi leges desinunt, id est, à Tiberii Principatu: desinere verò, seu procurrere ad Marcum Imp. usq; : ultra quem nulla amplius Senatusconsultorum de Jure privato conditorum mentio occurrit.*

Tertiò & JCtorum scientiæ, ita pergit Gothofredus *d.l.p.13. sua stetit & quædam autoritas: in tantum, ut & JCti ex Principis, jam inde ab Augusto, autoritate, non ut antea privata, publicè responderent, & rursus scripto non verbo, atq; ita major Juris hujus autoritas*

facta

facta fuerit. Addatur his, magna JCtorum freqventiâ circumfuſos Principes, ex quorum ipſi conſilio jura dicebant, condebant, ut non plures aut potiores Prudentes alia ætas tulerit, quàm hujus ætatis prima epocha: in tantum, ut qvorundam tandem Scriptis, vim Lectionis (ut loquebantur) vel autoritatem allegationis in judiciis, vimq́; legis Principes tribuerint. Diſertè Pomponius *l. 2. §. ult. de O. I. Et ut obiter ſciamus, ante tempora Auguſti publicè reſpondendi Jus non à Principibus dabatur: Sed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant, neq́; reſponſa utiq́; ſignata dabant; ſed plerumq́; judicibus ipſis ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos conſulebant. Primus Divus Auguſtus, ut major Juris autoritas haberetur, conſtituit, ut ex autoritate ejus reſponderent, & ex illo tempore hoc pro beneficio cœpit.* Et apertius Trebonianus *§. 8. de J. N. G. & C. Reſponſa Prudentum ſunt ſententiæ & opiniones eorum, quibus permiſſum erat, de Jure reſpondere. Nam antiquitus conſtitutum erat, ut eſſent, qui Jura publicè interpretarentur, quibus à Cæſare Jus reſpondendi datum eſt, qui Juriſconſulti appellabantur; quorum omnium ſententiæ & opiniones eam autoritatem tenebant, ut judici recedere à reſponſis eorum non liceret; ut eſt conſtitutum.*

De Ædilibus Curulibus habemus qvidem fragmenta in titulo de Ædilitio edicto, ſed Claudius tamen ipſorum poteſtatem, qvæ à Calliſtrato notatur *in l. eos. 12. inf. de decur.* aliqvantum cohibuit, dum coërcitionem popinarum illis ademit, *autore Svet. in illius vita c. 38.* qvam Nero anguſtiorem fecit, dum ſtatuit, qvantum Curules, & qvantum plebeji pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent; *teſte Cornel. Tac. lib. 13. annal. p. 373.* Tandem in municipiis, in qvibus & ipſis Ædiles fuiſſe conſtat ex *l. qui inſulam 30. §. 1. inf. locati & d. l. eos qui 12. inf. de decurionibus. Spart. in Hadrian. p. 142. Perſ. Satyr. 1. in fin. & Juvenal. Satyr. 10. ante med.* ad Decurionis officium eorum omninò tranſlatum eſt. *Eberl. d. l. p. 210. ſeq.* De Edicto Prætorio agemus peculiariter *cap. ſeq.* Ipſorum Prætorum poteſtas valdè etiam Cæſarum temporibus imminuta eſt, ita ut ex Jurisdictione priſca & imperio pauciſſima retinuerit, & ferè ea ſolummodò,

qvæ

qvæ à Conſtantino referuntur *in l. 1. C. de officio Prætor. & l. ult. C. de præd. minor.* Unde Boëtius *3. de conſolatione, Prætura,* inqvit, *magna olim poteſtas, nunc inane nomen, & ſenatorii ordinis gravis ſarcina.* Unde factum etiam eſt, ut propter Jurisdictionis illius parvitatem, & qvod onus tunc potius qvam honos eſſet, Prætores in urbe eſſe non potuerint, niſi qvi in ea domicilium haberent; *l. 2. C. de offic. Prat.* cum tamen aliàs nulli patriæ ſuæ adminiſtratio permitteretur, *t. t. C. ut nulli patriæ ſuæ admin. ſin. ſpec. perm. pr. perm. l. 10. C. de adſeſſ. & l. 1. C. Theod. eod.* Eberl. *c. 24. n. 11. p. 217.* Magis dicta illuſtrat Rupertus *ad Enchirid. Pomponii cap. 13. pag. 244. ſeqq. Sub Principibus,* ait, *acceſſerunt & alia muneri Prætorum, ut cognoſcerent de hiſtrionibus, eorumq́; fautores immodeſtos exilio mulctare poſſent; qvod factum ſub Tiberio, docet Tacitus* l. 1. Ann. c. 77. in reb. anni 767. *ut adverſus publicanos jus redderetur, qvod eſt apud Tacitum* l. 13. Ann. c. 51. in rebus anni 710. *cùm rerum potiretur Nero. Datum eorundem honori, ut ſententiam in ſenatu dicerent: qvod factum ſub Auguſto A. V. 744. ut ſcribit Dio* l. 55. *Idem Auguſtus ludorum omnium curam injunxerat, eodem Dione teſte* l. 54. *Duravit hic magiſtratus ad noviſſima Imperii Romani tempora. Meminit in rebus Valentiniani Amm.* l. 26. p. 309. *Ubi Valeſius: illo die, qvô Prætor magiſtratum iniret, h. e. Kal. Jan. deductum fuiſſe ab honoratis & plebejis officii cauſa, ſicut Conſules ſolebant. Et qvemadmodum ſupra de Coſs. docuimus, ad ædem Apoſtolorum veniebant, gratias acturi DEO; ibiq́; pecunias ac veſtes diſtribuebant in pauperes. Fuit autem reverà illis temporibus potius onus, qvàm honos propter immanes ſumtus, qvos facere cogebantur, ut pluribus docet Salmas.* ad Spart. p. 9.

Formularum ſublationem à Conſtantino factam ita refert Tribonianus *l. 1. C. de formul. & impetr. ſublatis. Juris formulæ aucupatione ſyllabarum inſidiantes cunctorum actibus radicitus amputentur,* & aſſerit idem Rupertus *d. l. c. 7. p. 111. Tandem,* ait, *à Conſtantino M. obviam itum juri non juri. Nazarius in Panegyr. V. c. 38. laudare videtur* his verbis: *Novæ leges regendis moribus & frangendis vitiis conſtitutæ. Veterum calumnioſæ ambages reciſæ captandæ ſimplicitatis laqveos perdiderunt &c.* Legunt tamen qvædam editiones

in inscriptione leges illius 1. loco Constantinus, Constantius, & notabile est, qvod *d. l. 1.* in Codice Theodosiano planè non extet, unde malæ fidei accusat Tribonianum Jacobus Gothofredus *ad l. un. Cod. Theodos. de omissa act. impetr. (l. 2. tit. 3. f. m. 95.)* qvæ est *l. 2. in Cod. Just. de formul. & impetr. sublatis: Est verò hæc lex,* ait, *pars prolixa admodùm Theodosii Jun. Constitutionis, qvâ is veteres & scrupulosas Actionum, Nuptiarum, Dotium, Donationum, Sponsalitiorum formas & formulas solennes, multasq; alias scrupulositates antiqvavit: & qvaliacunq; jam verba, qvalescunq; ritus sufficere in his actibus voluit: cujus constitutionis, præter hanc l. septem insuper fragmenta occurrunt,* l. ult. de sponsalibus: l. ult. de nuptiis: l. ult. de dotibus: l. ult. de naturalibus filiis: l. ult. de legitimis hæredit. Item l. 2. C. de bonis qvæ liberis: l. extraneum 11. C. de heredib. instit. *qvæ proinde omnes huic nostræ coaptandæ veniunt, velut unius ejusdemq; constitutionis partes, atq; eodem spectantes, ad formarum videlicet formularumq; veterum scrupulositatumq; aliarum abrogationem: qvæ hactenus obtinebant. Constantinus enim longè ante in testamentis, seu testamentariis tantùm formulas sustulerat, si fides adhuc auctori vitæ Constantini habeatur* lib. 4. c. 26. in f. *si fides inqvam: librorum enim ejus hactenus, non verò Constantini hac de re Constitutiones extant* in l. 15. C. de Testamentis, & l. 21. C. de legatis: *& verborum seu formularum subtilitatem Constantinus in testamentis tantùm parentum inter liberos sustulit, qvod docet* l. 1. inf. de famil. ercisc. *Sed enim ingentem lectori fucum facit Tribonianus, cùm sub Constantini vel Constantii nomine* in l. 1. C. de formulis; *omnes omninò Juris formulas ab alterutro horum Principum cunctorum actibus radicitùs amputatas proponit: id enim non à Constantino, non à Constantio, verùm à Theodosio Jun. nunc demum factum ex superioribus omnibus constat.*

De Pontificalis collegii sublatione ita Coccejus *d. l. p. 15. Post mortem Julii Cæsaris, pontificatum per vim invasit Lepidus. Qvô mortuô illum suscepit Augustus* teste Dione lib. 54. sub anno 741. *à qvo deinceps omnes Romani Imperatores, (ut, qvi cùm totius imperii professionem essent adepti, supremam etiam divinarum rerum autoritatem*

tem

tem haberent) Pontificum Maximorum titulum & Regimen ſibi reſervarunt. Usqve ad Gratianum, qvi primus amictum ſacerdotalem â Pontificibus ſibi oblatum averſatus eſt, teſte Zoſimo. Et paulò pòſt ipſum Pontificum Collegium à Theodoſio Seniore, cum omni alio gentili ſacerdotio ſublatum eſt, reditibus eorum fiſco applicatis.

NÆVUS XX.

Maximum damnum Jurisprudentia paſſa eſt, qvod Auguſtus facultatem reſpondendi per modum beneficii conceſſerit, & judicibus neceſſitatem impoſuerit, ut ne à reſponſis JCtorum recederent.

Explicatio.

Ante omnia qvæſtio facti eſt: An Auguſtus judicibus neceſſitatem impoſuerit non recedendi à reſponſis JCtorum? Non pauci JCtorum id negant, arbitrantes verba ultima §. 8. *Inſt. de J. N. G. & C.* pertinere non ad Auguſtum, ſed ad Valentinianum, qvi haud dubiè ſeqvuntur doctrinam Jacobi Gothofredi *in Comment. ad l. 1. Cod. Theod. de reſponſ. Prud.* (*lib. 1. tit. 4.*) *f. m. 32. Conſtitutum ait Tribonianus, non ab Auguſto, qvod Cujacius aliiqꝫ voluere, cujus utiqꝫ nulla ea de re conſtitutio proferri poteſt, qvodqꝫ totius Juris Hiſtoria ejerat; verùm à Valentiniano Tertio h. l. qvæ à Theodoſio Juniore qvoqꝫ inter alios probata eſt, qvando eam huic Codici ſuo inſeri paſſus eſt: & ab aliis fortè paulò anterioribus Imperatoribus, qvi ſuperſtitibus qvoqꝫ nonnullis νομοθετικὴν δύναμιν qvandam tribuerunt, ut de Innocentio qvodam Chryſantii avo memorat Eunapius in ejus vita. Eò ſcilicet paulatim deventum per gradus, ut veterum JCtorum qvorundam celeberrimorum ſcripta, qvæ paſſim Imperatores ipſi conſtitutionibus ſuis allegare ſeqviqꝫ ſoliti, (qvod de Diocletiano Imp. jam oſtendi* ad l. caſus majoris C. de teſtam. *& patet qvoqꝫ ex* l. 3. in f. inf. de teſtam. *ubi Scævolæ auctoritas cum elogio adhibetur) collapſa in Jurisprudentia, vel ad ſummum evecta, in judiciis allegarentur.* Et iterum fol. 35. *Hujus legis ſententia ita perſpecta, apparet liqvidò eam re-*

responsorum seu Jurisconsultorum confirmationem, de qva hoc tit. agitur, longè aliam esse ab ea, qva Divus Augustus, ut major Juris autoritas haberetur, constituit, ut Jurisconsulti ex autoritate ejus responderent: superstitibus enim id respondendi tantùm jus ab Augusto datum; & qvicqvid illud est, qvod datum fuit, non vim legis responsis Prudentum tribuit: qvomodo & antea ex Cicerone patet, orat. pro Cæcinna, pro C. Plantio, & pro L. Muræna: Prudentum responsa atqve decreta sæpè eversa. *Etsi fatendum, magnam fuisse horum responsorum ante hæc tempora jam olim dignitatem, eaq; privata religione paulatim pro jure fermè habita*, vid. Senec. ep. 94. Sed qvod pace Gothofredi & qvi eum seqvuntur, dixerim, istæ qvidem rationes non probant, vel Trebonianum respexisse ad tempora Valentiniani, vel post concessionem Augusti responsa prudentum non mox vim legum accepisse. Qvæ ipse de autoritate horum responsorum antiqvâ adducit, magis conjecturas addunt sententiæ nostræ. Potissimum locus Senecæ *d. Epist. 94. p.m. 555.* ubi ait, qvod JCtorum responsa ex autoritate ipsorum valeant, etiamsi rationem non reddiderint. Et miror virum summum pro suâ istâ opinione stabiliendâ provocasse ad Ciceronis illa loca, in qvibus ait, responsa prudentum sæpius fuisse eversa, qvasi hæc Cicero non scripserit ante Augusti beneficium JCtis indultum. Qvod verò primam assertionis istius rationem ponit, qvod constitutio illa Augusti non extet, parum facit. Non extat etiam constitutio Augusti, ut JCti ex autoritate ejus responderent, & tamen Pomponius *d. l. 2. §. 47. de O. I.* dicit, eum hæc constituisse. Qvin imò illud ipsum, *ex Autoritate Augusti respondere* inferre videtur, ita respondere, ut eandem autoritatem habeat, ac si Augustus ipse respondisset, unde Feltmannus *ad d. §. 47. de O. I. f.m. 85.* non malè infert, jam ab illo tempore legis vigorem habuisse responsa prudentum, *arg. d. §. 8. de J. N. G. & C. l. 1. §. 1. ff. de Const. Princ. junct. c. 82. de R. I. in 6. l. 1. §. 1. de offic. Præf. Præt.*

Igitur

Igitur jam videamus, qvâ de causâ id fecerit Augustus. *Antea*, inqvit Pomponius *d.* §. *47.* ex periphrasi Feltmanni, *Respondendi jus non à Principibus sive ipso Augusto anteqvam id constituerat, sive ab ejus Patre Cajo Julio Cæsare, dabatur, sed qvi fiduciam studiorum suorum habebant, qvæ labore, vigiliis, assiduitate paritur, non poculis, voluptatibus, illecebris, qvod utinam hujus ætatis scholastici perpenderent, ne non crescentibus admodum studiis ipsi modico freti studio decrescerent: Jampridem scripsit suo tempore Zasius* ad h. §. l. 2. *Consulentibus respondebant, neq; responsa utiq;, id est, certè* Gloss. in l. 16. pr. ff. de R.V. *signata dabant, sed plerumq; judicibus, à qvibus consulebantur ipsi Jurisconsulti scribebant respondendo, qvod sibi de negotio proposito videretur, aut testabantur, id est, sententias exponebant civibus, qvi illos consulebant & de Jure rogabant.* Hæc verò cur innovavit Augustus? *Ut major juris autoritas haberetur*, iterum dicit Pomponius. Benè, si secundum periphrasin Feltmanni, ita intelligatur: *ut major juris autoritas haberetur responsis prudentum.* Malè, si ita; ut à contemtu vindicarentur responsa, omnibus ante ipsius constitutionem, se promiscuè ingerentibus, ut exponit Eberlinus *p. 371.* Qvorsum etiam inclinat Franzkius *ad ff. de O. I. n. 59. p. m. 36. Qvô ipsô Augustus & sublimem hanc functionem ad merentes & probatæ fidei eruditionisq; viros, prævia, ut videtur, diligenti indagatione restrinxit, & simul dignitatem Jurisprudentiæ à contemtu hominum vindicavit, qvippe ita comparatum est, ut nimia familiaritas contemtum, & promiscua licentia audaciam pariat, qvâ imperiti sibi sapientes videntur. Atqve ita ante tempora Augusti de hac ipsa disciplina judicium fuisse, Cicero non obscurè subindicat, qvando* in libr. 1. de Orator. *inqvit, jus profitentur qvi nesciunt; itaqve si mihi homini vehementer occupato stomachus moveretur, intra tri-*

duum me Jurisconsultum esse profitebor. Et in Epist. ad Atticum l. 3. *Valerium, inqvit, JC. valdè tibi commendo, sed ita, etiamsi non est Jurisconsultus, melius enim ei cavere volo, qvàm ipse aliis solcat.*

Scilicet, ut rectè jam judicavit Huberus in loco, qvem dedimus ad nævum præcedentem, *ita dominationi videbatur expedire.* Non qvidem tam ob illas rationes, ut nova responsa vetus Edictum, & Prudentium autoritas judiciale regnum Prætoris everteret, aut ut otii dulcedine plebs emollita nobiliores qꝫ animi civilibus studiis ac forensi occupatione partium & armorum obliti pristinam ferociam & atrocem Reipublicæ memoriam deponeret, (qvas rationes ibidem reddebat Huberus) qvam ideò, ut propter necessarium ex negotii naturâ dissensum, aut potius ob dissensûs infinitam multiplicationem lites inter privatos multiplicarentur, & ita populꝰ infinitis istis dissidiis & jure incertissimo distractus non uniretur ad repetendam antiqvam libertatē. Non poterat autoritas JCtorum contemni, qvod aliqvi, adde etiam multi ante hanc constitutionem Augusti Juris parum periti vanâ fiduciâ virium propriarum aggrederentur, & ipsi de jure respondere. Hoc non poterat detrahere autoritati verorum JCorum, qvin potius ut pulcritudo gratior apparet inter deformes, ita JCti genuini melius fulgent inter medios Rabulas. Et annon major metuenda erat autoritatis Responsorum Juris labefactatio, cum à Principe per modum beneficii peteretur, qvod qvis viribus propriis præstare debebat. Necesse erat, monopoliis ejusmodi viam intercludi multis egregiis ingeniis dona divina expediendi publicè, & allici fratres ignorantiæ ad honores ambiendos favore, gratia, argento. Aut fortè alia tempora tum erant atqve hodiè. Et fortè ibi non regnabat in aulis fraus, dolus, ambitio, avaritia, insipientia. Credat hoc Judæus Apella.

Cæterum an singulis concessa fuerit illa potestas, ut Judex non possit recedere; an vim legis habuerint responsa, an saltem in certis causis valuerint, & qvomodo in dissensu sub

orte

orto judex se expedierit? distinctè proponit Frantzkius *d. l. n. 59. seqq. Cæterum responsa illorum, qvibus per Augustum jus hoc concessum erat, eam autoritatem habebant, ut judici ab illis recedere non liceret,* d §. respons. *licet rationem nullam reddiderint, qvod non tantùm si omnes vel plures conjunctim, sed & singuli respondissent, verum puto, siqvidem & antehac, si omnes consensissent, illorum sententia pro lege habitæ sunt, & non tantùm pluribus simul conjunctis, sed & singulis potestas illa concessa est,* d. l. 2. §. final. vers. ergò Sabino *& qvidem cum delectu & indagatione singulari doctrinæ,* arg. l. Magistr. 7. C. de profess. & Med. l b. 10. *qvorum opiniones non immeritò pluribus non probatis æqvipollent, imò anteferuntur, nec minus indicio est, qvod responsa sua non uti antea qvalicunqve scripturâ vel contestatione, sed signata dederint,* d. l. 2. § 47. vers. & ut obiter h. t. *Valuerunt tamen & pro jure habita sunt illa responsa saltem in illa causa, non in aliis, in qvo adhuc differunt à receptis sententiis, qvæ indistinctè valuerunt. Planè ita singulorum etiam opiniones autoritatem juris in singulis causis habuerunt, ut & postmodo Imperator Theodosius Papiniani, Pauli, Caji, Ulpiani & Modestini scripta universa approbavit,* l. un. C. Theod. de respons. Prudent. *Qvod si inter se dissenserunt, ut facilè fieri potuit, & jam tempore Augusti inter Attejum Capitonem & Labeonem, à qvibus, ut mox dicemus, Secta Sabinianorum & Proculianorum ortæ sunt, contigit; verisimile est magis, communem sententiam obtinuisse,* arg. §. cum ex aliena 25. Instit. de R. D. §. 2. Inst. de Emt. vend. Sed non omnes JCtos hîc convenire, argumento sunt ea, qvæ disserit Feltmannus *in paraphras. ad d. §. 47. l. 2. de O. J. num. 15. & 16. Et ex illo tempore peti cœpit hoc Jus Imperatoris autoritate respondendi pro beneficio, ut nemo ita respondere posset, ne ab ejus sententia & opinione judici haut liceret recedere, nisi cui specialiter à Principe ea potestas data esset. Qvi verò hanc impetraverant, illi signabant responsa, ut judices cernere possent ex charactere, an is, qvi responsum dedisset, esset è numero eorum, qvibus Imperator hoc Jus concesserat.* Seneca 7. de benefic. 16. Si tamen qvid sentiam, qværis, & vis signare responsum? Lipsius ibid. *Coccejus noster moram nobis facit, cùm Bachovium aliosq; sectans doceat, hunc locum non de singulis JCtorum*

respon-

reſponſis, ſed de eorum receptis ſententiis capiendum eſſe. Hilliger. Don. enucl. 21 c. 3. in not. lit. a. in fin. Mæſtert. lib. 1. de Juſt. LL. Rom. dub. 14. *At perperam! nam ita efficies, illa reſponſa fuiſſe jus, qvod conſvetudo approbavit,* h. l. 2. §. 5. ubi dixi. *Cujus non modicam principio Monarchici Imperii fuiſſe poteſtatem, multis ex locis probari poteſt. Manebant etiam veſtigia morientis libertatis.* Tacit. 1. Annal. 74. *Dicat qvis, & qværat, qvâ ratione difficultas, qvam inde nectit D. Coccejus, qvod duo pluresve diverſa ſentire potuerint, adducens* l. 43. ff. de act. empt. *tolli poſſit? Reſpondeo, dividendum eſſe, an non auditâ alterâ parte ad unius deſiderium reſponderint de Jure* d. l. 43. l. 49. §. 2. ff. de legat. 2. *vel exercitii cauſa qvid ſcripſerint*, l. 40. ff. de reb. cred. *an verò facti qvæſtio, ſive à judice, ſive ab ipſis, qvos res tangebat, eſſet propoſita, ut hoc, non illo caſu legis vigorem habuerint reſponſa, & judicibus ab iis recedere non licuerit, cùm & ipſa Principum reſcripta non aliter valeant, qvàm ſi preces, ad qvas fuere datæ, nitantur veritate.* l. 2. C. ſi contra Jus vel util. publ. l. 7. pr. C. de diverſ. reſcript.

Mihi ſic videtur. Singulis omninò JCtis poteſtatem indultam eſſe, & circa hanc qvæſtionem jam ſatisfeciſſe Franzkium & Feltmannum. Cæterùm etſi non dubitem, reſponſa JCtorum de illâ ipsâ causâ, de qvâ litigabatur, data, in ea cauſa prævaluiſſe reſponſis datis in causâ ſimili ab aliis JCtis, uti hodiè ſententiæ Facultatis alicujus Juridicæ prævalent aliis in cauſa ſimili datis, interim tamen planè nullius autoritatis fuiſſe ſententias JCtorum in cauſis aliis mihi non perſvadebitur. Saltem partibus infinitas occaſiones præbuit diſſenſus ejusmodi litem protrahendi in judicio, aut fortè Judicem hinc inde commovendi, & ſollicitandi, ut ſententiam pronunciari curaret ab hoc vel illo JCto, qvi in ſimili caſu vel pro Actore vel pro Reo reſpondeat, aut contrà hunc vel illum proteſtandi, uti hodiè apud nos in ſimili diſſenſu collegiorum Juridicorum fieri ſolet. Deniqve dubium de medio, qvo Judex uſus fuerit, ut ſe à freqventiſſimo diſſenſu expediret, non tollunt nec reſponſio Franzkii, nec Feltmanni. Ut enim ſententia aliqva fieret communis, multo tempore, & multis v. g. Sabiniano-

nianorum & Proculianorum altercationibus opus erat. Debebatne adeò Judex sententiam suam in JCtorum dissensu differre per aliqvot annos, donec videret, qvænam sententia communior evaderet? Aut qvid si & tùm sententia communis esset contra communem? Feltmannus autem, si dixisset responsa à partibus producta non obligasse judicem, sed saltem ea, qvæ per Judicem à JCtis essent impetrata, fortè aliqvid attulisset, cum non sit præsumendum, unum Judicem à duobus JCtis contrarias sententias impetrasse. Jam cum concedat à partibus etiam producta responsa, si modo vera facti species ab iis fuisset proposita, vim obstringendi judices habuisse, manet dubium. Qvid si enim utraqve pars, ut necesse est sæpiùs evenisse, pro se responsum produxerit? Et imò principiis Juris Romani convenientius videtur, responsa JCtorum regulariter à partibus fuisse producta, non à Judice impetrata. Ipsi JCti erant & dabantur Judices, formula præscribebatur à Prætore. Ignominiæ sibi duxissent, si ipsi ab alio JCto responsum petiissent. Manet ergo res dubia. Illud verò certum est, qvocunqve remedio tunc usi fuerint judices difficultatem hanc expediendi, Jurisprudentiam per hoc inventum Augusti redditam fuisse incertissimam & intricatissimam.

NÆVUS XXI.

Effecit ista potestas respondendi per beneficium indulta Sectas. Sectæ incertitudinem juris auxerunt. Huic incertitudini & his dissensionibus non in tempore obviam iverunt Imperatores.

Explicatio.

Referuntur à Pomponio *d. §. 47. l. 2. de O. I.* Antistius Labeo & Attejus Capito, qvod primum diversas sectas fecerint.

rint. Qvid hoc est, qvod primi fecerint sectas? An ad hæc usqve tempora JCti non dissenserant inter se? Imo magis dissenserant, cum in libertate, ubi singuli fiduciâ doctrinæ qvi poterant, respondebant, singuli pro libertate dissentiebant à singulis. Igitur nomen Sectæ hîc non tàm dissensionem qvàm ineptam & à præjudicio autoritatis ortum consensum denotat. Habebant in liberâ Republicâ singuli libertatem respondendi qvi possent. Ergo parum ibi valebat autoritas. Sub Augusto per beneficium petebatur potestas respondendi. Patronis ad id opus erat, qvi beneficium impetraret. Ergo regnare incipiebat autoritas. Dissentiebant inter se Patroni, dissentiebant ergo & clientes. Et ita sectæ fiebant. Ita ex sectis odia oriebantur. Hæc multiplicabantur in discipulis. Unde cum anteà ex libertate dissensiones adhuc essent tolerabiles, in sectis ambitio, adulatio, invidia, odium, eas in infinitum extendebant. Imperatores verò hisce non ibant obviam in tempore, cum dissensiones adhuc numerari poterant, partim qvod sibi persvaderent sua interesse, ut hæc ita fierent, uti de Augusto modò diximus & de Tiberio non est dubitandi ratio, partim qvod nimiæ turbæ status publici curas eorum aliò vocarent. Maximè enim turbulenta tempora erant seculo primo ante Trajanum &c. Non possum non hâc occasione capita prima sectarum inter se comparare, & ita differentiam inter Jurisprudentiam liberam & sectariam ostendere. Sed repetam saltem ea, qvæ alibi *in Programmatibus ad Disputat. super posit. Huberi* fusius eâ de re disserui. *Sectarum in Juris arte celebrium Sabiniana & Proculejana capita duo Antistius Labeo & Attejus Capito uti insigni prudentiâ fuerunt præditi, ut non immeritò duo pacis decora eos appellaverit Tacitus,* a) *ita non mirum est, eosdem diversum sensisse cum etiam diversissimis ingeniis & moribus fuerint conspicui. Labeo qvippe incorrupta libertate* b) *gaudebat, ab ambitione honorum vacuus. Nam & D. Augusto jam Principe & rempublicam obtinente ratum pen-*

a) *III. Ann. c. 75. n. 4.* b) *Tacit. d. l.*

pensumq́; nihil habuit, nisi qvod justum sanctumq́; esse in Romanis antiqvitatibus legisset, & à Tribunis pl. per viatorem vocatus, ut veniret, & mulieri cuidam responderet, jussit enm, qvi missus erat, Tribunis dicere, jus eos non habere, neq; se neq; alium qvemqvam in causa vocandi, cum ipsis prehensio saltem competat non vocatio, c) *& porrò in senatus lectione Marcum Lepidum hostem Augusti & tunc exulantem legit, interrogatusq́; ab Augusto: An essent alii digniores? suum qvemq; judicium habere intrepidè respondit;* d) *deniq; cùm offerretur ei ab Augusto consulatus, qvo suffectus fieret, honorem istum suscipere noluit.* e) *At Capito dominantibus obseqvium præstitit, honorumq́; fuit non parum cupidus. Refert enim Tacitus,* f) *L. Ennium eqvitem Romanum Majestatis esse postulatum, qvod effigiem Principis promiscuum ad usum argenti vertisset; recipi verò Cæsarem inter reos eundem vetuisse, palàm adspernante Atejo Capitone, qvasi per libertatem, diceteq́;: Non debere eripi Patribus vim statuendi: neq; tantùm maleficium impunè ha-*

c) Gell. Noct. Att. XIII. 12. *d) Sveton. in Augusto c. 54. qvanqvam Dio l. 54. paulò aliter Antistium Augusto respondisse asserat: scilicet non videri sibi rem indignam hanc à se factam, qvod eum virum in senatu retinuisset, qvem ipse Augustus adhuc pateretur Pontificem Maximum: ubi & aliud exemplum refert à prioribus non absimile: Labeonem cum mentio aliqvando in senatu illata esset, convenire, ut Augustum ipsi per ordinem singuli custodirent, nec contradicere audentem, neq; etiam assentiri volentem, somnolentumq́; se & excubiis pro eo agendis inhabilem esse dixisse. Conf. Eberl. de Orig. Jur. c. 42. n. 5. p. m. 356.*
e) Pomponius l. 2. §. 47. de O. J. Cum hac Pomponii assertione pugnare Taciti verba putat Henelius (de Vet. JCtis p. m. 33) ajentis (d. l.) Augustum accelerasse consulatum Capitoni, ut Labeonem Antistium dignatione ejus Magistratus anteiret, Labeonemq́; intra Præturam stetisse Ego verò Pomponium cum Tacito optimè convenire arbitror, cum Taciti verba id saltem innuere videantur, studuisse Augustum, ut Capito ante Labeonem ad Consulatum perveniret. Qvanam verò fuerit causa, cur Labeo consulatum recusaverit, incertum est. Aliqvi asserunt, fuisse ominosum in demortui locum suffici, vid. Eberl. de O. J. d. l. Sed hanc sententiam refutat à Boekelen de divers. famil. Vet. JCt. p. m. 18 sqq. ut & alteram, qvasi nimirum Labeo consulatum meritis suis inferiorem esse existimaverit. Pompon. d. l. studiorum gratia id factum fuisse affirmat. Fortè & indignatus fuit Labeo, Capitonem antea sibi fuisse prælatum.
f) d. l. 3. c. 70.

habendum, sanè lentus in suo dolore esset, Reipublicæ injurias ne largiretur. Similiter Svetonius g) *& Dio* h) *narrant, cum Marcellus Tiberium voce non latina usum reprehenderet, Capitonem exclamasse, & esse illud vocabulum latinum, & si non esset, futurum, atq; in gratiam Tiberii inter antiqva referendum. Atq; propter hoc obseqvium Capitonem Labeoni in Consulatu prælatum fuisse nullum restat dubium.* i) *Doctrinam qvod attinet, Capitonem in his, qvæ ei tradita fuerant, perseverasse, Labeonem autem ingenii qvalitate & fiducia doctrinæ plurima innovare instituisse notat Pomponius.* k) *Fuerunt igitur, ut apparet, JCtis istis & nævi sui, fuerunt & virtutes. Laudatum Labeonem & ob incorruptam libertatem famâ celebratiorem commendatumq; fuisse ex injuria, qvod præturam intra stetisset, Taciti elogium est.* l) *Gellius* m) *eundem Juris civilis doctrinam principali studio exercuisse, & consulentibus de Jure publicè responsitasse, cæterarum qvoq; bonarum artium* n) *non fuisse expertem ait, & in Grammaticam atq; Dialecticam literasq; antiqviores altioresq; penetrasse, latinarumq; vocum origines rationesq; percalluisse, eaq; præcipuè scientia ad enodandos plerosq; juris laqveos fuisse usum,* o) *optimo certê instituto, cùm in Jure nulla ferè occurrat qvæstio, qvam non vel ex vocis proprietate, vel ipsa rerum significatarum natura & substantia decidi oporteat.* p) *Cui jungi meretur insignis erga studia amor, qvibus plurimum operam dedit Labeo Antistius, & totum annum ita divisit, ut Romæ sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet & conscribendis libris operam daret.* q) *Illud verò primo loco commemorandum, qvod Labeo proprium ingenium ad decidendas Juris controversias attulerit, neq; cœca seqvela aliorum tradita appro-*

g) *De Illustr. Grammat. c. 22.* h) *l. 59.* i) *conf. qvod modò recensuimus lit. e.* k) *d. l. 2. §. 47. de O. I.* l) *d. III. Ann. c. 75.* m) *l. 13. c. 10. cum qvo convenit encomium, qvo eum Attejus Capito insignivit apud eund. Gellium d. l. 13. c. 12. eò magis attendendum, qvod à Capitone profectum.* n) *has videtur etiam intelligere Pomponius d. §. 47. dum Labeonem & cæteris operis sapientiæ operam dedisse notat.* o) *Exempla cape ex l. 6 de peculio, l. 1. §. dolum malum. ff. de dolo malo.* p) *Qvod latius deduxit Henel. d. p. 37. simulq; vulgatum illud Bartoli: De verbis non curare JCtum refutat.* q) *Pomponius d. §. 47.*

probaverit. Nituntur enim pleraq; juris capita certis regulis sua ratione fultis, & Jurisprudentia prudentia est, qvam ex dictamine rectæ rationis haurimus, neq; adeò credenda proponit, sed scienda, non malè propterea à JCtis scientiæ nomine insignita. r) *Atq; hæ Labeonis virtutes ejusdem nævos si non tegunt, certè minuunt. Non enim diffitendum est, eundem libertatis amori plus justo indulsisse;* s) *unde & Horatio insanus audit,* t) *& Atteo Capitoni* u) *homo libertate qvadam nimia & vecorde actus, qvamvis non videantur hæc testimonia magni æstimanda esse, hoc qvippe ab æmulo profectum, illud ab Augusti adulatore.* x) *Præterea etiam nimium dissentiendi studium in eo qvandoq; fuisse deprehenditur, tradita aliorum subtilius qvàm debebat examinante, & nonnunqvam in scirpo qværente nodum,* y) *verborumq; non semel magis qvàm rerum curioso, qvod tamen vitio sectæ potius qvàm ipsi Labeoni attribuendum esse videtur.* z) *At Capitonis vitia virtutem qvâ præditus erat, nescio annon penitus obfuscaverint. Qvamvis enim divini humaniq; juris sciens,* a) *aut, ut* Gellio b) *audit, publici privatiq; juris peritissimus, &* Macrobio c) *Pontificii Juris inter primos peritus fuerat, eo tamen insignitior fuit ejus infamia, qvod hâc prudentiâ præditus adulatione suâ nimiâ egregium publicum & bonas domi artes dehonestavisset,* d) *cui adeò magis qvàm studiis suis debere videtur, qvod principem in civitate locum assecutus fuerit. Hinc etiam cum Labeoni ex injuria commentatio orta fuisset, ipsi, qvod consulatum adeptus fuerit,*

 odium

r) l. 10. §. 2. ff. de Just. & Jur. s) Unde non malè Gellius d. l. c. 12 responsioni ejus Tribunus plebis data hanc subnectit epicrisin: Labeonem vana fiducia Juris alicujus antiqvi ad Tribunos vocatum non isse. Qvæ enim (malum) ratio fuit vocantibus nolle obseqvi, qvos confiteare jus habere prehendendi. t) l. b. 1. sat. 3. u) apud Gell. d. c. 12. x) Conf. Huber. in prælect. ad Instit. de R. D. n. 20. pag. m. 79. Lambin. in not. ad Horat. d. l. y) Vid l. 25. ff. qvi testamenta facere possunt. Conf. à Bækelen d. l. p. 23. z) Labeonem Stoicæ sectæ addictum fuisse probare intendit à Bækelen d. l. pag. 16. sqq. Stoicarum verò Disputationum magnam partem circa voces consumi, ex Cicerone aliisq; notavit Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 23. Conf. Senec. Ep. 45. a) Tacit. III. Ann. c. 70. n. 4. b) l. 10. c. 10. c) l. 7. Saturn. c. 13. d) Tac. d. l.

odium ex invidia natum est. e) *Nec malè adeò, hâc qvidem in parte, adulationem ejus ac plus qvàm servilem submissionem coërcuit Marcellus, Capitoni Solœcismum Tiberii defendenti respondens:* Certe mentiris Capito: Cæsar enim civitatem dare qvidem hominibus potest, verbis non potest. f) *Ut taceam & hoc multum ejus existimationi detraxisse, qvod promiscuâ traditorum custodiâ magis ingenio alieno sapere voluerit qvàm suô,* g) *cum viro prudenti ac cordato à supremo Numine non alium in finem rationis exercitium sit concessum, qvàm ut in disciplinis & facultatibus, quæ à ratiocinatione dependent, idem adhibeat, & judicium excolat. Atq; has inter, nî fallor, imprimis numerari debet Jurisprudentia, vera, ut JCtus loqvitur, non simulata Philosophia,* h) *h. e. veris suis ac genuinis non inanibus principiis* i) *nixa. Unde nescio, qvàm mihi semper præ Capitonis secta Labeonis se approbaverit hæresis, à nævis tamen suis & Labeonis purgata. Uti enim omninò in nostris consiliis est aliquid, quo mediante liceat etiam sub principalibus inter abruptam contumaciam (Labeonis) & deforme obsequium (Capitonis) pergere iter ambitione ac periculis vacuum,* k) *ita &*

nullius addictus jurare in verba Magistri

cavere poterit, imò debebit, ne studio contradicendi, aut inclarescendi ab aliis dissentiat, sed solius veritatis amore se duci patietur, & sententiæ suæ probè gnarus aliorum rationes exactè trutinabit, siq; fortiores suis deprehenderit, opinionem etiam multorum annorum mutare non turpe sibi putabit, rerum inqvisitioni deniq; magis quàm verborũ, his tamen non planè neglectis incumbet. Hæc ex primo programm. Ex altero ista cape: *Ma-*

e) Tac. d. c. 75. f) Sveton. de Grammat. d. c. 12. g) Notabile certe est ex Capitonis Libris nullam Legem in Pandectas esse relatam, vid. à Beckelen d. l. p. 24. Qvam ob causam non definiam. Fortè tamen ideò, qvod nihil aut parum adduxerit, qvod non ab aliis jam fuerit notatum. h) l. 1. §. 1. de Justitia & Jure. i) Communem sententiam: In Moralibus non aqvè ut Mathematicis disciplinis certitudinem inveniri, optimè refutavit Dn. Pufend. de J. N. & G. l. 1. c. 2. qvod & suô modô ad Jurisprudentiam applicare possemus, si hujus loci foret. k) Tacit. 4. Ann. c. 20. n. 4.

Magna profectò Jurisprudentiæ Eclecticæ conciliatur autoritas per autoritatem Labeonis Principis hujus ſectæ, qvam ſuô ævô præ Capitone fuit aſſecutus. Summa ejus capita expoſuimus non ita pridem. Ferè potisſimum omiſimus, qvod Tribonianus, neſcio unde, in pr. Inſtit. de Codicillis *ſuppeditat. Codicillorum Jus ante Auguſtum non erat in uſu, cùm Lentulus Imperatoris amicus in Africa decedens ejusmodi Codicillos conficeret teſtamento confirmatos, inq; iis ab Auguſto & filia ſua, qvos antea in teſtamento hæredes inſtituerat, legata & fideicommiſſa qvædam relinqveret, qvæ poſtqvam Auguſtus amore Lentuli ductus ſolviſſet, conſuluit idem JCtos, interq; eos Trebatium; an uſus Codicillorum ſalvâ juris civilis ratione poſſit ſubſiſtere? qvibus etſi Auguſto ſuffragantibus, non auſus tamen legitur poſtea aliqvis ex populo, ut Codicillos componeret, donec Labeo noſter idem feciſſet. Poſt hæc enim tempora nemini amplius dubium erat, qvin codicilli jure optimo admitterentur, non qvidem qvod actus Labeonis unicus conſvetudinem introducere valuerit, utpote cùm ad hanc plures reqvirantur* l.32. ff. de LL. *neq; qvod Labeo ſuâ autoritate legem condere, & jus antiqvum immutare potuerit, ſpectat enim hæc facultas ad ſolam majeſtatem, & diverſa planè ab hac eſt poteſtas, qvæ JCtis ab Auguſto conceſſa fuit.* §.8. Inſt. de Jure N. G. & C. *neqve deniq; ut Voëtius arbitratur* ad d. pr. Inſtit. de Codicill. n.7. p. m. 869. *qvod Principis anteceſſerat probatio; nam ſi hæc fuiſſet genuina ratio, & ante Labeonis uſurpationem codicillorum invaluiſſet uſus; ſed qvod populus firmiter ſibi perſvaſerit, rectè & jure qvod Labeo feciſſet, factum fuiſſe. Prætulit igitur hac parte plebs Romana approbationi Imperatoriæ & autoritati præceptoris Trebatii exemplum diſcipuli*

puli Labeenis vid. l. 2. §. 47. Inst. de O. J. *idq; nec immeritò. Nam qvod ad Imperatorem; præterqvam qvod approbatio ejus jure singularis nec in consequentiam facilè trahendæ amicitiæ niteretur magis, qvàm jure communi, poterat populum insuper à confectione Codicillorum absterrere, qvod post consultationem cum Jureconsultis, potestatem condendi codicillos publicâ sanctione non confirmasset. Qvantum verò ad Trebatium, qvamvis hic à Pomponio* §. 45. d. l. 2. *commendetur à Jurisprudentia, àq; Triboniano in* d. pr. *qvod tunc maximæ autoritatis fuerit, prædicetur, vix tamen hoc persvadere sinunt ea, qvæ passim apud Ciceronem Trebatio maximè familiarem leguntur. Est siqvidem autoritas opinio de alterius majore scientia & prudentia cum probitate conjuncta*, vide celeb. Dn. Pufend. de J. N. l. 5. c. 4. §. 12. *At Trebatium moribus qvidem simplicissimis fuisse præditum, prudentia verò & scientia parum claruisse*, lib. 7. Epistolarum Famil. Tullii *hinc inde ostendit. Jam enim ipsi pigritiam & ignaviam objicit Cicero*, vid. Epist. 17. & 18. *jam ob ineptias & stultitiam objurgat* Epist. 6. & 8. *jam faceto vetuli nomine eum alloqvitur* Epist. 16. *qvasi qvi ætate senex, simplicitate puer esset*, Heinf. II. de Sat. Horat. p. 149. *jam deniq; per Ironiam ei gratulatur, qvod nemo illo uno Samarobriviæ jurisperitior esset, qvodq; aliqvando in ista loca venerit, ubi aliqvid sapere videatur.* Epist. 16. & 10. *Ipse Pomponius* d. §. 45. *Trebatii scripta minus freqventari asserit, haud dubiè ob præceps & lubricum Trebatii judicium, etiam à Cicerone* d. l. 7. Epist. 22. *notatum; unde & evenit, ut sententia ejus in Pandectis sæpius rejici soleat*, vid. l. 69. de hæred. institut. Eberl. de O. J. c. 40. n. 24. pag. m. 347. *Non mirandum itaq;, qvod populus*

Ro-

Romanus assensu Trebatii se commoveri non fuerit passus, sed Labeonis demum exemplo firmiter persvasus sit, jure & rectè factum, qvod Labeo fecisset, siqvidem & Trebatius qvæ Augusto svaserat, poterat magis studio placendi Imperatori qvàm amore Jurisprudentiæ svasisse, qvalis suspicio in Labeonem non cadebat, utpote qvi, ut alibi ostendimus, ab omni adulatione vacuus erat, prætereaq; nihil ratum pensumq; habebat, nisi qvod justum sanctumq; esse in Romanis Antiqvitatibus legisset.

CAP. III.

De Edicto perpetuo.

INtendit eqvidem Imperator Hadrianus incertitudinem juris ex Edictis diversis, & fortè etiam ex dissensu JCtorum ortam confectione edicti perpetui tollere, qvâ in re operâ Salvii Juliani usus est, (1) sed non fuit ista intentio sufficiens ad nævos memoratos tollendos.

(1) *l. 2. C. de V. J. E.*

Explicatio.

Collegerat jam sub Augusto A. Ofilius edicta prætorum diligenter, ut refert Pomponius *l. 2. §. 44. de O. I.* Sed cum post Ofilii privatam hanc compositionem alia prætorum edicta accesserint variantia, & Ofilii compositio vim legis non haberet, *centum & qvod excurrit post Ofilium annis*, (verba sunt Jac. Gothofredi *c. 3. man. Jur. p. 14.*) *15. Hadriani anno ejusq; jussu circa A. D. 132. Edictum perpetuum à Juliano J. C. ordinatum fuit, non modò Prætorum edictis compilatis, & in ordinem ac titulos coactis; verùm*

& de suo aliqva multis additis, aliis detractis, immutatis. Et opus hoc adeò probatum fuit, ut antiqvatâ jam lege 12. tabb. in qvamplurimis hac major & potior Jurispr. pars extiterit. Hicq; jam fundus ejus habitus, eoq; velut aeqvissimo Jure Imperatores uti voluerint: atq; exinde jam dimidia fermè pars sententiarum in Pandectas relatarum, constet. Qvod de suo qvædam addidisse Julianum dicit Gothofredus, de Salviano interdicto, & edicto de conjungendis cum emancipato ejus liberis est intelligendum. *Vide Eberl. de O. I. c. 10. n. 11. pag. 85.*

Hoc Edictum perpetuum (ita pergit Gothofredus *in Bibliothecâ Juris cap. 1. p. 46.*) *libris Manualium Eqvinarius Baro colligere cœperat; verùm probabili minùs instituto, utpote qvi sciens ea sæpius Edicta confingat, qvæ nunqvam fuerunt, sed qvæ sunt ex Jurisconsultorum placitis, moribus Romanorum, antiqvis legibus, vel etiam novis Principum Constitutionibus. Atqvin multum interest, hæc non turbidè misceri, sed probè distingvi. Qvare secuta industria Gvilielmi Ranchini, qvi A. D. 1597. Parisiis in 8vo. Edictum perpetuum ejusq; reliqvias anxiè collegit, alienis resecatis, easdemqve collectas concinnavit; ita qvidem, ut ipsa Edicti verba uncialibus literis & majusculis excudi rectè voluerit, cætera minutioribus. In hoc tantùm subsedit ejus industria, qvod non ad genuinum, verùm ad Justinianeum ordinem capita Edicti disposuerit: Verùm qvod sibi tùm defuisse etiam ultro Ranchinus fassus est, novæ alicujus operæ materia aliqvando ea nobis futura, genuino videlicet ordine Edicti perpetui instaurato seu restituto, qvem è veterum Jurisconsultorum Commentariis ad Edictum (puta Juliani, Ulpiani, Pauli, Gaji & cæteris) eruere proclive erit.* Præstitit hoc, qvod ibi promiserat Gothofredus in Fontibus Juris Civilis, ubi elegantissimis tabulis & ordinem

dinem Edicti perpetui, & libros præcipuorum JCtorum, qvi ad id commentati erant, recenset.

Cæterùm, ait Franzkius *ad ff. de O. I. n. 66. composito Juliani industria & autoritate Hadriani Imperatoris publicato perpetuo edicto, diversæ scholæ sectatores tandem esse desierunt, adeò qvidem, ut Papinianus, Paulus, Ulpianus, Cajus & alii, qvi deinceps subsecuti Prudentes juris nullius omnino sectæ ex professo nomen darent, sed interdum Sabinianorum, interdum etiam Proculejanorum traditionibus acqviescerent, nonnunqvam ab utraqve schola recederent, nonnunqvam utriusqve sententias, licet diversas, speciebus diversis accommodarent.* Rævard. ad l. 84. §. 1. de R. J. p. 311. *ubi hoc pluribus deducit.* Verùm etsi concedamus, JCtos post Edictum liberius sensisse qvàm anteà, nec certæ sectæ ita adhæsisse, id tamen parum profuit Jurisprudentiæ Romanæ. Ut enim taceam, etiam ipsos Sectarios ante edictum perpetuum aliqvando sensisse cum adversariis, cujus rei exempla suppeditat idem Rævardus *ad d. l. 84. §. 1. de R. I.* reducta saltem est per edictum perpetuum res, ut singuli dissentirent à singulis: Et omninò res ipsa loqvitur, ipsum edictum perpetuum, ad qvod commentabantur, ipsis multas occasiones suppeditasse in ejus interpretatione à se invicem dissentiendi. Potissimum Paulus & Ulpianus totidem ferè vocibus dissentiunt, qvot de eâdem materiâ responderunt: qvâ de re suo loco infrà pluribus. Adeoqve Edictum qvidem Prætorium Jurisprudentiam parum reddidit certiorem.

NÆVUS XXII.

Laboravit & Edictum perpetuum suis nævis.

Explicatio.

Conjecturis hîc opus est, cum Edictum ipsum non habeamus. 1. Si autorem consideremus, fuit is Salvius Julianus,

(qvem cum nepote Salvio Juliano ab aliis confusum distinctè secernit Rupertus *in Enchirid. Pomp. p. 469. seqq.*) Jaboleni discipulus, ex sectâ adeò Atteji Capitonis, *vid. l. 2. in fine de O. I. Nicol. Henel. in vitis JCtorum p. 93.* Homo adeò, si ex sectâ eum judices, qvi in MSC. Præceptorum suorum juraverat. Et qvamvis laudes ejus & encomia ex jure Romano prolixè collegerit Eberl. *c. 48. n. 5. 6. p. 396. seq.* nos tamen ea non tangunt, utpote qvi in præcedentibus vidimus, Attejum Capitonem Leguleium eximium æqvè magni habitum fuisse. Optarem haberemus etiam collectionem Ofilii, ut utramq; conferre possimus & videre, utrum Julianus additamentis & mutationibus suis rem non deterioraverit? Scribit eqvidem Eberlinus *c. 10. n. 9. p. 84.* Julianum composuisse Edictum perpetuum, qvia id Ofilio non admodum commodè processisse visum fuerit, & longè felicius Julianum id præstitisse. Sed ista qvidem sunt somnia Eberlini, in cerebro ipsius nata, cum nec autorem citet, nec ipse collectionem Ofilii viderit. Est potius magna præsumtio pro Ofilio, ex encomio, qvod ipsi dat Pomponius, *d. l. 2. §. 45. Ex his Trebatius peritior Cascelio, Cascelius Trebatio eloqventior fuisse dicitur; Ofilius utroq; doctior.* Dicunt communiter Imperatorem Severum abrogare voluisse edictum hoc perpetuum Juliani, atqve eam ob rem ad Spartianum provocant *in Vitâ Severi c. 17. vide Eberlin. d. c. 10. n. 12. p. 85. Feltmann. in paraphrasi ad §. ult. l. 2. de O. I. f. m. 87.* Qvamvis verò Severus id non obtinuerit, præsumtionem tamen faceret contrà hoc edictum perpetuum, qvod non sine ratione ob nævos haud dubiè qvosdam istam abrogationem intenderit Severus. Neqve enim ullâ ratione conjecturam suam probat Feltmannus, dum id â Severo factum esse ait in invidiam Didii Juliani antecessoris sui. Sed ego qvidem arbitror, nondum constare, an Severus edictum perpetuum Juliani tollere voluerit? Verba Spartiani ista sunt: *Salvii Juliani decreta jussit aboleri, qvod non obtinuit.* Non video qvâ ratione Edictum perpetuum possit nomine decretorum Salvii Juliani venire. At, dices, qvænam ergo sint alia decreta

Sal-

Salvii Juliani? Respondeo: Cur non potius legis pro *Salvii, Didii*; aut cur non sine mutatione lectionis sub nomine *Salvii* ipsum Didium intelligis, sensu aperto & optimo? Sane Rupertus in genealogiâ Salvii Juliani relatâ *in Enchir. Pompon. p. 471.* antecessorem Severi appellat Petronium Didium Salvium Julianum Severum. Sed hæc obiter.

2. Methodum Edicti perpetui qvod attinet, vel inepta methodus Pandectarum, secundum methodum Edicti perpetui ordinatarum ostendit, eam fuisse inconcinnam. Et qvamvis Jacobus Gothofredus *in Fontibus Jur. Civ.* methodum Edicti perpetui paulò aliter recensuerit, tamen néc multum à methodo Pandectarum differt, nec multum melior est.

3. Deniqve & eo incommodo videtur laborasse edictum perpetuum, qvod actiones illi insertæ fuerunt; qvæ tamen tum temporis non magnum habebant usum, qvod ideò factum, qvia Julianus non videtur respexisse ad chronologiam actionum à Prætoribus vel JCtis &c. inventarum, qvæ tamen ad explicationem earundem & utilitatem ostendendam multum conducit. Unde non solùm actio vi bonorum raptorum & actio furti manifesti, item actio Pauliana & hypothecaria, (*de qvibus vide dicta superius lib. 1. c. 7. nævo 14. p. 40. & seq.*) sed & actio negatoria stillicidiorum, & actio aqvæ pluviæ arcendæ edicto perpetuo fuerunt insertæ: cum tamen utraqve actio penè coincidat, & videatur saltem una fuisse antiqvior alterâ. Qvod si observasset Julianus, occasionem non dedisset commentatoribus edicti perpetui, tam subtiliter de differentia harum duarum actionum disserendi. *Vid. l. 1. §. 17. 19. 20. ff. de aqv. pluv. arcend. & qvæ disserui in Disput. de Servit. stillicidiorum §. 93. & 94.*

CAP. IV.
De Conſtitutionibus Principum.

CUm verò poteſtas Legislatoria ſit potiſſimum Regale Majeſtatis, & ipſi Imperatores Romani Leges novas condiderunt, initio qvidem majeſtatem diſſimulantes per modum SCtorum, (1) deinde ferè à temporibus Hadriani directò, qvæ Conſtitutiones Principum appellantur. (2)

(1) *vide ſuprà l.2. c.2.* (2) *§. ſed & qvod Principi. Inſt. de J. N. G. & C. t. t. ff. de Conſt. Princ.*

Explicatio.

Conſtitutiones Principum generale nomen Legum Imperatoriarum eſt, ſive ipſi inter partes cognoſcerent, decernerent, unde Decreta & Cognitiones Imperatoriæ : ſive ad libellos privatorum & Conſultationes Magiſtratuum reſcriberent, unde Reſcripta Principum: ſive generale Jus publicè conſtituerent & edicerent, unde Conſtitutiones propriè & Edicta Principum: ſive JCtorum diſſenſiones deciderent, unde Deciſiones: cujusmodi ſunt 50. Juſtiniani. Gothofr. *Man. cap. 3. p. 15.* Qvod verò à temporibus Hadriani demum conſtitutiones ita directò datæ fuerint, non ſic intellectum volo, qvaſi negem ante Hadrianum non fortè unum & alterum Imperatorum, nomine ſuo, absqve conſenſu ſenatûs aliqvid edixiſſe, (qvamvis nec etiam id affirmare certò auſim,) ſed qvod ejusmodi conſtitutiones ante Hadrianum fuerint rariores. Sanè ipſe Gothofredus *d. c. 3. p. 13.* aſſerit, SCtorum de jure privato conditorum mentionem ſaltem usqve ad Marcum Imperatorem occurrere (uti jam ſupra *c. 2.* hîc excerpſimus,) adeoqꝫ veroſimile eſt, in Hadriano cœpiſſe conſtitutiones Principum

& SCta

& SCta desiisse. Qvod notandum erit, propter anxietatem, in qvam se sine ratione conjecit Gothofredus circa qvæstionem, cur in Codice Gregoriano & Hermogeniano nullius constitutio Principis ante Hadrianum fuerit memorata. Sanè Plinius in Panegyrico Trajani maximam autoritatem Senatûs sub hoc Principe memorat passim. Potissimum verò hûc pertinent, qvæ disserit *cap. 76. p. m. 368. Jam qvam antiqvum, qvàm consulare, qvod triduum totum senatus sub exemplo tui sedit? cùm intereà nihil præter Consulem ageres. Interrogavit qvisqve qvod placuit; dissentire, discedere, & copiam judicii sui reipublicæ facere tutum fuit; consulti omnes, atqve etiam dinumerati sumus; vicitq; sententia non prima, sed melior. At qvis antea loqvi, qvis hiscere audebat, præter miseros illos, qvi primi interrogabantur? Cæteri qvidem defixi & attoniti, ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem, qvo cum dolore animi, qvo cum totius corporis horrore perpetiebantur? Unus solusqve censebat, qvod seqverentur omnes, & omnes improbarent, inprimis ipse, qvi censuerat. Adeò nulla magis omnibus displicent, qvàm qvæ sic fiunt, tanqvam omnibus placeant. Fortasse Imperator in senatu ad reverentiam ejus componebatur. Cæterum egressus, statim se recipiebat in Principem, omniaqve consularia officia abigere, negligere, contemnere solebat. Ille verò ita consul, ut si tantùm consul foret: nihil infra se putabat, nisi qvod infra Consulem esset. Ac primum ita domo progrediebatur, ut illum nullus apparatus arrogantiæ principalis; nullus præcursorum tumultus detineret; Una erat in limine mora, consultare aves, revereriqve numinum monitus. Nemo proturbabatur, nemo submovebatur: tanta viatoribus qvies, tantus pudor fascibus, ut plerumqve aliena turba subsistere & Principem & Consulem cege-*

cogeret. Ipſius qvidem officium tàm modicum, tàm temperatum, ut antiqvus aliqvisqve magnus Conſul, ſub bono Principe incedere videretur. Iter illi ſæpius in forum, freqventer tamen & in campum: nam comitia Conſulum obibat ipſe, & tantum ex renunciatione eorum voluptatis, qvantum prius ex deſtinatione capiebant. Stabant candidati ante curulem Principis, ut ipſe ante conſulis ſteterat: adigebanturqve in verba, in qvæ paulò antè ipſe juraverat Princeps: qvi tantum putat eſſe in jurejurando, ut illud & ab aliis exigat. Reliqva pars diei tribunali dabatur. Ibi verò qvanta religio æqvitatis? qvanta legum reverentia? Adibat aliqvis ut Principem? reſpondebat, ſe Conſulem eſſe. Nullius ab eo magiſtratus jus, nullius autoritas imminuta eſt: aucta etiam, ſiqvidem pleraqve ad Prætores remittebat: atqve ita, ut collegas vocaret, non qvia populare gratumq; audientibus: ſed qvia ita ſentiebat.

NÆVUS XXIII.

Incertum jus reddebant etiam ipſi Imperatores eò, qvod plerumqve unus alterius, qvi antecceſſerat, leges mutaret.

Explicatio.

Non opus eſt hæc fusè exponere. Res ipſa loqvitur. In primo ſeculo cum jus creandi Imperatores milites ſibi de facto vindicarent, & unus Imperatorum alterum tolleret, atqve ita in odium anteceſſoris qvæ poterat, mutaret, neceſſe eſt, maximam confuſionem Jurisprudentiæ exinde ortam fuiſſe. Neqve hoc cacoethes in primis tribus ſeculis fuiſſe extinctum docet Hiſtoria Auguſta. Unde qvod Didius Julianus v.g. conſtituerat, intendebat tollere Severus, *(vide ſuprà nævum præced.)* Severi aut Baſſiani conſtitutiones Macrinus, & ita porrò.

Neqve

Neqve putes, sub Christianis Imperatoribus majorem concordiam fuisse. Fuit minor, cum Arriani & orthodoxi rixis suis ex utraqve parte parum Christianis, Imperatores in partes trahere (omissis DEI partibus) studerent, & ita constitutiones contrarias ferè qvotidiè extorqverent.

CAP. V.

De Codice Gregoriano & Hermogeniano.

FUerunt autem Imperatores Romani partim Gentiles, partim Christiani. Gentilium constitutiones dispersas collegerunt duobus Codicibus Hermogenianus & Gregorius. Unde Codex Hermogenianus & Gregorianus.

Explicatio.

Explicationis loco sistemus prolixiorem paulò locum Jacobi Gothofredi ex Prolegomenis ad Codicem Theodosianum *cap.1.f.m.183.seq. Etsi singulorum Imperatorum Constitutiones in unum corpus collectas olim scimus, veluti Divorum fratrum à Papyrio justo, attamen qvi veterum acervatim ad sua usq; tempora Imperatorum Romanorum Constitutiones, nobilis saltem alicujus epochæ, unum in Codicem compingeret ante Diocletiani & Maximiani vel Constantini Magni tempora neminem reperimus. Per ea verò demum duo Codices editi emersere, Gregorianus & Hermogenianus: qvi etsi temporum injuriâ interciderint, eorum tamen etiamnum rara qvædam fragmenta supersunt, ab eadem manu, qvâ Theodosianus, decurtati. Qvibus integris usi olim B. Augustinus* lib.2. ad Pollentium de Adulterio cap. 8. *ubi nobilem qvandam Constitutionem Antonini è Gregoriano memorat: qvæ Codice Justinianeo prætermissa est: usus est & autor collationis legum Mosaicarum passim, in cujus ævum postea inqviremus; usus est & Tribonianus; at breviario ejus tantum usi veteris consulta-*

tionis autor & Papinianus libro responsorum aliiq; deinceps. In hos verò Codices relatæ fuerunt Imperatorum Constitutiones ab Adriano Imperatore in tetrarchiam Diocletiani usq; : certè, Tusco & Anulino Coss. 1. A.D. 295. In Hermogeniano refertur lex 2. de calumniatoribus, *& exinde memoratur à veteris consultationis autore: ex Gregoriani vero* lex 5. de nuptiis *laudatur nobilissima Diocletiani lex ab autore collationis legum Mosaicarum,* tit. de incestis nuptiis 6. *cujus pars exstat* l. 7. C. Justin. eod. tit. *Imò ex eodem Gregoriano refertur* lex 32. *adnotato consulatu Diocletiani, qvi congruit A. D. 296. qvi decennio Constantini Magni initia præcurrit. Et hæc qvidem de duobus illis Codicibus certa sunt: ut mirer Cujacium scribentem diversarum Epocharum & Principum Constitutiones horum Codicum autores sibi proposuisse. Illa imò eadem utriq; Epocha proposita fuit, ut vel ex superioribus constat. At enim de pluribus aliis circa hos Codices nondum liqvet: veluti publicâ ne, an privatâ autoritate ii scripti fuerint; qvomodo certè Ægineta testis, advocatos hujusmodi Codices sibi privatim confecisse* τοὺς ῥήτορας τοῖς συντόμοις, καὶ συνεκδήμοις ὑπ' αὐτῶν ὀνομαζομένοις χρῆσθαι δικανικοῖς συντάγμασιν. *Deinde incertum, qvi eorum autores sint: De Hermogeniano eqvidem ita censeo, ab Hermogeniano Jurisconsulto eum conscriptum, qvi & Juris epitomen sex libris edidit: nam & hac eum ætate scripsisse mox ostendam, etsi Eugenius Hermogenianus PP. nescio qvis memoratur paulò antè sub Diocletiano & Maximiano ex Actis Sabini apud Baronium* A. 301. num. 18. *Qvod Gregorianum attinet, fortè is à Gregorio PP. conscriptus, qvi sub Constantino Magno A.D. 336. fuit: cujus memoria extat* in l. 3. C. Theod. de annona & tributis, l. 2. eod. C. de contrahenda emtione, & l. 1. C. Justin. de naturalibus lib. *de qvo est etiam locus Optati Milevitani* lib. 3. p. 32. *ubi Donati in eum convitium memorat, qvæ qvidem animi mei in incerto conjectura est, sicut neq; illud liqvidò dixerim, uter alterum præcesserit, qvod tamen nonnulli colligi posse putant, nempe Gregorianum antevertisse ex collatione seu argumento ab ordine literæ,* tit. de novo Codice faciendo, & de Justin. C. confirmando, *& ex Harmenop.* Prochiri lib. 1. tit. 1. §. 7. *De illo qvoq; qvari possit, cur ab Adriano initium illi duxerint, neq; altius assurrexerint. Putem ego,*

qvod

qvod Adrianus nova cujusdam Jurisprudentiæ autor extiterit: condito inter alia Edicto perpetuo, cujus materia ordoq; deinceps pro cynosura archetypi Juris fuere, qvod nobilissimum fuit corpus Juris Romani, & universæ Jurisprudentiæ, qvæ nobis relicta est, caput, atq; ad eam formam imprimis relati ii, qvos nunc legimus: & verò Hermogenianus ipse libris epitomarum ejus ordinem secutum sese profitetur l. 2. ff. de statu hominum. *Sed & officia publica & palatina, nec non & militiæ in eam formam ab eodem Adriano statuta, qvæ paucis per Constantinum immutatis postea perseveravit, teste altero Victore seu Victorino in Adriano: haud aliter atqve Theodosianus codex postea ceu novæ cujusdam jurisprudentiæ, de qvo mox corpus Constitutionum fundusq; constitutus est. Qvare in re obscura ita sentiam, codices illos continuatos, cùm ad Constantinum M. Imperatorem ejusq; filios deventum fuisset, à Jurisconsultis Gentilibus, ut ita veteris Jurisprudentiæ gentilitiæ instar qvoddam exhiberetur, qvæ sub Christianis Imperatoribus passim novis legibus immutabatur. Sanè Hermogenianum Jurisconsultum sub Constantini M. liberis scripsisse haud inani conjecturâ ducor: nam & Præfectorum prætorio meminit, à qvibus appellari non posset, (qvod & Arcadius Charisius Jurisconsultorum novissimus scribit* l. un. ff. de off. PP.) *qvod utiq; Constantini M. liberi sanxêre,* l. 16. C. Th. de Appellat. *Meminit idem & Correctorum* l. 10. ff. de off. præsidis, *qvi sanè nunc instituti, & qvidem per Italiam: Idem Juris novi meminit* l. 25. ff. de manum. vind. *qvod à Constantino M. vel ejus liberis invectum fuit, argumento eorum, qvæ scribit autor vitæ Constantini*, lib. 4. cap. 26. in fin. *qvæq; sanciuntur* l. 15. C. de testam. l. 21. C. de legat. l. 1. C. de formulis. *Tandem ipse satis innuit non unô locô, plures tunc in imperio Romano Principes seu Imperatores fuisse: puta* l. 41. ff. de excusat. l. 10. ff. de publicanis: l. 46. de Jure fisci: *qvod de Constantini liberis accipiam.*

Eundem Hermogenianum Gentilem fuisse, colligi potest ex l. 17. ff. de manum. *perperam enim in contrarium adducitur* lex 60. §. 1. ff. de donat. int. vir. & ux. *ubi agitur de divortio propter sacerdotium: nam qvod rectè à Rævardo* 1. conj. 2. *animadversum est, Tertull. qvoq; non uno loco ostendit, inter Gentiles propter sacerdotium divortia solennia fuisse,*

lib. de monog. exhort. ad caſt. & lib. 1. ad uxor. *Stylus etiam intricatus & horridus, barbarus Hermogeniani, longè à veterum JCtorum ſtylo recedens judicium facit de ſeculo ejus. Idem deniq;, ut omittam alia, meminit muneris camelaſiæ* l. 1. §. 2. ff. de munerib. *cujus nulla mentio, niſi eo ſeculo occurrit etiam apud Arcadium Chariſium* l. ult. §. 11. ff. de munerib. *& apud Am. Marcellinum* lib. 17.

Ergò & Gregorius & Hermogenianus eandem operam navavere, ita qvidem, ut alter alterius operæ & induſtriæ qvid adjeciſſe, velut æmuli videatur: Certè in nonnullis diſſenſiſſe eos diſcimus ex autore collationis legum Moſaicarum tit. 6. *& ex vetere conſultore: diverſas enim illi conſtitutionum ſubſcriptiones ex illis duobus Codicibus afferunt. Superioribus addendum, qvod ſcribit Sedulius* in præfat. Evangelicæ proſæ, *Hermogenianum doctiſſimum Jurislatorem tres editiones ſui operis confeciſſe. Qvod Codicum deniq; illorum autoritatem attinet, penè ex Auguſtino & autore collationis legum Moſaicarum, & Triboniano ipſo ſatis colligimus, publicè eos receptos fuiſſe. Sed & interpres Codicis Theodoſiani* ad l. unic. C. Theod. de reſponſ. prudent. *autoritatem his datam conſtitutione aliqvâ docet.*

Qvod Gothofredus hic meminiti, Cujacium ſcripſiſſe, qvod Gregorius & Hermogenes ſinguli diverſarum Epocharum & Principum conſtitutiones ſibi propoſuiſſent, mallem, ut locum Cujacii allegaſſet. Fortè tamen iſta fuit ſententia Cujacii, qvam fortè etiam ex iſto retinuit Struv. *in Synt. Ex. 1. th. 65. Ex illorum Principum Conſtitutionibus eas, qvæ ab Hadriano Imperatore (qvi regnavit A. C. 120.) & ſeqventibus ad Valerium & Galienum usqve (qvi imperarunt A. C. 254.) latæ ſunt, collegit Gregorius JCtus: & porrò ſuccedentium Impp. Claudii ſcilicet & aliorum, conſtitutiones usqve ad Conſtantinum M. (ab A. C. 268. ad 306.) ſimiliter in Codicem qvendam conjecit Hermogenes JCtus.*

Ad qvæſtionem: Cur ab Adriano initium duxerint? jam præoccupavimus rationem reddere in expoſitione capitis præcedentis. Qvibus qvidem obſtare videntur, qvæ habet Go-

Gothofredus in Manuali *cap. 4. p. 16.* ubi dicit: *Ab his omnibus* (imperatoribus etiam ante Hadrianum) *ut variæ constitutiones processerant, qvarum mentio passim fit, tùm apud Historicos, tùm in scriptis JCtorum, & in Principum posteriorum constitutionibus &c.* Sed respondeo: Si adduxisset loca Historicorum & JCtorum Gothofredus, deprehendisset, provocari qvidem ad ea, qvæ Principes illi constituerunt, sed non sub nomine constitutionum, verum sub nomine SCtorum.

NÆVUS XXIV.

Dispersio constitutionum Imperatoriarum ante collectiones Gregorii & Hermogenis incertam reddidit Jurisprudentiam.

Explicatio.

Diximus Constitutiones Imperatorias variasse. Ergo una qvidem alteram abrogavit, sed interim valuere omnes, qvæ non fuerunt abrogatæ. Ergo cum non collectæ essent in unum volumen, necesse fuit, ut pleriqve homines ignorarent, qvænam abrogatæ essent, qvæ minus. Ex hac incertitudine verò dabatur advocatis & judicibus maxima occasio cavillandi & injustas ferendi sententias. Facilè enim qvisqvam diligentior ex tot variantibus Principum constitutionibus poterat aliqvam deprehendere, qvæ sibi faveret, secundum qvam pronunciandum erat, vel injustus judex sciens pronunciabat, qvia pars adversa minus versata in constitutionibus ignorabat ejus abrogationem &c.

CAP. VI.
De Codice Theodosiano.

CHristianorum Imperatorum Constitutiones ad sua tempora usqve collegit Theodosius Junior, reliqvorum Imperatorum constitutionum ad Justinianum usqve collectio Legum Novellarum nomine venit. (1)

(1) Jacob. Gothofr. *Man. Jur. c. 5. & 6. p. 17. seqq.*

Explicatio.

Habes leges istas Novellas post Codicem Theodosianum. De ipso Codice audiamus dissertationem diligentissimi ejus Collectoris Jacobi Gothofredi, excerptam ex *ejus Prolegom. c. 1. & 2. p. 184. seq. Ad Codicum Gregoriani & Hermogeniani exemplum seculo fermè post integro Codex Theodosianus editus est. In qvem jam conjectæ fuerunt Imperatorum Christianorum Constitutiones; à Constantino Magno videlicet, qvi primus veneranda Christianorum religione Imperium munivit. Ubi venit primò disqvirendum, qvis ejus autor fuerit, qvove is anno conscriptus fuerit, qvando nonnulla à vulgi erroribus hâc parte vindicanda sunt, illustrari alia deposcunt. Prosper igitur Aqvitanicus hujus Codicis à Theodosiano Jun. conditi meminit his verbis, priore loco Chronicorum.* Theodosianus, *inqvit,* liber omnium legum legitimorum principum in unum collectarum editus. *Ubi Prosper* legitimos Principes, *Christianos vocat, qvi scilicet verâ fide legeq; Christiana imbuti erant: qvomodo etiam legis appellatione Christiana veraq; religio jam olim designabatur, de qvo in Glossario, Meminit ejusdem & Isidorus Hispalensis, & ex eo* Orginum lib. 5. cap. 1. Leges, *inqvit,* novæ à Constantino Cæsare cœperunt, & reliqvis succedentibus, erantq; permixtæ & inordina-

dinatæ. Postea Theodosius minor eas ad similitudinem Gregoriani & Hermogeniani Codice facto Constitutionum à Constantini temporibus sub proprio cujusqve Imperatoris titulo disposuit, qvem à suo nomine Theodosianum vocavit. *Qvo Isidori locô* leges novæ *duplici sensu dicuntur. Primò, qvæ Constitutionibus Gregoriano & Hermogeniano comprehensis posteriores erant; qvâ causâ etiam autor collationis legum Mosaicarum* tit. 14. in fin. *Novellas Constitutiones eas vocat. Uti vice versa constitutiones hoc Codice posteriores* μεταγενέστεραι *Novellæ dictæ, veluti Theodosii ipsiusmet, Valentiniani Tertii & similium. Pariter ut qvæ post Codicem Justinianeum promulgatæ: qvod etiam Paulus Warnefridus notavit* in Justiniano, & lib. 1. historiæ Longobardicæ cap. 21. *Secundò novas leges dixit Isidorus, qvæ nova jam reipubl. forma, & Jurisprudentia à Christianis Imperatoribus invecta editæ fuissent: uti contra Jus antiqvum dicitur* l. un. C. Theod. de domin. rei qvæ poscitur, *& jus vetus* in l. 3. C. Theod. de contrah. emt. *qvod Constantinum præcessit. Et certè Constantinus M. is est, qvi novis legibus rem Christianam erexit, veteresqve mores vertere cœpit, jusqve adeò priscum civile mutare. Qvare Nazarius* Panegyrico ad Constantinum M. *A. D. 321.* Novæ leges, *inqvit*, regendis moribus, & frangendis vitiis constitutæ, veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqveos prodiderunt. *Cui rei fidem faciunt innumeræ Constitutiones Constantini M. hôc Codice Theodosiano: vide saltem eas, qvæ occurrunt A. D. 319. 320. 321. 322. Et Julianus ideò, autore Marcellino, Constantini memoriam, ut novatoris turbatorisqve priscarum legum & Juris antiqvitus recepti, multis convitiis vexavit: qvod etiam ejusdem leges testantur. Conditus igitur hic Codex, non à Theodosio M. verùm*

à Theo-

à Theodoſio Juniore, vel Proſperi & Iſidori teſtimonio; de qvo alioqvin fidem faciunt duæ ipſiusmet Theodoſii Jun. novellæ: prior de Theodoſiani Codicis autoritate; poſterior de confirmatione novellarum Theodoſii ad Valentinianum Tertium: & hujus Novellæ inter Theodoſianas 35. fidem faciunt tot Arcadii, Honorii, Conſtantii, Valentiniani Tertii, Theodoſii Jun. poſt Theodoſii M. diu mortem, conſtitutiones in hunc Codicem relatæ. Qvare inſigni nævo laborat Idacii Vulgati Chronicon, cùm id tribuit Theodoſio M. Undecimo, *inqvit,* anno Theodoſius Regni ſui Romam cum filio Honorio ingreſſus, legesq; Romanorum integrâ emendatione edidit. *Qvod poſtremum tamen abeſt ab Idacii Chronico nuper vulgato. Et viri tamen qvoq; docti nonnulli hac tempeſtate Idaciani Chronici autoritate abrepti, id tradidêre; tracto etiam eo Claudiani loco* lib. 1. in Rufinum:

Juſtitia inſultat, vitiisq; à ſtirpe reciſis
Elicit oppreſſas tenebroſo è carcere Leges.

Qvod tamen nego ab Idacio aut à Claudiano eô ſenſu dictum. Illud eqvidem verum, Theodoſium M. A. D. 389. poſt devictum Maximum Tyrannum, Romam ingreſſum cum filio ſuo Honorio, multas leges edidiſſe, emendandis pravis moribus, qvi tùm inoleverant, ut teſtatur Socrates lib. 5. cap. 18. *& videre eſt qvoqve ex legibus tùm ab eo latis, qvæq; hoc Codice occurrunt, puta* l. 2. de feriis, l. 18. de hereticis; l. 11. de maleficis; l. unic. de mancipib. l. 5. 6. de ſicariis; l. 5. de aqvæ ductu. *Qvod emblematis illius Idaciani autori fortè errandi materiam præbuit, ſed eundem Theodoſium Magnum* integrâ emendatione leges Romanorum edidiſſe, *id verò falſum eſt. Et hæc de hujus codicis conditore ſeu Imperatore, cujus auſpiciis conditus eſt anno ætatis ejus 38. (natus enim Theodoſius Jun. A. D. 401.) Nunc de tempore ſeu anno. Qvô annô conditus is fuerit, tertiô locô diſpiciendum eſt: nam & hâc parte vulgò hactenus ab omnibus non parum erratur, ob mendam, qvæ in ſubſcriptione Novellæ de Theodoſiani Codicis autoritate etiamnum hæret: unde factum, ut eam Novellam primus Chronologiæ Theo-*

doſianæ

doſianæ autor in annum D. 435. retulerit, (quam referre debuit in annum 438.) & deinceps ita quoq; Chronologi omnes eam retulere. Verùm in ea Novella pro Theodoſio A. XV. reponendum clarè XVI. idemq; error tollendus eſt in ſubſcriptione l. 5. Cod. Theod. de Apoſtatis & Novellæ 4. *Sic igitur conditus & promulgatus hic Codex fuit Theodoſio A. XVI. Cos. & qui fuerit nuntiatus 1. A. D. 438. idq; quatuor argumentis. Primùm, ſuperiori teſtimonio Proſperi, qui id disertè refert in annum Theodoſii Jun. poſt Honorii Imp. mortem decimum quintum: At qui mortuus Honorius circa extrema A. D. 423. à quo ad annum 438. quindecim anni ſunt. Secundò, id efficitur apertiſſimè ex tot legibus, & quidem quindecim numero, quæ per annum 435. 436. 437. latæ, in Codicem Theodoſianum relatæ, poſteriorem diei & conſulum notam præferunt. Tertium argumentum ex inſcripto illi Novellæ Florentii PP. Orientis nomine; Anno enim demùm 438. Florentius Præfecturam Prætorianam Orientis geſſit, quam Iſidorus per annum 435. & 436. adhuc gerebat, & poſt Iſidorum Darius parte ultima anni 436. & anno 437. poſt Darium tandem anno 438. Florentius, ut docet de Iſidoro* l. 8. de princip. ag. lex ult. de cohortalibus, l. 187. 188. 189. 190. 191. de decurion. l. ult. de frum. Alex. l. ult. de Alex. pleb. primatib. leg. ult. de indulg. debitor. l. 3. de indictionib. de Dario lex ult. de annona & trib. l. ult. de decur. & ſilent. *De Florentio quoq; Iſidori ſucceſſore in Præfectura Prætoriana orientis teſtis Theodoretus* ep. 47. ad Proculum Ep. Conſtantinopol. *Poſtremò, argumentum iſtud habeo, quod Theodoſius Junior eâ Novellâ, Valentinianum filium ſuum vocat, pariter ut* d. l. ult. de decur. & ſilentiariis, *quæ data eſt* A. D. 437. *quæq; omnium ultima eſt earum, quæ in Codicem Theodoſianum relatæ ſunt Conſtitutionum: quod utique facere non potuit ante A. D. 436. Eò quippe demum anno Iſidoro & Senatore Coſs. Valentinianus*

N Theo-

Theodosii filiam uxorem duxit, teste Socrate lib. 7. cap. 43. *Qvod & ipsum in seqventem annum referunt Prosper, Marcellinus, & Chronicon Alexandrinum. Inde verò enata inter eos parentis & filii appellatio. Qvare tam fœdo deinceps errore liberentur Chronologiæ omnes, Codicisq; Theodosiani æra conditi adscribatur A.D. 438.*

Qvonam verò consilio, qvâ causâ hunc Codicem condi voluerit Theodosius Jun. nunc porrò videndum est. Id verò ipsemet ex parte prodit Novellâ illâ suâ qvâ eum firmavit. Nempe, qveritur ipse initio statim, qvod tam pauci ætate sua proximaq; (nam id ita accipio) extiterint, qvi Juris Civilis scientia ditarentur, & soliditatem veræ doctrinæ receperint: mox hujus rei causas adscribit, immanem videlicet librorum copiam, actionum diversitatem, molemq; constitutionum Divalium, qvæ velut sub crasso caliginis & obscuritatis vallo demersæ sui notitiam humanis ingeniis intercluserint. Hoc igitur consilio adductum se ait, ne Jurisperitorum ulterius severitate mentita, dissimulata scientia velut ab ipsis adytis expectarentur formidanda responsa, revelatisq; adeò legibus inventa majorum obscuritatis injuriâ vindicaret. Nempe, ut hæc illustrentur, vetus & sincera Jurisprudentia jamdiu in urbe Rom. fermè decoxerat, sive qvia in paucos è plebe Juris scientia reciderat, sive qvia severitate mentita à Jurisconsultis responsa dabantur, velut oracula ex adytis: sive qvia, qvod addendum, mutatâ jam Reipubl. formâ, inde à Constantino Magno jurisq; adeò disciplina, abolitisq; inter alia plerisq; veterum solennitatum, constitutionum nominatim memoria fugeret: paucis eorum notitiam sibi vindicantibus & venditantibus. Qvò pertinent freqventes hoc seculo qverelæ: Mamertinus in gratiarum actione pro consulatu ad Julianum:

Juris

Juris Civilis scientia, qvæ Manlios, Scævolas, Servios in amplissimum gradum Dignitatis extulerat, libertorum artificium dicebatur. *Cui Mamertini loco congruit qvoq;, qvod Asterius Amusiæ Episcopus circa A. D. 400.* apud Photium Homilia 7. in servum Centurionis, qvem Dominus sanavit, *scribit de servo qvodam Scytha, empto à cive qvodam Antiocheno, cujus & ipse discipulus fuerit, qvi etiam Jurisprudentiam professus sit, καὶ νόμων εὐφυὴς διδάσκαλος. De immensa verò Juris librorum mole testis qvoq; Eunapius* in vita Ædesii p. 72. *qvi eos scribit tum fuisse ὡς ἂν ἄχθος καμήλων πολλῶν. De contrarietate legum, & ex eo collapsa Juris scientia, tùm & de mentita Jurisconsultorum severitate ingens est Amm. Marcell. qverela* lib. 30. *ubi inter alia*: Secundum est genus eorum, qvi Juris professi scientiam, cùm repugnantium sibi legum abolevêre dissidia, velut vinculis ori impositis retinente jugi silentio umbrarum sunt similes propriarum; Hi velut fata natalitia præmonstrantes aut Sybillæ oraculorum interpretes, vultus gravitate ad habitum composita tristiorem, ipsum qvoqve venditant, qvod oscitantur. Hi ut altius videantur Jura callere, Trebatium loqvuntur & Cascellium, & Alphenum, & Auruncorum Sicanorumq; jamdiu leges ignotas cum Evandri matre abhinc seculis obrutas multis: Etsi voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragantes absolutionum lectiones reconditas pollicentur, si te senserint esse nummatum. *Et mox:* E qvibus ita sunt rudes nonnulli, ut tanqvam se codices habuisse meminerint. Etsi in circulo doctorum autoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrantur; *& mox:* Utq; permultati Juris præferatur lectio una, septem vendibiles introitus præparant &c. *Valentiniani qvoqve tertii, Theodosii nostri in imperio Occidentali collegæ, ante duodecennium fermè* l. un. C. Th. de responsis Prudentum, *haud obscurè indicat, qvantopere vetus*

Jurisconsultorum Jurisprudentiæ in Occidente collapsa fuerit, cujus ἀνάκρισιν & ipse qvoq; oratione illa sua ad Senatum instituere necesse habuit: de qvo mox. At procul dubio non minus in Oriente Jurisprudentia conciderat: etsi ante duodecennium Theodosius in melius augendæ erigendæq; incumbens, duos Jurisconsultos, qvi Juris ac Legum formulas panderent, in Constantinopolitana Academia instituisset l. ult. C. Theod. de studiis liber. V. R. & Constantinop. *ejusmodi etiam nominatim Leontium Jurisperitum memorat* l. unic. de professor. qvi in urb. Constant. *qvæ illi socianda est: Ergò tandem ad hunc Codicem animum adjecit Theodosius Jun. ut Constitutiones ab obscuritatis injuria vindicarentur, earumq; repurgatio fieret, discussisq; tenebris & compendio brevitatis, lumen legibus daretur: Et sic, qvod ipse ait*, detersâ nube velaminum, in qvibus multorum nihil explicantium ætates attritæ sunt, compendiosam Divalium constitutionum scientiam ex Divi Constantini temporibus roboravit: sanctione additâ, ne cui liceret ad forum & qvotidianas advocationes jus principale deferre, vel litis instrumenta componere, nisi ex his libris &c. *Deniq; in hoc opere duo hæc præstitit Theodosius Jun. leges revelavit, atq; instauravit, lucemq; brevitatis his intulit: adversus obscuritatis hinc injuriam, inde adversus molem librorum. Neqve id etiam abruptè Theodosius præstitit, verùm cùm & Valentinianus III. jam ipsius in imperio collega, vel per eum potius ipsemet Theodosius A. D. 426. in Occidente, prolixa ad Senatum Urbis Romæ oratione, Jurisprudentiæ, Juris, inqvam, & Constitutionum Imperatoriarum, Jurisconsultorum item ἀνάκρισιν singularem seu repurgationem qvandam instituisset,* l. un. C. si contra Jus; l. 7. C. de precibus Imper offer. *& ipse biennio post A. D. 428. prolixa constitutione veteres & scrupulosas actionum, nuptiarum, dotium, donationum, sponsalitiorum*

tiorum formas & formulas veteres, multasq; alias scrupulositates sustulisset, cujus constitutionis octo fragmenta supersunt, ut cæteroqvin Princeps hic, qvod ipsemet testatur l. ult. C. Theod. de donat. *observationem Juris contrahendam censuit. Hæc igitur qvodammodo hujus Codicis præludia fuere, & ἀνακρίσεως. Tenemus Exemplum, Auctorem, Æram, Consilium & præludia hujus Codicis conficiendi. Adjutores huic operi consummando delegit sibi Theodosius Jun. octo viros nobiles, ut ipse ait, exploratæ fidei, famosæ doctrinæ, jure omnibus veteribus comparandos: tres videlicet Illustres, qvinq; spectabiles; qvorum nomina & dignitates apponit in dicta Novella. Qvod nomina eorum attinet, reliqvorum memoria latet: unius tantùm Antiochi Ex Præfecti Prætorio & Ex Cos. qvi & primus velut ἀρχηγὸς in hoc opere memoratur, mentio alibi qvoq; extat. Nempe duæ illi leges ejusdem Theodosii Jun. inscribuntur; anno 430.* lex 6. C. Theod. de collatione donatar. *& anno 431.* lex 5. de his, qvi ad Ecclesf. confug. *Ejusdem meminit & Marcellinus* in Chronico A. D. 448. *Meminit & jam mortui Theodosius ipse* Novellâ suâ 33. *qvâ* d. l. 6. de collat. donat. *indicatur. Agit & de eo Suidas in voce Ἀντίοχος, & v. συνεχος, in voce Θεοδόσιος. Imò ad hunc extat qvoq; Theodoreti* Epistola 95. *Qvod dignitates horum octo virorum attinet, qvibus vel functi illi jam erant, vel fungebantur, omnes sanè singularem juris & constitutionum cognitionem desiderabant, 1. Præfectura Prætoriana scilicet summam judiciorum & juris tenebat. 2. Qvæstores Palatii, ut ipsemet Theodosius loqvitur,* Cassiod. 5. variar. 4. *eminentes omni genere literarum & Principis fidei interpretes, imò legum interpretes, & à qvibus legum peritia postulabatur, & toti se legibus & responsis Prudentum tradebant: ac nominatim Palatii precum arbitri erant, legum con-*

ditores, & exculti legum condendarum sanctionum usu; armarium legum, vox Legum, Principis mentem loqvebantur & arcana; qvam in rem notissima sunt Symmachi, Claudiani, Cassiodori, Corippi loca, qvorum multa jam collegit Juretus in Symmachum lib. 2. Ep. 8. 3. *Comites qvoq; Consistoriani spectabiles: de qvibus est Arcadii* lex unic. C. de comitib. Consistor. l. un. qvi à præbit. tyr. l. 15. 18. de extraord. munerib. l. unic. qvi conductores rei priv. *Sacri Consistorii arcanis interesse poterant* l. 28. C. Theod. de Prætorib. *atqve intra Consistorii arcana admitti merebantur, & actibus interesse, & Principis audire responsa,* l. ult. de honor. codicillis. 4. *Magister memoriæ; ut ex Notitia Imperii discimus, Annotationes Principis omnes dictabat & emittebat, & precibus respondebat.* 5. *Magister libellorum: cognitiones Principis & preces tractabat. Unde apparet, ex eo hominum genere delectos ad hunc Codicem conficiendum, qvi Juris scientiâ maximè præstabant. Sanè ut de postremo hoc adhuc agam, Julius qvoqve Paulus J. C. dum esset à libellis Antonini Caracallæ, sex libros decretorum seu Imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum composuit. Tandem & Justinianus ipse postea ad ἀνάκρισιν suam eadem ipsa fermè hominum genera adscivit, ut docent Constitutiones ejus super hac re. Non est etiam prætereundum hic elogium, qvod Maximino Ex-Qvæstori tribuitur: Eminenti omni genere literarum. Ut fortè hic ille sit, qvi ejusdem Theodosii Jun.* l. un. de Professor. qvi in urbe Constantinopolit. *Maximus Sophista vocatur. Et verò in qvibusdam Codicibus* in d. Nov. I. *Maximus hic vocatur. Et hæc qvoqve de adjutoribus.*

Neqve dubium mihi, qvod sextum, communicatum cum Valentiniano Tertio, suo in Imperio collega, consilio, ad id acces-

accessisse Theodosium. Qvod certè colligere est ex verf. his adjicimus d. Novell. 1. & ex Novell. 2. *& sic ex compacto opus hoc susceptum: Certè Valentinianum sua qvoqve Occidentis scrinia Theodosio ejusqve adjutoribus dedisse apparet: imò suas qvoqve constitutiones idem contulit, qvæ triginta numero hoc Codice continentur, tùm Aqvilejæ, tùm Romæ, tùm Ravennæ ab eo datæ, inde ab A. D. 425. & in his* d. l. un. de responsis Prudentum, *qvæ Juris & JCtorum ἀνάκρισιν continet, ut dixi.*

Qvantum verò temporis in hoc Codice conficiendo insumserint Conditores isti, non liqvet: cùm nullum extet Theodosii hac de re mandatum, nulla formula, qvale extat Justiniani ad suos adjutores: verùm sola operis jam consummati confirmatio Novella 1. *qvâ is confecto codici vires autoritatemq; tribuit, ut ipsemet loqvitur* Novella 2. *Sanè non minus eos hoc opus præcipitasse, qvàm Justinianei Codicis conditores, liqvebit ex iis, qvæ proximo capite notabimus.*

Illud tandem videndum est, qvidnam hâc parte in Constitutionibus hunc in codicem referendis adjutoribus his licere voluerit Theodosius: qvidq; adeò illi præstiterint. Id verò his verbis ipse indicat: Verum exegimus negotium temporis nostri, & discussis tenebris compendio brevitatis lumen legibus dedimus, electis nobilibus viris exploratæ fidei, famosæ doctrinæ: qvibus delegata causa civilis officii, purgatâ interpretatione, retroscita Principum vulgavimus. *Ubi notandum obiter, civile officium legislationis & Legum repurgationes hîc vocari pariter, & apud Anonymum, cujus verba antea protuli ad differentiam militaris officii & bellici. Et mox:* Qvamobrem detersâ nube voluminum, in qvibus multorum, nihil explicantium ætates attritæ sunt, compendiosam Divalium constitutionum scientiam ex D. Constantini temporibus roboramus. *Tandem:* Manet

net igitur, manebitq́ perpetuò elimata gloria conditorum, nec in nostrum titulum demigrabit, nisi lux sola Brevitatis, &c. *Ergò datum hoc adjutoribus negotium, non tantùm ut leges, qvæ in abdito erant, ab obscuritatis injuria vindicarent, in unum corpus colligerent, compingerent; verùm etiam ut eas purgarent, compendiosè referrent, brevitate qvâ fieri posset: & sic negotium datum purgandarum, inq́ compendium redigendarum constitutionum, qvæ Epitoma vel Ecloga lex est, (non verò mutandarum, cujus ἄκραν ἐξουσίαν suis adjutoribus dedit postea Justinianus:) resecatis videlicet præfationibus nihil explicantibus, singulisq́ legibus seu sententiis in suos titulos relatis. Qvi exemplum luculentum videre volet hujus Eclogæ, stante nihilominus eâdem sententiâ, componat is vel* legem 4. C.Theod. de his, qvi ad Ecclesʃ. confug. *cum* integrâ Theodosii Junioris Constitutione, qvæ extat inter Acta Concilii Ephesini. *Item* l.2.Cod. Theod. de religione *cum integris mandatis, qvæ occurrunt* in collatione Carthaginensi. *Qvod qvidem Theodosii factum & consilium ad fidem veri longè præstabilius qvàm Justiniani, qvi summo jure sibi & auditoribus suis dato omnem rei fidem & Historiæ veritatem invertit: Sic ibi Principibus sæpè ea tribuuntur, qvæ in mentem eis nunqvam venerunt, neq́ seculo eorum satis conveniunt, de qvo postea. Tandem qvænam qvantaq́ hujus Codicis conditorum religio fuerit, circa leges in hunc codicem referendas, postea viderimus.*

Ingens profectò Christianorum Imperatorum Constitutionum sylva erat, ob qvam utriusq́ imperii Scrinia excutere hujus Codicis conditoribus necesse fuit, hinc adeò & hæc ingens per sexdecim libros sparsa & diffusa. Nam si tempora spectes, centum viginti septem annorum epocha est, fermè à Constantini temporibus, ut ipsemet Theodosius ait ab A. D. 312. ad 438. Imperatores sedecim, qvorum constitutiones hîc continentur, ii sunt: Constantinus Magnus tresq́ ejus filii, Constantinus, Constantius, Constans, Julianus, Jovianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, Valentinianus Junior, Theodosius M., Arcadius, Honorius, Theodosius Junior, Constantius, Valentinianus Tertius: Si species Constitutionum qværas, hîc occurrunt non Edicta tantùm, sed & Rescripta varia ad consultationes magistratuum emissa; Epistolæ item, seu literæ ad

Ma-

Magistratus, Orationes ad Senatum, Pragmatica, Acta habita in Consistoriis Principum, itemq; in Principiis, mandata deniq; data Rectoribus provinciarum, Censitoribus peraeqvatoribus missis, Cognitoribus futuris in collatione de religione. Huc, inqvam, congesta omnia illa, qvae aliqvam Juris sententiam & definitionem continerent, neq; ulla Juris sive privati sive publici pars hic intacta, qvod vel titulorum recensus & librorum argumenta testantur. De Constitutionibus ad privatum Jus spectantibus, qvae qvinq; priores fermè libros occupant, ita qvoq; ipse Theodosius Codicem suum commendat : Cum liqvidò pateat, qvô pondere donatio deferatur, qvâ actione petatur hereditas; qvibus verbis stipulatio colligetur, ut certum vel incertum debitum sit exigendum. *Qvod publicum Jus attinet, hic Officia Magistratuum describuntur, Dignitatum notitia explicatur, res militaris disponitur, Officialium munera diriguntur, criminales actiones stabiliuntur, jura fisci declarantur, Annonae & tributa disponuntur, Curiis civitatum consulitur, professiones & Politia, ut vocatur, urbium disponuntur, suae qvoqve sunt leges positae operibus & ornamentis publicis & spectaculis; pacis item & tranqvillitatis cura habetur; tandem Ecclesiastica negotia definiuntur; ut proinde nulla publici Juris pars hic intacta maneat.*

Ipsorummet porrò Principum tituli seu nomina hic intacta relicta: Qvod & ipse Theodosius Junior pluribus contestatur Novellâ suâ: Nulli, *inqvit,* retrò Principum aeternitas sua detracta est, nullius Latoris occidit nomen: imò lucis gratia mutati, claritudine Consultorum augusta nobiscum societate junguntur: Manet igitur, manebitq; perpetuò elimata gloria conditorum, nec in nostrum titulum demigrabit, nisi lux sola brevitatis. Et qvamvis nostris auspiciis totius operis instauratio deberetur, attamen magis Imperatorium, magisq; credidimus gloriosum, si fugatâ invidiâ perennitatis Jure memoria remaneret autorum: nobis ad fructum bonae conseqventiae abundeqve sufficit, revelatis legibus, inventa majorum, obscuritatis injuriâ vindicasse. *Ita qvidem Theodosius, qvi satis habuit invidiae sese subducere. At enim publicè id qvoq; perqvam utile; cujusq; Constitutionis autorem tenere, appositis etiam personarum, locorum, temporum caracterismis,*

rissimis, de qvo in posterioribus prolegomenis. Hac, egregia omnia & gloriosa.

NÆVUS XXV.

Multis nævis Jurisprudentiam turbantibus laboravit Codex Theodosianus.

Explicatio.

Si, ut cœpimus, in singulis capitibus Jurisprudentiæ Romanæ singulos nævos numerare vellemus, facilè ex hoc unico Nævo 14. & ultrà nævos distinctos facere potuissemus. Sed placuit istum numerum in unum colligere, ne tædium pariamus lectoribus haud dubiè magis sollicitis de nævis Juris Justinianei distinctè percipiendis, qvam de numerandis nimis exactè nævis Juris ante Justinianum. Cæterum tamen & in hoc negotio otium iterum nobis fecit Jacobus Gothofredus, ex cujus *cap. 2. Proleg. f. 187.* ista cape: *At enim fatendum, haud pauca ab hujus Codicis Conditoribus admissa, qvæ sive apud rigidos censores, sive apud æqvos etiam notam merentur: in tam exiguo præsertim opere, cui tot tamq; præstantes Jurisconsulti incubuere, qvibus sui etiam sæpè seculi constitutiones integræ obversabantur.*

I. Miretur qvis, tot omissas ab iis de Jure Constitutiones, qvæ tamen alibi occurrunt; non de iis nunc dico, qvæ in Codice Justinianeo occurrunt ejusdem Epochæ, seu eorundem Imperatorum: procul dubio enim eæ integro Codice Theodosiano comprehensæ fuerant: De iis nunc loqvor, qvæ ab aliis Scriptoribus memorantur: velut eam, cujus meminit D. Ambrosius ep. 32. *Joviniani Imp. Theodoretus* lib. 4. cap. 4. *Valentis apud Hieronymum* 2. adversus Jovinianum, Valent. in cap. 4. 11. 9. 1. *Honorii* 79. distinct. cap. 51. duæ 8. & 97. distinct. cap. 2.

II. N*olo etiam in Conditoribus adeò notare nimiam sæpè brevitatis rationem, in excerpendis Juris sententiis, ut omni luce sæpè eas privaverint, & cum eas ab obscuritatis injuria vindicare debuerint, obscu-*

ſcuriſſimas reddiderint; conciſis adeò verbis, omniq́; ſæpe veſte detractâ; expunctis & rejectis, hinc proœmiis, inde connexis & cohærentibus, qvæ magnam vim habent ad intellectum legum; omiſsa eadem atq; à corpore ſuo divulſa ſummam obſcuritatem pariunt.

III. Nolo etiam adeò hîc urgere leges totidem fermè verbis repetitas, ſub eodem etiam titulo, veluti l. 143. 144. de decurionibus: *vel ſub diverſis titulis, qvarum indiculus hîc eſto, pariter ut repetitarum Conſtitutionum in libris Juris Juſtinianei Indiculum alii confecere, inter qvos Pancirolus* 1. Var. 78.

Nempe l. 7. de diverſis reſcriptis *repetita* l. 20. de Annona & tributis.

Lex 2. de Nuptiis *in* l. 5. ad l. Jul. de adult.
Lex ult. de teſtam. *in* l. ult. de inoffic. teſtam.
Lex 1. de tabulariis *in* l. 31. de decurionibus.
Lex ult. de cohortalibus, *in* l. 188. de decurionibus.
Lex 1. de militari veſte, *in* cap. 4. de ſuſceptoribus.
Lex 1. de executorib. *in* l. ult. de feriis.
Lex 1. de donationibus *in* l. 2. de adu. tut.
Lex 16. de pœnis, *in* l. 57. de Appellat.
Lex 17. de bon. proſcript. *in* l. 23. de petitionibus.
Lex 11. de Jure fiſci, *in* l. 14. de ſuſceptoribus.
Lex 50. de decurion. *in* l. 4. de luſtrali collat.
Lex 49. de operib. public. *in* l. ult. de eqvorum collat.

Id, inqvam, repetitionis vitium hîc objectare nolim, cùm utilitatem ſuam qvandam id habeat, & paratitlorum inſtar exhibeat: niſi qvod ancipitem hæc conditorum animum arguunt, hærentium, qvonam potiſſimum qvidq́; referendum eſſet, qvæ ideò repetere maluerunt, qvàm perire.

IV. Renovatas etiam leges repetitasq́; in eandem ſententiam vel ab eodem Imp. leges rurſum uſurpatis prioris legis verbis. Ex l. 140. lex 148. de decurionibus. *Ex* l. 157. *finis* legis. 158. eod. *Ex* l. 4. l. 9. de ſcænicis. *Ex* l. 15. l. 18. de ſcænicis. *Ex* l. 30. de Epiſc. l. 22. de extraord. *Ex* l. 35. de Epiſcop. *pars* legis 2. de Epiſcop. Jud. *Ex* l. 2. de honor, codicill. lex 24. de decurionib. *Paucis additis;*

pt l. 50. 56. 64. de hæreticis. *Paucis mutatis; ut* l. 21. 22. de diverſ. offic. l. 12. 13. de bon. proſcriptor.

V. Contrarias qvoq; tot leges ſe invicem deſtruentes abrogantesq; hic poſitas haud ideò reprehendere velim: cujusmodi plures occurrunt, tit. potiſſimum de decurionibus: & tit. de hæreticis, in negotio Eunomianorum l. 17. 23. 25. 27. 36. 49. 58.

VI. Nolim etiam arguere tot ſimiles in ſententiam eandem: nam & ſuam hæ hodie ſummamq; utilitatem habent ad hiſtoriam Juris probè noſcendam: & contrariæ leges pro uſu reipubl. ſæpè aptari poſſunt: & in ſingulis qvamlibet ſimilibus, ſingulare qvid ferè ſemper occurrit, ſingulisq; adeò ſua qvaſi condimenta ferculis conveniunt, non ut in Æſopi patinam omnia. Ab utroqve certè qvantum potuit ſibi poſtea cavit Juſtinianus, cui id facilius erat, cum omnia ad ſuam mentem refingeret, & tamen nec qvicqvam cavit, qvin multæ ſimiles & contrariæ exciderint.

VII. Nolim & eas qvoqve leges hic notare, qvæ plurimæ extant chronicæ aut locales: qvæ in certum tempus vel certo loco latæ, atqve ad perpetui juris formam non pertinent: qvas Tribonianus ideò vel in totum omiſit, vel aliqvid ex iis detraxit, ratione loci, temporis vel perſonarum. A poſterioribus verò Principibus priorum Principum leges renovatæ & in novum transfuſæ ſitum, ut ex l. 7. de filiis mil. apparit. lex 83. de decurionibus, *ex* l. 7. C. 12. de deſertoribus, *ex* l. 5. l. 17. de Navicul. *ex* l. 7. de fil. mil. apparit. pars l. 9. eod. *ex* l. 10. de accuſat. l. 16. eod.

VIII. Nolo etiam rubricas nigro latiores notare, velut tit. de mancipibus thermarum & ſubvectione lignorum. *Ecqvis enim ſcit, an eo titulo lex aliqva interciderit?*

IX. At

IX. At seqventia in hujus Codicis conditoribus qvis ferat? primò qvidem qvod impias leges plures in eum retulerunt: cùm tamen hujus Codicis condendi studium ideô in se receperint, ut inde ad forum & qvotidianas advocationes jura peterentur, in Jure proferrentur, vim legis obtinerent. Non illud jam urgeo, qvod in illis Julianum Divi appellatione dignari videmus; item qvod Conditores ejusdem Juliani passim Constitutiones haud obscurè Christianorum Principum Constitutionibus & instituto contrarias huc retulerint. Verùm illas nunc Constitutiones urgeo, qvæ expressam impietatis notam hodie continent: ut Constantini M. l. 1. de paganis, de licito haruspicinæ usu: *ut & Valentiniani Senioris* de cujusqve religionis libertate, ejusdemqve haruspicinæ tolerantia, l. 2. 3. 9. de mal. & mathem. *qvæ etsi tùm cùm ferrentur, tolerabiles erant, nondum re Christianâ in solio solidoqve prorsus locatâ, postea tamen versô rerum statu, expunctas eas oportuit, & ab eo Codice abesse, qvi ad usus publicos & forenses proponerentur, firmatâ jam re Christiana. Multò magis qvis non damnet Conditorum operam, cùm Juliani* leges 4. 6. de sepulchris violatis, *gentilitiæ superstitionis plenas eadem retulerunt? Qvis ferat Valentiniani Jun.* legem ult. de fide Catholica, *ibidem legi pro Ariminensi Synodo? Qvis ferat ibidem Arcadii* leges 1. 4. 5. 6. de his qvi super religionem, *qvæ & ipsæ Catholicis adversæ erant, & adversus Chrysostomum & Joannitas latæ? Nisi qvod hæ innoxiæ videntur, historicâ causâ ignoratâ: & superiores omnes hodie nos servatas nobis gratulamur, qvæ tamen solatii species à Theodosii proposito aliena erat, neqve ad ejus defensionem qvidqvam facit.*

X. Seqvuntur fugitivæ leges, eæqve in triplici genere. Primùm enim integræ qvædam leges, qvæ etsi non alieno prorsus titulo positæ sint, commodiore tamen loco stare poterant, ut ecce lex 4. de Constitut. Principum, *melius posita fuisset sub* tit.

O 3 de

de immunitate concessa: l. 1. de nupt. *aptius sub* tit. de secund. nupt. lex 5. 8. de re militari, & lex 1. *sub* tit. de filiis milit. apparit.

Secundum fugitivarum legum genus est, earum qvæ integræ nullô modô iis titulis, sub qvibus positæ sunt, conveniunt, sed ob homonymiam vocis in eos relatæ sunt, ut sunt complures leges *sub* tit. de Principibus agentium in rebus, *qvæ conveniunt titulo* de Principibus cornicular. &c. *item* l. 1, 6. de Palatinis S. L. *qvæ ad Palatinos omnes pertinent. Complures item leges* lib. 7. *qvæ non ad militiam armatam pertinent, verùm ad officialium militiam: item* lex 4. 5. de qvæstionib. *exerrant eo titulo, & in titulum* de pœnis *referri debuerunt.*

Postremæ leges fugitivæ sunt, qvarum pars tantùm titulo sub qvo positæ, convenit, pars alia verò in titulos alios conjici debuit, ut ecce pars legis 3. finium regundorum: *pars* legis 6. unicæ de Burgariis. *pars* legis 2. de veteranis. *pars* legis 9. & 11. de curiosis: *pars* legis 4. de adulteriis: *pars posterior* legis 2. tributa in ipsis speciebus: *pars potissima* legis 1. de expensis ludorum: *pars* legis 24. de paganis.

XI. In hoc potissimum censu ponendæ sunt leges à se invicem ita divulsæ, distractæ, dilaniatæ, ut nullum certum sensum habeant, imò qvandoqve etiam constructionis ibi ratio non constet, veluti lex 48. de operibus etiam publicis; lex 1. de privileg. eorum, qvi in S. Palat. *qvare omni ope annitendum, ut ea rursum qvasi dissecta & lacerata Virbii membra copulentur: in qvibus etiam relativæ voces supersunt. Hujusmodi verò, præter* d. l. 48. & d. l. 7. *duodecim occurrunt, ubi nullus scilicet sensus constat integer, imò ne constructio qvidem. In* l. 3. de postulando, *nisi jungatur* cum l. 6. de possessoribus. *Ita pariter jungi debet, ut sensus ei constet*

Lex 3. de inoffic. cum l. 1. de libertis.

Lex

Lex 6. de inoffic. teftam. *cum* l. ult. de Jure liberorum, & *cum* l. ult. de diverfis refcriptis.
Lex un. de peculio *cum* l. un. qvod juffu.
Lex ult. de teftimon. *cum* l. 2. de pœnis.
Lex 64. de decur. *cum* l. 6. de re militari.
Lex 184. de decur. *cum* l. 14. de privil. eor. qvi in S. P. & *cum* l. 28. de cohortalibus.
Lex 2. de collegatis *cum* l. 25. de cohortalibus.
Lex un. de profefforibus, qvi in urbe Conftantinop. *cum* l. 3. de ftudiis liberal. U. R.
Lex ult. de operibus publicis *cum* d. l. 3. de ftud. liberalib. U. R.
Lex 1. de his, qvi fuper relig. *cum* l. ult. de fide catholica.
Lex 24. de paganis *cum* l. 23. eod. tit.

XII. In hunc cenfum qvoqve referenda eft lex 25. de navicul. *qvæ nihil omninò ponit aut definit.*

XIII. Præpofterationis qvoqve nævo laborat alicubi hic Codex: nam cùm Imperatorum & Confulum ordinem in difponendis legibus feqvi in animo habuiffent conditores, fæpius tamen ab hoc fcopo fuo exciderunt. Exemplum in l. 7. de pactis, l. 12. 13. 14. 15. 16. de prætorib. l. 1. de veteranis. l. 14. 15. de Jure fifci, l. 63. 147. 182. de decurion. l. 112. de fuariis, l. 20. 21. de navicul. l. 56. de hæreticis.

XIV. Vitium qvoqve freqvens in infcriptionibus & fubfcriptionibus legum, veluti in Imperatorum nominibus adfcribendis vel omittendis: in confulatibus item non rectè defignandis: qvod videre eft in Conftantinianeis & Valentinianeis: Unde ea Chronologia confufio enata, qvam reftituere hodie operofum fæpe videatur; uti l. 1. de veteranis; leg. 5. 6. de curfu publ. l. fi vindicat. de pœnis. *Qvanqvam pro conditoribus dici poffit, in eos partim errores illos jam antea admiffos incurriffe, vel partim poft demum à librariis commiffos fuiffe.*

Re-

Recensuit Gothofredus nævos à Compilatoribus admissos, possemus iisdem addere nævos admissos ab ipso Theodosio : scil. XV. Qvod confectionem hujus Codicis non uni mandaverit, sed pluribus. XVI. Qvod potestatem abbreviandi & ita obscurandi illis dederit, (vide qvæ in explicatione hujus capitis ex Gothofred. adduximus.) Sed cum hos nævos fusius explicaturi simus in Jure Justinianéo, ubi recurrent, hîc prolixiores esse nolumus, præprimis, cum non sit diffitendum, potestatem horum collectorum non ita fuisse laxam, uti sociorum Triboniani, nec tanta damna inde fuisse metuenda.

CAP. VII.

De Responsis Prudentum à Theodosio limitatis.

SEntiebat Theodosius, nævum ex eo ortum, qvod Augustus judicem adstrinxerat, ut responsa prudentum seqveretur. Igitur incertitudinem inde ortam eo remedio tollere allaboravit, ut certorum saltem JCtorum Scripta jusserit valere in judiciis, & in allegatione eorundem plures prævalere paucioribus, ex paribus illos, inter qvos esset Papinianus, inter pares deniqve absqve Papiniano judicis arbitrio locum esse. (1)

(1) *l. un. Cod. Theod. de respons. Prud. l. 1. tit. 4.*

Explicatio.

Meretur Constitutio Theodosii & Valentiniani, ut tota apponatur: *Papiniani, Pauli, Gaji, Ulpiani atq; Modestini scripta universa firmamus ita, ut Cajum atqve Paulum, Ulpianum & ceteros, comitetur autoritas lectionis, qvæ ex omni opere recitatur. Eorum qvoqve scientiam, qvorum tractatus atqve sen-*

ten-

tentias prædicti omnes suis operibus miscuerunt, ratam esse censemus, ut Scævolæ, Sabini, Juliani atqve Marcellini, omniumqve, qvos illi celebrarunt. Si tamen eorum libri propter antiqvitatis incertum, codicum collatione firmentur. Ubi autem diversæ sententiæ proferuntur, potius numerus vincat Autorum: vel si numerus æqvalis sit, ejus partis præcedat autoritas, in qva excellentis ingenii vir Papinianus emineat: qvi, ut singulos vincit, ita cedit duobus. Notas etiam Pauli atqve Ulpiani in Papiniani corpus factas (sicut dudum statutum est) præcipimus infirmari. Ubi autem pares eorum sententiæ recitantur, qvorum par censetur autoritas, qvod seqvi debeat, eligat moderatio judicantis. Pauli qvoqve sententias semper valere præcipimus.

Meretur explicatio Gothofredi, ut textui illi simul jungatur: *Primò, ait, qvinqve veterum Juris Consultorum, Papiniani, inqvam, Pauli, Gaji, Ulpiani & Modestini scripta* hac l. *confirmat Valentinianus, eaq; in judiciis recitari & obtinere jubet: id enim est, qvod his verbis significatur:* comitetur autoritas lectionis, qvæ ex omni opere recitatur. *Qvomodo & mox:* Ubi autem pares eorum sententiæ recitantur. *Recitari scilicet, proferri (ut hac qvoq; leg. dicitur) non Principum modò Constitutiones, leges, seu Jura publica, ut ex Paulo liqvet,* 5. sentent. 25. §. 5. *Sed & Juris Consultorum probatorum publicè responsa, seu Prudentum edicta in judiciis mos erat: qvod hæc lex qvoq; probat, qvorum videlicet autoritatem Judices in judicando seqverentur. De qvo more Cassiodorus qvoqve non unô locô, ac nominatim* lib. 6. var. 8. Et appellabatur abusivè judicium, ubi non allegabantur à Partibus dicta Prudentium. *Hanc proinde constitutionem, & si qvas similes hujus ævi, intellexit Justinianus, cùm* in §. Responsa Prudentum 8. Inst. de Jure Naturali *scripsit;* Jurisconsultorum sententias & opiniones eam autoritatem tenuisse, ut judici recedere à

Responsis eorum non liceret, *hoc addito:* ut est constitutum *&c.* Quæ seqvuntur verba, recensuimus *suprà cap. 2. pag. 67.* Seqvuntur illa: *Qvo qvidem in censu qvinqve Jurisconsulti hac leg. memorantur, Papinianus inqvam, Paulus, Gajus, Ulpianus & Modestinus: ita qvidem, ut si* in h.l. *pro:* & cæteros, *legamus:* ut cæteros, *qvod mihi aliqvando in mentem venit, exinde colligatur, ante Valentinianum jam duorum Jurisconsultorum, Papiniani videlicet & Modestini scripta probata fuisse, atqve in judiciis passim pro autoritatibus & authenticis allegari solita: Cæterorum verò trium nondum adeò. De Papiniano certè fidem facit jam* lex utere 14. Cod. de præd. & aliis rebus minorum. *Nempe nulli majorem inter JurisConsultos famam hôc ævô meruere, qvam Papinianus & Modestinus, ut ex eorum elogiis passim colligas: qvorum hic ultimus verorum & γνησίων JurisConsultorum & conditorum reverà fuit, post eum nullus. Verùm hæc conjectura tantùm est; nam & cæteri qvoqve in Constitutionibus laudati, inq; Judiciis recitati, etsi haud æqva omnes autoritate: de qvo mox.* Lectionis autoritas *h. l. est dignitas, autoritas Scriptorum, responsorum, qvæ in judiciis legi solita:* l. Titius 43. ff. de act. empti: l. ult. ff. ad l. Corn. de falsis. l. 5. ff. de probat. *Lectio hac tempestate pro περικοπῇ, textu, allegatione, autoritate, testimonio, sectione undecunqve decerpta, qvæ adducebantur, recitabantur in judiciis, scriptis, & in Ecclesia qvoqve &c.*

Secundo hujus legis capite confirmantur pariter qvatuor Jurisconsultorum anteriorum, puta Scævolæ, Sabini, Juliani, Marcelli nominatim, aliorumqve scripta, scientiam qvorum, tractatus & sententias superiores illi Qvinqveviri operibus suis miscuerunt, eosqve celebrarunt. Qvæ qvidem scripta hoc adhuc ævo extabant, sed suo jam ævo Galliam intra re-

gnum

gnumqve Tholosanum intercidisse Interpres hujus leg. testatur: At non in Oriente sub Justiniano, utpote è qvorum postea scriptis Tribonianus in Pandectas suas complurima retulit. Qvod Scævolam attinet, Arcadius qvoqve jam l. 3. de testamentis, *Scævolam autorem prudentissimum Jurisconsultoremqve vocaverat, ejusqve sententiam ibi secutus comprobaverat.*

Tertio capite continentur jam cautelæ, seu leges certæ: qvibus Jurisconsultorum illorum Scripta tutò in judiciis legi, recitari, allegari possent: Nempe jubet Valentinianus Scripta eorum ad Codices emendatos exigi, ut ita Lectio ex his seu autoritas desumi tutò possit: propter antiqvitatis, *inqvit*, incertum, *nempe, qvod inemendati passim Codices circumferrentur, librariorum stupore, causisqve aliis &c.*

Qvarto hujus legis capite Valentinianus definit, qvid facto opus sit, si diversæ Jurisconsultorum sententiæ proferantur, qvatuor in id sententiis. Primò, ait, in hac sententiarum diversitate, potiorem Juris Autorum numerum vincere, seu præferri oportere. Numerari igitur, non ponderari Jurisconsultorum sententias voluit Imperator. Qvod & in Jure Romano in dubiis qvæstionibus qvandoqve obtinuit: qvò certè pertinet, qvod Ulpianus scribit, l. 8. de adoptionibus, *item qvod Gajus* l. 18. dig. de in jus vocando. *Sic in qvæstione illa, utrum servus proprius institui rectè sine libertate possit, secundum plurium sententiam in Negativam concessum fuit, ut docet* pr. Inst. de hæred. inst. *cum Attilicino uni jam olim aliter videretur. Sed enim mens alia meliorqve Justiniano qvoqve postea sedit, qvi ut æqviorem in illa, qvam modò dixi qvæstione Attilicini unius sententiam amplexatus est, ita hanc nominatim Valentiniani Tertii constitutionem hac parte sugillat.*

gillat. l. 1. §. cumq; Cod. de veteri Jure enucl. *Etsi non negem, si de veteri illa Jurisprudentia qværitur, eorum qvi Juris conditores autoresqve fuére, in dubio fermè potiorem numerum jure apud posteros prælatum: magnum enim istud de consensu concentuqve potioris partis præjudicium est: At enim qvi hodie inolevit, perditus mos, ille est, qvo communes opiniones Autorumqve congeries, imò nubes, pro omni fermè ratione obtenditur. De plurium sententia in judiciis & suffragiis seqvenda, de qva agitur* l. 36. ϖ. de re judicata, *ab hac leg. aliena jam qvæstio est. Et hæc qvidem Valentinianus, ubi inæqvali numero disparesqve sententiæ essent. Qvid verò si pares existant? Hic jam Papiniano hanc prærogativam tribuit, ut si numerus æqvalis sit, ejus partis præcedat autoritas, in qva excellentis ingenii vir Papinianus eminet, seu à qva ipse stat, qvi ut singulos vincit, ita cedit duobus: hoc altero* πρωνομίῳ *insuper addito, ut Pauli & Ulpiani notæ in Papiniani corpus factæ, sicut & antea dudum statutum fuerat, infirmentur; qvæ qvidem omnia de Papiniano, præterqvam qvod is primus ceu Qvinqveviralis, de qvo suprà, Collegii Præsul &* ἔξαρχος *ponitur, singularia admodùm decora &* πρωνόμια *sunt. Primum Papinani* πρωνόμιον *istud est, qvod æqvali inter se dissentientium seu dissidentium numero, ea sententia prævalere jubetur, in qvam Papinianus inclinavit:* ἄλλος ἔτος Ηρακλῆς. *Qvæ & ipsa prærogativa Bartolo qvondam in Hispania & Lusitania decreto Regio tributa fuit, si verum est, qvod refert Joannes Baptista de Gazalupis de S. Severino,* in tractatu de modo studendi in utroqve Jure, qvi subjectus est vocabulario Juris p. 254. *Similis & major etiam Joannis Chrysostomi prærogativa fuit; nam in interpretandis Scripturis ita felici divinoqve adeò ingenio præditus est, ut qvamvis cæteri Ecclesiæ*

Pa-

Patres communibus suffragiis locum aliqvem scripturæ secus qvàm ipsi visum esset, interpretarentur, contra omnes unius præponderaret sententia &c. Secundum Papiniani hac l. προνόμιον istud est, qvod Valentinianus Notas Pauli & Ulpiani in corpus Papiniani factas (hi enim duo Jurisconsulti, Papiniani ipsius discipuli, ejusqve in Præfectura Prætoriana adsessores, ad Papinianum notas scripserunt) infirmari præcipiat. Addito, sicut dudum statutum est. *Ubi dubium est, qvando id statutum, & dudum qvidem fuerit. Constantinus M. certè in ea qvæstione, qva de agitur* l. un. infr. de sententiam passis, *remotis Pauli atqve Ulpiani notis, Papiniani sententiam prætulerat: at non ideò, qvod Valentinianus* h. l. *adstruit, hâc in re paulò liberalior, infirmatæ penitus Notæ illæ omnes fuerunt. Et melior iterum in hoc tertio mens Justiniano sedit, qvi eas notas non statim neqve promiscuè respui voluit, verùm probatas seligi, Papinianeisqve etiam Responsis & Qvæstionibus subjici* d. l. 1. §. Sed neqve 6. Cod. de veteri Jur. enucl. *cujusmodi Pauli ad Papinianum octo notæ referuntur,* l. 1. in f. ϖ. de offic. ejus, cui mandat. Jurisd. l. 16. ϖ. de publiciana; l. 72. in f. ϖ. de contrah. empt. l. 1. §. 2. π. de usuris, l. ult. de his qvi in testam. l. 42. in pr. π. de bonis libertorum. l. 116. in pr. ϖ. de verb. obl. l. 8. in pr. ϖ. de stipul. Prætor. *Ulpiani unica qvod sciam* l. 31. §. 2. π. de negot. gest. *Neqve immeritò, id enim præstant Notæ illæ, ut commoda interpretatione, vel rationibus Papiniani dicta utiliter firment, vel ex eodem æqvitatis fonte, & ex iisdem Juris principiis similes, vel contrarios casus decidant, extensionibus vel exceptionibus appositis: Qvod & alii fecêre, qvi ad veterum Jurisconsultorum libros notas scripserunt; Exemplo aliorum Criticorum, qvorum optimi & antiqvissimi Græci, Latini non tantùm obelis falsa, suspecta, dubia configere soliti, sed etiam χρήσιμα lectori præmonstrare. Qvanqvam neq; à vero abest,*

 sæpe

ſæpe iniqvè & mordaci dente nimiùm iis notis Papinianum perſtringi; ut exemplo eſſe poteſt lex 116. ff. de verbor. oblig. *collata cum* l. 98. § qvi ſtipulatur ff. de ſolutionibus. *Et fortè etiam ſenſiſſe potuit hîc Valentinianus, de hujuscemodi Notis, qvibus à Papiniano abirent illi, non verò de his, qvæ iidem ſubjecêre, adminiculandæ vel ſufflaminandæ Papiniani ſententiæ. Et hæc de Papiniani prærogativis, & illa qvidem, ut diſſidentibus ſententiis ea vinceret, à qva Papinianus ſtaret. Qvid ſi verò pares Juriscenſultorum ſententiæ ſint, qvorum par qvoqve cenſetur autoritas? Judici jam eligendi poteſtatem tribuit Valentinianus* h. l. qvod ſeqvi debeat, eligat moderatio judicantis: *& ſic arbitrarium id, ſeu inter caſus arbitrarios cenſeri vult.* Moderatio, *id eſt, juſta & æqva æſtimatio, & qvidem in* ſp. hujus legis *Moderatoris ſeu Rectoris Provinciæ, vel alterius Judicis: Ita enim moderationis vox paſſim accipienda, hîc &* l. 20. de curſu publ. l. 119. de decur. *Tandem fine hujus leg. Pauli qvoq; ſententiæ ſemper valere præcipiuntur. Qvo qvid opus erat, cùm jam initio legis, Pauli ſcripta (exceptis in Papinianum notis) univerſa firmentur? Certè viri cujusdam doctiſſimi interpretatio hîc minus placere debet, qvaſi ſuperius in genere Pauli Scriptis Juris autoritas tributa ſit; his verò poſtremis verbis, peculiariter libris ejus ſententiarum hæc autoritas tribuatur, ut hi vincant omnes Autores, omnesq; libros Juris, & per hoc ipſum etiam Papinianum, & libros Papiniani; idq; indicetur his verbis:* ſemper valere, *qvæ extenſionem habeant ad omnes caſus, in qvibus libri hi ſententiarum aut ſoli producerentur, aut juncti cum libris aliorum Autorum, aut ab illis disjuncti ac diſſidentes. Qvod prærogativis ſuprà Papiniano tributis, planè adverſatur. Qvid igitur? Ego haud abſurdè crediderim, id à Gothorum manu eſſe, qvibus tantopere Paulus, id*

eſt,

est, Pauli sententiæ placuerunt, ut inde qvoqve corpus suum Alaricianum conficerent: ut ex fine interpretationis huic legi subditæ apparet: ubi & duo ab Interprete addita, de qvibus nihil in contextu legis habetur, de qvibus nos in Prolegomenis.

NÆVUS XXVI.

Modus iste tollendi incertitudinem ex responsis Jurisprudentum contradictoriis ortam, novam incertitudinem introduxit.

Explicatio.

Displicuisse Justiniano & Triboniano hanc legem Theodosii & Valentiniani in multis capitibus, patet ex *l. 1. §. 5. & 6. C. de V. I. E. Cumqve hæc materia summi nostri numinis liberalitate collecta fuerit, oportet eam pulcherrimo opere extruere, & qvasi proprium & sanctissimum templum Justitiæ consecrare. Et in libros qvinqvaginta, & certos titulos totum (Jus) dirigere, tàm secundum nostri Codicis constitutionem, qvàm Edicti perpetui imitationem, prout hoc vobis commodum esse potuerit: ut nihil extra memoratam consummationem possit esse derelictum: Sed his qvinqvaginta libris totum Jus antiqvum per mille & qvadragingentos penè annos confusum, & à nobis purgatum, qvasi qvodam muro vallatum, nihil extra se habeat: omnibus autoribus juris æqvâ dignitate pollentibus, & nemini qvadam prærogativa servanda: qvia non omnes in omnia, sed certi per certa vel meliores, vel deteriores inveniuntur. Sed neqve ex multitudine autorum,*

qvod

qvod melius & aeqvius est, judicatote, cùm possit unius (forsitan) & deterioris sententia & multas & majores in aliqva parte superare. Et ideò ea, qvae antea in notis Æmilii Papiniani ex Ulpiano & Paulo, nec non Marciano adscripta sunt, qvae antea nullam vim obtinebant propter honorem splendidissimi Papiniani, non statim respuere; Sed si qvid ex his ad repletionem summi ingenii Papiniani laborum, vel interpretationem necessarium esse perspexeritis; & hoc ponere legis vicem obtinens, non moremini; ut omnes, qvi relati fuerint in hunc Codicem prudentissimi viri, habeant autoritatem, tanqvam si eorum studia ex principalibus Constitutionibus profecta, & à nostro divino fuerint ore profusa: omnia enim meritò nostra facimus, qvia ex nobis omnis eis impertietur autoritas: nam qvi (non) subtiliter factum emendat, laudabilior est eo, qvi primus invenit. Sed magis ista ex aemulatione videntur scripta, qvam ex prudenti defectuum agnitione. Non in eo naevus erat, qvod Papinianus fuerit aliqvo modo reliqvis JCtis praelatus, aut qvod Ulpiani & Pauli notae fuerint abrogatae: Nec tam in eo, qvod multitudo possit seqvi deteriorem sententiam, haec enim ratio nihil obstat, qvo minus in omnibus collegiis vota non ponderentur, sed numerentur; verùm in eo naevus latet, qvod isto modo incertitudo juris fuerit aucta, & jus maximè varians introductum fuerit. Dependebat enim sententia tum ex ingenio vel potius ex memoria advocati. Finge in duabus causis unius ejusdemqꝫ juris, unus idemqꝫ advocatus coram duobus diversis judicibus postulabat, hìc pro actore, illic pro reo. Adversarii autem homine utebantur non ita in Scriptis JCtorum versato. Hic advocatus ille pro lubitu JCtos recensebat pro sententia qvam defendebat, hìc Papinianum fortè & Paulum solum, ut Papinianus vinceret, qvi pro actore faciebat, illic Paulo addens Ulpia-

Ulpianum vel alium ut Papinianum numero vincerent, qvia hi faverent reo, vel dic potius, penitiores Advocatos semper in numerato habuisse JCtorum numerum pro utraqve sententiâ, qvo imperitioribus adversariis, prout res postularet, imponerent. At, inqvis, Judicis erat cognitos habere libros JCtorum, non id dependebat ab arbitrio advocatorum. Respondeo 1. id vero est contra *d.l. un.* ubi dicitur qvod tum demum electionem habeat judex, si proferantur aut recitentur à partibus vel advocatis utrobiqve æqvales sententiæ. 2. Etiam judicibus hoc pacto occasio data fuisset ex favore sæpè eligendi pluralitatem, prout placeret. 3. Qvid si Judicum unus peritior fuisset altero? Ita hac occasione certè unus ita, alter alio modo pronunciasset & in certitudinem introduxisset.



CHRISTIANI THOMASII, JCti, DISSERTATIO ACADEMICA,

De Nævis Jurisprudentiæ Romanæ ex historia Juris ab ejectis Regibus ad publicatas Leges XII. Tabb. deductis.

Habita Halæ 4. April. 1691.

RESPONDENTE

CAROLO AUGUSTO GUEINTIO.

PRÆFATIO.



Vivimus in seculo, in qvo JCti, qvotqvot hodie existunt, ad duas propè classes videntur referri posse. Pleriqve Corpus Juris Civilis tanqvam idolum aliqvod suspiciunt, & sub-

& submissisimâ veneratione etiam ipsissima Juris excrementa colunt, atq; piaculum esse existimant, si qvis non optima qvæqve de Triboniano & Justiniano cogitare saltem ausus fuerit, & tanqvam temeritatem morte piandam publicè privatimqve traducunt, si qvis ultra ingenium Viri Magnifici, Magistri & Exqvæstoris sacri Palatii Justinianei, nec non Exconsulis, *§.3. Proëm. Instit.* sapere, & nævos Jurisprudentiæ ex fragmentis veterum JCtorum hinc inde ostendere voluerit. Unde non solùm in historia Juris omnes colores ad ornandam Jurisprudentiam Romanam conqvirunt, sed & omnium maximè in Historia Juris à Justiniano emendati invidiosissimis verborum præconiis heroicum hoc & ex ipsorum mente Divinum factum in cœlum extollunt. Alii sed paucissimi tamen, amore plusqvam puerili Triboniani & Justiniani non ita infatuati, & magis acutum cernentes, qvàm aut Aqvila aut Serpens Epidaurius, diversum â priore affectum, odium scilicet in hos Duumviros, non nullo qvidem fundamento nixum, paululum vehementius se abripere patiuntur. Et cum plurimos Jurisprudentiæ nævos in emendatione ista deprehendant, omnem hujus mali originem misero Triboniano adscribunt, & in facta ejus qvæcunqve, etiam licita aut certe dubia, maximâ verborum acerbitate inveuntur. Tum miserum Jurisprudentiæ statum considerantes, nimis properanter de remediis adversus ista mala sunt solliciti. Unde alii violentis emendationibus Corpus Justinianeum emendare & Jurisprudentiam Romanam in formam artis redigere satagunt; alii Consilia de novo Codice faciendo suppeditant, alii Jurispruden-

dentiam â Rabulistica purgare variis remediis student. Si tamen fatendum qvod res est, nihil hactenus consiliis istis promotum fuit, sed omnia potius in pejus qvotidiè ruerunt. Unde nonnulli tacitis suspiriis incurabile Jurisprudentiæ vulnus deplorant, & tanqvam in re desperatissima manus in sinu recondunt, omnem operam frustraneam esse opinantes. Mihi semper visum fuit, officium boni & sapientis JCti hodie in eo consistere, ut intuitu Jurisprudentiæ non aliter se gerat, atqve circumspectus Medicus facere solet. Hic qvotiescunqve ipsi homo graviter decumbens offertur, omnibus affectibus vacuus in primam morbi originem & incrementa inqvirit, qvo cognito non statim ad communia remedia morbo isti resistentia properat; sed ante omnia considerat utrum ægrotantis corpus & vires ita comparatæ sint, ut à remediis consvetis salus & restitutio sanitatis sperari possit. Sæpius enim si materia peccans, ut Medici loqvi amant, in corpore abundet, & ægrotans viribus & Spirituum copiâ destituatur, abstinendum est à remediis aliàs optimis, ne irritando pravos humores malum augeatur, & ægrotanti loco sanitatis mors & interitus acceleretur. Unde in ejusmodi casibus prudens Medicus saltem sollicitus est, ut talia remedia ægrotanti præscribat, qvæ non crescere sinunt morbum, & pedetentim maximè ac tenuiter morbi causas evacuent, ut, si sanitas ægroto non possit restitui, saltem mors differatur. Simili modo etiam Jure Consulto incumbit, ut cum certissime sentiat graviter ægrotare Jurisprudentiam, nullô affectu abreptus tranqville in primas hujus mali origines inqvirat, nec contentus sit vitia se-

culi & crefcentem qvotidie Rabulifticam, aut errores Pragmaticorum à Gloffatoribus Jurisprudentiâ genuina deftitutis in forum introductos, aut intempeftivam Triboniani curam increpare, fed potius à primis Jurisprudentiæ fontibus confideret nævos qvi fimul fontes fuerunt omnium errorum feqventium, & porro augmenta, qvibus qvotidie malum altiores radices fumfit, penfitet. Tum ut hoc opere abfoluto vulgaria remedia examinet, & ex principiis rectæ rationis demonftret: utrum ea fucceffum habitura fint nec ne? Deniqve etfi deprehendat incurabilem effe Jurisprudentiæ morbum, ne tamen opem ferre defiftat, fed ut de talibus remediis fit follicitus, qvæ & malo, ne latius ferpat, viam præfcindant, & non difficulter effectui etiam dari poffint. Atqve hæc eft intentio libri, qvem jam aliqvot annis meditor, *de defectibus Jurisprudentiæ*, cujus in præfenti Difputatione fpecimen fifto, ex Hiftoria Juris Romani oftenfurus, *qvi nævi Jurisprudentiam ftatim ab ejectis Regibus ad publicatas leges XII. Tabularum invaferint.* De reliqvis alio tempore differam. Faxit Deus feliciter!

THESIS HISTORICA I.

URbem Romam à principio Reges habuere, (1.) fub qvo ftatu initio fine lege & Jure certo populus Romanus vixit, cum omnia manu à Regibus gubernarentur, (2.) & Romulus fere ut libitum effet, imperitaret. (3.) Poftea auctâ civitate Romulus ipfe leges qvasdam curiatas ad populum tulit. Tulerunt & feqven-

qventes Reges. (4.) Nam Numa Religionibus & Divino Jure maximè populum devinxit; repertaqve qvædam â Tullo & Anco. Sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, qvibus etiam Reges obtemperarent. (5.) Ejectis vero Regibus & pulsô Tarqviniô, omnes istæ leges Regiæ exoleverunt, & populus incerto iterum Jure & consvetudine magis, qvam lege certá uti cœpit. (6.)

(1.) Tacitus *I. Ann. I. 1* (2.) Pomponius *l. 2. §. 1. de O. J.* (3.) Tacitus, *III. Ann. 26. 5.* (4.) Pomponius *d. l. 2. §. 2.* (5.) Tacitus *d. III. Ann. 26. 5.* (6.) Pomponius *d. l. 2. §. 3.*

ANNOTATIO.

SUMMARIA.

Papirius quis? §. 1. Fabulam sapit historia de Papirio Prætextato §. 2. Fragmenta legum Regiarum §. 3.

§. 1.

LEges Regias collegit olim statim in statu Regio Papirius *d. l. 2. §. 2. d. O. J.* de qvo qvisnam fuerit anxiè disqvirere nostrà non interest. Et relinqvamus adeò ingeniis otio abundantibus dispicere, utrum hic Papirius Sexti prænomen habuerit, prout eum citat Pomponius *d. l. 2. §. 2.* utrum Publii, uti ab eodem Pomponio vocatur *d. l. 2. §. 36.* utrum idem sit cum Papirio, qvem Dionysius *l. 3. c. 49.* Cajum, & *l. 5. c. 1.* Manium appellat; vel utrum deniqve sit Papirius ille Prætextatus, cujus mentionem injiciunt *Gellius Noct. Attic. l. 1. c. 23. & Macrob. l. 1. Saturnal. c. 6.*

c. 6. Qvi elegantiis ejusmodi delectatur, poterit hâc de controversia consulere Rupertum *ad Enchiridion Pomponii c. 3. p. m. 53. sqq.* & Cujacium *inter Notas Variorum ad d. l. 2. de O. J. ex editione S. Leevvij.*

§. 2. Illud, sed obiter, notatu non videtur indignum, qvod observat idem *Rupertus d. l. p. 61.* Nota est pueris etiam nostris historia, qvam de Papirio Prætextato refert Gellius, & ex hoc descripsit Macrobius *dd. ll.* qvomodo videlicet eleganti mendacio de duabus uxoribus uni viro jungendis intempestivam Matris curiositatem arcana Senatus scire cupientis, eluserit. Solet ista proponi in exemplum adolescentibus nostris, nec memini me qvenqvam legisse, qvi de ejus veritate dubitaret. Ipse Philippus Caroli sagacissimus aliàs Gellii, vel, si mavis, Agellii commentator *in animadvers. ad d. c. 23.* gratias habet Agellio, qvod è Catone vetustissimam Papirii adolescentis historiam ad nos transmiserit. At fabulam sapere qvilibet facile perspicere poterit, qvi modò consideret, qvàm à prudentia populi Romani alienum sit, pueros prætextatos participes facere arcanorum Reipublicæ, qvod tamen pro fundamento istius historiolæ ponitur, & à Gellio & à Macrobio, & ob factum demum Papirii hujus Senatusconsultum promulgatum fuisse dicitur, ne pueri cum patribus posthac in curiam introeant. Qvare non sine ratione svaviludii cujusdam commentum esse suspicatur Rupertus *d. l.* & hoc ipsum perstringi videri à Polybio *lib. 3. c. 20.* (mihi 5. p. 189.) *Qvam absurdum illud*, inqvit, *qvod incredibilem Senatus mœstitiam memorantes, simul adjiciunt, filios duodecim duntaxat annis majores à parentibus in Senatum inductos, qvi publicorum consiliorum facti participes nemini propinqvorum qvicqvam illorum, qvæ enunciari nefas, aperuerint; qvæ sunt omnia à vero aliena, & palàm falsa, nisi hoc qvoqve præter cætera Romanis fortuna, si Diis placet, largita est, ut inde à pueris statim saperent.* Qvæ nemo non videt pulcherrimè qvadrare in scriptores illos, à qvibus narrationem suam de Prætextato accepit vel Gellius vel ex qvo ista Gellius hausit, Cato, qvi fortè fuerunt Chercas vel Solilus. *Vide Polyb. d. l.*

§. 3. Sed

§. 3. Sed amisimus istam collectionem legum Regiarum, à Papirio factam, non tamen amisimus fragmenta earum; etsi in Jure Justinianeo vix unius vestigium extet in *l. 2. de mortuo inferendo.* Collegerunt enim illas ex Plutarcho, Festo &c. viri qvidam Clarissimi Doctissimiqve, ut Antonius Augustinus, Fulvius Ursinus, Justus Lipsius, Franciscus Modius. Vid. Rittershus. *ad LL. XII. Tabb. Proleg. cap. 4. p. m. 9.* qvibus adde Pighium, ex qvo præcipuas excerpit Rupertus *d. l. p. 51. seq.* & Eberlinum *de Orig. Juris c. 4. p. 14. seq.* Et eleganti commentatione leges Romuli illustravit rarissimæ eruditionis JCtus Franciscus Balduinus.

OBSERVATIO I.

Non parum turbavit Jurisprudentiam Romanam, qvod ejectis Regibus simul omnes Leges Regiæ exoleverunt.

SUMMARIA.

Reqvisita justæ legum interpretationis in genere, tàm intuitu legum interpretandarum, qvam intuitu Interpretis. §. 1. Qvid insuper reqviratur, si qvis leges certæ Reipublicæ in formam artis redigere velit. 2. Causæ ex qvibus Jurisprudentiæ corruptio oritur in summa propositæ tàm ex parte legum ipsarum, qvàm ex parte JCtorum. 3. Ad qvas adeò in examine corruptionis Jurisprudentiæ Romanæ semper respicietur. 4. Facta injusta, qvibus fundatum fuit regnum Romanorum. Inter hæc etiam referri debet Raptus Sabinarum, sine ratione ab aliis defensus. 5. Legum Regiarum singularis æqvitas & præstantia. 6. Non habuit populus Romanus justam rationem tollendi leges Regias. 7. Sed nimium excedens odium erga Reges & regiam potestatem illos eò impulit. 8. Leges Regiæ non lege Tribunitiâ abrogatæ sunt, sed tacitâ desvetudine. Damnum qvod Jurisprudentia inde passa est. 9. Notatur Eberlinus, qvod asserat, non omnes leges exolevisse. 10. Hæc tamen corruptio Jurisprudentiæ ad nos non multùm pertinet. 11.

§. 1. Præ-

§. 1.

PRæsuppono JurisConsulti officium in eo consistere, ut interpretetur leges, qvibus Civitas utitur, easqve ad ea, qvæ in ipsis rerum argumentis obtinent, applicet. Legum autem omnium interpretatio certis qvibusdam regulis nititur, qvæ docent, mentem legis dubiam, ambiguam & obscuram, ex conjecturis verosimilibus elicere. Ut verò regulæ ejusmodi ritè ad leges has vel illas accommodari possint, reqviritur ante omnia, ut leges ipsæ ita sint conceptæ ab homine usu rationis gaudente, ut consonantia non solùm sit in contextu, sed &, ut ratione suâ ex utilitate Reipublicæ desumtâ lex gaudeat, & ipsæ legum rationes inter se cohæreant, tum ut ambiguitas aut obscuritas talis sit, qvæ attentione debita tolli possit, & qvæ forte alia sunt reqvisita similia in ipsa legum-latione observanda. Tùm necesse est, ut legum interpres ingenio & acumine polleat conjectandi legum rationes sæpè latentes, qvam in rem historiæ & Politicæ studium multum inservit, qvo adeò probè instructus esse debet, qvi legum interpretationem aggressurus est. Sed & attentione insuper opus est, ad considerandas exactè omnes circumstantias ad legum interpretationem momentum afferentes, & ponderanda sunt antecedentia & conseqventia legum ac loca parallela; Deniqve & judicium maximè in eo desideratur, qvo & rationes varias variarum legum inter se conferre, ac trutinare, ex pluribus sensibus ambiguis genuinum eligere, atqve loca in speciem sibi adversantia conciliare possit. Præprimis autem justitiæ & honestati eum addictum esse convenit, ut non ex malitia ad promovendum interesse privatum locô justæ interpretationis cavillatoriè legem in alienum sensum contorqveat.

§. 2. Qvemadmodum autem dicta ad qvamlibet legum interpretationem esse necessaria facilè patet, sic ubi JureConsultus certas leges unius Reipublicæ interpretandas sibi proponit, solet ad promovendam civium utilitatem operam dare sedulò, sicubi leges plures sint, ut non à qvibuslibet facilè cognosci valeant, ut scien-

ſcientiam earum legum juſtis definitionibus & axiomatibus in formam artis redigere qveat. Qvod uti fieri neqvit, niſi omnia illa reqviſita §. 1. memorata, tàm intuitu legum, qvàm intuitu Juris-Conſulti adſint, ita inſuper hîc neceſſe eſt, ut communi jure & conſonante omnes aut potisſima civium pars utantur, tum ut leges non ſubinde varient, & ſine prægnante ratione non mutentur; ipſe JCtus autem debet eſſe illô habitu præditus, ex ſingularibus accuratè eliciendi univerſalia, eaque juſto & amœno ordine collocandi. Dicerem unô verbô, debet eſſe bonus Logicus, niſi vitio ſeculi egregium hunc titulum ad ſe traxiſſent & ita contemtui cordatorum hominum objeciſſent Sophiſtæ, ne quid gravius dicam.

§. 3. Quæ cùm ita ſint, ad oculum patet, cauſas corruptæ Jurisprudentiæ partim in legibus eſſe quærendas, partim in JCtis. Neque enim poterit non inſana & pesſimè cohærens interpretatio aut doctrina legum evadere, ſi leges ipſæ contineant verè contradictoria, ſi contra rectam rationem lex aliqua ex impetu beſtiali ſit lata, ſi rationes legum latentes ſint adverſæ & repugnantes, ſi obſcuritas aut ambiguitas legum tanta ſit, & ſententia earum ſic perplexa aut præpoſtera, ut nec Oedipus mentem legislatoris elicere posſit; ſi nulla ſit connexio inter leges unius provinciæ, diœceſeos, municipii, collegii, & leges quas cives in reliquis ſocietatibus obſervant, aut ſi leges ſæpius vel æquè frequenter mutentur atque calendaria, aut ſi variatio fiat citra juſtam rationem. Rurſus neceſſe eſt, plusquam Domitianam oriri interpretationem & doctrinam Juris, ſi Jure-Conſulti officium involet ſtupidus homo & bardus, ſubſidiis hiſtoricis ac Politicis deſtitutus, præcipitantis inſuper ac vagi ingenii, judicii verò ita nullius, ut non ſolùm glandula pineali ſed & omni omnino cerebro privatus eſſe videatur ſapientioribus, & animal ἀλογικόν. Quod ſi inſuper ex propoſito leges calumniari & obtorto collo ad commodum privatum ac momentaneum torqvere velit, næ evadet inde Ars iniqui & mali, quô prædicato nihil magis à Jurisprudentia alienum eſt.

§. 4. Examinemus jam Jurisprudentiam Romanam ad istam normam, & consideremus, utrum tùm intuitu legum ipsarum, tum intuitu Juris Interpretum aut collectorum multa hic veniant desideranda, an minus, ut inde appareat, an corruptio Jurisprudentiæ levis sit, & quæ facilem emendationem admittat, an verò in tantum eadem sit depravata, ut de cura omni desperandum esse videatur.

§. 5. Quod igitur initio statum Regium & leges à Regibus latas concernit, non equidem initia urbis Romæ & fundationem status ipsius Regii magnis prædicabo laudibus, cùm tot hic occurrant crimina, ut eorum justa trutinatio justum volumen videatur requirere. Sive enim asyli institutionem consideres, quô mediante ex congerie omnis generis nebulonum aut levis certè notæ macula notatorum populum sibi quæsivit, Romulus apparebit evidenter, eam Juri Gentium omnib⁹ modis fuisse adversam; Sive fratricidium & muros urbis Romæ sanguine fundatos pensites, dignum isti populo Regem fuisse Romulum fateri necesse habebis. Ipsa connubia raptu Sabinarum quæsita ita omnis rectæ rationis regulis atqve legibus adversa sunt, ut non tàm mirari debeas, cur idem raptus ante aliquot annos in Academia Wittebergensi ex instituto dissertatione publica fuerit defensus, (neque enim in Dissertationibus Academicis, ubi sæpè controversiæ ex imperio magis quàm rationis dictamine solvi solent, semper exactam judicii ἀκρίβειαν quærere nos decet:) quàm quod idem Augustino, Grotio, aliisque viris summis, quamvis obiter saltem, fuerit vel excusatus vel approbatus, cùm tamen ne ipse quidem Livius egregius aliàs & exactus, si quisquam alius, Romanarum actionum deprædicator aut defensor, raptum hunc ab injustitiæ nota, sine particulâ dubitationis indice eximere audeat.

§. 6. Sed quod leges tamen Regias attinet, quantum quidem ex fragmentis earum dijudicare possumus, fuerunt illæ non solum statui Monarchico satis congruæ, sed & quæsitam per easdem à Regibus esse promotionem justi ordinis & tranquillitatis publicæ,

publicæ, cuilibet statim ostendi poterit, si modò quis scopum earundem paulò attentius velit trutinare, in tantùm, ut nonnullæ earum Imperatoribus Christianis vix indignæ esse videantur; de multis optandum sit, ut apud nos observentur. Ex legibus Romuli huc refero sequentes: *Populus Deorum fabulas ne creduntо. Nocturnas in templo vigilias cum mulieribus non habento. Ne quis ante fœminas obscœna verba facito. Marito uxorem adulteram, veneficam, partus vel clavium suppostricem repudiare, deq; his criminibus cum cognatis judicare liberum esto. Mulierem, si vinum biberit domi ut adulteram puniunto.* Vide Eberlinum *d. l. c. 4. p. 14. seq.* Ex Numæ Pompilii legibus hùc pertinet non solùm illa, cujus mentio fit *l. 2. de mortuo inferendo: ne mulier quæ prægnans sit humetur, antequam partus ei excidatur.* Vid. *Rupertum d. l. p. 52. Forsteri historiam Juris lib. 1. c. 7. p. 35.* sed & vel maximè ea quam apud supra memoratos collectores non deprehendi. Clemens enim Alexandrinus apud Eusebium *lib. 9. præp. c. 3. dicit.* Numam Pythagoricum fuisse, & Mosaicâ nixum doctrina, legem dedisse Romanis, *nullam imaginem DEO attribuere. Vide Georg. Hornii Histor. Philosoph. lib. 4. c. 3. p. m. 232.* Aliorum leges ut jam taceam.

§. 7. Quæ cùm ita sint, videtur omnino populus Romanus contra jus fasque fecisse, quod unà cum Regio nomine & potestate leges quoque Regias omnes ejecerit. Neque enim prætendere poterant, factum Tarquinii imputandum esse præcedentibus Regibus, cùm ipse Livius testetur: tyrannidem Tarquinio soli adscribendam, Antecessores autem ejus de Republica optimè fuisse meritos. *Libertas,* ait *lib. 2. c. 1. ut lætior esset, proximi Regis superbia fecerat. Nam priores regnarunt, ut haud immeritò omnes deinde conditores partium cœptæ urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctæ multitudini addiderunt, numerentur. Neque ambigitur, quin Brutus idem, qui tantùm gloriæ Superbo exacto Rege meruit, pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturæ cupidine priorum Regum alicui regnum extorsisset &c.* Tarquinii adeò leges, si quas tulit, abrogandæ fuissent, ut quæ haud dubiè ad stabiliendam Tyrannidem tenderent. Ex priorum Regum legibus saltem

illæ, quæ Regium Statum tuerentur, quarum tamen paucissimæ fuerunt. Reliquæ enim vel respexerunt defensionem Imperii, at æqualem & regimini populari æquè communem ac regno; vel cultum sacrorum; At & hic parum immutatus fuit ejectis Regibus, & religio à Numa instituta etiam in statu liberæ Reipublicæ propagata est; vel deniquè negotia privatorum, ubi non solum exempla §i. præcedentis ostendunt, quam sanctæ fuerint hâc parte leges Regiæ, sed & Dionysio Halicarnasseo teste *Antiq. Roman. lib. 5. p. m. 421.* Leges Servii Tullii, de contractibus humanæ admodum & populares erant, quas etiam propterea tanquam ad propositum suum parùm aptas in universum Tarquinius sustulerat. Unde facilè jam intelligis, quid Taciti verba velint, quæ in thesi adduximus; *Tullium sanctorem legum fuisse quibus ipsi Reges obtemperarent,* quæ aliàs intellectu difficilia sunt. Cùm enim contractus ita sint Juris naturæ, & ita paritatem contrahentium requirant, ut æque Reges ac privatos obligent, non dubium est, quin Tacitus illis verbis leges contractuum à Tullio promulgatas, quæ ideò Dionysio populares vocantur, quod in iis conditio Regis & populi æqualis fuerit, intelligat. Etsi verò hâc de causâ etiam, memorante eodem Dionysio, istæ leges paulò post ejectos Reges & in odium Tarquinii à populo fuerint revocatæ, tamen non debebant in odium Tarquinii leges præcedentium quoque Regum desvetudine tolli.

§. 8. Ergo nulla alia ratio mutationis restat, quàm nimium regii status odium, quod etsi forte intuitu originis justum fuit, illud tamen modus fecerat iniqvum maximè & rationi rectæ adversum; cum & nomen Regium & Tarquiniorum nomen potissimum ita horreret populus, ut eam ob causam vel vana instituerent, vel injusta plane & nullo jure defendenda susciperent. Nec obstant ea quæ differit Dionysius *d. l. p. 420.* *Quoniam,* inquit, *multa magna beneficia collata videbantur in rempublicam à Regibus, volentes hoc nomen in urbe servari perpetuò, jusserunt ut Pontifices & augures designarent unum aliquem è senioribus ad hoc idoneum, qui sacris tantùm praeesset, immunis à militia, vocareturque Rex sacrificulus,*

ficulus, primusque hunc honorem Romæ accepit Manius Papirius vir Patricius, quietis amantissimus. Etenim si verum fateri volumus, videtur Dionysius verum quidem factum narrando genuinam facti causam non posuisse. Tantum enim abest, ut hic sacrificulus rex in honorem Regum præcedentium fuerit institutus, ut potius id factum sit in eorum contemptum. Audi rursus Livium *d. l. 2. c. 2. Rerum deinde divinarum habita cura, & quia quædam publica sacra per ipsos Reges factitata erant, nec ubi Regum desiderium esset, regem sacrificulum creant. Id sacerdotium Pontifici subjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima cura, officeret.* Sed quid verbis est opus, cum ipse Livius istum, qvem memoravimus odii excessum non dissimulet, sic enim statim subjicit: *Ac nescio, an nimis undique eam* (libertatem) *minimis quoque rebus muniendo modum excesserint, Consulis enim alterius, cum nihil aliud offenderit, nomen invisum civitati fuit.* Et quid magis barbarum excogitari potuisset, qvàm Tarquinium Collatinum, stupro uxoris suæ tàm indigna ab ejectis Regibus perpessum, & strenuum Bruti in liberanda Republica comitem ac adjutorem, ideò saltem, quod nomen Tarquinii gereret, precibus & svasionibus, sed quæ vim minarum viro constanti etiàm metum incutere valentium haberent, eò adigere, ut Consulatu ex libera Populi voluntate vix suscepto se non solùm abdicaret, sed & civitate cederet & extorris fieret. Ut de summo illo juris rigore, quo perpessi sunt ut Brutus erga proprios liberos lubricò ætatis magis quàm ex malitia criminis reos justitiæ administratione sæviret, ac de injusta affectati regni suspicione, quâ Valerius Consul gravatus fuit, aliisque multis istius odii speciminibus, à Livio & Dionysio *dd. ll.* adductis, jam nihil dicam.

§. 9. Igitur exoleverunt leges Regiæ, non qvidem lege Tribunitia, ut vulgares Juris Justinianei editiones legunt, *in d. l. 2. §. 3. de O. J.* (Hoc enim neqve verbum *exoleverunt*, neqve qvæ de memoratione incerti Juris ibidem seqvuntur, admittunt, & jam monuit Rittershusius *in Comment. ad LL. XII. Tabb. d. l. p. 9.* sensum Pomponii esse, lege Tribunitia ejectos esse Reges, non

verò abrogatas esse leges Regias) sed tacitâ desvetudine, dum videlicet propter odium commune erga Reges nemo auderet in obvenientibus privatorum controversiis ad leges Regias provocare, sed Consules aut alii magistratus pro arbitrio causas dirimerent, &, etiamsi aliqvando contingeret, ut secundum sententiam legum regiarum pronunciaretur, non tamen fiebat amplius ex earum præscripto, qvia poterat magistratus arbitrium suum dirigere in sententiam planè adversam, & ita factum fuisse non solùm modò memoratæ circumstantiæ, sed & status maximè turbulentus Reipublicæ, prout à Livio & Dionysio describitur dubitare non sinunt. Qvo pacto non potuit non jus incertum ac varians oriri, ut Pomponius *d.* §. *3.* dicit, & sic Jurisprudentiæ qvoqve circuli, qvæ anteà in Jure Civili Papiriano normam satis exactam agnoverat, nimium qvantum turbabantur, cùm non possit non esse incerta Jurisprudentia ubi Jus incertum est. At incerta Jurisprudentia est flamma sine lumine.

§. 10. Non puto ea, qvæ hactenus recensui, sic comparata esse, ut cuiqvam dubium movere possint, nec memini etiam ab aliqvo vel Historico vel in Pomponium Commentatore aliqvid afferri, qvod nobis contradicat, nisi qvod fluctus in simpulo moveat Georgius Eberlinus *de orig. Jur. cap. 4. num. 15. seq. p. 22. seq.* defendens, non omnes leges Regias exolevisse, sed qvasdam, at ita infirmis rationibus, ut sola earum recensio penè ipsas refutet. Videamus. *Qvi tamen,* (JCtus) inqvit, *de omnibus legibus accipiendus non videtur sed de iis solummodo, qvæ ad mores regios statumq; regni pertinebant. Has enim & similes ad regiam dominationem constituendam pertinentes, à Junio Bruto Tribuno Celerum abrogatas esse, verisimile est: non eas, qvæ vel divinas vel humanas res spectarent. Nam cum omnes Reges præter Superbum ita regnârint, ut qvemadmodum Livius* d. libr. in pr. *tradit, Brutus idem, qvi tantum gloriæ Superbo exacto Rege meruit, malo publico vel maximè id facturus fuerit, si libertatis immaturæ cupidine, priori Regum alicui Regnum extorsisset, consentaneum qvoqve est, ejusmodi leges ad populum*

lum eos tulisse, quæ è re, vel maximè civitatis fuerint, & sine qvibus tuta esse communis salus neqviverit. Unde eas omninò sublatas esse, credendum non est, sed qvasdam ex illis, quæ utiles accommodatæqve Reipublicæ visæ sunt, licet non Regio nomine, more tamen ac consvetudine retentas fuisse atqve observatas. Hinc patria potestas, qvam Jure Romuleo constitutam esse ex superioribus constat, moribus recepta dicitur in l. Patre furioso 8. inf. de his qvi sunt sui vel. al. jur. *Imò nonnullas ex istis nominatim & repetitas & confirmatas esse, ostendit Dionysius* lib. 5. antiq. Rom. fol. 205. *Ubi νομȣς συναλλακτικȣ̀ς Servii Tullii, hoc est, leges de contractibus, à Tarqvinio Superbo sublatas, à Junio Bruto renovatas asserit, qvod populares essent, & humanitatis æqvitatisq́; plenissimæ. Et Livius* lib. 6. in pr. *ubi post captam incensamqve à Gallis urbem Tribunos militum consulari potestate creatos, de nulla re prius, quam de religionibus Senatum consuluisse, imprimisque fœdera ac leges, quæ duodecim Tabulæ, & quædam Regiæ Leges fuerant, conquiri quæ comparerent jussisse significat. Idem* lib. 24. p. 369. *ita sub Valerii Tribuni plebis persona de Oppia lege loquitur: Hæc cùm ita natura distincta sint: ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? an vetus Regia lex simul cum ipsa urbe nata? an (quod secundum est) à Decemviris ad condenda Jura creatis in XII. Tabulis scripta? Sine qua cum majores nostri non existimaverint, matronale decus servari posse, nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem fœminarum abrogemus. Denique Leges Regias post Reges ejectos usu ac consvetudine observatas, tandem in XII. Tabulas à Decemviris omninò conjectas fuisse, ita ut prioribus quatuor Tabulis Regiæ LL. continerentur, convincit Sex. Festus* de verb. sig. p. 359. in voce Reus, *ubi Numæ legem secundam ex secunda Tabula producit. Et* pag. 214. in voce Nuptias, *citat l. Parens ex tabula tertia, dum ex Scaligeri restitutione inquit: Ob quam causam legem quoque parens, tab. 3. jubere caput ejus obnubere, qui parentem necavisset, &c. Nam eam legem Regiam fuisse, retulimus ex Festo suprà in verb. Plorare. Sic Romuli legem illam, qua patribus liberos ter vendendi potestas concedebatur, revocatam, ac in XII. tabb. quartam, 300. deinceps anno, relatam esse, testatur Ulpian.* in fragm. §. 1. tit. 10. *Dionys.* lib. 2. antiq. Rom. ante medi.

medi. *& Coccius* Ennead. 2. lib. 2. col. 241. in fine, *quemadmodum & illa revocata & confirmata est, qua mulier, si prægnans mortua sit, humari vetetur antequam partus ei excidatur, cujus Marcellus meminit* in l. negat. 2. inf. de mortuo infer. His Eberlini argumentis locô responsionis opponimus ea, quæ ex Cujacio *ad l. 2. de O. J.* notat Loewius *p. m. 8. Sine exceptione omnes. Noli dicere eas tantùm leges exolevisse, quæ fundabant Regiam potestatem. Nam & Jus omne certum ut prorsus exoleverit necesse est, si, ut subjicit*, iterum P. R. incerto Jure uti cœpit. *Non nego latis XII. Tab. legibus, in eas plerasque ex Regiis fuisse revocatas atque descriptas, à prima origine eas potius Regias appellari, quam XII. Tab. resumpta antiqua appellatione. Quemadmodum Papinianus legem de patria potestate, & Marcellus de muliere prægnante non afficienda ultimo supplicio, legem Regiam vocaverunt, & lex quoque Regia de Imperio Cæsarum qua populus eis summum cessit Imperium, cùm non illi se Reges appellarent, sed dictatores & Principes.*

§. 11. Sed videtur tamen primus hic defectus damnum magis attulisse populo aut Reipublicæ, qvam in specie Jurisprudentiæ, cum non videantur illo tempore fuisse, qvi Jurisprudentiæ operam darent, & leges interpretarentur. Refert qvippe ex Cicerone Forsterus in *Historia Juris lib. 1. cap. 6. p. 34.* qvod Romulus studia populi sic distribuerit, ut sellularias ac sordidas & turpibus cupiditatibus inservientes artes, ut corporibus atqve animis tractantium noxias, servis & exteris exercendas commiserit: ingenuis duo tantùm studia reliqverit, rei militaris ac rusticæ. Et institutum hoc Romuli à subseqventibus Regibus vel etiam initio liberæ Reipublicæ non mutatum fuisse, non dubitare sinunt mores populi Romani, qvatenus eos Livius describit & Dionysius, agrestes adhuc & feri, & nondum per disciplinam sapientiæ emolliti. Ad qvæ tamen regerere poteris: Jurisprudentiam & JCti officium non esse ad legum professores, commentatores aut advocatos restringendum, sed idem omninò & vel maximè in sanctis Magistratuum vel Judicum personis debere subsidere, adeoqve illam Juris incertitudinem vel Senatoribus & Patribus Conscriptis fuisse præjudicio, ex qvibus qvi Rempubli-

publicam administrarent & plebi Jus dicerent, tum eligebantur. Qvicqvid tamen hujus sit, illud diffiteri non possumus, corruptionem istam Jurisprudentiæ Romanæ qvæcunqve aut qvantacunqve etiam fuerit, ad nos parum pertinere, cùm eidem neqvaqvam imputari possint difficultates hodiernæ. Nostra enim Jurisprudentia Romana, qvâ utimur, in corpore Juris Justinianei continetur, ad cujus leges doctè interpretandas nihil faciunt leges Regiæ, sed initium potius erudito Juris Romani interpreti inde sumendum est, ut fontem illum omnis publici privatiq; Juris, ut Livius *lib. 3.* Leges XII. Tabellarum appellat, exactè noverit. Qvare si harum intuitu nullos defectus annotare poterimus, erit forte in salvo Jurisprudentia Romana. Age, videamus.

THESIS HISTORICA II.

VAriis interea iisqve gravibus dissidiis inter Patres & plebem ortis *(a)* tandem evenit, ut consensu communi tres legati mitterentur in Græciam, ut inde leges describerent atqve colligerent. *(b)* Qvibus reversis Decemviri creati sunt juris communis condendi gratia, qvi etiam decem tabulis jus conditum populo publice proposuerunt, idque ad nutum populi emendarunt. *(c)* Sed cùm viderentur adhuc qvædam leges deesse, aliæ adhuc duæ tabulæ à Decemviris adjectæ sunt, qvæ tamen demum abrogato iterum Decemviratu à novis Consulibus vim legis acceperunt, & ita leges XII. Tabellarum appellatæ sunt, *(d)* qvæ adeò sunt fons omnis Juris Romani, *(e)* & leges seqventes ferè pro augmentis earum haberi debent.

(a) Livius *lib. 2. & 3. decad. 1.* *(b)* Livius *lib. 3. c. 31. p. m. 113.* Dionys. Halicarn. *l. 10. fol. m. 676. edit.*

 Sylbur-

Sylburgii in folio. (c) Livius *d. l. 3. c. 23. seq.* Dionys. *d. l. 10. f. 657. sq. 680. seq.* (d) Livius *d. l. 3. c. 34. & 35.* Dionys. *d. l. 10. f. 681.* (e) Livius *d. cap. 34.*

ANNOTATIO.

SUMMARIA.

Democratiarum felicitas consistit in exæquatione patriciorum & plebis, horumque inter se benevolentiâ mutua §. 1. Neglectum utrumque apud Romanos post ejectos Reges causa fuit omnis mali 2. Dissidia Patrum & plebis à morte Tarquinii usque ad creatos Tribunos plebis, propter nimiam sævitiam fœneratorum in pauperes debitores plebejos. 3. Ubi maxima culpa Patrum fuit, Aristocratiam affectantium. 4. Indulta provocatio ad plebem & introductio Tribunorum plebis plus damni dedit Reipublicæ, quàm si plebs Senatoriæ dignitatis fuisset particeps facta. 5. Nova dissidia populi Romani occasione Legis Agrariæ 6. Tum de ferendis legibus utrique ordini æquis. Ex quo dissidio ortæ leges XII. Tabularum: quarum decem saltem initio cur publicatæ fuerint à Decem viris? 7. Decemvirorum tyrannis. Data Plebiscitis vis legum, duæ postremæ Tabulæ prioribus decem adjectæ 8.

§. 1.

EJectus erat Tarqvinius ob libertatem conservandam, & intendebat utiqve populus ejectis Regibus, ut forma Reipublicæ Democratica esset, in qva omnes imperant. Solet autem naturaliter evenire, ut in Rebuspublicis qvibuscunqve duo potissimum sint hominum genera, divitum unum & potentum, qvibus administratio imperii regulariter conceditur, qviqve optimates, principes, nobiles, patricii vel simili nomine vocari solent; pauperum alterum, qvi operis manuariis victum maximam partem quærunt, qvod plebis nomen sortitur. Hos inter in statu hoc corrupto perpetua quasi est æmulatio & clandestinum

num odium, cùm divites & potentes arbitrentur, naturâ qvasi sic disponente sibi licere omnia in plebem, tanqvam vulgus naturâ servum & stupidum; plebes econtrario sibi persvadeat, naturâ omnes nasci liberos, & hanc libertatem naturalem sibi omnibus modis tuendam esse, tueri verò commodius non posse, quàm si supprimantur datâ occasione Proceres, in qvantum id fieri possit. Et nullum ferè regnum est, ubi æmulatio ista non quotidie effectus operatur tranquillitati communi parum proficuos, qvam & Reges ipsi pro ratione status, seu apertius loqvendo, pro ratione commodi sui momentanei, qvantâ possunt industriâ fovere solent. Modo enim Potentibus & Patriciis nimium indulgetur, quatenus illi consilia suppeditant ad emulgendam plebem & corradendas pecunias facientia, modo, si potentiam nobilium timeant, aut divitiis horum inhient, plebis ope ad hos supprimendos utuntur, multaqve privilegia re qvidem inania, sed tamen Proceribus invidenda plebi concedunt. Qvod si igitur æmulatio hæc sub statu Monarchico tantas radices in animis utriusqve ordinis agere solet, ubi tamen utriqve saltem parendi gloria relicta est, facile præsumendum est, qvantas vires hoc malum nacturum sit in Democratia, ubi utraqve classis habenas imperii jure suô postulare potest. Unde summa Democratiæ felicitas in eo consistit, si inter nobiles & plebejos æqvalitas virium & potentiæ legibus conservetur, eæqve intendant qvomodo uterqve ordo alteri mutuam benevolentiam & amorem variis suppeditatis occasionibus exhibeant. Et primum ferè momentum in eo situm est, ut ex nobilibus pariter ac plebejis viri sapientes & virtute præditi eligantur, qvi summam rerum administrent.

§. 2. Unde videtur fundamentum omnium errorum subsequentium in Republica Romana in eo situm fuisse, quod cum tempore Regum magis ad virtutem quàm sanguinis nobilitatem respexisset populus, & Servium Tullium captivâ Corniculana natum, patre nullô, matre servâ, ob ingenium & virtutem ad regnum admiserit, solis Patriciis in statu liberæ Reipublicæ ejectis

Regibus Senatores esse permiserit, nec statim ex plebejo ordine etiam Senatores creaverit. Sed Patriciorum quidem non intereat ista monere, plebs verò regulis Prudentiæ Politicæ ferè destituta, beneficio ejecti Tarquinii inebriata, cogitabat solum, ne jugum Regis iterum subire cogeretur, de jugo Senatorum non cogitabat, quod horum industria Tarquinius ejectus esset. Accedebat quod plebs satis cautum libertati suæ esse credebat, postquam paulò post à Valerio Consule, qui propterea etiam Publicolæ nomen adeptus erat, leges populares maximè essent conditæ, interque eas præcipua de provocatione adversus magistratus ad populum. *Livius lib. 2. cap. 8.* Quin imò quamdiu Tarquinius vixerat, patres summâ ope plebi inserviebant. *Livius d. l. 2. c. 21.*

§. 3. Sed vix ex vivis decesserat Tarquinius, ubi nuncio mortis hujus erecti quidem essent & patres & plebs, sed patribus nimis luxuriosa ea fuit lætitia, & plebi injuriæ à primoribus fieri cœpere. *Livius d. l.* ut adeò statim civitas secum ipsa discors, intestino inter patres plebemque flagraret odio, maximè propter nexos ob æs alienum. *Livius d. l. 2. c. 22. in fine.* Cùm enim finito bello restituerentur per senatum judicia, & controversiæ quæ propter bellum dilatæ fuerant ad judices legibus dirimendæ revocarentur, maximæ lites inter creditores & debitores oriebantur, dum plebeji se non esse solvendo quererentur, causantes se agris ob bellorum diuturnitatem tot annis exclusos fuisse, pecora periisse, mancipia partim transfugisse, passim hostium excursionibus adempta esse, bonaque urbana militiæ impensis esse absumpta: Fœneratores verò referrent, communes omnium fuisse has calamitates, non solis incubuisse obæratis, negarentque se ferre posse, si præter illa quibus in bello ab hostibus spoliati sint, insuper ea quoque cogantur perdere, quæ pacis tempore petentibus civibus mutuum dederint. Itaque dum fœneratores nihil æqui admitterent, neque creditores quicquam justi promitterent, & illi ne usuras quidem remittere, hi ne credita quidem persolvere sustinerent, cœtibus & conventiculis variis omnis ordo civilis conturbari incipiebat, *Dionys. lib. 6. f. m. 358.* Donec in seditionem flamma

flamma aliquantulum occultata erumperet, cive quodam à creditore durius quam par erat in vinculis habito, & plebs militiam detrectaret, usque dum Servilius Consul edictum promulgaret, ne quis civem Romanum vinctum & clausum teneret, quo minus ei nominis edendi apud Consules potestas fieret, ne quis militum qui contra Volscos ductu Consulis profecturi essent, bona possideret aut venderet, liberos nepotesve ejus memoretur. *Livius c. 23. 24. Dionys. l. 6. f. 363.* Quô facto cùm undique ex tota urbe concurrerent, qui delectui militari antea resistentes ultrò nomina apud Servilium profiterentur, feliciter adversus Volscos, Sabinos & Auruncos pugnatum est. (*Livius c. 25. 26. 27.*) Reversô verò populo, & promissa Consulis, fidemque Senatus expectante, Appius Claudius, qui ab Regillo Sabinorum oppido, quod populares ejus Sabini ipsi pacem cum Romanis svadenti, obtemperare nollent, Romam profugerat, ibique inter patres lectus, (*Livius lib. 2. c. 16.*) postea cum Servilio Consul electus erat, (*Idem cap. 21.*) vehementis ingenii vir (*Idem cap. 23. in f.*) & natura immitis ac efferatus, (*Idem c. 29.*) & insitâ superbia animo, & ut collegæ vanam faceret fidem, quam asperrimè poterat, jus de creditoribus dixit, ita ut & illi, qui ante nexi fuerant, & durante militia liberati, creditoribus rursus traderentur, & iterum necterentur alii. Quod ubi alicui militi accideret, collegam Servilium appellare, & ad hunc concursus fieri omnibus promissa ipsius jactantibus, & ut auxilio esset consul civibus, imperator militibus suis postulantibus. Hic verò collegam non solùm, sed omnem factionem Nobilium Appio adhærentem metuens tergiversari, & sic medium se gerendo nec plebis vitavit odium, nec apud Patres gratiam iniit, Patres mollem Consulem & ambitiosum rati, plebs fallacem. Recrudescebat adeò seditio, turbabantur in jus vocationes & sententiæ consulum impediebantur, detrectabatur militia, & frementi Appio delectumque facere volenti vi resistebatur, donec invisi plebi Consules magistratu abirent, Servilius neutris, Appius Patribus mirè gratus. (*Livius d. l. 2. cap. 27.*) Non quievit tamen seditio creatis novis consulibus, sed vires

sumpsit & diffidium ipsos Patrum animos invasit, ut nihilo plus sanitatis in curia, quàm in foro esset. Tres potissimum erant Patrum sententiæ, de seditione plebis compescenda, una Virginii svadentis, ut iis qui superiori anno tàm promptè bellum confecissent, concederetur remissio, ut creditoribus nec in corpora eorum jus sit, nec in bona, & idem jus quoque concedatur parentibus eorum usque ad avos, quin & natis usque ad nepotes, in cæteros jus esset creditoribus juxta obligationes contractuum. Secunda Largii, volentis universam plebem à contractibus liberari, cum hâc solâ ratione civitas in concordiam videatur posse redigi; Appii Claudii tertia immitis ac dura: lascivire plebem, nec misericordiâ sed indignatione dignam, atque licentiâ nimiâ ex provocatione ortâ, patientiâ ac modestiâ Patrum abuti; creandum esse dictatorem, à qvo provocatio non sit, & facilè desituram esse multitudinem seditiosè agere. Vicit hæc ultima, quamvis horrida & atrox, qvod patres utilitatem magis privatam commodo publico præferrent; in id tamen incubuerunt, ut non Appius, quem multi ex Senatoribus dictatorem optabant, sed M. Valerius, Valerii Publicolæ frater, vir mansveti & popularis ingenii, magistratum hunc populo ob ademtam provocationem displicentem, subiret. Hic de novo edictum proponens & fide data firmans, si de hostibus vindictam sumserint, senatum & has de ære alieno contentiones & alias petitiones æquas pro bellicæ virtutis merito concessurum esse, interim libera esse omnia corpora, omnia bona, qui fortiter certaverint, talia debere expectare præmia, quæ & rem familiarem possint restituere, & honore familiam illustrare. (*Livius l. 2. c. 29. 30. Dionys. l. 6. f. 370. 372.*) Allectæ iterum hoc modo plebi, ut nomina darent, & trifariam re bello bene gestâ, fides tamen à patribus non est servata, non culpa quidem Dictatoris, qui quam primum redierat, primam pro victore populo actionem in Senatu habuit, retulitque quid de nexis fieri placeret, Rejectâ verò ejus relatione, indignabundus, & senatui turbas ac mala futura prædicens ex curia egressus dictatura se abdicavit, favente plebe & laudibus eum domum

domum deducente, tanquam quem vices populi dolerent, & qui ex hac indignatione magiſtratu abierit, ut teſtetur per eum, non ſtetiſſe, quin promiſſa præſtarentur. Factâ igitur mox Sicinio quodam autore ſeceſſione plebis in montem ſacrum, miſſoque inde Menenio Agrippa, facundo viro & ex plebe oriundo, aliisque populo acceptis, tandem de concordia agi cœptum eſt, conceſſumque plebi, ut qui ſolvendo non ſint, iis omnibus æs alienum remittatur, & ſi quorum corpora, quod præſtitutum ſolutioni diem exceſſerint, ex lege jam teneantur; vel ſi qvi per judices jam addicti ſint creditoribus, liberi eſſe debeant, & condemnationes irritæ, de futuris verò contractibus, quicquid populus cum Senatoribus communi conſilio ſtatuerit, lege ratum eſſe debeat, ut ipſi ſui magiſtratus eſſent Sacroſancti, quibus auxiliatio adverſus conſules eſſet, neque cui patrum capere eum magiſtratum liceret. *(Livius c.31.32.33. Dionyſ. d. l. 6. f. 373. usque ad 410. maximè 405.)* Igitur creati ſunt Tribuni plebis.

§. 4. Hic ſi quis Statum Reipublicæ Romanæ attentius conſideret, neceſſe habebit, fateri eum ob continuum plebis ac Patriciorum odium fuiſſe miſerrimum & ferè longè miſeriorem, quàm fuerat tempore tyrannidis ſub Tarquinio, certè intuitu plebis. Præclara eam in rem eſt oratio L. Junii, qui Bruti cognomen ipſe aſſumſerat, pro plebe ad Legatos Senatus (ap. *Dionyſ. f. 396. ſeqq.*) Ubi inter alia memorat *f. 397.* quod toto imperii Regii tempore nihil detrimenti plebs acceperit à Regibus, præſertim noviſſimis, imò multa & magna commoda ad plebem ex illorum principatu redundaſſe, cùm præter alia blandimenta, quibus more eorum, qui tyrannicum imperium ſtabilire ſatagunt, plebem ſibi amicam, patribus infenſam reddere ſtuduerint, Sueſſam urbem florentiſſimam longo bello expugnatam vulgo militum cedere maluerint, quam ſibi retinere, ac divitias hac præda retenta ſibi comparare. Etſi verò vel ex hoc ſolo beneficio plebi præter mancipia & pecora opesque cæteras multas & luculentas viritim quinque minæ argenti tributæ fuerint, & tyrannidem ſuam non in plebem ſed in patricios exercuerint, tamen plebem

facta

facta eorum pertæſam eſſe, à benevolis Regibus deſciviſſe. Senatus partes ſecutam eſſe, ac una cum patriciis Reges expuliſſe, & principatum eorum in patres transtuliſſe, nec poſtea ad reges exules unquam tranſiiſſe. Tùm ejectis Regibus & parata communi libertate, plebem adjuvaſſe patres, honorem & imperium aſſerentes, majoremque exiſtimationem quærentes & potentiam, & habentes adeò pro hoſtibus quicunque liberi eſſe cuperent, ac bellum penè omnibus hominibus intentarent. Quin cùm poſtea, apertè tyrannicam dominationem uſurpaverit Senatus, ac plebis tanquam mancipiorum operâ abuti cœperit, & ita eorum animos nimium à ſe alienaverit, deſciſcentibus interim populis ſubditis penè omnibus, Volſcis, Aequis, Hernicis, Sabinis; precibus, ſollicitationibus ac promiſſionibus à Senatu per Servilium & Valerium factis deceptam plebem oblitam præteritarum injuriarum, in futurum ſperantem meliora, operam egregiam in debellandis populis memoratis præſtitiſſe, ſed ſemper tamen Senatum feſelliſſe & fidei per Conſulem & Dictatorem datæ eſſe oblitum. Fœneratorum verò acerbitatem fuiſſe intolerabilem, cùm ad ultimum eo miſeriæ perventum ſit, ut plebeji proprios agros ipſis coacti fuerint colere, fodiendo, plantando, arando, pecora paſcendo, tanquam propriorum mancipiorum conſervi, pars catenis nexi, pars pedicis, non nulli velut truculentiſſimæ beſtiæ boiis aut maſſis orbicularibus. Quid quod tormenta & contumelias flragraque & labores è nocte in noctem aliasque multas violentas crudelitates, & injurioſæ ſuperbiæ ſpecimina ſuſtinuiſſe. Quarum ſola commemoratio & recordatio animum omnium audientium non plebejorum ſolùm, ſed & ipſorum, qui à Senatu ablegati erant animos commovit, ut à lamentationibus abſtinere & à lacrymis temperare non potuerint. Nec diffiteri potuit miſeram hanc Reipublicæ Romanæ conditionem Titius Largius vir dignitate præcellens & prudentiâ, qui in conventu Patrum, quem Dictaturæ in Valerium, ut memoravimus, translatio ſequebatur ex una parte conqueſtus eſt de plebejorum, juſſa conſulum detrectantium

inobe-

inobedientiâ, ex altera de propria Senatorum erga refractarios & liberius se gerentes morositate. Ex quorum utroque timendum sit, ne civitas non solùm sit impotens futura & tuendis amicis & terrendis hostibus, sed & ne se ipsam perpetuis jactata seditionibus sit confectura, & hostibus sine labore traditura victoriam, idque brevi futurum esse opinatur, si ista Reipublicæ forma continuetur, per quam Respublica quasi in duas civitates deducta sit, quarum alteram paupertas & necessitas regant, alteram satietas & insolentia, pudor autem & decorum, & jus quibus conservatur omnis civilis societas, ab utraque exulent, & manu jura reddantur, & summum jus ponatur in summa violentia, malentibus patribus adversariam plebem proprio malo perdere, quam propriæ securitati consulendo unà cum illis manere incolumes. Vide Dionys. *d.l. 6.f.368.369.* Et profectò si verum fateri volumus, non videtur quidem absque omni culpa fuisse plebs, & demus adeò eidem Largio, quod, cum Legatus ad plebem in montem sacrum esset, illi objicit; minimam plebis partem contra voluntatem peccare, coactamque longâ inopiâ remissionem debitorum petere, plerosque verò luxui & lasciviæ esse deditos, qui pro libidine vivere velint, ac per rapinas cupiditatibus suis de alieno satisfacere: non diffiteri tamen nos permittunt modò memoratæ circumstantiæ, quin major culpa turbatæ tranquillitatis publicæ in patribus resederit, Democratiam, & in hac libertatem plebis satis apertè concutere intendentibus, & affectantibus formam introducere Aristocraticam. Et quid verbis est opus, cùm id adeò non dissimulet factionis Senatoriæ princeps Appius Claudius, ut potius in prætextu hoc iniquissimo omne fundamentum sententiæ suæ asperrimæ ponat, non assurgendum ullo modo esse petitioni plebis. Dum enim apud Dionysium *d.l.386.seq.* adversus Valerium Dictatorem acerbè disserit, inter alia dilucidè fatetur, se ideò tanquam infensus plebi esset & oligarchiam introducere vellet, traduci, quod Aristocratiam tueatur, quæ tamen intentio ipsi cum omnibus melioribus ex Senatu sit communis, cùm omnes detrectent deteriorum &

plebejorum hominum imperium, & quam à majoribus acceperint rempublicam ariſtocraticam, non ſinant in ſpeciem omnium deterrimam, Democratiam degenerare. Et *f. 388.* plebem poſt ſeceſſionem non amplius contentam fore remiſſione debitorum, ſed etiam poſtulaturam jus æqvum gerendorum honorum, & ut earundem rerum cum Senatu ſint participes. Ergone Patres paſſuros eſſe, ut ad Democratiam res recidat, quæ forma Reipublicæ ſit omnium crasſisſima & Patriciis maximè indigna, ut qui in alios affectent imperium. Deniquè *f. 389.* provocat ad alios populos finitimos, qui non recepturi ſint plebem Romanam, cùm & ipſi regantur ab optimatibus, nec apud ullam earum plebi æqvum cum proceribus jus concedatur. Sed quid quæſo impotentius & impudentius dici poterat ab Appio, quàm quod negaret ſummam rerum in Republica Romana non communem eſſe patribus & plebi, ſed ſolis patribus competere, ut in Ariſtocratia moris eſt. Cum tamen & ſub Regibus totus populus & ſub eo plebs etiam de potiſſimis majeſtatis juribus participaverit. Ita enim Conſules in eadem deliberatione ap. Dionyſ. *f. 392.* memorant: Legem Romanis fuiſſe jam inde ab urbe condita, quæ omnia in Senatus poteſtate poſuerit, præter magiſtratuum creationem, legum lationem, & belli inferendi deponendiqùe arbitrium. Horum trium quippe poteſtatem eſſe penes populi ſuffragia. An oblitus erat Claudius eorum, quæ ipſe diſſeruerat, cum Dictatoris creationem ſvaderet ap. Livium *lib. 2. cap. 29.* Laſciviam plebis ex provocatione natam eſſe. Quippe minas eſſe conſulum, non imperium, ubi ad eos qui una peccaverint provocare liceat. Et quo adeò jure poterat prætendere, Ariſtocratiam eſſe cùm à Senatu lege Valerii provocatio eſſet introducta ad populum, quæ provocatio in omnibus Rerumpublicarum formis indicio eſt, penes eum ad quem ultimo provocatur reſidere ſummum imperium. Unde & haud dubie factum eſt, quod cum initio juniores ex Senatoribus Claudii ſententiæ aſſentirentur, conſulesque hortarentur, ut meliori parti accederent, memores regiam ſe poteſtatem habere non plebejam,

jam, (*ap. Dionyſ. d. l. f. 391.*) mox tamen iniquitatem videlicet rei trutinantes, æquiorem ſententiam Menenii Agrippæ unà cum Senioribus approbarent.

§. 5. Cogitemus ulterius, quam turbet rationem faſtus & ratione deſtituta alios ſupprimendi cupiditas, ut cœcos faciat eos, quorum animos inſedit, eosque ita ineptos reddat, ne ſibi ipſis proſpicere valeant: in tantum, ut, ne aliis æqua & ad concordiam mutuam facientia concedere cogantur, citius majora & diſcordiam perpetuò foventia ſint indulturi. Nullum eſt dubium, ſi æquo jure ad Senatum plebeji cum patriciis fuerint admiſſi, infinitas ſeditionum & diſſenſionum occaſiones per pluralitatem votorum fuiſſe præciſam. Imò & pro ipſis Patriciis, qui factiones quærebant in Senatu, hoc fuiſſet magis utilius, cum non difficilè ſit homini aſtuto & artium placendi perito, ex plebejis in partes trahere, qui numero votorum ſemper adverſarios vincant. Sed ſi quis legat Hiſtoriam Romanam, deprehendet, maxima cura incubuiſſe Senatores, ne plebem in Senatum admitterent, & potius alia quævis etſi majus præjudicium Senatui creantia admiſiſſe. Alibi C. Claudius monet Patres, ut cum populus poſtulaviſſet, ut Conſulum alter ex Plebejis eligeretur, ante paterentur tribunos militum à plebe poteſtate Conſulari creari, quàm ut conſulatu unquam aliis, quàm patriciis cedant, quibus ſolis jus & fas ſit eò cedi, (*Dionyſ. lib. 11. fol. 752.*) cùm tamen ſapienter iterum Valerius monuiſſet (*ibid. fol. 732.*) non poſſe civitatem eſſe liberam, è qua tolleretur æqualitas, viderique ſibi quidem juſtam eſſe legem, quæ omnibus Romanis conſulare imperium commune eſſe velit, qui inculpatam vitam egerint, & res iſto honore dignas geſſerint. Et conceſſerunt tamen iſti homines ſummum imperium tantopere affectantes populo provocationem, qua mediante multi ipſorum actus poterant à plebe reſcindi, & majeſtas Senatus in tantum minuebatur, ut non communicaretur cum plebe, ſed ut potius hoc modo plebs omnino conſtitueretur ſuperior Senatui, quia non poteſt provocatio concipi ſine ſuperioritate ejus, ad quem provocatur. Eadem dicenda

da erunt de tribunis plebis. Restiterat Appius ut vidimus §. *praeced.* ne paterentur Patres, ut ad Democratiam res recidat, neve plebi forte postulanti jus æqvum gerendorum honorum, & ut earundem rerum cum Senatu sint participes, assurgerent; & postulationem tamen ut crearentur tribuni plebis, & ut hi sacrosancti aut inviolabiles redderentur admisit Senatus, quasi hoc modo non plus dissidii in rempublicam illatum, & plus autoritati Patrum detractum fuerit, quam si plebem ad dignitatem Senatoriam admisissent. Equidem prætextus plebis creationem tribunorum petentis erat, ut essent magistratus, qui nullam aliam potestatem haberent, nisi, ut plebejis, injuriam & vim à patribus patientibus, succurrerent, nec paterentur quenquam suo jure fraudari, (vid. Dionys. *d, l. 6. p. 409.*) & fortè etiam tùm temporis bona fide eum scopum plebes sibi proposuit. Sed quid turbarum discerpta quasi potestas summa inter Consules & Tribunos plebis in Republica Romana dederit, docuit eventus. Etsi enim primario jus Tribunitiæ potestatis magis ad impediendum data esset quam ad agendum, ut Plutarchus *in vita Coriolani fol. 278.* notat, tamen nec tribuni plebis semper intra limites potestatis suæ se continebant, sed ulterius aliquando & leges ferre intendebant, nec impediebant saltem injurias plebi imminentes sed sæpius etiam Senatui justa exigenti resistebant; quin & quod ipsi inter se constituissent, si unus eorum repugnare ausus esset, impedire id poterat. Unde & Senatores sæpius studebant dissidia inter ipsos tribunos fovere. Uno verbo, eò ipso, quod jus tribunitiæ potestatis saltem in impedimento consistebat, ipsi potestate summa destituti erant, quia tamen poterant Senatorum actus intercessione sua nullos reddere, faciebant, ut nec senatus haberet majestatem. Et adeò dissensu inter senatum & plebem ortô, nullum remedium legitimum supererat ex dissidiis istis emergendi, sed semper violentia aut pertinacia major unius partis vincebat alteram. Ergò si unquam Respublica statu vitioso laboravit, certè laboravit Respublica Romana. Et si quis modo ea, quæ in Livio *d. l. 2.* post narrationem creatorum tribunorum plebis

plebis seqvuntur unà cum *integro lib.3.* legere velit, tot exempla deprehendet, ea quæ modo diximus, confirmantia, quot paginas leget. Momenta potissima paucis paragraphis in summam contrahemus.

§. 6. Sequenti anno ex quo Tribuni plebis creati essent, cum magna vis frumenti ex Sicilia advecta esset, inque Senatu agitaretur, quantum frumenti plebi, maxime ejus indigenti dari deberet, multi ex Senatoribus venisse tempus arbitrabantur, premendæ plebis, recuperandique jura quæ extorta patribus essent vi & secessione, inprimis verò hanc rem strenuè urgebat Marcus Coriolanus insignis hostis tribunitiæ potestatis, quorum tamen sententia uti reliquis ex Senatu nimis atrox visa fuit, ita plebem summopere adversus Coriolanum excitavit, ut mox die ei à Tribunis dictâ, frustra Patribus pro ipso intercedentibus, in exilium missus fuerit. *Livius d.l. 2. c.34. & 35.* Et videbatur adeò exilio Coriolani concordiæ Patrum & plebis utcunque prospectum esse, nisi lex Agraria longè majus dissidium inter eos excitasset, quàm antea durities creditorum ergà debitores. Sp. Cassius Consul primus legem hanc promulgaverat, de dividendo videlicet agro publico ab hostibus capto vel etiam aliunde acquisito in plebem & socios victoriæ. Et quamvis Patres suspicarentur, nec forte sine ratione, Cassium his artibus affectare tyrannidem, ac paulò post Cassius id criminis incerto mortis genere expiaverit, (*Livius d. l. 2. c. 41. Dionys. Halic. l. 8. f. 537. seqq.*) haud diuturna tamen populi ira in Cassium fuit, & dulcedo agrariæ legis ipsa per se subibat animos accensaque ea cupiditas est malignitate patrum, qui devictis eô annô Volscis Aequisque, militem prædâ fraudavêre, & quicquid captum ab hostibus esset, vendidit Fabius Consul, ac redegit in publicum. Mox tribunis plebis legem agrariam iterum urgentibus, sed patribus nolentibus plebi per largitiones nova temeritatis incitamenta suppeditare assistentibus maximè Consulibus, per aliquod tempus ea pars Reipublicæ plebem vicit, donec plebis opera Senatus adversus Vejentes omnia depopulantes & oppugnationem Romæ

ipfius minitantes, haberet opus. Ubi Sp. Licinius Tribunus plebis veniffe tempus ratus per ultimam necesfitatem legis agrariæ patribus injungendæ, per detrectationem militiæ fufceperat impedire rem militarem, nifi Confules blandis perfvafionibus reliquos Tribunos in partes traxiffent, qvorum auxilio adhuc delectum obtinuerunt. (*Livius l. 2. cap. 42. 43.*) Sequenti anno Tiberio Pontificio tribuno plebis ad exemplum Licinii legem agrariam urgenti, & delectum impedienti, fvadente Appio Claudio & oftendente, quod præcedente anno remedium jam inventum fit tribunitiam poteftatem fuis viribus diffolvi poffe, univerfi patres comiter ac benignè tribunos appellaverunt, & horum interces fione novum delectum adverfus Vejentes obtinuerunt. (*Livius c. 44.*) Quô bellô finitô cum Cæfo Fabius ac T. Virginius Confules creati effent, ille nihil magis in votis habebat, quàm ut jam aliqua ex parte inchoatâ concordiæ fpe primo quoque tempore cum patribus coalefcerent animi plebis. Itaque principio anni cenfuit, priusquam quisque tribunus agrariæ legis auctor exifteret: ut patres ipfi fuum munus facere occuparent, & captivum agrum plebi quàm maximè æqualiter darent, æqvum enim effe, habere eos, quorum fangvine & fudore partus fit. Sed non adfpernati folùm iftud confilium patres funt, fed & quefti quidam, nimia gloria luxuriare & evanefcere vividum quondam illud Cæfonis ingenium. (*Livius c. 4.*) Ortô inde novô in Vejentes bello, inque eo cunctis Fabiis cæfis tribuni plebem confveto veneno, id eft agraria lege, agitare, & in patres refiftentes incitare continuabant, præprimis in T. Menenium & Sp. Servilium. (*Livius c. 52.*) Tum & in Furium & Manlium, quos omnes Confulatu abeuntes, & hos ultimos quidem Genucius tribunus, ad populum quod legi agrariæ reftiterint reos fecit. Illi fordidati non plebem magis quàm juniores Patrum circumibant, monentes inter alia: confulatum captum & oppreffum à tribunitia poteftate effe: confuli velut apparitori tribunitio omnia ad nutum imperiumque tribuni agenda effe. Quibus accenfi vocibus patres acrocisfimo facinore efficiunt, ut judicii die accufa-

tor Genucius domi mortuus inveniretur, pavescenteque maximè plebe Patres non satis moderate ferre lætitiam poterant, adeoque neminem noxæ pœnitebat, ut etiam insontes id fecisse videri vellent, palamque ferrent: malo domandam Tribunitiam potestatem. (*Livius c. 54.*) Sub hac pessimi exempli victoria delectus edicebatur, faventibusque Tribunis sine intercessione ulla Consules rem peragebant, cùm videlicet Tribunos exemplum Genucii terreret. Tum verò irasci plebs cœpit, tribunorum magis silentio quàm Consulum imperio, & dicere, actum esse de libertate suâ, cum Genucio unà mortuam ac sepultam Tribunitiam potestatem, aliud agendum ac cogitandum quomodo resistatur Patribus, & seipsam plebs, quando aliud nihil auxilii habeat, adversus ipsos se defendat. Quô auditô cum alius alium incitasset, Volero quidam homo plebejus delectui Consulum & lictoribus resistens, maximum tumultum excitavit, in quo cùm appareret, parùm tutam majestatem Consulum sine viribus esse, violatis lictoribus fascibus fractis è foro in curiam convulsi sunt. (*Livius c. 55.*) Voleronem amplexa favore plebs, proximis comitiis Tribunum plebis creavit, qui mox rogationem tulit ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent; Quæ rogatio patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi tribunos quos vellent auferret. Cui actioni gratissimæ plebi cum summa vi resisterent Patres, magnis certaminibus res in annum extracta est. Ubi Voleroni socius datus Lætorius, majori adhuc acerbia plebem ad ferendam illam legem stimulabat. Sed utrique magnô nisu se opponens Consul Appius Claudius jam inde à paternis certaminibus invisus & infensus plebi tantas turbas dedisset haud dubiè, nisi alter consulum Quintius precibus plebem delinivisset, ut rem differri paterentur, ac tandem ab ipso Appio à senatu exoratum fuisset, ut pateretur tributis comitiis tribunos creari. (*Livius c. 56. & 57.*) Porrò cum Appio consuli eadem in militia sævitia adversus plebem quæ domi, eoquè liberior esset, quod sine tribunitiis vinculis erat, ita exacerba-

acerbatus per eundem redditus fuit animus militum, ut omnia otiosè, segniter ac negligenter contra ipsius jussa agerent, & turpi fuga à Volscis vinci mallent, quàm jussibus Ducis obsequi. Quibus nihil in fractus ferox Appii animus centuriones duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit, ex cætera verò multitudine sorte decimus quisque ad supplicium lecti sunt. Quamvis per id magis iram populi in se exacerbaverit Appius, in tantum, ut deposito consulatu, cùm ordinum certamina de lege Agraria rursus inciperent, ipsi tanquam acerrimo adversario legis à Tribunis dies dictus fuerit. Nec evasisset condemnationem populi, nisi antequam prædicta dies veniret morbo fuisset mortuus. Cujus laudationem cùm Tribuni plebis impedire conarentur, plebs fraudari solenni honore supremum diem tanti viri noluit, & laudationem mortui tàm æquis auribus audivit, quàm vivi accusationem audiverat & exequias frequens celebravit. (*Livius c. 58. 59. 61.*) Tùm T. Æmilio & Q. Fabio Consulibus, Tribuni rem contra consules sæpè tentatam adjutore Aemilio obtineri posse rati iterum suscipiebant. Et consul manebat in sententia dandum esse agrum plebi, sed resistebat magna pars Patrum, totiusque rei invidiam à Tribunis in Consulem avertebant, ni Fabius rem expedisset dato consilio, ut Antium, propinquam & maritimam urbem non ita pridem captam colonia deduceretur: Quâ sententia accepta, pauci tamen ex plebe nomina dedere, & cætera multitudo poscere Romæ agrum maluit quàm alibi accipere. (*Livius lib. 3. c. 1.*) Acquievit aliquantisper Tribunorum cura circa legem Agrariam, præprimis cùm populus bellis contra Æquos & Volscos per aliquot annos distraheretur, donec secundæ belli res extemplo urbanos motus iterum excitarent. Etenim Terentillus Arsa Tribunus plebis, Consulibus absentibus per aliquot dies patrum superbiam ad plebem criminatus, maximè in consulare imperium tanquam nimium nec tolerabile liberæ civitati invehébatur, addebatque legem se promulgaturum, ut quinque

viri

viri creentur legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se jus dederit, eo consulem usurum: non ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege habituros. (*Livius lib. 3. cap. 9.*)

§. 7. Res loquitur, & miseria status Romani hactenus recensita, consilium hoc Tribuni, si in effectum deduci potuisset, forte ad concordiam stabiliendam fuisse aptissimum. Ita enim & in Monarchiis per leges fundamentales quæ appellantur, populus securitati suæ prospicere adversus tyrannicam potestatem solet. Non permittebat tamen fastus Patrum & insolentia plebis, ut effectui datum fuerit consilium Tribuni. Sed potius ad evitandum illud uterque ordo tyrannide Decemvirali Rempublicam pene supprimi passus fuit. Atque in mediis istis turbis leges nostræ XII. Tabb. ortum nactæ sunt. Rem paucis sic cape: Postquam postulatio Terentilli de Jure æquo in civitatem introducendo à patribus variis artibus elusa fuisset, (*Livius d. l. 3. c. 9.*) subsequenti anno consultatum fuit de salute publica. In hoc igitur consensere omnes, submovendas tandem esse criminationes mutuas, atque unanimi consensu tractandam rempublicam, sed de modo non levis incidit disquisitio. Cùm consules & patres turbarum causam in Tribunos referrent, ut qui novis institutis introducendis pristinæ Reipublicæ formam abolere conarentur. Tribuni contrà nihil se indignum majoribus, nihil iniqvum aut noxium moliri dicebant, qui bonas leges & æquabilem sui juris tuendi potestatem introducere cuperent: Sed Consules & Patricios seditionis autores fore, qui legum confusionem & immoderatam eminendi libidinem in urbe foverent, tyrannicosque mores affectarent. Hujusmodi altercationibus aliquot dies contriti sunt inaniter, donec Tribuni hoc omisso concionem advocarent, plebique pollicerentur, se legem de postulatis suis laturos. Quòd cùm probaretur multitudini, sine mora legem jam antea in hos usus paratam Tribuni recitarunt, cujus capita erant hæc; Decemviros legitimis comitiis à populo debere

eligi, qui ætate ac prudentia præstantes honoris quoque atque bonæ existimationis rationem haberent. Eos viros leges de omnibus negotiis tàm privatis quàm publicis conscribere, & conscriptas ad populum referre, hasque leges in foro poni debere, ut quid annuis magistratibus & privatis civibus inter se juris esset, ceu limites definirent. Hâc lege propositâ potestatem fecerunt iis, qui dissuadere vellent, in trinundinum. Extiteruntque multi ex senatu ejus legis dissvasores, tùm seniores tùm juniores. At Tribuni, cùm tempus sic teri ægrè ferrent, non proposita amplius dissvadendæ legis potestate, diem certam statuerunt, ad quam omnes cives præstò essent, laturi videlicet tributis comitiis de lege ista suffragia. Ausui huic Tribunitio maximo conatu restiterunt Patres, negantes, se legum ferendarum potestatem eis permissuros, non posse deteriorem partem civitatis potiori leges præscribere, non competere Tribunitiæ potestati jus ferendarum & abrogandarum legum, sed solùm ut vim & injusta patientibus succurrat. Quibus tamen cum Tribuni se flecti non paterentur, per vim ipsi cum plebe à Patribus & juvenibus foro pulsi sunt. (*Dionys. Halicar. l. 10. f. 627. 629. Livius lib. 3. c. 10. & 11.*) Hos inter eminebat maximè Cæso Quintius, ferox juvenis quà nobilitate gentis, quà corporis magnitudine ac viribus. Quare Tribuni non ante quieverunt, quin per calumniam à populo extorquerent, Cæsonem de vi in civem allata accusantes, ut ipse Cæso in exilium abire cogeretur. Ac putabant quidem ejectô ita Cæsone, scopum obtenturos, sed decipiebantur. Quàm primum enim post Cæsonis exilium de lege ferenda agi cœptum est, tot Patricii se Tribunis opposuerunt, ut plebs mille pro uno Cæsones extitisse quereretur. (*Livius d. l. c. 11. 12. 13. 14. Dionys. d. l. 10. f. 630. usq; ad 634.*) Et mansit continuum ferè litigium inter Tribunos & Patres per aliquot annos, Tribunis modo ferociter agentibus, & Consulum delectum militarem impedientibus, modo senatoribus plebem spe vana & promissis inanibus lactantibus (*Livius d. l. 3. c. 15. usq; ad 31. Dionys. d. l. 10. f. 634. usq; ad 676.*) Usquedum Spurio Tarpejo & A. Terminio Consulibus Tribuni lenius agere

agere cum Patribus inciperent: Finem tandem certaminum facerent, si plebejæ leges displicerent: At illi, ut communiter Legumlatores & ex plebe & ex Patribus qui utrisque utilia ferrent, quæque & quantæ libertatis essent, finerent creari. Rem non aspernabantur Patres, daturum leges neminem nisi ex Patribus ajebant; cùm de legibus conveniret, de latore tantùm discrepabant; suasu potissimum Romilii conclusit senatus, & plebs confirmavit, ut Spurius Posthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus legati Athenas & ad alias Græciæ urbes mitterentur, qui ibi Solonis leges & aliarum civitatum instituta tanquam moribus Romanorum convenientissima, describerent. Ex quibus postea Legislatores certi à populo Romano eligendi secernerent, quæ in usum publicæ rei futura essent. (*Livius c. 31. Dionys. f. 675. seqq.*) Per biennium abfuerunt Legati, inde cum Græcis legibus reversi, mox à Tribunis postulatum fuit, ut Consules ex SCto legislatores crearent, qui tamen postulationem hanc eludentes, ad futuros Consules Appium Claudium & T. Genutium rem detulerunt. Ergò plebs ad Appium & collegam confugiebat, eosque nunc pro concione nunc privatim sollicitabat. Tandem persvaserunt eis, ut pro plebe facerent. Igitur Claudius potissimum in senatu primo loco rogatus, eligendos Decemviros è senatus primoribus esse statuit, eorum annum fore imperium, & penes eos rerum summam sine provocatione esse debere. Interim cessare omnes magistratus cæteros, donec rursum juxta leges creati fuerint, eosque Decemviros tùm privatas controversias diremturos, tùm reipublicæ tutelam administraturos. Approbata Appii sententia per SCtum, idem à Tribunis in concione publicè recitatum atque plebi commendatum, maximè verò autor ejus Claudius præconio mactatus fuit. Creatis itaque Decemviris, quos inter ferè totius magistratus regimen penes Appium fuit, ut qui omnibus modis gratiam plebis captabat, decimo quoque die Jus populi singuli reddebant. Reliqvum tempus legibus condendis insumebant, ingentique hominum expectatione hi Decemviri leges tùm ex Græcorum jure, tùm

ex patriis consvetudinibus conscriptas in decem tabulas proposuerunt cuilibet cognoscendas, ut videlicet à quocunque privato desuper admoneri possint, & scripta sic confirmari, ut placerent omnibus. Diuque cum optimis quibusque in publico consederunt, & singulas leges ad exquisitissimum examen revocarunt. Ubi verò visæ sunt sat rectè se habere, primum senatu coactô nemine amplius de ullâ lege conquerente SCtum de iis confecerunt. Deinde convocatô ad centuriata comitia populô, Pontificibus, Auguribus, cæterisque sacerdotibus præsentibus, calculos dederunt centuriis. Tum plebiscito quoque confirmatas, & in æreas columnas incisas, una serie proposuerunt in loco fori maximè conspicuo. *Livius cap.32.33. 34. Dionys. d. l.10. f.670. usq; 681.*

§. 8. Videbatur ita potentia Decemvirali amplius non esse opus, quare cum non multum superesat de magistratu annuo, convocatis Patribus retulerunt Decemviri de comitiis; Sed vicit tamen eorum sententia, qui statuerant, continuandum esse Decemviratum. Prætextus fuit, quod aliquid videretur deesse legum numero propter brevitatem temporis quo perlatæ erant; qui prætextus haud dubiè ab Appio Claudio tyrannidem affectante per rumores populo persvasus fuit. (*Conf. Dionys. f. 681. Livius c.34.*) Cùm enim ex præcedentis anni Decemviris ipse solus iterum Decemviratum adeptus fuisset, per factiones homines minimè claros & quos facile sibi obnoxios haberet, collegas impetrat. Ergò statim depositâ persona non amplius dissimulavit superbiam, sed cùm antea unus tantùm ex Decemviris, qui juri præesset, duodecim fascibus uteretur, primo magistratus die maximô terrore & Patrum & plebis singuli Decemviri cùm duodenis fascibus in publicum prodeunt, ut decem Regum speciem præ se ferrent, & aliquandiu æquatus inter omnes terror fuit, sed paulatim totus vertere in plebem cœpit. Abstinebatur à patribus: In humiliores libidinosè crudeliterque consulebatur. Hominum non causarum toti erant, ut apud quos gratia vim æqui haberet. Judicia domi conflabant, pronunciabant in foro, si quis Collegam appellasset ab eo, ad quem venerat, ita discedebat,

bat, ut pœniteret non prioris decreto ſtetiſſe. Jam & proceſſerat pars major anni, & duæ tabulæ legum ad prioris anni decem tabulas erant adjectæ, nec quicquam jam ſupererat, ſi hæ quoque leges centuriatis comitiis perlatæ eſſent, cur eo magiſtratu Reipublicæ opus foret. Sed non confirmari curabant tabulas iſtas Decemviri in comitiis, nec de magiſtratibus novis creandis comitia habebant. Et rumor ſpargebatur, non in præſentis ſaltem temporis eos injuriam conſpiraſſe, ſed fœdus clandeſtinum inter ipſos Jurejurando ictum, ne comitia haberent, perpetuoque Decemviratu poſſeſſum ſemel retinerent imperium, & retinuerunt omninò frementibus fruſtra patribus, cum quibus nihil communicabant, ſed omnia nutu proprio agebant, donec Sabini incurſionem in agrum Romanum facerent. Hic demum Decemviri ſenatum convocabant, & quamvis in ſenatu M Horatius & C. Claudius ſeriò adhortarentur Appium & reliqvos, ut magiſtratum injuſtè retentum abdicarent, vicit tamen & hic Decemvirorum factio, prætendens, ſe non in unum annum creatos eſſe, ſed donec leges quæ adhuc deeſſent, ſupplerentur. (*Livius c. 36. usq; ad 41.*) Ut verò libido Reges imperio privavit; ſic & impotentia ſimilis Appii urbem ab iſta tyrannide liberavit, dum Appius amore virginis æſtuans, poſtquam pretio ac ſpe fruſtra pudicitiam ipſius tentaſſet, ad crudelem ſuperbamque vim animum convertit, & M. Claudio clienti negotium dedit, ut virginem in ſervitutem aſſereret. Quô factô ipſe injuſtiſſimus judex contra omnem æquitatem & contra ipſas à ſe propoſitas decem tabulas vindicias ſecundum ſervitutem contra libertatem dedit, niſi pater puellæ Virginius neceſſario ferè facinore cultro eam publicè interimens, pudicitiæ ſaltem ejus, cum libertati non poterat, proſpexiſſet. Inde in caſtra tendens, & funeſtiſſimam rem commilitonibus narrans, ſeditionem excitavit. Statim enim relictis caſtris plebs Aventinum inſedit, & indè in ſacrum montem deceſſit, nec antè in civitatem redire voluit, quàm Decemviri ſe magiſtratui rurſus abdicarent. Tum igitur Tribuni plebis & novi conſules creati, qui omnium primum, cum veluti in

controverſo Jure eſſet, tenerenturne patres plebiſcitis, legem centuriatis comitiis tulere, ut quod tributim plebs juſſiſſet, populum teneret, quâ legę tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum eſt. Aliam deinde legem de provocatione ad populum decemvirali poteſtate everſam, non reſtituerunt modo, ſed etiam impoſterum muniverunt, ſanciendo novam legem, nequis ullum magiſtratum ſinę provocatione crearet: qui creaſſet, eum jus fasq́ eſſet occidi; neve ea cædes capitalis noxa haberetur. Poſtea Appio Virginius diem dixit, isq́ue in carcerem conjectus, ſententia tamen adhuc dilata fuit. Hinc leges Decemvirales, ſcilicet decem illas tabulas jam antea publicatas, cum duabus illis à Decemviris in ſecundo anno adjectis quidem, ſed nondum publicatis, quibus adeò conjunctim XII. Tabulis eſt nomen, in æs inciſas, in publico propoſuerunt. Appius autem ante diei adventum in carcere mortem ſibi conſcivit. (*Livius lib. 3. c. 34. usq; ad 58. Dionyſ. Halicar. lib. 11.*)

OBSERVATIO II.

Imperfectionem vel ſtatus Romani vel Legislatorum ſapit, qvod Leges XII. Tabb. à Græcis petitæ ſint.

SUMMARIA.

Legiſlator in legibus ſcribendis ſolum populum, cui leges fert, non alios reſpicere debet. §. 1. Non excuſat Romanos, quod Leges Græcorum fuerint optimæ, & inſtituto Romanorum aptiſſimæ. 2. Petens leges ab aliis propriam turpitudinem allegat, & amittendæ libertatis periculum ſubit. 3. Non juvat Romanos, quod ex Legibus Græcorum ſelegerint Leges ſibi convenientes. 4. Petitio hæc indicat ſtatum Romanorum fuiſſe turbidum. 5. & ipſos Romanos prudentia Legiſlatoria deſtitutos. 6.

§. 1.

§. 1.

NOn potest Respublica subsistere sine legibus. Legum verò civilium omnium norma ad quam Legislator in ferendis legibus omnem curam intendere debet, est utilitas Reipublicæ, partim ut promoveatur, partim ut conservetur. Porrò omnes Respublicæ communi partim utilitate gaudent cum aliis Rebuspublicis, partim peculiarem aliquam utilitatem intendunt, priori quidem non oppositam sed subordinatam, at à priore tamen diversam. Unde tot ejusmodi sunt utilitates peculiares, quot omninò sunt Respublicæ ipsæ, infinitis quidem modis inter se variantes. Neque enim quod Monarchiis utile est, conducit Aristocratiis aut Democratiis, vel vice versâ: quod stabiliendo imperio absoluto utile est, idem non statim aptum est imperio restricto. Quid quod etsi in duabus Rebuspublicis exactè similis forma Regiminis observetur, non tamen propterea statim eadem erit utriusque utilitas. Nam diversitas geniorum in civibus, diversitas climatis, diversitas proventuum aut modorum acquirendi, diversissimas utrobique utilitates poterit producere. Et imò variant utilitates unius Reipublicæ multis modis, sic ut quod hodie utile est, post seculum vel etiam citius possit esse inutile. Ut adeò indubitatum ac sua luce radians Prudentiæ Politicæ axioma sit, Legislatorem in scribendis legibus nullo modo ad alios populos vel Respublicas respicere debere, etiamsi magnam aliquam convenientiam habeant cum illa Republica, cui leges parat, sed solum debere considerare conditiones populi & regionum, quibus imperat, ac ad has applicare principia Politica, quibus jam antè instructus est, aut certe instructus esse debet. Ita Medicus, qui diætam homini ægrotanti vult præscribere, non circumspicit sollicitè ut alium hominem inveniat patienti suo simi em, & ad hujus diætam, alteram, quæ ab ipso desideratur, instruat; Sed unicè in constitutionem, temperamentum & alias circumstantias sui patientis est intentus, & ad has solùm applicat principia genuina Medicinæ. Ita sartor in aptanda veste ad corpus Titii non sollicitus est de corpore quòd

æqua-

æqualem figuram habeat cum corpore Titii, ut ad iſtud tanquam normam veſtem Titii applicet, ſed ſolum trutinando diſpoſitionem corporis Titii ex principiis artis ſartoriæ veſtimentum illud aptat.

§. 2. Ex dictis autem neceſſariò ſequitur, parùm aptè in conſcribendis Legibus XII. Tabularum Legislatores fuiſſe ſollicitos de deſcribendis legibus Solonis, & colligendis aliis legibus Græcorum, etſi Romilius, qui Legatos in Græciam hujus rei gratia mittendos eſſe ſvadebat, ea in ratione, conſilium hoc ſuum fundabat, quod Leges Græcorum eſſent *optimæ, & instituto Romanorum convenientiſſimæ. Vide Dionyſ. lib.10. f. 676.* Poſſunt leges utique eſſe optimæ intuitu hujus civitatis, quæ ad aliam applicatæ ſunt inſufficientes. Optima erat ad ſtatum Hebræorum lex de coercendo furto pœna dupli vel quadrupli, cùm in populo ſuo nec pauperes tolerarent, nec otioſos Hebræi. At eadem erit inſufficiens apud nos, ubi ſuſpendii pœna vix furandi libidinem reprimit. Nec ſufficiebat, Græcorum Reſpublicas & maximè Athenienſium populari imperio gubernari, quod in Rempublicam ſuam introducere etiam per ejectionem Regum intenderat populus Romanus. Erat enim tùm temporis magna inter Græcos mores & Romanos differentia, inter ſtatum Athenienſium, qui haud dubie Democraticus erat, & ſtatum illum Romanum turbidum ac incertum, in quo Patres Ariſtocratiam prætendebant. *Vide annot. ad theſ. 2. §. 4.*

§. 3. Adde quod ultrò propriam turpitudinem & ignorantiam alleget populus ab alio leges emendicans, vel certè ultrò fateatur, illum populum à quo leges petit, majore prudentia legislatoria eſſe inſtructum. Unde, quamvis digna Gloſſatoribus, id eſt, ſatis ſtulta ſit fabella Accurſiana de examine Legatorum Romanorum, à Græcis inſtituto, ut appareret, an digni ſint quos Athenienſes legibus bearent, quam adeo & jura ſuo exagitat poſt Budæum Rittershuſius *Dodecad. p. 4.* profectò tamen ipsâ hac petitione Romani ſe eum in ſtatum poſuerunt, ut non ægre ferre debuiſſent, ſi ejuſmodi examen ipſis à Græcis fuiſſet

fuiſſet propoſitum. Quid quod ſubjectionis ſignum eſt leges ab alio populo petere, & facilè adeò libertati ſuæ præjudicare potuiſſent, aliorum libertati jam tùm inſidias ſtruentes Romani, intempeſtivâ hac legatione. Certè timere debuiſſent, ne Athenienſes legibus ad deſcribendum datis aſtutè aliquas immiſcerent, quæ tranquillitatem publicæ rei Romanæ è longinquo turbare & potentiam eorundem deſtruere poſſent.

§. 4. Nec eſt quod urgeas, noluiſſe Romanos leges Athenienſium cœco amore & absque diſcrimine in Rempublicam introducere, ſed potius *ex §. 7. & 8. annot. præced.* conſtare, quod ex iſta legum collectione poſtea Decemviri debuerint ſeligere ea, quæ ad ſtatum Romanum apta eſſent, uti etiam ab ipſis factum reverà eſt. Nam parum adjuvabis hac excuſatione prudentiam Romanorum. Aut enim ponebant fiduciam Romani, Legatos in Græciam mittentes, in futuris legislatoribus, eos prudentia legislatoria fore inſtructos, aut ipſis diffidebant. Si prius, cur non ſtatim concedebant ipſis, ut leges conderent ſine legibus Græcis. Si poſterius; An putabant, eos qui ad leges proprio Marte condendas eſſent inepti, aptos eſſe aliorum legibus emendandis? Medicus qui ipſemet ignorat præſcribere medicinam ægroto, quomodo docere poterit vitia ab aliis admiſſa, eaque corrigere. Sed fortè prudentibus ſuis legislatoribus volebant laborem diminuere, ne videlicet anxiè circumſpicerent de legibus optimis ad ſtatum Rei Romanæ aptis, ſed ex farragine legum variarum ſeligerent absqve labore optima quæque. Quaſi verò homini verè docto non ſit difficilius, aliorum cogitata emendare & in ordinem redigere, quàm ex theſauro cogitationum propriarum aliquid erudito orbi proponere. Igitur etſi conſideremus iſtud conſilium Romanorum de legibus à Græcis petendis, quacunque parte velimus, deprehendemus tamen ubique, illud à regulis Prudentiæ Politicæ deviaſſe, & indiciò eſſe vel ſtatus publici inſigniter corrupti, vel prudentiæ legislatoriæ apud Romanos tum temporis exulantis, aut fortè utriusque.

§. 5. Corruptum fuisse ex asse statum Reipublicæ Romanæ docuit equidem abundè satis annotatio præcedens. Non possumus tamen non vel ex hoc solo consilio novum argumentum corruptionis istius petere. Videtur equidem primâ fronte dicendum esse, proposuisse Romilium istud consilium de mittendis Legatis in Græciam, ut plebs non suspicaretur, quasi Patres in legibus condendis vellent jura plebis infringere & propriam potentiam stabilire, sed ut potius Jura colligerentur ad stabiliendum statum Democraticum quàm maximè apta, quod plebs optabat. Certè ita plebem interpretatam esse hoc Romilii consilium, ex eô colligi potest, quod Siccius Tribunus plebis (qui paulò antè Romilio diem dixerat, &, quod hic notabili summa mulctatus esset, in causa fuerat) prolixè hominem laudaverit, quod non tam privatarum simultatum quàm Reipublicæ rationem habuisset, candidoque animo, qvod ex usu futurum judicasset, retulisset *Dionys. d. l. 10. f. 676.* Sed si ista fuisset Romilii & Patrum intentio, cur nolebant admittere petitum tribunorum æqvissimum, ut communiter Legumlatores & ex plebe & ex Patribus eligerentur? Cur daturum leges neminem, nisi ex Patribus urgebant? *Livius lib. 3. c. 31.* Cur postea creatis Decemviris neminem ex Plebejis admisceri volebant, & consiliis suis plebem disponebant ut tandem in hoc Patribus assurgeret? *Livius c. 32.* Ergo mihi quidem & genium patrum, & indignationem Romilii, quam erga plebem & tribunos fovebat consideranti, videtur quidem Romilius specie hac benevolentiæ plebem decepisse, reipsâ verò per hoc consilium petitionem plebis eludere voluisse. Restiterat senatus per quinquennium & ultrà desiderio tribunorum jus æqvum postulantium; Illo tempore vi aperta resistere amplius conditio status non admittebat. Ergò moras quærebant, & tales quidem, quas plebs non facilè suboleret. Quid enim speciosius quàm quod legati in Græciam mitterentur petendi Juris gratiâ? At tempore ad id iter perficiendum erat opus, uti & ultra biennium legati consumebant. Poterat per biennium rerum status mutari, & Tribunorum potestas fortè mi-

minui, ut apertius iterum Patres legumlationi resistere auderent. Hæc mihi genuina videtur fuisse ratio, cur Romilius consilium de legatis in Græciam mittendis dederit, etsi solers aliàs harum rerum indagator Dionysius hic taceat.

§. 6. Accessit & altera, conscientia videlicet propria populi Romani, quàm curta esset ipsis supellex, & quàm destituerentur viris Prudentia Legislatoria probe instructis. Res evidens, & ex historia Romana facilè conspicienda. Primi Cives Romani turba erat hominum asylo Romuli conquisitorum, non sapientium certè & prudentiâ præditorum, sed qvos vel vita pessimè acta, vel urgens æs alienum societatem hanc inire coëgerat. His Romulus pro lubitu ferè imperitaverat. Post cujus excessum Pompilius regno præfectus est. Erat is quidem vir summæ virtutis & inprimis sapientiæ studiosus. Plutarchus & Ovidius Pythagoræ sectatorem fuisse tradunt. Clemens etiam Alexandrinus apud Eusebium *lib. 9. πρoπ. cap. 3.* Pythagoricum fuisse, & Mosaicâ nixum doctrinâ legem dedisse Romanis, nullam imaginem Deo attribuere. Quod quomodo consistere possit illi viderint, qui demum Tarquinii Superbi tempore Pythagoram in Italiam venisse tradunt. Is Numa Pompilius jam non contentus bellicis laudibus, quibus Roma sibi & imperium & famam sub Romulo quæsierat, animum ad pacis artes adjecit. Instituere feroces animos religione sapientiaque voluit. Igitur quæ ad Theologiam & Philosophiam spectant, sedulò excoluit, excultaque suis civibus tradidit. Videtur tamen eventus non respondisse. Nam populus in ferrum præceps nondum parto imperio cui destinatus erat, alienior erat à Musarum otio. Quod cùm sagacissimus Numa videret, ne tantarum rerum notitia paulatim intercideret, scriptis præcepta & placita Philosophiæ consignavit, quæ cum demortuo in arca lapidea condita fuerunt, ut Livius, Plutarchus & Plinius tradunt. Ejectis Regibus, ut vidimus, soli cupidini regnandi à Patribus studium impensum fuit, populus autem Romanus artibus pacis neglectis, solis belli negotiis operam dedit. Adeoque tota Philoso-

losophia usque ad bellum Punicum II. veluti cum Numa sepulta jacuit. Et quanta barbaries tempore Decemvirorum Romæ fuerit, vel ex eo conjicere licet, quod successu temporis & post annos plurimos, ubi jam tum populus Romanus inscitiam & ignorantiam magis excussisse debebat, autoritate publica factum est. Cum enim Cornelio & Bebio Coss. in agro Petilii scribæ sub Janiculo arcæ duæ lapideæ repertæ fuerint à fossoribus, in quarum altera corpus Numæ erat, in altera septem latini libri de Jure Pontificio, id est, ritu sacrorum, itemq; Græci totidem de disciplina sapientiæ, libri hi Græci solum ad instantiam Prætoris, qui jurabat contineri in istis talia, quibus cultus Deorum, (idololatricus videlicet, & dictamini rectæ rationis maximè adversus,) destrueretur, publicè cremati sunt. Vide *Livium lib. 40. cap. 29. Valer. Maxim. lib. I. cap. I. n. 12. p. m. 18. Adde Hornium Historia Philosoph. l. 4. c. 3. p. m. 232. seqq.* Et post introductas leges duodecim tabularum, in scholis pueri præcipue has leges tanquam carmen aliquod necessarium discebant, & qui Juris interpretationi dabant operam sapientes appellabantur, de quo suô tempore dicemus plura. Conf. interim Hornium d. l. p. 239.

OBSERVATIO III.

Imperitia legum condendarum & astutia, ex modo quem Decemviri in conficiendis Legibus XII. Tabularum adhibuerunt, elucet.

SUMMARIA.

Hermodorus Ephesius tabulas priores decem nomine Decemvirorum conscripsit, his & Græci sermonis planè ignaris, & prudentia legislatoria omninò destitutis. §. 1. Decem priores tabulæ ad rumores hominum plebejorum correctæ. 2. Duæ tabulæ postremæ ad fovendas dissensiones inter plebem & Patres à Decemviris adjectæ. 3. Ostenditur encomium Decemvirorum, quod ipsis sub Crassi persona Cicero tribuit, hyperbolicum aut catachresticum esse. 4.

§. 1.

§. 1.

SEd præterquam quod communis illa ratio in obſervatione præcedente expoſita, jam indicet, Decemviros Prudentia legislatoria parum inſtructos fuiſſe, plures aliæ, quæ nobis id perſuadeant, ex ipſo modo easdem condendi deſumi poterunt. Pomponius *l. 2. §. 4. de O.J.* memorat: Legum XII. Tabularum ferendarum *Auctorem* Decemviris fuiſſe Hermodorum quendam Epheſium exulantem. Dionyſius equidem & Livius ejus non meminerunt, ſed meminit Plinius *l. 34. c. 5.* ubi vocat eum Legum quas Decemviri ſcribebant *Interpretem*, eique columnam publicè erectam fuiſſe dicit. Strabo *lib. 14. Geograph.* dicit eum leges quasdam Romanas *ſcripſiſſe*. Quamvis autem hoc ultimum diſpliceat Eberlino *de O. J. c. 5. p. 33.* videntur tamen commodè hi autores ſic conciliari poſſe. Deſtituebantur Decemviri notitiâ ſermonis Græci, in quo perſcriptæ erant leges allatæ, deſtituebantur prudentiâ legislatoria. Utriusque verò callentiſſimus erat Hermodorus, vir qui ob excellentiam ſuam ab Epheſiis erat ejectus, (ut apud Strabonem d. l. Ciceron: l. 5. Tuſcul. ſub finem videre eſt.) Ergò cùm Decemviri voluptatibus & cupidine imperium ſuum ſtabiliendi, vel etiam negotiis ingenio ipſorum aptis eſſent dediti, admiſerunt non ſolùm, ut Hermodorus eſſet *Interpres* legum allatarum, ſed & ut ipſe priores 10. Tabulas ſolus eorum nomine *ſcriberet*, unde nec malè à Pomponio *autor* Decemviris idem fuiſſe memoratur ferendarum legum duodecim tabularum. Quamvis enim ſit, qui hæc verba Pomponii ad poſteriores tantùm duas tabulas prioribus x. adjectas referenda putet, tamen rectè jam notavit Jacobus Gottofredus *in Hiſtor. Leg. XII. Tabb. cap. 2. p. m. 14.* id à vero alienum videri. Et huc etiam videtur reſpicere voluiſſe Heraclitus, dum ita ſcripſit ad Hermodorum: (apud Gottofr. *d. l. p. 15.*) Viſio me docuit: omnia orbis terræ diademata venire ſalutatum *Leges tuas*, & Perſarum more ore clauſo eas adorare. Illas autem perſtare in ſtatu majeſtatis pleno. Plura de Hermodoro vide *in notis Variorum ad d. l. 2. §. 4. de O. J. p. 10, 11.*

§. 2. Videntur tamen Decemviri Hermodoro huic, quamvis viro optimo, non satisfidisse, fortè quod arbitrarentur, Hominem Græcum non satis intelligere quid utile futurum sit Reipublicæ Romanæ. Ergò ut huic diffidentiæ consulerent, partim etiam, ut plebejorum animos sibi faventes magis redderet Appius, specioso prætextu populo primum censendas offerunt decem illas tabulas: versarent in animis secum unamquamque rem; agitarent deinde sermonibus, atque in medium, quid in quaque re plus minusve esset, conferrent: eas leges habiturum populum Romanum, quas consensus omnium tulisse videri posset. Cùm ergò *ad rumores hominum*, inquit Livius *lib. 3. cap. 34.* de unoquoque legum capite edito, satis correctæ viderentur, tunc demum centuriatis comitiis perlatæ sunt. Non ita vilis habenda potestas legislatoria, ut cuilibet homini vili ac imprudenti eadem subjiciatur. Etiam ubi indubia Democratia est, committitur potestas Legislatoria viro præ cæteris prudenti ac erudito, ut apud Athenienses Soloni, vel certè viris selectis, quibus Reipublicæ administratio creditur, etiam jus Legum condendarum committi solet, aut certè rogatione ad populum proponi, ut pluralitas votorum, lex ferenda sit, nec ne, decernat. Nunquam ab arbitrio hominum vilissimorum de plebe, & singulorum quidem ac paucorum, lex dependet. At hic ad rumores hominum correxerunt leges suas Decemviri. Sapientius Apelles, qui ad rumores quidem prætereuntium corrigebat picturas suas, sed non ultrà quam captus eorum id suaderet, & ne sutor censuram ultrà crepidas extenderet. Mitigat equidem Dionys. hanc circumstantiam, dum *d. l. 10. f. m. 681.* sic ait: Decemviri proposuerunt Decem tabulas cuilibet cognoscendas, ferentes admoneri se à privatis hominibus, & scripta sic conformantes, ut placerent omnibus. Diuque cum optimis quibusque in publico sederunt, & singulas leges ad exquisitissimum examen revocarunt. Ubi verò visæ sunt sat rectè se habere, SC. de eis fecerunt &c. Sed res ferè eodem recidit. Ne Jupiter quidem, quod in proverbio est, omnibus placet, mirum si leges omnibus

placu-

placuerint. Sederunt verò Decemviri cum optimis quibusque in publico. Sed quinam illi optimi? An qui plebi faverent, an qui patribus? An forte qui neutris partibus, sed saluti publicæ erant addicti? Sed quinam illi? Paucis. Si verba Livii sectemur, imprudenter leges correctas esse constat, sin Dionysium, astutia Decemvirorum elucet, plebi imponentium, & præ se quidem ferentium, ac si ex singulorum monitis leges emendarent, reverà autem in publico legum emendatores associantium sibi, qui palàm plebi faventes viderentur, clanculum verò à Decemviris jam corrupti essent.

§. 3. Sed esto, priores decem tabulas satis æqvè prospexisse utilitati communi. Quid opus erat postremis duabus tabulis. Omnia tum rumore peragebantur. *Vulgatur deinde rumor,* ait Livius *d. c.34. duas deesse tabulas,* quibus adjectis absolvi posse corpus omnis Romani Juris. Aperta hic calumnia Appii Claudii ut Decemviratus adhuc per sequentem annum continuaretur. Vide Livium *d. l. c.35.* Dionys. Halicar. *d.f. 681.* Ineptus rumor. Vulgatur: non aliquid deesse decem tabulis, sed præcisè duas deesse tabulas, quasi autor rumoris Appius istas duas postremas tabulas jam confici curaverit, & studio non adjecerit, partim ut causa subesset iterandi magistratus, partim quod in illas conjecta essent quæ nolebat ad rumores plebis emendari, sed quæ apertè plebem cum Patribus collliderent, ac animos eorum à se invicem alienarent. Non immeritò Zonaras *Tom. II. ap. Gottofr. in Histor. leg. XII. Tabb. p.13:* Serò tandem sub anni ferè finem pauca quædam in duas Tabulas suapte autoritate adscripserunt, *non ad concordiam, sed ad majores dissensiones* pertinentia. Nec dissimulat Dionysius Halicarnassæus *circa finem libri 10. f.684.* Appius, ait, cum collegis suis legibus quæ deerant, in duas Tabulas scriptis, addidit eas decem prioribus. Inter quas & hæc lex erat: Ne patriciis cum plebejis licita essent connubia, non ob aliam, ut ego interpretor, causam, quam ne per mutua familiarum connubia atque affinitates *coalesceret inter ordines concordia.*

§. 4. Quæ singula dum pensito, concipio quidem, Decemviros

viros fuiſſe homines aſtutos, præprimis Appium; prudentes fuiſſe & habitu Legum condendarum inſtructos, concipere nequeo. Nec miror adeo ea, quæ quis ex Cicerone contra aſſertionem noſtram poſſit objicere. Hic enim lib. 1. de oratore ſub Craſſi perſona p. m. 278. modo dicit: *Decemviri, qui XII. Tabulas perſcripſerunt, quos neceſſe eſt fuiſſe prudentes.* Modo eos omnibus Græcis anteponit. *Percipietis etiam,* inquit *d. l. I. de Oratore p. m. 314. illam ex cognitione juris lætitiam & voluptatem, quantum præſtiterint noſtri Majores prudentia cæteris gentibus, tùm facillimè intelligetis, ſi cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone noſtras leges conferre volueritis. Incredibile eſt enim, quam ſit omne Jus civile præter hoc noſtrum inconditum ac penè ridiculum, de quo multa ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cum hominum noſtrorum prudentiam cæteris hominibus & maximè Græcis antepono.* Ait verò Cicerò, Decemviros anteponendos eſſe Soloni, Lycurgo, &c. qui ſi absque Legibus Solonis fuiſſent, ne unam quidem Tabulam condere potuiſſent; Græcis anteponendos eſſe, qui absque Hermodori Græci hominis opera non intelligebant leges Græcorum, & cui ferè unico, ut oſtendimus iſtum theſaurum omnis ſapientiæ, Romanæ debemus. Certè non poſſum neque amore patriæ neque aliis coloribus excuſare hanc apertam Ciceronis adulationem, nec in oratore tolerare tantum faſtum, qui non dicam Philoſopho, ſed Ciceroni eſt maximè indecens, homini ſapienti, & res tàm evidenter abſurdas dicere non aſſveto. Niſi fortè id unicum pro defendendo Cicerone afferre velis, nequaquam ea, quæ in *d. l. 1. de Oratore* continentur, ſententiam ratam Ciceronis continere, ſed potius omnia ibi diſputari more Academico ut aliàs plerumque ſolet Cicero. Unde non ſolùm ea quæ ante ſub Craſſi perſona prolixe diſſeruerat, fuſius poſtea refutari ab Antonio, vel certe à Cicerone ſub Antonii perſona *d. l. 1. de Oratore p. m. 317. & ſeqq:* ſed & initio *libri 2. p. m. 337.* apertè ſatis profiteri Ciceronem, temperaſſe ſe ſermonem in libro primo ad perſonas Craſſi & Antonii, quorum genium ita deſcribit: *Fuit hoc in utroq; eorum, ut Craſſus non tam exiſtimari vellet non didiciſſe, quam*

quam illa despicere, & nostrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre: *Antonius autem probabiliorem huic populo orationem fore censebat suam, si omninò didicisse nunquam putaretur, atque ita se uterque graviorem fore, si* alter centemnere, *alter ne nosse quidem Græcos videretur. Quorum consilium quale fuerit nihil sanè ad hoc tempus* &c. Quicquid autem hujus sit, & qualiscunque etiam fuerit Ciceronis de Decemvirorum sapientia opinio, nobis sufficiet, ea quæ hactenus dicta sunt, luculenter ostendere encomium istud Decemvirorum, quod iis sub Crassi persona tribuitur, hyperbolicè aut, si mavis, catachresticè dici.

OBSERVATIO IV.

Non ubique æquitatem observarunt Leges XII. Tabularum.

SUMMARIA.

Communiter JCti encomia Legum XII. Tabularum absq; judicio colligunt §. 1. quorum ea, quæ à Cicerone petuntur & Tacito, examinantur 2. & 3. Rigor Juris veteris furti actionem adversus eum indulgentis, qui re aliter atque convenerat, fuerat usus. 4. Disceptatio Favorini apud Gellium contra æquitatem legis XII. Tabb. 5. Pœna viginti quinque assium & talionis contra injurias 6. Immanitas legis XII. Tab. concedentis creditoribus dissectionem corporis debitoris obærati 7. Ostenditur parum aptè immanitatem hanc à Cæcilio contra Favorinum defendi 8. Alia iniquitas Legis XII. Tabularum in prohibitione conjugiorum inter Patres & plebem. Respondetur Rittershusii rationibus pro illa lege. 9. Obiter de quæstione, utrum consultum sit, ut nobiles & plebeji matrimonio jungantur? 10.

§ 1.

NOn is sum, qui Leges XII. Tabularum debitis laudibus privare allaboret. Nec tamen amor veritatis absque indignatione ferre potest, quod JCtos videam uno ore fer-

mè ſummis in cœlum laudibus fontes hos Juris Romani efferre atque ſic deprædicare, ac ſi nihil omnino eſſet, quod jure meritoque in iſtis deſiderari poſſet. Unde officio ſuo putant ſe feciſſe ſatis, ſi ſolùm encomia legis XII. Tabularum à Romanis eis dicta absque judicio conglomerent, non curantes, quinam ſint, qui ea protulerint, & qua intentione id ab illis fuerit factum, ſerióne hæc dixerint, an more oratorio, ex amore veritatis, an ex præconcepto affectu erga patriam & majores, & quæ debent alia circumſtantiarum momenta in hoc negotio exactè penſitari. *Vide notas variorum ad l. 2. §. de orig. Juris ad verba: Leges XII. Tabb. p. m. 11. Jacob. Gottofr. in Hiſtoria Legum XII. Tabb. cap. 7. integro, qvod commendationem legum iſtarum continet p. 18. ſeqq.* Nos hic ſaltem duo præcipua encomia à Cicerone & Tacito petita paucis conſideremus.

§. 2. Ex Cicerone produci iterum in ſcenam ſolet Craſſus, qui *d. l. 1. de Oratore p. m. 313. totam civilem prudentiam deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus XII. Tabulis contineri* ait. Tolerari hoc poterat, ſi modeſtè interpreteris, leges XII. Tabularum eſſe *fontem omnis privati publicique Juris*; ut Livius loqvitur l. 3. c. 34. Sed quæ mox ſeqvuntur, iterum ingenium Craſſi §. *ult. obſervat. præced.* notatum, ſapiunt: *Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas me hercule omnium Philoſophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & autoritatis pondere & utilitatis ubertate ſuperare.* Quod encomium uti ferè communi conſenſu à JCtis noſtris tanquam indubitatum & omni exceptione majus ebuccinari ſolet, ita eidem non ſolùm opponimus ea, quæ jam ſuprà notavimus *d. §. ult.* Sed & Ciceronem opponimus Ciceroni. Neque enim ſolum idem Antonium introducit. *d. l. 1. de Oratore p. 331.* contemptim quaſi Craſſo regerentem, *Oratoris facundiam efficere poſſe, ut totum illud:* uti lingva nuncupaſſit, *ſic negligeretur à populo, ac ſi non in XII. Tabulis*, quas tu omnibus bibliothecis antepo-nis, *ſed in magiſtri carmine ſcriptum videretur:* Sed & *lib. 1. de legibus p. m. 159.* ſub fratris perſona dicit: *fontem legum & Juris non à Prætoris*

toris edicto, ut plerique nunc, neque à XII. Tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima Philosophia hauriendum esse se putare, similiaque eodem libro p. m. 167. b. repetit.

§. 3. Pergendum ad alteram commendationem Taciti III. Annal. 27. quâ maximè solent nostri uti ad probandam singularem æquitatem legis XII. Tabb. *Creati*, ait Tacitus, *Decemviri, & accitis quæ usquam egregia, composita XII. Tabulæ*, finis æqui Juris. *Nam secutæ leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum & adipiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim latæ sunt.* Sed initio Tacitus dum Leges XII. Tabb. vocat finem æqui Juris, per Jus æqvum non tam illud videtur intelligere, quod opponitur iniquo, sed jus æquale quod nempe æqualitatem inter ordines observavit, cùm sequentes leges plerumque in odium unius partis Reipublicæ, & nempe vel in odium Senatorum vel plebis latæ sint. Svadet hanc expositionem non solùm contextus Taciti, sed & qvod Livius ait *lib. 3. cap. 31. Sinerent creari communiter Legislatores & ex plebe & ex patribus, qui utrisque utilia ferrent, quæque æquandæ libertatis essent.* Deinde etiamsi demus, Tacitum etiam de jure summa æquitate nixo loqvi, valebit equidem hic locus qui comparativè magis quàm absolutè loquitur, ad prægustum aliquem, qvantum damnum Jurisprudentiæ Romanæ ex iniqvitate Legum subsequentium sit allatum, & denique, quocunque in significatu verba Taciti accipias, valebit ejus encomium, secundum maximam partem legis duodecim Tabularum. Neque enim credo ullus erit, qui inter iniquas leges duodecim illas tabulas referre velit. Cæterum utrum semper & ubique æquitas fuerit observata & æqualitas inter Patricios & plebem, sequentia ostendent.

§. 4. Rigorem legis XII. Tabularum & duritiem non heri aut nudius tertius impugnarunt æquitati dediti JCti, sed jam olim id aliquoties factum est. Memorat enim Gellius lib. 7. cap. 15. quod Labeo in libro de XII. Tabulis secundo acria & severa judicia de furtis habita esse apud veteres scripserit, idque

Brutum ſolitum dicere,furti damnatum eſſe, qui jumentum aliorſum duxerat, quàm quo utendum acceperat, item qui longius produxerat, quam quem in locum petierat. Itaque Q. Scævola in librorum, quos de Jure civili compoſuit, ſexto decimo, verba hæc poſuit: *Quod cui ſervandum datum eſt, ſi id uſus eſt, ſive quod utendum acceperit ad aliam rem atque acceperit, uſus eſt, furti ſe obligavit.* Sed præterquam quod iſta ſententia de furtis à Labeone non adſcribatur Legibus XII. Tabularum, ſed videatur potius interpretationi prudentum originem debere, non hic rigor, ſi quis ſubeſt, peculiaris eſſet Legi XII. Tabularum, cum eo Jure adhuc in Jure Juſtinianeo utamur, non ſolùm in Pandectis *l. 2. §. 8. commod. l. 40. 54. 76. de furtis*, ſed & in Inſtitutionibus §. *6. Inſt. de Oblig. quæ ex del. naſcuntur*, & Codice *l. 7. C. eod.* Quamvis non ſolùm in Jure Saxonico iſte rigor non obſervetur Landr. *l. 3. art. 22. Noricus ad d. §. 6. Inſt.* ſed & in genere moribus hodiernis in ipſis rerum argumentis vix videatur obtinere poſſe, cùm, ut alibi oſtenſum, actio furti hodie planè non detur, judicium criminale verò nequaquam ob ejusmodi abuſum concedi ſoleat. Ergo hæc imputatio tranſeat.

§. 5. Gravior eſt diſceptatio de æquitate Legis XII. Tabularum apud eundem Gellium *lib. 20. c. 1.* inter Sextum Cæcilium JCtum & Favorinum Philoſophum, in qua aliquot capita Legis XII. Tabularum iniquitatis inſimulat Favorinus, quæ defendere conatur Cæcilius. Meretur integrum caput, ut à ſtudioſis perlegatur; nos verò illud, quia prolixius eſt, nolumus deſcribere, ſed ſummam diſceptationis ſubjuncto judicio noſtro paucis exhibebimus. Duras nimis pœnas delictis impoſitas in Lege XII. Tabularum arbitratur Favorinus, cum judicem arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe convictus eſt, capite punit, furem manifeſtum ei cui furtum factum eſt, in ſervitutem tradit, ergò etiam eas in deſvetudinem abiiſſe, ſicut & illam, quæ vult, ut in jus vocatus æger jumento imponatur, nec arcera ei ſternatur, ſed inſtar funeris ad Prætorem efferatur. Reſpondet Cœcilius, abrogationem legum per

deſvetu-

desvetudinem non semper indicio esse leges fuisse iniquas, sed pro diversitate status & varietate delictorum variare quoque leges. Illam verò legem de jumento dando ægrotanti potius æquitate repletam esse, cum velit ægrotanti concedendum vehiculum adjunctis pecoribus, nec tamen delicatè nimis insternendum, si morbus non esset gravissimus. Igitur transeat & hoc.

§. 6. Pergit Favorinus, & ex alio capite æquitatem Legum XII. Tabularum impugnat, quod leniter nimis injuriam viginti quinque æris pœna coërcuerit, exemplo addito de Neratio homine improbo obvios verberante, & statim pœnam lege assignatam solvente. Quod verò ob membrum ruptum pœnam talionis dictaverit, impertinens esse, quia talio sæpissimè ob infinitas circumstantias non possit observari, v. g. si ex imprudentia membrum fuerit ruptum &c. Defendit Cæcilius & has leges, partim quod tempore legis XII. Tabularum viginti quinque asses grave pondus æris fuerit, cùm librariis assibus populus fuerit usus, partim quod pœna talionis non constiterit in exitu æquali & priori læsioni ex amussim correspondente, sed quod puniendus saltem eundem impetum in eadem parte corporis sustinere debuerit, & quidem tum demum, si cum adversario noluerit pacisci & talionem redimere. Sed quemadmodum ista prior responsio de librariis assibus non satisfacit objectioni Favorini & exemplo de Neratio, ita commodius forte dicere posses cum Justiniano: Factum id esse in magna veterum paupertate §. 7. *Institut. de Injuriis.* Postea verò crescente nequitia, & forte malo exemplo Neratii & similium inductum Prætorem, ut actionem æstimatoriam introduceret. Quod talionem concernit, obscurum est, quomodo ea & apud Romanos & apud Hebræos *Exod. 21. Lev. 22. Deut. 15.* fuerit observata, certe vix apparebit exemplum hujus talionis in historiis Romanorum. Adeoque mox videtur desvetudine abrogata esse. Et plures omninò sunt inconvenientiæ talionis, quam quas attigit Favorinus, quas plena manu expendit Illustris Pufendorffius *de*

J.N. & G. l. 8. c. 3. §. 27. Sed nolumus tamen legi XII. Tabularum de re dubia & obſcura litem movere ; verum dabimus & hoc Cæcilio.

§. 7. Iſta verò immanitas quam ultimo loco tangit Favorinus, quomodo à ſumma iniquitatis nota liberari poſſit non video. Diſpoſuerat Lex XII. Tabularum tabulâ tertiâ: ſi debitum quis confeſſus fuerit, vel condemnatus Jure fuerit, inducias ei menſtruas 30. dierum ad debitum exſolvendum dandas. Si intra dies 30. illos debitor non ſatisfaciat, tum creditori capere eum ſive præhendere, atque in jus ducere jus eſſe; Debitorem ita nexum, ſi poterit, ſuo victurum; ſi non habeat, tùm creditorem qui eum vinctum habebit, ſingulas farris libras in ſingulos dies ei daturum; ſi volet, plus ei pro arbitrio dare licitum eſſe. Si & tum judicatum non ſolvat, neque interea quisquam eum in jure defendat, proque eo interveniat, in privatum carcerem ſeu vincula eum adducere creditori jus eſſe, eumque vel nervo vel compedibus vincire: ſic tamen ut vincula non ſint graviora quam XV. pondo, læviora adhiberi pro arbitrio poſſe: Paciſcendi interea addicto cum creditore jus eſſe. Si non pactus fuerit, 60. diebus creditori addictum, in vinculis habere jus eſſe. Intra eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producendum eſſe, quantæque pecuniæ judicatus ſit, prædicandum. At ſi plures fuerint creditores, tertiis nundinis, i. e. 27. die corpus rei in partes ſecandum; ſi plus minusve fuerint, ſine fraude fore. Si malint, trans Tiberim eum peregrè venundandum. Vides hîc multa ſubeſſe immanitatis & ſævitiei veterum argumenta, nexum, vincula, carcerem privatum. Sed iſta omnia quidem non urgebimus, etſi mores ſubſequentes Romanorum magis manſveti & hæc omnia abrogaverint. De immanitate illa ſecandi ait Favorinus apud Gellium, partiendique humani corporis, ſi unus ob pecuniam debitam judicatus addictusque ſit pluribus, non libet meminiſſe, & piget dicere. Quid enim videri poteſt efferatius, quid ab hominis ingenio diverſius, quàm quod membra & artus in-

opis,

opis debitoris brevisſimo laniatu diſtrahuntur, ſicut nunc bona diſtrahuntur. Certè ſi quis ea conſideret, quæ ſuprà *annot. ad theſ. 2. §. 3.* prolixè de diſſidio inter patres & plebem ob nimium rigorem fœneratorum in debitores plebejos ex Livio & Dionyſio excerpſimus, ei facilè patebit, cauſam hujus legis rigidiſſimæ non tam fuiſſe frequentem defraudationem creditorum ab improbis debitoribus, ut tàm rigido exemplo fuerit opus, ſed potius inveteratum odium fœneratorum erga inopes debitores, & parum velatam cupidinem, crudelisſimam tyrannidem ſub juris prætextu in plebem exercendi. Nec penè concipere poſſum, qui factum fuerit, ut cùm decem primæ tabulæ, ut diximus, ad rumores plebis correctæ & emendatæ fuerint, nemo ex plebejis immanitatem iſtam, cuilibet eorum non difficulter imminentem, ſenſerit, & cùm anteà ob longe minorem rigorem creditorum turbas in Republica moverint & ſecceſſiones, ob extremum hunc immanitatis gradum ne murmurare ſaltem aut hiſcere auſi fuerint, ſed intempeſtivâ ſuâ taciturnitate eandem approbaverint. Niſi dicere velis, blandimentis patrum ac potisſimum Claudii populo tum grati oculos plebis tum fuiſſe occœcatos. Nec fortè defuiſſe colores quæſitos, quibus plebi perſvaſum fuerit, nunquam ad exemplum perductam iri eam immanitatem. Et quos alios adhibitos fuiſſe ſuſpicari poteris, quam quibus Cæcilius apud Gellium utitur contrà Favorinum.

§. 8. Summa eò recidit. Populum Romanum ſemper fidem præcipuè coluiſſe, ſanctamque habuiſſe tàm privatim quàm publicè, tàm in officiis, quàm in contractibus, maximè in pecuniæ mutuaticiæ uſu & commercio. Sed tamen in legibus XII. Tabularum debitori confeſſo multas dilationes indultas eſſe, in quibus pecuniam conquirere aut cum creditoribus paciſci potuerit. Aſt quemadmodum hæc omnia parum aut nihil ad controverſiam ipſam, ſcilicet ad immanitatem ſecandi partiendiq; humani corporis, faciunt, ita tandem, cùm ultimum iſtud capitulum horrore plenum narraſſet Cæcilius, miram excuſationem ſub-

ſubdit: *Nihil profectò*, inquit ipſe, *immitius, nihil immanius, niſi ut re ipſa apparet, eo conſilio tanta immanitas pœnæ denunciata eſt, ne ad eam unquam perveniretur. Addicti namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Diſſectum eſſe antiquitus neminem neque legi, neque audivi, quoniam ſævitia iſta pœnæ contemni non quita eſt.* Duo videtur dicere voluiſſe Cæcilius: (1.) pœnam tàm immanem dictam eſſe, non ut executioni mandetur, ſed ut eò magis immanitate pœnæ debitores ad ſolutionem compellerentur: (2.) Eam fuiſſe legislatorum intentionem probari ex eo, quod non legatur exemplum alicujus debitoris diſſecti. Verùm, quod pace Cæcilii dicere liceat, utrumque dicitur parum congruè, & à principiis doctrinæ politicæ maximè alienum eſſe videtur. Initio enim ſi ſola pœnæ ſanctio in legibus ſufficiens eſſet, delicta in republica frequentia ſupprimere, nil facilius eſſet extirpatione delictorum, & nil amplius conſiderare deberet in ferendis legibus Princeps, quàm excogitare modos pœnarum truculentiſſimos & crudeliſſimos, ut eò fortiùs deterreantur homines à delictis committendis. Imò ſecundum hoc principium majores cruciatus imponendi eſſent delicto, quod nondum altas radices in Republica egiſſet, quoniam certum eſt, facilius id reſtingvi poſſe quàm delictum inveteratum, & adeò non foret dubitandum, in delicto novo verborum terrorem majorem efficaciam habiturum eſſe. Sed quàm hæc ſunt diverſa à Regulis Politicorum, quæ longè alias circumſtantias Principibus in irrogatione pœnarum conſiderandas præſcribunt, & creſcentibus demum delictis creſcere pœnas volunt? Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata, & graviſſimæ pœnæ ſæpius libidinem peccandi coërcere non ſunt aptæ. Ergò ineptiſſimum eſt pœnam exaſperare, ſi non executioni mandetur. Vel enim hoc ſciunt delinqventes, tunc fruſtrà terrentur, quia cauſa non ſubeſt metuendi pœnam, quæ ultra verba non progreditur. Vel neſciunt, tum iſte metus durabit ſaltem tamdiu, donec aliquis legem violaverit. Vel enim tunc ceſſabit princeps pœnam exequi, & ſimul metus ceſſare incipiet;

cipiet; vel pœnam illam atrocem exeqvetur, & tùm injuſtitiam committet, ſi pœna non eſt proportionata delicto. At inquies: Nemo peccabit contra legem ob pœnæ atrocitatem. Reclamat omnium temporum experientiâ, quæ malitiam humanam rigorem omnium pœnarum excedere teſtabitur. Accedit, quod in præſenti caſu fruſtra afferatur, per hanc ſectionem debitoris impeditam fuiſſe ſolutionis denegationem, quia hiſtoria Romana ſuperius allata teſtatur, debitores obæratos non tàm deſiiſſe eſſe ſolvendo ex malitia, quàm ex neceſſitate, adeoque mille potuiſſe non difficulter occurrere caſus, ut debitor, qui tempore contracti debiti ſperabat bona fide ſe ſolvendo futurum eſſe, poſtea ob infortunia & miſeriam non potuiſſet vel centum datis dilationibus media ſolvendi reperire, aut pactionibns gratis & acceptis creditorem delinire, ut adeò etiamſi aſperitas illa pœnæ excuſationem aliquam haberet, ſi impoſita fuiſſet delicto quod ſemper dolum adjunctum habet, tamen in præſenti caſu vel ex hoc ſolo capite excuſatio omnis defutura ſit. Sed, inquit Cæcilius, nunquam legi vel audivi debitorem aliquem diſſectum eſſe. Quid tum poſtea? Ergone putas nullum caſum extitiſſe debitoris, qui ſolvere non potuerit, & ubi pœnâ illâ aſperrimâ fuerit opus. Falleris Cæcili, quod pace tuâ dixerim. Quod non legatur exemplum debitoris diſſecti, ratio eſt, quod ob immanitatem iſtam eximiam, quam ipſe diffiteri non potes, populus poſtea hanc legem abrogaverit. *Sunt qvædam*, inqvit Qvintilianus, *non laudabilia naturâ, ſed jure conceſſa, ut in XII. Tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit, qvam legem mos publicus repudiavit. Qvintil. l. 3. Inſtit. Orat. cap. 6.* Similia habet Tertullianus *Apologet. c. 4. Sed & judicatos in partes ſecari à creditoribus, leges erant, conſenſu tamen publico crudelitas poſteà evaſa eſt, & in pudoris notam capitis pœna converſa eſt, bonorum adhibitâ proſcriptione. Suffundere maluit hominis ſangvinem qvàm effundere.* Adducit eqvidem Rittershuſius *Dodecadelt. p. m. 210.* aliam rationem ex Theodoro Marcilio, quod nempe permiſerint Decemviri illam nexorum in partes ſectionem, tanqvam

in servos. Sed ipse ejus inconvenientiam ibidem ostendit, ac responsionem Cælicii calculo suo approbat, simile exemplum ex historia Indica adducendo, quod nempe apud Calecutanos hodieque lex vigeat, quâ creditor, postcaquam sibi deberi probavit apud Principem Sacerdotum, ab hoc accipiat frondem viridem; ex quâ circulum postea facit in terra, quô circulô includit debitorem vocatum, cui nefas est ex illo circulo frondeo exire. Sed is datur statim dilaniandus non solum creditoribus, sed etiam quibuscunque aliis, tanqvam hostis Reipublicæ. Ita aut solvit debitum, aut moritur ibi exosus omnibus tanquam catharma quoddam. Sed ad hanc historiam duobus verbis respondemus Rittershusio: Non exemplis judicandum sed legibus.

§. 9. Non omittemus & aliam iniqvitatem legis XII. Tabularum, qvamvis Favorino omissam. Intelligo prohibitionem connubiorum inter patres & plebem. Ex mala intentione Appii Claudii eam legem insertam fuisse duabus tabulis postremis jam suprà notavimus ex Dionysio Halicarnasseo. Verùm & hic Rittershusius *d. l. p. 85. seq.* legem decemviralem defendere laborat. Ratio, dicit, fuisse videtur, qvia pares cum paribus facillimè congregantur, ut est in proverbio. Contra: Non bene inæqvales veniunt ad aratra juvenci. Si qva voles apte nupere nube pari, ut est apud Ovidium. Et in eandem sententiam extat elegantissimum Callimachi Epigramma, inculcans, qvod in conjugio qvisqve sibi parem eligere debeat. Sed ad hæc variè responderi potest. Initio dictis Poëtarum & proverbiis utendum magis ad illustrationem qvàm ad probationem, cùm nihil tàm absurdum inveniri possit, qvod non proverbio aliqvo aut testimonio Poëtæ possit defendi. Deinde paritas utiqvè in conjugio ex rectæ rationis dictamine reqviritur, sed paritas annorum & morum, non paritas status. Porro: Aliud est qværere, an imparitate semel introducta conjugium inter impares sit ineundum; aliud an lex approbanda, qvæ ad fovenda dissidia disparitatem in conjugio introducat. Pergit Rittershusius.

In

In Republicâ bene constituta distinctos debere esse ordines, ne omnes omnia sibi sumant, seqve decere putent, ne illud eveniat, qvod inter Nomadas & Cyclopas fieri solitum cognovimus, ubi nemo nullâ nemini in re obtemperat. Qvæ cùm ita sint, videntur mihi Decemviri non injuriâ nec ineptè hanc distinctionem ordinum Romæ hâc qvoqve ratione conservare voluisse, interdicendo matrimonia inter patricios & plebejos. Sed profectò aliqvid humani hic passus est Rittershusius, cùm calamo ipsi excideret hoc: *Qvæ cùm ita sint.* Neqve enim credo timendum erat Decemviris, ne, si libera essent connubia patrum & plebis, viveretur in Republica more Nomadum, ut nemo nemini nullâ in re obtemperaret. Deniqve provocat Rittershusius ad legem Papiam, qvæ interdicebat Senatori conjugium cum libertina. Sed ad hoc qvoqve argumentum responsiones non longè qværendæ. Nam qvid si & hujus legis justitia in dubium vocetur? Qvid si Justiniani constitutio, tollentis differentiam omnem inter ingenuos & libertinos maximis præconiis deprædicetur? Sed non opus est, ut eò deveniamus. Magna est inter has duas leges diversitas. Aliud est esse Senatorem, aliud Patricium; aliud plebejum sed ingenuum, aliud libertinum. Et qvid prolixa disputatione adversus Rittershusium est opus? respondeat sibi ipsi, & recordetur eorum qvæ scripserat in dicto tractatu *p. 10. De iniqvitate qvarundam legum adversus plebem & propensione nimiâ in optimates, qvod dicebam, elucet, vel ex duabus illis, qvarum una à connubio cum Patriciis arcebat plebejos, altera à jure auspiciorum & fecialium eosdem excludebat, qvod totum in patriciorum potestate esse volebat. Itaqve semina discordiæ Reipublicæ perniciosa in qvibusdam legibus interspersa fuère.* Scilicet qvod hic Rittershusius admiscet de Jure auspiciorum, explicabit Livius *lib. 4. c. 5.* qvi & ibidem *c. 1. seq.* prolixè narrat, qvomodo per instantiam Canuleji tribuni plebis, frementibus licet consulibus, iniqva illa lex de prohibito connubio inter patres & plebem fuerit abrogata. Et merentur omninò legi orationes duæ ibidem recensitæ, una Consulum pro defendenda lege XII. Tabb.

Canuleji altera pro oftendendâ iniqvitate ejusdem, in qvâ feqventia verba adhuc aliam refponfionem contra Rittershufium fuppeditant. *Quod privatorum confiliorum femper fuit, ut in quam cuiq; fœminæ conveniffet domum, nuberet; ex qua pactus effet vir domo, in matrimonium duceret, id vos fub legis fuperbiffima vincula conjicitis, quo dirimatis focietatem civilem duasque ex una civitates faciatis. Cur non fancitis, ne vicinus patricio fit plebejus? ne eodem itinere eat? ne idem convivium ineat? ne in forô eodem confiftat? Quid enim in re eft aliud, fi plebejus Patriciam duxerit? Si patriciam plebejus? Quid juris tandem mutatur? Nempe patrem feqvuntur liberi. Nec quod nos ex connubio veftro petamus quicquam eft, præterquam ut hominum & civium numero fimus. &c.*

§. 10. Illud adhuc verbo monere opus effe arbitror, non confundendas effe qvæftiones diftinctiffimas. Aliud enim eft disqvirere, utrum liceat Nobili & plebejo connubium inire, vel an citra iniqvitatem lex civilis & qvidem in Republica Democratica conjugia ejusmodi prohibere poffit? qva de re hactenus difceptavimus. Alia vero qvæftio eft, utrum confultum fit, ut plebejus nobilem, nobilis plebejam ducat, qvam litem meam non facio, præprimis cùm pro diverfitate circumftantiarum qvæftio hæc modo videatur effe affirmanda, modo neganda, etiam in Rebuspublicis Monarchicis aut Ariftocraticis. Spero tamen non adeò inauditam aut odiofam fententiam me defenfurum effe, fi dixero, non inutilia fore Reipublicæ conjugia inter nobiles & plebejos, poftqvam vir qvidam Generofiffimus, & verâ eruditione præditus in Scripto qvod appellavit: Die geprüffte Goldgrube/ defendit: inter peculiares rationes, cur multæ provinciæ noftræ penuria laborent, etiam illam effe, qvod pro inveterata confvetudine nimis diligenter obfervetur, ut nobilis non matrimonio fibi adjungat plebejam, cum tamen dignitates familiarum nobilium longè melius confervari poffint, fi nobili bonis fortunæ deftituto, vitio non vertatur, fi cum fœmina non nobili, divite tamen, conjugium ineat. Vide qva ex dicto autore excerpfi *in cogitationibus menftruis 1688. menfe Februar. p. 145. 146.*

OBSER-

OBSERVATIO V.

Non parum impedit ſtudium Jurisprudentiæ, quod Legibus XII. Tabularum careamus.

SUMMARIA.

Novus defectus Jurisprudentiæ, quod hodie legibus XII. Tabb. careamus §. 1. Quando interierint hæ leges. 2. Earum reſtauratores, & encomium Jacobi Gothofredi 3.

§ 1.

POtuiſſemus etiam de obſcuritate & paucitate legum XII. Tabb. qvædam adjicere, ſed cùm ea de re commodior dicendi locus futurus ſit, cùm de augmentis harum legum diſſeremus, nunc ſolùm id addimus: fuiſſe tamen leges XII. Tabularum fontem omnis publici privatiqve Juris Romani, ut Livius lib. 3. eas appellat, adeoqve dolendum omninò eſſe, cùm reliqvæ leges ſubſecutæ qvaſi qvædam ſcaturigines ex hoc fonte propullulantes conſiderari mereantur, qvod fonte iſto deſtituatur hodie Juriſprudentia noſtra, cum nullum ſit dubium, plurima loca Juris Juſtinianei faciliorem interpretationem admiſſura, ſi tabulæ illæ duodecim illæſæ adhuc exſtarent. Cum è contrario deficiente iſto lumine multæ leges ſpiſſa obſcuritate laborent, & qvam tollere aliis ſubſidiis vix poſſis.

§. 2. *Non ſolùm Auguſti ævo adhuc ſalvas & incolumes eas fuiſſe publicè pro Roſtris propoſitas intelligimus ex Diod. Siculo lib. 12. verum etiam ducentis & quod excurrit annis poſteà extitiſſe, apparet ex illuſtri hoc loco Cypriani l. 2. ep. 2. qua ſui ævi enormia vitia reprehendit, quæ paſſim tanquam diluvium inundarant vitam humanam: Inciſæ ſint licet leges 12. tabb. & publico ære præfixo jura præſcripta, inter leges ipſas delinquitur, inter jura peccatur: innocentia nec illic, ubi defenditur, reſervatur. Sævit invicem diſcordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit inſanum. &c. Imò etiam Auſonii tempore, qui cum Imp. Gratiano vixit, adhuc integras fuiſſe conjicimus ex ipſius carminibus ſupra cap. 4. relatis. Quo autem caſu abolitæ diſſectaque*

interierint, an incendio, an turbine, an alia tempestate, non satis compertum habetur. Mihi veri simile fit, temporibus illis quibus Gothi in Italiam irrumpentes longè lateque grassati sunt, & incendiis ac direptionibus omnia vastarunt, etiam urbem Romam; hunc thesaurum fuisse deperditum. Ita sentit Rittershusius *in Comment. ad XII. Tabb. p. m. 13.*

§. 3. Qvô tamen non obstante JCti qvidam eximii nostris temporibus fragmenta earum ex Cicerone, Gellio, Pandectis, & aliis Autoribus mirâ diligentia colligere & eruditis commentariis explicare aggressi sunt, qvos cum encomio & judicio subinde addito recenset Rittershusius *d. l. p. 14. seqq.* Palmam tamen his omnibus qvamvis eorum ferè novissimus, præripere videtur Jacobus Gottofredus, *in prima parte fontium 4. Juris Civilis,* ubi singulari industria fragmenta XII. Tabularum plenè ordini suo restituit, iisqve historiam, Probationes, Notas & Glossarium subjunxit. Cujus viri elegantissimos libros, & inprimis Codicem Theodosianum atqve hæc fragmenta XII. Tabularum qvoties manibus verso, toties penè irascor inertiæ nostræ ætatis, qvæ tot nobis tulit scriptores Syntagmatum, Compendiorum, Paratitlorum Decisionum, Consiliorum, Responsorum & infinitarum aliarum rerum, qvas vulgus attonitâ mente suspicit, unum aut duos Gottofredos, qvi Jurisprudentiam Romanam, qvantum adhuc fieri posset, ex antiqvitate historica eruere pergerent, dare non fuit apta.

T A N T U M.



PRO-

PROGRAMMA
De caufis inutilium Doctrinarum in ftudio Jurisprudentiæ.

I. N. J.



Uobus fulcris niti Jurisprudentiam genuinam & infucatam, Lege & Ratione, paffim in fuis Scriptis inculcavit & latius demonftravit Belgarum JCtorum decus Ulricus Huberus; qvorum unum fi deficiat, nemo qvis invidendum veri JCti titulum fe mereri poffe exiftimare debet. Uti enim ratio eft anima legis, ita inter cadavera JCtorum referri jure fuo debent, qvi leges crepant fine ratione, etfi in lege non omnium ff. de Legibus afylum ignorantiæ fuæ anxiè fed fruftrà qværant. Vice versâ cum in Jurisprudentiâ humanâ plurima non à communi & toti humano generi infitâ ratione, fed ab arbitrio Legislatorum, non omni tamen ratione deftituto, pendeant; cerebrini JCti habendi funt, qvi, cum Legum debeant effe interpretes, jus in qvo verfantur, ftrenuè ignorant, & controverfias qvotidiè obvenientes ex ratione cerebri fui fine lege decidere allaborant. Turpe effe JCtum fine lege loqvi, Imperator inculcat; turpius, fi fine ratione loqvatur, recta dictitat ratio. Unde maxime cavere debent fibi Juris Studiofi, ne, dum de dicto hoc Juftiniani admonentur, putent, fe fatisfeciffe officio fuo & monito Imperatoris, fi leges in numerato habeant, aut aliqvot legum memorabilium centurias memoriâ teneant, aut deniqve in rebus vel planè ad Jus non pertinentibus, vel ad Jurisprudentiam communem feu naturalem fpectantibus, (v. g. cum difputationibus invocationem

cationem Divini numinis vel Christi præmittunt, dum communia qvædam axiomata citant, ut: calamitatem matris non debere nocere ei, qvi in ventre est; expedire Reip. ne qvis re suâ malè utatur; nihil tam naturale esse, qvam ut voluntas dominorum, rem suam per traditionem transferre volentium, observetur &c.) locum ex Institutionibus vel ex aliis Juris Justinianei libris allegent. Nam qvi hâc viâ ad Jurisprudentiam pergunt, Leguleji qvidem citò evadent, nunqvam JCti. Debebant profectò qvotidie recordari eorum, qvæ JCtus in l. scire de LL. sapienter scripta reliqvit: Scire leges non hoc esse, verba earum nosse, sed vim & potestatem. Latet verò vis & potestas in ratione legum, non in verbis, multò minus in earum numero. Mores nostros si spectes, vis & potestas legum qværenda etiam erit in usu legum moderno, qvi si cum Jure Justinianeo non conveniat, evidens erit, Leges Justinianeas tùm nullam hoc passu habere vim & potestatem intuitu regionum Germaniæ, & conseqventer à Jurisprudentiæ studioso, qvi studiis, ut patriæ inserviat, scopum proposuit, jure ignorari, aut historicè saltem sciri posse. Unde omnes omninò Antecessores in eo consentiunt, non proponendas esse studiosis futiles controversias, sed qvæ in ipsis rerum obtineant argumentis. Sed utinam proposito huic & promisso semper etiam corresponderet eventus doctrinæ, & nemo reperiretur, qvi non potius Virum Magnificum & Exqvæstorem sacri Palatii Tribonianum vellet imitari, qvi, cum in proœmio Institutionum promisisset, qvod aniles fabulas cupidæ legum Juventuti nolit proponere, sic tamen anilibus fabulis replevit aureum libellum, ut magis hodie ad Institutiones qvadret, qvod de Scriptis Ennii solebant dicere Poëtæ elegantiorum temporum: *Aurum colligere ex stercore Ennii.* Sudat inde juventus non rarò in percipiendis accuratè subtilitatibus, qvæ neqve ad intelligendas leges Romanas, neqve ad usum practicum tantillum tribuunt, qvorsum statim in primo titulo exempli causa refero doctrinam Aristotelicam de divisione

Justi-

Justitiæ in Universalem & Particularem, hujus, in commutativam & Distributivam, de proportione item Arithmetica & Geometrica, & inde dependentes qvæstiones: An definiatur ab Imperatore Justitia Universalis an Particularis, an tertia aliqva species, Legalis? Ad qvam justitiæ speciem pertineat pœnarum irrogatio? Utrum in societatis contractu, item in irrogatione pœnarum observari debeat proportio Arithmetica an Geometrica? Utrum constans & perpetua voluntas in definitione Justitiæ sumatur propriè an metaphoricè? &c. Qvibus similes sunt adhuc aliæ infinitæ in expositione singulorum fere titulorum occurrentes. Sed majori ingenii tortura opus est in intelligendis subtilissimis & nec à Triboniano intellectis, ac propterea in Institutionibus omissis antiqvorum JCtorum controversiis, qvæ qvidem plurimum ad intelligendum Jus Justinianeum conducunt, sed hodiè in praxi forensi, ob diversos mores Germanorum & diversitatem processus, partim etiam ob novitates ab ipso Justiniano vel Antecessoribus ejus introductas, nullum habent usum. Adducam saltem ex tot chiliadibus, qvæ in Pandectis occurrunt, difficillimos intellectu titulos de Jurisdictione & de Pactis, & qvæstiones intricatissimas, qvæ ibi ab Interpretibus tantâ curâ tractari solent, ac si nemo in Jurisprudentia proficere possit, si earum resolutionem, variam tamen & contradictoriam, non ad ungvem calleat: Utrum Jurisdictio sub se comprehendat Imperium? An detur Jurisdictio criminalis? De differentia inter simplicem notionem & Jurisdictionem. An ea, qvæ speciali lege mandantur, ad Jurisdictionem pertineant? Qvomodo Imperium mixtum insit Jurisdictioni? Qvomodo Imperium merum à mixto differat? &c. An Pactum sub se comprehendat contractum? Qvomodo differat pactum nudum & contractus? An pacto nudo opponatur vestitum? De pactis adjectis in continenti aut ex intervallo, vel contractibus bonæ fidei vel stricti juris, hos vel alterantibus, vel immutantibus aut detrahentibus, & qvidem vel naturalibus contractuum vel accidentalibus: de differentiis inter verum & qvasi contractum, contractum item

nominatum & innominatum &c. Horreo adhuc, qvoties recordor, qvanta animi carnificina nobis juvenibus olim opus fuerit, cùm fideliffimus, qvô utebamur, præceptor, fubtiliffimi Franzkii, acutiffimi Bachovii, aliorumqve Jurisprudentiæ luminum, fententias in diverfa abeuntes circa qvæftiones prædictas nobis proponeret, & qvanta naufea vel tædium laboris fruftranei nobis moveretur, cùm poft duas vel tres lectiones vel in refolutione unius qvæftionis infumptas idem nobis inculcaret: illas omnes non habere ufum in praxi, partim qvod ob differentiam magiftratuum Germanorum & Romanorum alia longè & multò facilior divifio Jurisdictionis apud nos fit recepta, partim, qvod omnes difficultates in titulo de pactis occurrentes inde ortum ducant, qvod Romani olim faltim ex ftipulatione, non autem ex pacto nudo voluerint firmam obligationem & actionem oriri, qvibus carere omninò poffemus, poftqvam moribus Germaniæ omne pactum ad producendam actionem efficax effe cenfeatur. Qvare, ut ad fcopum redeam, etfi communis docentium fententia eò tendat, inculcandas effe in difciplina Juris folùm doctrinas, qvibus in praxi uti poffint juvenes, mirandum tamen multis videri poffet, qvi eveniat, ut communi fere iterum fententiâ tantâ diligentiâ proponatur Jus Juftinianeum & potiffimum Pandectæ, juvenesqve perfvaderi foleant, nihil in iis contineri, qvod non magnum ufum in praxi habeat, cum tamen evidentibus demonftrationibus doceri poffit, vix vigefimam partem Pandectarum ad praxin fori Germanici poffe accommodari. Sed mirantur, qvi rerum caufas ignorant. Nos non miramur, qvibus caufæ errorum iftorum fatis notæ funt, & mirari facile definet, qvi caufas hafce paulo addentius confiderare non dedignabitur. Sunt verò (1.) nimia libido contra feveram prohibitionem ipfius Juftiniani, vafta commentaria fcribendi ac fyftemata in Jus Juftinianeum: (2.) Methodus fingulos titulos fecundum qvatuor genera caufarum, adjuncta item & contraria tractandi, cujus origo Ramiftis ut Wefenbecio, Mindano &c. videtur deberi: (3.)

Ta-

Tædiosa repetitio generalium axiomatum in specialibus titulis, ut qvando centies inculcari solet, furiosos, mente captos, prodigos &c. non posse contrahere aut alienare: (4.) Ignorantia Juris Germanici & vana persvasio, Germanos tanqvam subditos Sacri Romani Imperii legibus Justinianeis ipsô Jure teneri, & crimen læsæ Majestatis committi, si qvis Justiniano & Triboniano contradicere audeat, qvem errorem tamen post diligentiam Conringii & Schilteri propè extinctum iri speramus: (5.) Ignorantia praxeos, cùm ii, qvi systemata & compendia scribunt, qviqve Jura profitentur, plerumqve à praxi vel sint alieni, vel ad collegia Juridica non liberum habeant aditum, ut inde, qvid in ipsis rerum argumentis obtineat, possint cognoscere: (6.) Admiratio nimia Glossatorum, & neglectus Antiqvitatum Romanarum, qvi efficit, ut inter tot myriades systematum & compendiorum in Pandectas, nondum habeamus meliorem expositionem ad singulas leges Pandectarum, qvàm est expositio Glossæ, qviqve simul in causa est, ut de differentia inter mores nostros & antiqvitates istas non possimus exacte judicare: (7.) Nimium freqventes contradictiones collegiorum Juridicorum in Germania, qvæ impediunt, ut de usu moderno nihil solidi possimus docere. (8.) Abusus qvotidianus brocardici communis, qvod ea qvæ non abrogata sint per Leges & statuta Germaniæ, adhuc in viridi sint observantia, cùm tamen ii, qvi habitum interpretandi callent, facile cognoscant, multa per necessariam conseqventiam esse abrogata, nisi aperte velimus formare Jurisprudentiam hiulcam, aut miserrime claudicantem. Recordor, ut exemplo mentem meam declarem, qvod ante aliqvot annos ex amico, Illustris alicujus Collegii Juridici Assessore, in discursu familiari qvæsiverim, utrum pronuncient: condictioni causâ datâ causâ non secutâ adhuc hodie esse locum ex capite pœnitentiæ, aut etiam pœnitentiam in genere in contractibus innominatis esse concedendam antequam una pars aliqvid dederit vel fecerit? Cum autem ille responderet, eà de re non esse debere dubium, cùm nunqvam legibus Germaniæ hac parte aliqvid innovatum sit, regerebam;

rebam: Obstare axioma commune Juris Germanici, qvod pactum omne producat actionem; inde verò necessario seqvi: contractum innominatum, qvi Jure Romano ante dationem vel factum pro Pacto nudo habebatur, dare hodie contrahentibus ultro citroqve actionem, omnem pœnitentiam excludentem; ineptum vero insuper esse, condictionem causa data dare velle ex capite pœnitentiæ illi, qvi jam rem dederit, cum ante dationem in ipsius arbitrio non amplius fuerit, an vellet pœnitere. Qvamvis autem Amicus in sententia sua permaneret, & brocardicum memoratum adversus me urgeret, sensi tamen postea, magnum JCtum nostrorum temporum & nisi fallor, Illustrem Strykium in tractatu cautelarum istam sententiam meam approbasse. Alia multa ut jam taceam, qvibus de modo memoratis causis prolixius differere, & de singulis justum tractatum edere valerem, nisi angustia chartæ & temporis me prohiberet. Differendum igitur id erit ad aliam occasionem; & imò recordabuntur Juvenes optimi, qvi hactenus collegio privato in Pandectas interfuerunt, qvam non omiserim, datâ occasione subinde id præstare, & nævos istos diligenter cum causis & remediis proponere. Istâ methodo enim semper fui usus, ut præmisso brevi discursu de definitione ac divisione rerum, de quibus in singulis titulis tractatur, & inde oriundis actionibus, aut de axiomate notabili, postea disqvirerem, utrum doctrina Juris Romani utilitatem aliqvam in praxi fori Germanici locum sibi vindicaret? Ubi sæpissimè occasio se obtulit, de abusibus istis communibus in studio Jurisprudentiæ differendi. Pervenimus in dicto Collegio usqve ad libri 23. titulum de Ritu Nuptiarum, & cum multæ eæqve non leves rationes sint, qvæ mihi svadeant, ea qvæ in dicto collegio restant, publico discursu absolvere, volui præsenti Programmate iis qvorum interest propositum hoc meum notum facere. Fiet initium lectionum harum publicarum Deo dante futurô die Mercurii horâ matutinâ octavâ in loco consveto, & continuabuntur eædem singulis Mercurii & Saturni diebus, operamqve dabo, ut ante Festum Paschatos Anni seqventis easdem absolvere iisqve lectio-

nes

nes publicas in Jus Canonicum ſeu Eccleſiaſticum inchoare poſſim. Qvemadmodum autem Veſtram freqventiam, Juvenes dilectiſſimi, ut hactenus eandem mihi in lectionibus publicis moralibus exhibuiſtis, & adhuc exhibetis, ita & hic expecto, Vobisqve omnem induſtriam & perſpicuitatem, qvæ à fideli Doctore reqviritur, polliceor; ita eſt adhuc aliud qviddam, qvod Vobis publicè proponere juſſit humillimum, qvod OPTIMO PRINCIPI & ELECTORI NOSTRO & ego & Vos debemus, obſeqvium. Noſtis CLEMENTISSIMUM SERENISSIMI ELECTORIS AFFECTUM erga municipium hoc, & imò erga Vos qvi ſtudiorum gratia huc acceſſiſtis, qvo in id incumbit ſedulo PATER PATRIÆ, ut qvamprimùm præter ea, qvæ jam-dudum Vobis indulta ſunt, Privilegia non vulgaria, etiam communibus Univerſitatum aliarum Privilegiis Vos decorare poſſit. Sed juſſit interim jam Menſe Julio per publicum reſcriptum ELECTOR POTENTISSIMUS, ut, qvi beneficiorum horum participes eſſe velint, tam ii, qvi jam ſtudiorum gratiâ hic degunt, qvàm qvi impoſterum advenient, intra duarum hebdomadum ſpatium nomina ſua apud me profiteri, eaqve, matriculæ publicæ ut inſcribantur, curare debeant. Ac fecerunt qvidem id hactenus ſpontè non pauci ex ordine Veſtro, ſed ſunt tamen adhuc plures, qvi JUSSUI ELECTORALI nondum ſatisfecerunt, magis credo ignorantes voluntatem OPTIMI PRINCIPIS, qvàm qvod ſponte detractare obſeqvium & ſic BENEFICIORUM ELECTORALIUM indignos ſeſe voluerint reddere. Et violarem omninò optimam, qvam de Vobis ex merito Veſtro concepi, ſpem, ſi Vos, qvi hactenus, qvæ ſingularis Dei gratia eſt, per annum & ultra ita modeſtos & ad optima qvæqve paratos Vos exhibuiſtis, ut nullâ pœna & ne qvidem lege ullâ in Vos fuerit opus, ſuſpicarer, vel tantillum à ſubjectiſſima devotione, qvâ POTENTISSIMO DOMINO NOSTRO obſtricti eſtis, velle recedere. Qvin potius, ut Vobis paria reddam, ne qvidem Vos officii Veſtri admonebo, (qvid enim admonitione, opus eſſet penes eos, qvi officio ſuo ſatisfacere ma-

ximo conatu gestiunt?) sed contentus ero, hac occasione voluntatem PRINCIPIS SAPIENTISSIMI Vobis saltem indicasse. Valete P.P. Dominica XIV. post Trinit. Anno M. DC. XCI.



Vindiciæ solidæ sed modestæ
COROLLARII
Non ita pridem
Publice propositi,
De
Exiguo Pandectarum usu in Foris Germaniæ,
adversus objectiones & contumelias
PROGRAMMATIS CUJUSDAM WITTEBERGENSIS,
AD AUDITORES.

HONORATISSIMI COMMILITONES, FAUTORES DILECTISSIMI.



SEmestre spatium est supra Biennium ex qvo SERENISSIMUS & POTENTISSIMUS ELECTOR BRANDENBURGICUS, DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS de erigendâ in hoc municipio Universitate cogitans me huc præmisit, ut Lectionibus Philosophicis & Juridicis initium facerem, & illis, qvi ex Vestro ordine sub Tutamine & Pro-

& Protectione Electorali studiis hic operam dare, & subjectissimâ qvasi anticipatione Electoralem Clementiam provocare ulterius vellent, pro virili inservirem. Annuit Divinum Numen optimæ intentioni Optimi Principis Nostri, & à primo statim Lectionum mearum initio Favente Divinâ Clementiâ non contemnendus studiosorum numerus hûc se contulit, isqve successu temporis, præprimis cum posteà Pios & Sapientes Collegas nactus fuerim, in tantũ auctus est, & adhuc per Dei gratiam augetur, ut Academia nostra surgens ac stabilienda huc usqve Benedictione divinã luculentissimè senserit. Ego vero qvod in me fuit, in id incubui sedulò ac diligenter, ut lectionibus meis gloriam Dei autoris & protectoris veræ sapientiæ, tum utilitatem publicæ rei pro imbecillitate meâ promoverem, ac cum vana sit eruditio, si Juvenes iis doctrinis imbuantur, qvibus saltem inania fulciuntur litigia, & qvas in vitâ communi in usum deducere neqveunt, id curavi præprimis, ut in lectionibus qva publicis qva privatis VOBIS magnâ curâ ostenderem, qvomodo fastuosam & vanam eruditionem à solida illa & utili perspicuè secernere possitis. Atqve uti de lectionibus philosophicis eam intentionem satis exprimunt libelli mei typis publicis hîc impressi, ita qvod Jurisprudentiam attinet, præprimis Civilem & Justinianeam, operam dedi, ut VOBIS tum in Collegio super Institutionibus, tum in Lectionibus privatis pariter atqve publicis super Pandectis apertè ostenderem, qvam exiguum haberet usum Jus Justinianeum in Foris Germaniæ & qvomodo fundamenta praxeos ex cognitione Juris Germanici vulgo neglecta, ejusqve posteà collatione ad Jus Justinianeum, ex cathedris pedetentim in fora introductum, sint genuino Juris Studioso petenda. Locutus eâ de re qvædam fui publicè in programmate, qvo superiori anno Lectiones meas Publicas ad Pandectas intimavi, qvodqve propterea vindiciis hisce adjiciendum rursus putavi. In eo inter alia hæc verba posui; *evidentibus demonstrationibus doceri posse, vix vigesimam partem Pandectarum ad Praxin Fori Germanici posse accommodari.* Ulteriorem vero ejus rei declarationem alio differendam esse ibidem judicavi. Volui id expedire, cum non ita pridem Generosissimus

Do-

Dominus de FREYBERG, Eqves Anhaltinus, præsidium meum in disputatione publica expeteret, unde pro more meo ipsi aliqvot Argumenta futuræ disputationis proposui, interq; eas primo loco istã de Exiguo usu Pandectarũ Justiniani in Foris Germaniæ, simul svadens ut hanc tanqvam materiam Practicam præ cæteris eligeret. Qvoniam vero ipsi qvidem aliud argumentum, de Constantia & Inconstantia magis arrisit, id, qvod alias facere soleo, & hic observavi, ut reliqva argumenta à Domino respondente meo rejecta Corollariorum loco ad publicam disqvisitionem proponerem, Legitur inde sub finem præfatæ disputationis de Constantia Corollarium 1. ita conceptum. *Juris Justinianei est qvidem aliqvis, at valde exiguus usus in Foro Germaniæ, in tantum ut vix decima pars Pandectarum sit in viridi observantia.* Hoc corollarium si qvis cum modo memorato Programmatis asserto compareat, deprehendet, me longè mollius in hoc corrollario sententiam meam proposuisse, qvam in Programmate factum erat; cum ibi vix *vigesimam*, hic vix *decimam* partem earum, ibi ad Praxin Fori Germanici *accommodari* posse, hic *in viridi esse observantiâ* dixerim. Atqve non fuit qvisqvam, qvi adversus primum corollarium qvicqvam publicè urgeret, qvamvis municipium hoc multis egregiis Juris Consultis atqve Practicis abundet.

Nescio tamen qvo fato sit factum, ut innocens illa disputatio mox in vicinis Academiis absqve merito satis inhumaniter tractata fuerit. Curo regulariter disputationes meas, qvatuor, qvinqve aut sex diebus ante actum disputatorium distribui, ut eo minorem conqverendi occasionem habeant ii, qvi de veritate thesium mecum conferre volunt, qvod non in tempore illas cum cura perlegere potuerint. Atqve ita factum est, ut aliqvot diebus ante actum typographus qvædam exemplaria etiam Lipsiam ob vicinitatem mitteret. Ibi vero Concionator qvidam, qvem, (ut loqvitur Conringius in Præfatione ad Paradoxa de Nummis Hebræorum,) Johannis & Benedicti nomina debuissent ad modestiam & bona verba componere, pridie anteqvam disputatio mea hic haberetur, nescio qvo æstu aut turbine actus pro concione ad populum summâ injuriâ me Nicolaitis aggregavit, & ex penultimâ

nultimâ thesi disputationis meæ verba qvædam innocentissima, ac si ea sententiæ Nicolaitarum de communione uxorum faverent, impudentissimè adduxit, simulqve populo promisit, se in proximè secuturâ concione fusius calumniam illam deducturum esse. Fidem tamen populo publicè datam, eo, ut naturaliter fieri solet, condicto tempore magnâ cum freqventiâ comparente, publicè qvoqve violavit, impudentiore silentio mendacium qvod ante octiduum publicè evomuerat, iterum deglutiens, & in conspectu totius Ecclesiæ gregi suo pessimum præbens scandalum, calumniandi impunè proximum, àc in notorio crimine sine pœnitentiâ & restitutione famæ, (sine qvibus tamen ex regulis Christianæ religionis non debet peccator ejusmodi apertus ad Communionem Sanctorum admitti,) absqve rubore pertinaciter permanendi. Cui adeò ut verbulum reponam, nulla ratio postulare videtur.

Redeamus potius ad Corollarium nostrum. Huic in Wittebergensi Academiâ lis mota est, & satis turpiter qvidem, postqvam Nonnemo, in Programmate, ipso, qvod mireris, SS. Angelorum festo publicè proposito, id parum sanâ mente aggressus est, perpetuo novatoris convitio me exagitans, ut ex ignorantiæ capite in integrum restitutionem peterem mihi consulens, nec non helleborum & Anticyras commemorans, aliaqve multa adjiciens, qvæ ubiqve impotentem hominis animum satis evidenter declarant. Fuerunt eqvidem nonnulli, qvi mihi suggererent, majores insidias sub isto latere programmate, aliumqve subesse machinæ illius hydraulicæ directorem post carecta latitantem, juberentqve ut singulas facti circumstantias probè perpenderem. Propositum scilicet fuisse illud hoc demum tempore, adversus hoc demum corollarium, Wittebergæ, à subdito POTENTISSIMI ELECTORIS MEI, Cive Halensi, Juvene adhuc & vix atrium Praxeos ingresso. Verum uti commune hoc est vitium hominum nimis sincerorum, ut ad excessum usqve suspicionibus sint vacui, ita & ego imbecillitatem meam confiteor, qvod contraria mihi videlicet omnia persvaserim, & soli

petulantiæ Juvenis ac pruritui illud programma adſcripſerim. Qvinimo, etſi vel maximè falli deberem, credo tamen programma illud ſine cenſura Facultatis Juridicæ Wittebergenſis publicis typis fuiſſe mandatum. Qvis enim crederet, Magnificum Dominum Ordinarium, cui hucusqve omnigenum cultus genus qvâcunqve datâ occaſione exhibui, qviqve apud omnes ſingulariſſimum humanitatis encomium meritus eſt, cenſurâ ſuâ approbaturum vel ſaltem permiſſurum fuiſſe, ut futuro collegæ ſuo, longè qvidem meritis, autoritate, & ſvaviloqventia Ipſi inferiori, ſed collegæ tamen, Autor programmatis absqve ullâ ratione tam petulanter inſultaret? De reliqvis Profeſſoribus eadem me ſperare jubent ſingularis amicitia & favor, qvem multis argumentis hactenus fui expertus. Qvicqvid tamen hujus ſit, cum veritas aſſerti mei & veſtra, *Commilitones Optimi*, utilitas vindicias aliqvas efflagitaverint, eas illâ moderatione expediam, ut & Autor programmatis ad meliorem mentem ducatur ac in amicitiam mecum redire qveat, qvod præter alia exiſtimationi, qvâ ob ſingularem eruditionem Ampliſſimum ejus Patrem veneror atqve amicitiæ Academicæ, qvæ mihi olim cum uno ex Conſultiſſimis ejus fratribus interceſſit, debeo; tum &, ut inſidiator qvoqve, ſi fortè qvispiam ſub ipſius larvâ lateat, ſentiat, non deeſſe ingenuo homini, veritatem unicè amanti, honeſta media, qvasvis fallacias cum rubore inimicorum ſuorum eludendi. Faxit Deus feliciter.

Qvanto ſplendore, incipit Antagoniſta meus, *Jus Romanum cætera jura antecedat, qvantusqve prudentiæ longè lateqve diffuſæ apparatus in eo abſtruſus ſit, ſine meo præconio unicuiqve notum erit, cui præcepta hujus juris ſeriò indagare ac penetrare ad ejus adyta animus unqvam conſiliumqꝫ fuit. Perfectiſſimam*

com-

compagem prudentiæ totius orbis esse omnes benigni censores rerum ac æstimatores æqvi mecum fatebuntur. Qvæcunqve enim moratiores populi sanxisse unqvam sapienter aut statuisse salubriter feruntur, hic qvasi in compendio oculis legentium se sistunt, unumqvemqve in stuporem & summam admirationem rapiunt. Possem encomia hæc Juris Romani, qvæ Antagonista ex Locis suis communibus consarcinavit, tuto præterire, cum, ut mox probaturus sum, ea omnia ne tantillum qvidem ad veritatem corollarii mei infringendam faciant. Sed permittet tamen mihi, credo, libertatem, qvâ adversus me usus est, ut nonnulla etiam ad hæc præambula adnotem, saltem ad melius intelligendum controversiæ statum aliqvid conductura. De Jure Justinianeo conceptum fuit corollarium meum. Atqvi inter hoc & Jus Romanum ea intercedit differentia, qvæ inter totum est & partem, aut, si mavis, inter genus & speciem. Hæc verò perpetuo miscuit Antagonista meus. Unde operam dabimus, ut eadem distingvamus sedulo. Non contemno Jus Romanum, sed laudem qvam meretur ipsi tribuo; sed propterea tamen non possum adigere animum meum, ut credat, *Jus Romanum*, sive Istud qvod ante Justinianum fuit, sive Justinianeum intelligas, *cætera jura aliorum populorum antecellere.* Præfero ipsi Jus Hebræorum, Jus Græcorum, Jus antiqvorum Germanorum. Illud, qvoniam à DEO ortum; istud, qvoniam à prudentissimis Legislatoribus ad statum Reipublicæ ex regulis prudentiæ legislatoriæ accommodatum, non contra regulas Politicas ab aliis populis emendicatum fuit; hoc, qvoniam subtilitates Juris Romani ad turbandam unionem populi Romani excogitatas ignorat, ac simplicitate pariter ac æqvitate sua Jus Romanum multis modis superat. Qvâ igitur fronte aut qvâ autoritate Antagonista, *Jus Romanum*

perfectissimum compagem prudentiæ totius orbis esse, asserere non erubuit, eâdem ego sed melioribus rationibus suffultus idem magnâ fiduciâ pernego. Continent Leges duodecim Tabularum multa egregiè bona, sed nævos tamen, ut alibi ostendi, etiâm habuerunt, qvi magnas turbas in Rep. excitarunt. Formulas Juris seu legis actiones astutia Patrum peperit omni æqvitate destituta, & libertati plebis dolosas struens insidias. In responsis prudentum e. g. Papinianum titulos omnes meritis suis antegressum, sed hominem tamen, non æqvis passibus secuti sunt Ulpianus & Paulus, ille ob nimium æqvitatis studium aliqvando æqvitate aliqva cerebrinâ deceptus, hic in obscuritate & summo rigore juris gloriam captans; uterqve tamen judicio multis parasangis antecellens Cajum nostrum, unde totius legitimæ scientiæ elementa absqve judicio exscripsit Tribonianus. De cujus adeò compilatione plura non dicam, utrum pro perfectissimâ compage prudentiæ totius orbis haberi debeat, ne, si veritatem prout par foret exprimam, stomachum nimis moveam nostris, nimis adhuc ollepatritis istis Tribonianeis (ignoscite, qvod barbaram rem barbaro vocabulo significem) adsvetis. Id vero nimis impudenter ab Antagonistâ scribitur, in Jure Romano Compendium exhiberi eorum, *qvæ moratiores populi sanxisse unqvam sapienter aut statuisse salubriter feruntur.* Etenim non aliorum, qvàm Græcorum in seqventibus ipse meminit, nec aliorum meminisse potest. An ergo soli Græci moratiores populi unqvam fuerunt? An aliorum moratiorum populorum leges & tradita à Romanis in compendium redacta? An fortè Antagonista noster ignorat, qvid sint populi moratiores? & qvo fastu Græci, post hos Romani, & ita de cæteris, titulum hunc cum injuria reliqvorum sibi solis vindicaverint? Cui de cætero facile largior, qvæ in verbis ultimis de *stupore* suo & *admiratione summa* addit, si modo illud duobus addidero verbis: miros mirari, & admirationem esse ignorantiæ filiam.

Sanè Laconum ῥήτρας tersas ac concinnas, ita pergit noster Romani juris Encomiastes, *graves & sublimes sententias Solonis, & quæ Charondas ac Zaleucus deniqve exqvisitissimo judicio in usum Cathinensium Locrensiumqve promulgarunt, præclaro admodum fulgore passim hic nitere ac renitere vides*. vid. Speckhahn Cent. Miscell. 3. c. 4. qv. 13. *Hæc enim fontes sunt, & scaturigines uberrimæ ex qvibus jus Romanum promanavit*, vid. Illustris Dn. Stryk. in præcogn. Jur. Civil. c. 1. §. 6. *illudqve tanqvam aurum ex scoriis collectum, nil nisi qvod conveniat cum summa ratione continet*. Vid. Anton. Cont. Lect. jur. c. 9. *Qvo ipso profecto factum effectumqve est, qvin jus Romanum omnibus cunctorum populorum juribus palmam hactenus non præripuerit*. Vid. Petr. Peck. ad cap. 28. de Reg. Jur. in 6. *nec non in omnibus provinciis tàm magnam obtinuerit autoritatem, ut adhuc hodiè omnes ferè Europæ nationes illud ceu Palladium cœlitus demissum adorent atqve venerentur*. Vid. Arthurus Duck. de Usu & Author. Jur. Rom. c. 2. Hic initio quidem nemo infitias ibit, *Jus Romanum ex Græcorum Legibus esse collectum*, postqvam id Livius, Dionysius Halicarnasseus, &, qvi Advocato nostro minimum notus esse debuisset, Pomponius, satis perspi-

cuè & distinctè commemorarunt, ut adeo non habuisset opus, ad hujus asserti probationem Spekhahnium qvendam producere. Sed ex legibus Græcorum Jus Romanum *tanqvam aurum ex scoriis esse collectum* nemo credet. Multas scorias Jus Ante-Justinianeum continet; ad Justinianeum meliori credo jure applicui in programmate adjecto proverbium aliud; *colligere aurum ex stercore Ennii.* Porrò fateor, satis ratione suâ constare Antejustinianeum; *nil nisi, qvod cum summâ conveniat, idem continere*, hactenus nullus Admirator juris illius probatum dedit. Multa vero irrationabilia ut Jus Justinianeum contineat, exinde necesse est, qvia multa continet contradictoria, ut alias rationes jam taceam. Nec facile ineptiorem Advocatum leges Romanæ nancisci potuissent, qvàm Jacobum Mæstertium, qvi in libris suis de Justitiâ Legum Romanarum tantas absurditates, rationi rectæ & ipsis evidentissimis Legibus Romanis adversas defendit, ut Lauream hic mereri possit Advocatus noster, si meliori successu defensionem legum Romanarum haud gravatim suscipere, & singula Mæstertii momenta velit reassumere. Ad repetitam hic *de prærogativâ Juris Romani præ reliqvis juribus omnibus* assertionem, jam in §. præced. respondimus. Ultimum autem nollem excidisset Antagonistæ meo: *adhuc hodie omnes fere Europæ nationes Jus Romanum ceu Palladium cælitus demissum adorare & venerari.* Debuisset sane meminisse, se Wittebergæ hæc scribere, ubi merito ipsi timendum erit, ne ob putidam hanc & idololatricam propositionem spiritualem incurrat inqvisitionem. Et sanè nescio, an indignior thesis homini Christiano excogitari possit, qvam ista, qvæ adeo fere impossibile est ut alii JCto ante nostrum Antagonistam potuerit excidere. In Arthuri Duckii certe cap. 2. libri 1. (qvorsum haud dubiè in allegatione suâ respicit) eam invenire non potui. At, dum eam qværo, aliud qvid invenio, qvod non qværebam, qvam eleganter nempe Antagonista noster Arthurum Duckium exscribere, & qva fiducia JCtis alienam mentem effingere didicerit, qvod Vobis, *Auditores suavissimi*, communicabo, ut modos ejusmodi sapientibus Viris semper impro-

batos eo cautius discatis evitare. Igitur seqventia *ex Duckio lib. 1. c. 2. §. 5. p. 27. & 29.* excerpemus. *Libros nostros Justinianæos velut salvas ex magno naufragio tabulas religiosissime semper colimus, qvando nihil hodie melius habemus, ad cujus exemplar nostras Respublicas instituamus & gubernemus.* Ant. Contius Lect. jur. c. 9. *Inter Leges omnium Gentium nulla reperitur magis justa & rationi consentanea, qvam lex, qvæ est in libris Juris Romani.* L. Chorandas respons. du droit Franc. lib. 3. resp. 81. *Leges Romanorum superant leges omnium gentium, qvæ continent omnia præcepta de officiis civilibus & Judiciis. In qvibus nihil qvod ad statum politiæ cujuscunqve pertinet, desiderari possit.* Gvil. Terrienus du droit Civil. de Normand. lib. 1. c. 3. &c. *Ita justum & æqvum visum est omnibus jus Romanum, ut, qvi Romanis legibus non tenentur, illud tamen tanqvam æqvitati naturali maximè consentaneum libenter seqvantur, & suas leges per has interpretentur.* Petrus Peckius ad c. 28. de R. I. in 6. *Jus Romanum est supremum & eminentissimum, plenum humanitatis æqvitatisqve, tot jam annis unanimi consensu receptum.* Dionys. Gothofredus in prax. rer. Civil. l. 2. tit. 1. *Jus Civile Romanum legum sanctitate & disciplina exterarum Gentium omnium legibus & institutis præponderat, omniaqve Populorum jura & mores in se comprehendit.* Ernest. Cothmann. resp. 40. n. 52. Si jam hæc excerpta cum programmate Antagonistæ mei, conferatis, ô Mei, deprehendetis 1. nunqvam in mentem venisse Antonio Contio, quæ eidem affingit noster, sed potius absurdam istam sententiam magis convenire dicto L. Charondæ, qvamvis & eandem noster satis audaci interpolatione fœdaverit. Et vereor ut plane ad intentionem & Nostri & Duckii faciat Antonius Contius, utpote qvi *lib. 1. Lect. subsec. integro c. 9.* (ad qvod in allegatis respexit Duckius) parum gloriose & de Triboniano, & de Justiniano ejusqve compilatione loqvitur. Observabitis 2. nec Petrum Peckium ea dixisse qvæ eidem Noster affingit; 3. Guil. Terrieno eum debere satis absurdum assertum §. præcedente notatum, Jus Romanum esse perfectissimam compagem prudentiæ totius orbis, & 4. Cothmanno, qvod comprehendat omnes populorum moratiorum leges. &c. Sed transeant ista

cum

cum cæteris erroribus. Præludia enim hæc fuerunt hactenus, nunc justa pugna incipit.

Qvanqvam autem, inqvit, *hæc omnia ita se habeant, & jus Romanum non tantum admiranda prudentiâ, justitiâ ac æqvitate, sed & incomparabili autoritate fulgeat; nihilo minus tamen, cum in hoc mundo qvot capita tot sensus sint, & plures mortalium magis suo genio qvam veritati indulgeant, qvod optimis rebus qvotidie accidere videmus, ut aliis placeant, aliis vero displiceant, id fatum qvoqve juri nostro contingit. Culpatur, corroditur ac reprehenditur; imo sunt novatores aliqvi, qvi usum ejus in Germaniâ tam parvum exiguumqve esse autumant, ut* VIX PARS PANDECTARUM DECIMA IN VIRIDI OBSERVANTIA CONSISTAT. Possem hic pro Novatoris convicio multis modis exercere hominem, qvi heri aut nudius tertius in Forum properavit, & cujus animus adhuc qvantus qvantus est, Locis Communibus & MSS. Præceptorum suorum est incarceratus. Sed condonabo Juvenili calori excessum istum, & saltem ostendam, qvam male cohæreant istæ Juris Romani laudes cum qvæstione, qvæ in corollario meo ventilatur. Demus homini, Jus Romanum mereri omnes illos titulos, qvos magno cum labore in chartam conjecit, & ex Duckio compilavit, hoc tamen non obstante *vix Decima pars Pandectarum in Foris Germaniæ usu recepta esse poterit*. Sane si Jus Romanum illa prædicata jure obtinet, obtinuit etiam, anteqvam Germania qvicqvam de Legibus

gibus Romanis cogitaret. Et ergo si tum non obstante illa admiranda & stupendâ prudentiâ, justitiâ, ac æqvitate Juris Romani in Foris Germaniæ viguit, neqve hodie ejus præstantiæ qvicqvam decedet, si ibidem vix decima pars Pandectarum sit in viridi observantia. *Qvot capita, tot sensus*, inqvit noster. Ego: qvot respublicæ tot variantes earum fines & utilitates, tot adeò jura diversa, qvæ in bene constitutis Rebuspublicis ex utilitate earundem originem sumunt. Ergò condonabimus & hunc errorem Advocato nostro, qvi forte præfaminis saltem loco locis illis communibus de præstantia juris Romani voluit uti, ad id fortè inservituris, ut benevolentiam lectoris iis captet. Fortè meliores rationes afferet in seqventibus cur impiam illam sententiam meam non potuerit concoqvere.

De horum sententiâ si, qvod res est, ingenuè fateri debeam, ut contrà illam ex ignorantiæ capite in integrum restitutionem peterent, certè iis seriò svaderem. Nam qvanta vis per hoc assertum experientiæ qvotidianæ ac veritati inferatur, helleboro curandus & ad Anticyras mittendus est, qvi non advertit statim. Habetis *Auditores*, illa rationum pondera, qvibus corollarium aggreditur Hercules iste Wittebergensis, qvibus ut vestrum assensum præbeatis serio suadeo, ne Vobis mecum ad Anticyras eundum aut inamœno illo helleboro cerebrum purgandum sit. Sed ne expectetis à me similia convitia adversus eundem. Iratus fuit, ut videtis, & Anticyras, helleborum ac ignorantiam locutus est, ut me sibi similem redderet. Non vero me decet, ut ipsius gratia insaniam, & VOBIS, qvibus nunc Senecæ libros de Irâ publicè expono, malo exemplo & doctrinæ meæ adverso scandalum præbeam. Qvin potius contemnendo ista, qvæ extra me sunt, in vestram saltem gratiam pauca qvædam hic annotare non pigebit.

bit. Nec Jure Consultus, nec ullus homo prudens, debet facile Consilium suum alteri obtrudere non rogatus, si vero Consilium alteri dare velit, operam dabit, ut ne consilium sit apertè ineptum. Unde revera ad prostitutiones in integrum pertinet, dum Antagonista mihi consulit, ut ex capite ignorantiæ in integrum restitutionem petam, cum aperti juris sit, ex capite ignorantiæ nullam dari restitutionem in integrum, unde sententia qvorundam ex JCtis, qvi, miscentes præscriptionem, qvatenus Juris Gentium est, cum præscriptione Juris civilis, restitutionem aliqvam ex capite ignorantiæ finxerunt, satis evidenter ad errores Pragmaticorum referenda est, utpote omnia fundamenta juris de præscriptione destruens. Deinde occasione hellebori & Anticyrarum non injucundum erit vobis narrare historiam de Democrito. Democritum ajunt nunqvam sine risu in publico fuisse, adeò nihil illi videbatur serium eorum qvæ seriò gerebantur. Hunc populares Abderitæ insanire arbitrantes scripsere ad Hippocratem ut veniret & eum ab insania liberaret. His autem inter alia utuntur verbis. *Democritus præ multâ, qvæ detinet ipsum sapientia ægrotat, ut timor non vulgaris sit, si Democritus mente motus fuerit, revera urbem nostram Abderitarum pessum ituram esse. Etenim oblitus omnium, & primum sui ipsius, vigilans & noctu & interdiu & singula parva ac magna deridens, & totam vitam nihil esse putans, vitam transigit. Ducit aliqvis uxorem, alius mercaturam exercet, alius concionatur, alius imperat, alius legatum agit, eligitur, abrogatur, ægrotat, vulneratur, moritur. At hic ridet omnia, dum alios mœstos ac tristes, alios gaudentes videt. Qvin & de his, qvæ apud inferos, sunt hic vir perscrutatur, & hæc scribit. Et idolis aerem plenum esse dicit. Et volucrum voces intentis auribus explorat. Et sæpè noctu exurgens solus, cantilenas scorsim canenti similis est. Et se aliqvando in rerum immensitatem proficisci dicit, & Democritos esse similes sibi ipsi innumerabiles. Et corpus una cum mente corrumpens vivit. Hæc timemus, ô Hippocrates, ob hæc perturbati sumus.* Gratulabantur sibi porro Abderitæ, qvod non ita sapientiæ operam dedissent, ut Democritus. *Heu*. inqviunt, *ut etiam bona redundantia morbi existunt.*

Qvan-

Qvantum enim Democritus ad summam sapientiam generose pervenit, tantum nunc pariter periclitatur, ne mentis stupore & stoliditate affligatur. At reliqvum vulgus Abderitarum, qvod mansit absqve eruditione, communem sanè sensum habet. Imò nunc prudentiores sunt ad sapientis morbum judicandum, qvi prius desipuerant. Venit Hippocrates, ac à populo Abderitano ad Democritum deductus ipse qvomodo eum invenerit ad Demagetum scribit: *Sedebat Democritus sub ampla ac humillima platano in veste crassa citra humeros desinente solus, discalceatus super lapidea sede, valde pallidus ac macilentus, promissâ barbâ. Juxta ipsum vero à dextera tenuis aqva per declivem collem decurrens leniter resonabat. Erat autem delubrum qvoddam super illum collem, qvantum eqvidem conjecturâ asseqvor, Nymphis dicatum, sponte enatis vitibus circumdatum. Ipse vero cum multo ornatu super genibus librum habebat. Sed & alii qvidam ex utraqve parte adjacebant, accumulata etiam erant animalia multa per totum resecta. Et ipse aliqvando concitate incumbens scribebat, aliqvando qviescebat diu multumqve se continens & in seipso meditans. Deinde non longe post his peractis surgens deambulabat, & viscera animalium inspiciebat & depositis ipsis digressus rursus desidebat. At Abderitæ circumstantes me tristes & non procul à lacrymantibus oculos habentes: Vides, inqviunt, Hippocrates Democriti vitam, qvam insanit, & neqve qvod vult novit, neqve qvod facit? Et qvidam ex ipsis adhuc amplius ostendere volens ipsius insaniam, alta voce ploravit instar mulieris ob filii mortem lamentantis. Deinde rursus cum gemitu ejulavit personam agens viatoris, qvi aliqvid ex his qvæ portavit amisit. Verum Democritus cum hæc audisset; partim ridebat, partim cachinnis explodebat, & nihil amplius scribebat. Caput autem freqventer concutiebat.* Sed postqvam Hippocrates ad Democritum descendisset, & in causam insaniæ ejus inqvirere volens deprehendisset, Democritum esse virum sapientissimum, abiit, & Abderitas Helleborô dignos, Democritum vero sapientem prædicavit. Huc pertinent verba finalia in dicta ad Damagetum Epistola: *Ego ad Abderitas in specula me expectantes: Viri, inqvam, pro legatione vestra ad me magna sit vobis gratia; Vidi enim Democritum virum sapientissimum, qvi*

ſolus potentiſſimus eſt, homines prudentes facere. Inde poſtea Democritus ad Hippocratem inter alia: *Acceſſiſti ad nos velut inſanos, ô Hippocrates, Helleborum nobis daturus, perſvaſus à viris ſtolidis apud qvos labor virtutis inſania judicatur. Oportebat igitur te, ô Hippocrates, cum viris ejusmodi moribus minimè congredi ac converſari, qvorum mens ſuperficiaria ac inconſtans eſt. Si enim ab illis perſvaſus mihi velut inſano Helleborum bibendum dediſſes, prudentia inſania facta fuiſſet, & artem tuam reprehendiſſent, qvæ inſaniæ fuiſſet cauſa. Arbitror eqvidem, ſi non deprehendiſſes me ſcribentem, verùm recumbentem, aut fortè deambulantem, & mecum colloqventem, & nunc qvidem indignantem, nunc vero ridentem, ob ea qvæ mente revolvam, & familiaribus me alloqventibus non attendentem, ſed cogitationi inſtantem, & mirum in modum ſpeculantem: putaſſes ſanè Democritum juxta oculorum judicium ex his qvæ vidiſſes, inſaniæ imaginem præ ſe ferre.* Et reſpondens ad iſta Hippocrates: *Inductus eqvidem ſum ô Democrite, velut inſanienti Helleborum daturus, non perſcrutatus qvalis qvis tandem eſſes. Ubiverò tecum congreſſus cognovi, non per Jovem deſipientiæ opus, ſed fermè omni laude ac commendatione dignum, valde laudavi naturam tuam, optimumqve naturæ ac mundi interpretem te judicavi. Eos verò, qui me induxerunt ad te, velut inſanientes reprehendi, nam ipſi medicamento opus habebant.* Sed qvorſum hæc prolixior narratio de Democrito? Puto non omninò alienam à præſenti negotio eam eſſe, & adeò eandem ulteriori veſtræ meditationi, *Auditores*, relinqvo, ac ut generale veut axioma commendo, plerumqve indicium malæ cauſæ eſſe, ſi in Diſputationibus eruditi de Helleboro loqvantur, & ſæpe hac medicina dignos, qvi illam aliis intempeſtivo conſiliô commendant.

Qvamvis autem hic non opus habeam, prolixa corollarii mei vel declaratione vel probatione, cùm Deo volente ſuo tempore hæc omnia publicè fuſius deducturus ſim, in Veſtrum tamen uſum paucis declarabo, quid hic loci notet phraſis, *Eſſe in viridi obſervantia.* Id qvidem natura vocis oſtendit, eas leges dici in viridi obſervantia eſſe, qvæ ſæpè in Repupl. & ferè qvotidie ad facta obvenientia accommodari poſſunt; Nam qvarum

uſus

usus in seculo semel aut bis occurrit, eas leges, etsi non sint abrogatæ, in viridi tamen observantia esse qvis diceret? Deinde duplici sensu lex aliqva poterit dici, non esse in viridi observantia. 1. Si lex illa haud dubiè lata aut in Republ. recepta, postea autem non usu populi, in desvetudinem abierit, ut rarissime ejus amplius utilitas obveniat. Solet eqvidem inter brocardica Jure-Consultorum referri: Solum non usum leges non abrogare, sed usum contrarium; aliud tamen haud dubie est legis abrogatio, aliud legis desvetudo, aut, si hanc differentiam admittere nolis ob verba fin. l. 32. de legibus, licebit mihi majori Jure argumentô dictorum verborum, & imò argumentô omnium Principiorum Politicorum brocardicum illud falsitatis eodem Jure arguere, qvô alibi aliud brocardicum à Triboniano in Pandectas relatum; Beneficia Principis latè esse accipienda, omni exemplo destitui asserui. 2. Poterit etiam dici, jus aliqvod non esse in viridi observantia, qvod receptum non est, aut, si ex complexu variarum legum qvædam receptæ sint, qvædam minus, & receptio consvetudini magis qvàm sanctióni ortum debeat, sanè iterum eæ leges, qvæ in viridi observantia non sunt, pro non receptis erunt habendæ, & qvæ nullum usum habeant. Pro qvibus adeò frustrà qvis afferret alium canonem: præsumi vigere qvod non abrogatum est; Cum ille qvidem canon præsupponat leges, de qvarum observantia, qvod olim receptæ fuerint, certò constat. Qvare sententia mea summatim hæc est: non adeò multa capita juris Romani, sed NB. qva civilis, & qva præter regulas communes Juris naturalis, (cujus fundamenta in Philosophia ponenda sunt, anteqvam ad Jurisprudentiam progrediatur studiosus,) ex arbitrio mero Imperantium ortum ducit, qva itidem à Jure Germanico; qvod ante receptionem Juris Romani in usu fuit, discrepat, hodie esse in viridi observantia: vel qvod planè non sint recepta, vel qvod, si recepta sint, vix tamen in seculo unicus eorundem casus ostendi possit. Præprimis autem ex Jure Justinianæo de Pandectis hæc assertio mea vera est, qvoniam illæ vel maxime jus obsoletum & jam tempore Justiniani in multis par-

tibus antiqvatum, continent. Unde non solùm si qvis Pandectarum titulos percurrere absqve præjudicio velit, vix decimam partem earum in viridi observantia esse deprehendet, sed, ut in Programmate asserueram, vix vigesimam. Monstravi id vobis ad oculum præcedenti anno, cum Pandectas vobis partim privatim, partim publicè prælegerem, ut adeò & veritas & experientia qvotidiana evidenter pro meis stet partibus. Videamus igitur qvid præter convicia nobis opponere pergat Antoginista.

Haud eqvidem refragor, inqvit. *nec ullus qvi versatur in rerum argumentis, perperam refragabitur, non pauca esse, qvæ, Jure nostro magno cum industria statuta, Germanorum moribus aut recepta nunqvam, aut, si recepta judiciorum stylo rejecta iterum ac reprobata sint. Adhæc nec qvisqvam diffitebitur, qvi Juris, qvod in foro viget, non penitus ignarus est, qvod Jus Romanum, ante multa secula Romanis datum, & à nostratibus tantummodo in genere consideratum, multa contineat in specie, qvæ Romanæ magis qvam nostris* Rebusp. *conveniunt, & à qvibus ea propter sæpius nostrorum morum simplicitas abhorret; nihilo secius tamen vix partem Pandectarum decimam hodie in Germania amplius florere catachresis est, qvæ cum experientia ac veritate pugnat, & neutiqvam cum illa conciliari potest.* Videtis Auditores contradicere qvidem mihi egregiè Antagonistam, &

tavto-

tavtologiarum satis esse peritum artificem, sed ratio contradictionis in his qvidem verbis nulla adhuc apparet, qvin potius solenniter acceptamus, fateri nostrum, non pauca, i. e. multa ex Jure Romano Germanorum moribus non esse recepta, aut stylo judiciorum rursus rejecta; (qvamqvam hoc posterius ego qvidem dicere nollem,) acceptamus iterum, Jus Romanum multa continere, à qvibus nostrorum morum simplicitas abhorret; Qvid ergò clamat, qvid Helleborum, aut si in potestate ejus esset, lapides loqvitur? Scilicet & minutiæ ipsi curæ sunt. Pars decima Pandectarum est, qvæ ipsum urit & torqvet. Qvare si fieri potest, à præjudicio liberemus ipsum, atqve monstremus. qvod neqvaqvam rationi & experientiæ sit adversum, qvod vix decima Pandectarum pars non sit in viridi observantiâ, simulqve fontes errorum ejus commonstremus.

Sanè, inqvit, *dicasteria ac tribunalia longè aliter testantur, in qvibus semper Jus secundum Jus Civile dicitur, nisi probetur contraria observantia ac consvetudo, & qvi in foro ad* Roma*norum Leges provocat, sive illæ in Pandectis sive alibi contineantur, iis sane obtinet, nisi probetur, aliud sæpius fuisse observatum. Nam leges tamdiu stare præsumuntur, qvam diu non probatur earum abrogatio l. 27. C. de testam. nec temerè ab iis recedendum, nec facile qvid adscribendum desvetudini. Multa enim in judiciis non freqventantur usu, qvia ignorantur, & non exiguam peritiæ ac eruditionis laudem merentur Advocati, si legem aliàs non observatam in*

in usum forumq; revocare possunt, cui observantia contraria non obstet, vide Dn. Schilt. Exercit. 1. th. 10. Hic qvidem satis apertè prodit, qvod immemor eorum fuerit, qvæ in præcedentibus ipsemet nobis concesserat, nempe: multa Juris Romani capita in Germania non esse recepta, & adeo de exiguo usu Juris Romani in Germania non ex capite abrogationis, sed ex momento non factæ receptionis judicandum esse. Qvare parum aptè ad firmandum assertum suum canonem illum applicat, qvod leges tamdiu stare præsumantur, qvamdiu non probetur earum abrogatio. Et nos adeò meliori jure alium canonem ei opponimus, non qvidem in lege aliqva Juris Justinianæi repetitum, sed fundatum tamen in communibus rationis humanæ principiis: Leges alterius populi tamdiu pro non receptis habendas esse, donec probetur earum receptio. Unde nihil ad rem pertinet, qvod noster subjecit de laude Advocati, si legem aliàs non observatam in usum revocare possit, cui observantia contraria non obstet. Etenim si de lege jam in Germania recepta loqvitur, non adeò magnâ laus Advocato tribuenda est, qxod oblato à partibus casu jus receptum applicet. Sin lex Romana non est recepta in Germania, Advocati non est, per suam allegationem facere, ut Jus Romanum in usum recipiatur, & imprudens judex foret, qvi hanc advocati imprudentis allegationem in sententia seqveretur. Video eqvidem, qvod Antagonista meus & hic & inseqventibus fidentèr nimis asserat, receptum utiqve esse Jus Romanum in Germania, in tantum, ut Judices obstricti sint secundum illud pronunciare, nisi contraria observantia probetur. Ex qvo asserto putat satis fortiter impugnari posse thesin meam, cùm hoc modo sane Jus Romanum in Germania regulæ vicem obtineret, consvetudines Germanorum contra pro exceptionibus ab ista regula habendæ sint; ridiculum autem fore, si qvis asserere ausit, regulam cum parte decima aut vix decima, exceptiones con-

contra cum novem decimis partibus esse comparandas. Sed oblitus fuit iterum, qvæ in præcedentibus dixerat, de non receptis in universum multis capitibus Juris Romani. Qva fronte igitur, ac qvo pudore Advocatus noster jam asserit, semper aut regulariter in judiciis secundum jus civile pronunciari debere? Deinde nec illud in universum pro absurdo habendum est, qvod exceptio, successu videlicet temporis, tantam partem absumat, ut regulæ, h. e. juri communi vix decima pars relingvatur. Fingamus enim secundum nostrum, Jus Romanum hodie ut plurimum observari, sanè non negare poterit idem, qvod Jus hoc Romanum pedetentim in fora Germaniæ introductum sit, ac olim intuitu Juris Romani nunc recepti exceptionis à regula partes sustinuerit. Qvare vel ex ejus hypothesi successu temporis exceptio ista in tantum crevisset, ut regulæ antiqvæ vix pars decima fuerit relicta. Sed non opus est, ut eò descendamus, cùm falsissimum sit postulatum illud nostri: pronunciandum esse in foro Germaniæ regulariter secundum Jus Romanum, nisi ab eo, qvi ad contrariam observantiam provocat, eadem probetur. Ridebit haud dubiè Antagonista meus, meam hanc positionem, sed ridere mox desinet, si ipsi evidentissimè ostendero, me nihil aliud hic docere, qvam qvod evidenter satis & accuratè demonstravit Excellentissimus Strykius. Cujus adeò summam ex discursu præliminari specimini usus moderni Pandectarum præmisso addere non pigebit. I. Postqvam Carolus M. Rex Francorum Saxones devicisset, & verò ob multas rationes provincias Saxonibus subjectas una cum ipsa Saxonia non ita, ut reliqvas Germaniæ provincias, regno Franciæ incorporasset, sed ampliore qvadam libertatis specie Saxonibus relicta eos in Jura populi Francici adscivisset, unamqve velut gentem cum Francis voluisset esse; (*Vide Monzambanum Cap. I. §. 8. & ibi Commentatores*) factum inde fuit, ut & Saxones in signum hujus libertatis peculiari qvoqve Jure & Legibus à Francorum lege aliqvatenus diversis uterentur, & postea hac occasione Germania in duos Palatinatus, (unde adhuc hodie Vicarii duo Imperii ortum trahunt,) seu partes distribue-

bueretur, Germaniam ſuperiorem, in qva Jus Francicum, & Inferiorem, in qva Jus Saxonicum ſibi locum vindicavit, nullâ tunc concurrente Romani Juris autoritate. *Dn. Strykius d. Diſſert. §. 6. 8. & 14. II.* Mores & placita Saxonum, qvisqvis fuerit auctor, in volumen aliqvod, qvocunqve demum tempore id factum fuerit, collegit, qvod volumen vocatur ſpeculum Saxonicum, Der Sachſen-Spiegel. Ad hujus imitationem poſtea incertô autore partim ex jure ſcripto, partim ex aliis conſvetudinibus collectum editumqve eſt aliud volumen ſub titulo ſpeculi Svevici, der Schwaben-Spiegel / qvod Goldaſtus exhibet fol. 31. der Reichs-Satzungen. *Dn. Strykius §. 9. 10. 14.* III. Hoc ſpeculum Svevicum ſuperioribus temporibus Jus Cæſareum appellatum fuiſſe, das Buch der Kayſerlichen Rechte / notat Goldaſtus in præfat. der Reichs-Satzungen. Nam ipſe liber titulũ hunc præfert; Kayſerlich- und Künigliche Land- und Lehn-Recht. IV. Jus civile qva Juſtinianeum eſt, Germanos non ſtringit. Et qvamvis notitia ejus ex parte ſeculo XII. Germanis qvæſita fuerit, ſola tamen notitia ejus non infert uſum Juris, neqve uſus Juris Romani in Italia reviviſcens qvicqvam ad Germaniam pertinet. *Dn. Strykius §. 16. ſqq. uſque ad §. 21.* V. Seculo XIV. magis invaluiſſe videtur Jus Romanum, cum Academiarum inſtitutio illud promoverit, & poſtea initio ſeculi XV. Univerſitatum numero in Germania adaucto, crevit etiam legum civilium cultura, & in judiciis qvoqve in tantum invaluit, ut anno 1441. Friderico III. Imperante ob nimios Romani Juris abuſus deliberandum publice fuerit, annon conſultius ſit Jus Civile unà cum ipſis Jurium Doctoribus penitus ex Imperio Romano proſcribere? *Dn. Strykius §. 22. 23.* Qvamvis Vir Excellentiſſimus dubitet, an Conſtitutio illa Friderici avthentica ſit, putetqve, articulum 5. per ſubjectas declarationes ſatis fuiſſe rejectum. Qvod de prima declaratione qvidem ita ſe habet; nam ſecunda & tertia apud Goldaſtum *fol. 171.* Juri Civili in foris Germaniæ parùm favet. VI. Ad finem vergente ſeculo XV. & cum judicium Camerale fundaretur, majorem auctoritatem nacta videtur Juris-

pru-

prudentia Justinianea, utpote cum non solùm in constitutionibus Maximiliani I. sed & Caroli V. & Ferdinandi I. decisiones Juris Justinianei confirmentur, & plus una vice provocetur auf gemeine geschriebene Kayserl. Rechte / per qvæ non alias intelligi qvam leges Justiniani, asserit *Dn. Strykius* §. 24. 25. & 26. VII. Hæc tamen non ita intelligenda sunt, ac si solis legibus Romanis vivendum esset in Germania, & qvicqvid olim majorum moribus introductum, hoc penitus sit explosum. Nuspiam enim ferè textus in Constitutionibus Imperialibus reperitur, ubi non Jus commune & Cæsareum & recepti mores sibi jungantur. *Dn. Stryk.* §. 27. VIII. Qvoniam verò potissimum de Usu moderno Juris Romani qvæstio est, maximè considerari merentur verba ordinationis Judicii aulici à *Dn. Strykio* §. 28. adducta, ubi receptæ consvetudines antiqvitus observatæ Juri scripto præferuntur, ut ita *in subsidium demum*, si in casu proposito nulla legitima Germaniæ consvetudo adsit, ad Jus Romanum recurri debeat, ut hinc *in tali casu* | *demum* legis autoritatem in Germania habeat. IX. Ex his facilè jam definiri poterit qvæstio, qvis probare debeat, si in judicio partium litigantium una ad Jus Romanum, altera ad consvetudinem Germaniæ (non particularem, sed communem; nam de hac utiqve sermo est,) provocet. Hic enim rectissime *Dn. Strykius* §. 31. pronunciat: si consvetudines illæ notoriæ vel *literis consignatæ* sint, eum, qvi ad Jus Romanum provocat, probare debere id esse receptum. Jam uti ipse Vir Illustris ibidem de consvetudinibus Saxonicis in inferiori Germania contra Jus Romanum subsumit; ita & in superiori Germania ex ipsius sententia pro Jure Germanico contra Jus Romanum etiam subsumendum esse jubet positio superior II. ubi ex ipso adduximus, & consvetudines communes superioris Germaniæ in speculo Svevico literis esse consignatas. Atqve hoc est, qvod adversus Antagonistam nostrum erat demonstrandum; videlicet in Germania superiori & inferiori,

hoc eſt in tota Germania non eum qvi ad mores Germaniæ, ſed qvi ad Jus Romanum provocat, intentionem ſuam probare debere. Dum hæc ſcribo, incidit in manus Conradi Sinceri, (ſub cujus nomine JCtus nobis Amicus & ex eruditiſſimis ſcriptis in nobiliſſimis Jurisprudentiæ partibus maximè celebris latet,) Diſſertatio Epiſtolica, de Germanicarum Legum veterum ac Romani Juris in Republica noſtra origine autoritateqve præſenti, ante decennium publicata, qvam olim negligenter ſatis evolutam dum jam paulo accuratius perlego, deprehendo, me facile ſuperſedere potuiſſe diſtinctæ reſponſioni ad cavillationes Antagoniſtæ, cum totum iſtud programma jam tum à Viro Excellentiſſimo fuerit refutatum. Qvare uti Vobis *Auditores Svaviſſimi*, totam illam diſſertationem ad melius percipienda fundamenta ſententiæ meæ commendo, ita & Antagoniſta meus non male faciet, ſi haud gravatim eam à capite ad calcem perlegere non ſit dedignaturus, præprimis cum conſtet, Excellentiſſimum Strykium in dicta Diſſertatione eandem ſæpius habuiſſe præ oculis, & inſuper idem Celeberrimus Autor, qvæ modo memoravi de æqvali uſu hodierno ſpeculi Svevici & Saxonici, fuſius probet *p. 35. ſeqq.* Ex dictis autem jam facile ſponte ſua ruunt, qvæ apud Antagoniſtam ſeqvuntur.

De cætero, pergit, *qvis adeò ignarus rerum eſt, ut neſciat, qvod legibus Imperii expreſſis aſſeſſoribus Imperialis Cameræ injunctum ſit, ſi deficiant peculiares conſvetudines locorum, ſecundum Jus civile judicare. Vide receſſum Imperii de ao. 1654. §. 105. Et qvem præterea latere poterit, qvod omnia ſtatuum Imperii tribunalia, cum leges cujusqve ſingulares ad decidendas cauſas rariſſimè ſufficiant, crebrò admodum*

ad

ad Jus civile recurrere cogantur. Taceo, qvod in judiciis nulla ferè actio institui, & nulla exceptio opponi possit, qvæ non originem debeat legibus Romanis. Qvibus ergo rationibus defendi unqvam poterit, partem earum decimam vix ac ne vix hodie vigere? Etenim initio falsum est, qvod ex Recessu Imperii allegatur. Verba ejus sunt ista: Benebenst sollen Cammer-Richter 2c. so wohl die Statuten und Gewohnheiten als die Reichs-Abschiede und gemeine Rechte für Augen haben. Hic enim malè noster, Gemeine Rechte ad Jus Civile solùm restrinxit, aut statuta & consvetudines locorum de consvetudinibus specialibus saltem interpretatus est, cum ex positione septima numeri præced. satis constet, Leges Germaniæ æqve ac Jus Romanum pro Jure communi, & imò per positionem octavam, Jus Romanum pro subsidiario saltem Jure habendum esse. Unde fluit & alterum, qvod deficientibus Juribus singularibus, non ut noster arbitratur, ad Jus civile statim, sed ante omnia ad mores communes Germaniæ, his vero deficientibus demum ad Jus subsidiarium recurrendum sit. Illud verò responsionem nullam meretur, in judiciis nullam ferè actionem institui, & nullam exceptionem opponi posse, qvæ non originem debeat legibus Romanis. Qvasi videlicet ante Romanos aut nulla fuerint judicia, aut fuerint qvidem, sed nullæ in iis ventilatæ sint actiones vel exceptiones. Deniqve & valde impertinens est illa interrogatio, qvibus rationibus ego veritatem Corollarii mei probare velim? cum Antagonista meus meminisse debuisset, se opponentis munus in Programmate suscepisse, opponentibus verò incumbere probationem, non respondenti. Sed fortè probabit adhuc, & officium adeo boni Disputatoris implebit. Age videamus.

Certè qvàm accurati Arithmetici hâc parte no-

novatores fuerint, & qvam supinè erraverint in calculo, evidenter admodum ostendere possemus, si instituti ratio permitteret, impræsens singula Juris Romani capita percurrere, & cujusqve usum summatim saltim & qvasi per indicem docere; Ast non capit hanc tractationem præsens pagina, & insuper spicas tantummodo post mèssem largissimam colligeremus, cum viam hanc jam dum ingressus fuerit Vir illustris Dn. Sam Stryckius, cujus solum nomen omnibus ambitiosis titulis præponderat. Hic in egregio tractatu de moderno Pandectarum usu perqvam strenue Romani Juris autoritatem vindicavit, & contra omnes novarum rerum amatores usum ejus ubiqve magnum esse pro perspicuitate solita luculentissime edocuit. Cujus utilissimi operis perfectionem sicuti expectat eruditorum orbis anxiè; ita precatur & optat insimul, ut sero natura in eam Incluti hujus viri partem, qva mortalis est, jus suum exerceat, & diu Academiis Antecessorem sinat superesse, à qvo jam stabilitæ ingens famæ incrementum nactæ sunt, & qvæ adhuc stabiliendæ, basin ac fundamentum gloriæ expectant. In hoc §. cum Antagonista meus omnem vim Programmatis sui posuerit, paulo accuratius

tius idem mihi examinandus erit qvam reliqvi præcedentes. Et initio qvidem non permisit instituti ratio Advocato nostro, ut sententiam suam evidentibus ostensionibus probaret, permisit tamen eadem, ut me ubiqve indignissime & nullo contumeliæ genere omisso tractaret. Qvo ipso qvid aliud agit, qvam ut publice confiteatur, contumelias & convitia, non autem rationem & veritatem ipsius propositum fuisse? Neqve opus fuisset, singula Rom. juris capita percurrere, debuisset saltem specimen aliqvod, seligendo libros qvosdam ex Pandectis, lectoribus edere de veritate sententiæ suæ. Illud autem qvàm graviter peccat in reverentiam, qvam viro Illustri debet, qvod dedecori sibi esse putaverit, si spicas post messem ejus largissimam colligeret? Nos majori veneratione testabimur observantiam nostram, qvos in seqventibus non pigebit, solâ spicarum collectione veritatem doctrinæ nostræ vobis ad oculum monstrare.

Deinde, si non alia ex re, certè ex hoc paragrapho firmiter mihi persvadeo, Excellentissimum Stryckium Programma hoc ante impressionem nec vidisse nec approbasse. Uti enim Viri Summi merita præconio tali non habent opus, ita notior est ipsius Virtus, qvam ut præsumi debeat, qvod plusqvam adulatorias istas expressiones, qvas Antagonista incautè ad invidiam Viri Illustris paragrapho isti immiscuit, non fuisset rejecturus. Et videor mihi audire Virum Excellentissimum, seqventem in modum Antagonistam meum alloqvi. Falleris Amice, si putas, te gratiam Virorum Illustrium enormibus ejusmodi laudibus demereri posse. Non possunt non illæ Viris verè virtuosis, qvos tibi propitios reddere vis, valde displicere, non possunt non eædem famam, qvam indole bona hactenus tibi parasti, apud sapientes valde imminuere, cum nihil sapiens magis à se alienum esse velit, qvam adulationem. Advocati officio fungeris, & publice tamen absqve mandato contra bonos mores de anxietate eruditi orbis, qvem tu nondum perfectè nosti, ejusdem desiderium, hanc ob causam non nisi falsò, exponere non erubescis.

Præ-

Præterea non reverentiæ sed audaciæ signum est, si qvis Viros Eminentes absqve venia publicè laudare audeat. Academiarum erit, laudes meas etiam post mortem meam loqvi. Et loqventur certe stabiliendæ pariter atqve stabilitæ. In eo vero egregie falleris, si arbitraris, stabiliendas Academias vanæ alicujus gloriæ basin atqve fundamentum qværere. Gloria Dei est, & Utilitas publica, qvæ basin & fundamentum gloriæ illis præbent. Et jam huic fundamento aliæ bases per Dei gratiam superinstructæ sunt. Gloriantur Academiæ istæ stabiliendæ de PRINCIPE OPTIMO, mediis in Turbis de promotione ac Tutamine veræ sapientiæ sine exemplo sollicito: Gloriantur de CURATORIBUS SUPREMIS, qvibus Clementia Principalis ipsis jam providit, Viris Illustribus & de statu publicæ Rei, & de Academiis jamdum immortaliter meritis; Gloriantur de ILLUSTRI CANCELLARIO, cujus virtutes multi Principes Clementissimo favore certatim suspiciunt; cui religio adversus insultus superstitiosorum hominum egregiè defensa plurimum debet; cujus canitiem, longo rerum prudentium usu, & exercitió actionum honestarum, adversus communia vitia senectutis munitam, venerantur omnes boni: Gloriantur --- Sed sufficiant ista; haud dubie enim Vir Excellentissimus plura dixit correctioni Antagonistæ nostri inservientia.

De cætero & Sophistam optime expressit idem, per nomen Viri Illustris metum mihi incutere intendens, qvâ parte tamen nec sibi bene prospexit, nec considerate vidit, cum qvo ipsi res esset, nec, qvod omnium præcipuum est, merita Viri Excellentissimi, ut par erat, coluit. Nunqvam sapiens adversarios suos autoritate Virorum Eminentium concutere satagit. Rationibus pugnat aut legibus. Rabularum est, doctrinas suas incrustare autoritatibus Jure-Consultorum Eximiorum. Neqve ego hactenus, credo, ullam inimicis meis suspicandi occasionem præbui, qvod autoritatibus hominum, si bonam causam defendam, terreri possim. Omnium vero minime Vir Illustris is est, qvi solâ allegatione nominis sui se à qvocunqve in partes trahi patiatur,

tur, aut, qvi alios infra vel juxta se ferre neqveat, qvi in Jurisprudentiâ (in qva tamen tot opiniones diversæ sunt, qvot prope JCti,) cum ipso non ubiqve sentiat. Absit, ut hanc maculam, hunc tyrannicum characterem nomini Viri Excellentissimi inuremus.

Deniqve tantum abest, ut Vir Illustris in egregio tractatu de moderno Pandectarum usu Romani Juris usum ubiqve magnum esse docuerit, ut potius speciminis ea de re jam editi singulæ ferè paginæ ostendant, exiguum usum Pandectarum esse, multa ad mores nostros non esse apta, multa raro obvenire in foro, seu, qvod idem est, non in viridi esse observantia, multa adhuc alia ab aliis eò referri, cum qvibus etsi non semper consentiat, in eo tamen sententiæ meæ proderit ejus allegatio, qvod hâc parte, si qvandoqve cum istis aliis sentiam, pro novatore minimè sim habendus. Verum, inqvit Antagonista noster, *qvam accurati Arithmetici hac parte novatores fuerint, & quàm supinè erraverint in calculo, manebit tamen catachresis, vix partem Pandectarum decimam hodiè in Germania amplius florere.* Igitur vocemus eundem, Auditores, ad rationes, & ruborem ipsi invito per computationem videntem excutiemus. Accede igitur, defensor Pandectarum Consultissime, sume in manus Viri Illustris, ad qvem provocasti, tractatum, percurramus singulos titulos, excerpamus, qvid de usu eorum vel vir Illustris vel alii Viri Excellentes ab ipso citati sentiunt. Tum summam collige, juratos calculatores in auxilium voca, & si ulterius Novatores istos catachresticè locutos esse deprehendes, tum, age, triumphum cane.

Liber 1. tit. 1. de Justitia & Jure. Pertinet hic titulus ad Ethicam non ad Jus Romanum. *Tit. 2. de Origine Juris &c.* Historicus qvidem est, sed qvi tamen propius ad Jurisprudentiam Romanam pertinet. Jura Germaniæ aliam originem agnoscere docet Vir Illustris *§. 1. p. 44.* Magistratum hodie in Germania longe aliam qvam qvæ fuit olim apud Romanos, rationem esse, ex jure publico satis constat. *§. 2. p. 45.* Differentia juris Civilis & Prætorii hodiè in Praxi saltem utilitatem habet qvoad actiones

annales & perpetuas, maximè in actione injuriarum. *§.3. p. 46.* Ineptè Principum imperii edicta cum edictis Prætorum comparatum eunt Jure-Consulti qvidam *§. 4. p. 47.* Hodie etiam Advocatus, qvi per promotionem solennem potestatem respondendi non accepit, de Jure tamen cum effectu secundum sententiam Giseberti, qvæ mihi satis probabilis videtur, respondere potest. *§. 5. p. 48.* Pleriqve hodie judici liberam facultatem à responsis recedendi concedunt, qvod qvamvis cum distinctione admittendum sit, *§. 6. & 7. p. 49.* id tamen certum est, responsa prudentum hodierna alia plane esse à responsis antiqvis, & modus, qvo potestas respondendi conceditur, ab antiqvis solennitatibus longè diversus est. *Tit. III. de Legibus &c.* Legum ferendarum ratio moderna longe aliter se habet, qvam primis Imperii temporibus. *§. 1. p. 53.* Hodie eadem qvidem consvetudinis vis est, qvæ fuit olim. *§. 10. p. 64.* Sed vim illam consvetudo non accepit à Jure Romano, sed ex principiis Politicis. SenatusConsultorum antiqvorum autoritas statuum Imperii consultis non applicanda. *§. 14. p. 65. Tit IV. de Constitut. Principum.* Imperatoris Placitum hodie non amplius Jus facit. §. *1. p. 69.* Lex Regia Romanorum & Lex Regia Germanorum totô cœlo differunt. *§. 13. p. 78.* Non valet rescriptum Imperatoris, nisi simul à Qvæstore subscriptum. Usu moderno id auctum est. *§. 14. p. 78. Tit. V. de statu hominum.* Summam illam personarum divisionem, qvod homines aut liberi sint aut servi, hodie in Imperio Romano non amplius usu servari in confesso est *§. 1. p. 78.* Christianos à Turcis captos, etiam apud nos pro servis haberi erroneum est. *§. 4. p. 80.* Qvoad partum legitimum hodie nos non stringit sanctio Imperatoris, qvia non versamur in civili sed in Physica materia. *§. 14. p. 87.* Hodie partum monstrosum occidere non licet *§. 15. p. 89. Tit. VI. de his qui sui vel alieni Juris.* Qvale jus hodie Dominorum in servos sit, frustraneum erit inqvisivisse, ubi constat, servos hodie nullos superesse. *§. 1. p. 91.* Patriæ potestatis effectus civiles hodie non amplius obtinere, non pauci asserunt, *§. 3. p. 92.* qvorum sententia forte non incommode cum doctrina Viri Illustris conciliari poterit,

rit, ut suô locô videbimus. Hodie non obtinet, qvod Jus Romanum ad legitimationem per subseqvens matrimonium reqvisivit, ut filius susceptus sit ex concubina, & pacta dotalia intervenerint: *§.10.p.98.* Hodie etiam partus adulterinus legitimari poterit, & aliqvatenus etiam incestuosus *§. 12. 13. p. 100. seqq.* Qvoad legitimationem per rescriptum Principis multa hodie mutata sunt. *§.14.seqq.p.102.& seqq.* Tertius legitimandi modus per oblationem curiæ hodie omnium testimonio penitus exolevit, & curiarum nostrarum ratio hodiè longe diversa est *§.19.p.107. Tit. VII. De adoptionibus & emancipationibus &c.* Unio prolium modernis moribus æqve in praxi rara, qvam ipsa adoptio, *§.9.p.115.* hæ neutra est in viridi observantia. Hodierni mores præter emancipationem Romanam aliam tacitam introduxerunt. *§.18.p.122. Tit. VIII. de rerum divisione.* Ad res divini Juris muros & portas civitatum hodie nemo retulerit, *§.1.p.129.* Templa hodie res publicæ sunt *§.2.p.130.* Juris Romani dispositio circa loca religiosa longe aliter se habet hodiernis moribus *§.5.p.131.* Hodie pœna arbitraria est eorum, qvi muros transcendunt, *§.6.p.132.* Hodie mare ad res communes non pertinere, praxis comprobavit *§.7.p.134.* Littora maris sine dubio hodie aliâ conditione sunt, qvam fuerunt Jure Justinianeo *§.8.p.134.* Solent hodie Principes interdicere subditis acqvisitionem lapillorum in littore maris. *§.9.p.135.* Flumina hodie Regalibus accensentur, variisq; modis libertas navigandi restricta est *§.10. & seqq.p.136.* neqve Jus piscandi amplius omnibus commune est *p.138.§.14.* Divisionem rerum in corporales & incorporales, mobiles item & immobiles usus modernus non sustulit. *§.16.seqq.p.139.* Neqve enim hæ divisiones ex Jure civili, sed ex natura rei, & ex parte ex Philosophia Stoica ortum ducunt. Tit. IX. *de Senatorib.* Senatorum hodiernorum jura ex hoc titulo derivari neqveunt *§.1.p.141.* Qvamvis in aliis hujus tituli inter Jus Romanum & Germanicum aliqva similitudo sit, Similitudo autem legum, qvod in genere, Auditores, notetis velim, catachrestice ad usum earundem refertur. *Tit. X. de Consulibus.* Qvod de Senatoribus ad tit. præced. dictum,

 idem

idem multo magis de Consulibus hic repetendum. §. 1. p. 151. *Tit. XI. de Officio Præfecti Prætorio.* Dignitates Romanorum Principibus imperii modernis contra omnem Juris publici rationem tribuuntur, & inepte Electores ac Principes Imperii comparantur cum Præfectis Prætorio. *§. 2. p. 154. Tit. XII. de Officio Præfecti urbi.* Vile argumentationis genus est, à Præfectis urbi ad Principes Imperii. Sed potest tamen potestas Præfecti urbi cum potestate Consulum qvarumvis urbium merô imperiô gaudentium comparari. *p. 157. Tit. XIII. de officio Quæstoris.* Qvæstores Romani certo intuitu possunt comparari cum Cancellariis Principum. *p. 158. Tit. XIV. de Officio Prætorum.* Differentia inter Prætorem & Judicem hodie cessat. *§. 1. p. 158. Tit. XV. de officio Præfecti vigilum.* Præfectos vigilum eadem potestate, qva hic describuntur, dari posse non dubito, dari tamen reverâ nullo exemplô constat, *§. 1. p. 160. Tit. XVI. de officio Proconsulis & Legati.* Proconsules sensu Juris Romani nulli amplius dantur, multo minus legati eorum, *p. 161. Tit. XVII. de officio Præfecti Augustalis.* Cum Ægyptus dudum Imperio decesserit, de Præfecto ejus Augustali in specie ita dicto frustra erimus solliciti. *Tit. XIIX. de officio Præsidis.* Incommode comparantur cum Præsidibus Principes nostri aut Episcopi. Commodior comparatio institui potest cum Præsidibus Provinciarum à Principibus in certis districtibus constitutis. *§. 1. p. 162. Tit. XIX. De officio Procuratoris Cæsaris.* Comparatio poterit institui inter hunc titulum & ordinationem Cameræ Part. 1. tit. 16. & 17. *Tit. XX. de officio Juridici Alexandriæ.* Hic ad mores nostros non aliter pertinet, qvam qva Judex à Principe in certis civitatibus constitutus, vulgò der Hoff-Richter cum illo comparari potest. *p. 166. Tit. XXI. de officio ejus, cui mandata est Jurisdictio.* Negat Dn. Schilterus hodiernis moribus existere, cui Jurisdictio mandata sit, & subjicit, Commissariorum hodiernorum constitutionem, formam & effectum differre à Romanorum Jurisdictione mandata. *§. 1. p. 167.* Cui assentior. *Tit. XXII. de Officio Assessorum.* Potestas Assessorum hodierna neqvaqvam ex antiqvo Jure Romanorum repetenda, sed ex ipsis Dicasteriorum ordinationibus, *p. 172.*

Liber

Liber II. Tit. I. de Jurisdictione. Modernas de Jurisdictione controversias ex Jure Romano componere velle, absurdum æqve est, qvam si lanam ab asino qværere velis, oleum enim & operam ita perdes. Perniciosi enim sunt illi JCti, qvi de moderna Jurisdictionis forma ex Legibus Romanis censent & disputant. *§. 1. p. 173.* Albi corrupti actionem hodie non amplius usu servari vulgo asseritur. *§. 31. p. 206.* Et recte. Nam ipse Vir Illustris fatetur, pœnam hujus violationis hodie esse arbitrariam. *Tit. II. Qvod qvisqve Juris in alterum statuerit.* Axioma hoc in latitudine sua est Juris naturalis. Applicatio ejus ad impetrationem Juris novi moribus nostris rarissime habebit locum, cum secundum eos vix casus dari possit, ut qvis Jus novum impetret. Et fatetur ipse Vir Illustris, usum Germaniæ modernum decisionem Prætoriam latius ad alia extendisse, qvam verba Prætoris admittunt. *§. 1. p. 207. Tit. III. Si quis Jus dicenti non obtemperaverit.* Posse & hodie judicem injuriam sibi ratione officii illatam vindicare, certum est. *§. 1. p. 212.* Fluit enim ex principiis Politicis. Actio autem civilis hujus tituli l. 1. §. 4. in viridi observantia non est, qvod sufficit. *Tit. IV. de in Jus vocando.* Priscus ille in Jus vocandi mos privatâ autoritate institutus hodie penitus exolevit. Unde suâ sponte seqvitur, qvod simul veniæ impetratio cesset. *§. 1. 2. p. 214. sqq. Tit. V. si quis in Jus vocatus non ierit.* Titulus hic pariter veterem in jus vocandi morem respicit. Hodie privata autoritate in jus vocato nulla comparendi necessitas incumbit. *p. 225. Tit. VI. In jus vocati ut eant.* Citati ad Judicem & hodie qvidem comparere tenentur: (Id enim dictitat recta ratio) cautio tamen illa, de qva hoc titulo agitur, hodie penitus cessat. *p. 226. Tit. VII. Ne quis eum qui in jus vocabitur &c.* Non confundendus est hic titulus cum titulo X. Unde sublatâ in Jus vocatione, tollitur & ipse. *Tit. VIII. Qui satisdare cogantur &c.* Materia satisdationum utut in Germaniæ foris freqventissima, & inde freqvens in Processu ad præsentem titulum recursus, revera tamen hic titulus, prout materia satisdationis hic exhibita, penitus exolevit. *§. 1. p. 227. Tit. IX. Si ex noxali causa agatur,* Nullus præsentis tituli hodie usus *p. 235. Tit. X. De eo per*

quem factum erit. Cessat hodie præcipua causa hujus actionis præscriptionis scilicet impletio. §. *2. p. 236. Tit. XI. Si quis cautionibus &c.* Non est tantus hujus tituli usus, qvi olim, sed est tamen adhuc aliqvis. *p. 236. sqq. Tit. XII. de feriis & Dilationibus.* Materiam feriarum in Judiciis nostris freqventissimam esse, in comperto est, non desunt tamen, qvæ hodie aliter se habent, ut qvidem Jure communi provisum. §. *1. p. 243.* Adde qvod ea in qvibus moribus cum legibus Germaniæ est convenientia, magnam partem in Jure Divino seu Ecclesiastico aut in Principiis communibus Politicis magis fundentur, qvam in Jure arbitrario Romano. Dilationum hodie magis abusus est qvam usus, ob multitudinem dilationum Juri Romano incognitarum, qvibus hodie processus fere immortales redduntur. §. *26. p. 252. Tit. XIII. de edendo.* Aliam longe rationem esse hodie editionis libelli, qvam qvæ erat olim antiqvæ editionis actionis in Jure, ex iis, qvæ differit Vir Illustris h. l. *p. 257.* facilè patet. Editiones Instrumentorum sine die & consule fieri debere constitutum est, qvod nostris moribus non convenit. §. *13. p. 265.* Jure civili contra edere nolentem actio in factum prodita est, qvæ hodie rarissimè obvenit. *§. 14. p. 266.* Hodie actor reo regulariter non omnia instrumenta edere debet. §. *16. p. 167.* Qvæ de argentariis hic prolixè traduntur, ea hodie usum non habere, testatur Donellus. §. *19. p. 268. Tit. XIV. de Pactis.* Hodie ex pacto nudo datur actio, qvô fundamento Juris moderno supposito, multa inde resultant consectaria diversum Jus à Jure Romano inducentia. §. *1. p. 271.* Scilicet diversitas inter pacta nuda & non nuda, inter pacta contractibus adjecta in continenti aut ex intervallo, contractibus bonæ fidei an stricti Juris, adjicientia vel detrahentia, &c. §. *4. p. 273.* Unde hodie in contractibus innominatis pœnitentiæ locus non est, nec in realibus, §. 5. *& 6. p. 274. sqq.* Porro hodie omnes contractus veri in effectu sunt consensuales. §. 7. *p. 275.* Et hodie pactum de non petendo obligationem tollit ipsô Jure, § *9. p. 277.* Ulterius verosimilior videtur sententia eorum, qvi l. 8. Dig. h. t. hodie in viridi observantia esse negant, qvi citantur §. *11. p. 279.* Hodie alteri per

per alterum acqviri obligatio potest, §. *12. p. 280.* Deniqve qvoad pacta successoria qvædam aliter se habent moribus hodiernis, qvàm Jure Romano §. *13. sqq. p. 281. Tit. XV. de Transactionibus.* Transactionum & pactorum Jura moribus fere confusa esse, communis sententia Germaniæ JCtorum est. §. *1. p. 289.* Qvæ uti propositionem universalem non facit, ita fortè facilè conciliari poterit, cum sententia Viri Illustris.

Lib. III. Tit. 1. de Postulando. Hodie postulamus etiam in Judicio. §. *1. p. 305.* Non desunt hodie, qvi ætatem majorennem in advocato præcisè exigunt. §. *3. p. 306.* Hodie per Advocatos ordinarios antiqva licentia Juris Rom. plurimum restricta est, §. *4. p. 307.* Jure Saxonico fœminæ nec pro se postulare possunt. §. *5. p. 308.* Ubi autem Jus Saxonicum non viget, videtur allegans receptionem Juris Romani eam probare debere per tradita superius; & huc videtur spectare præjudicium à Friderico Müllero adductum, *vid. p. 309.* Ratio cur cœcus pro aliis postulare non possit, ad nostra judicia inferiora non qvadrat §. *6. Tit. II. de his qui notantur infamiâ.* Doctrina hujus tituli hodie ex moribus singularum provinciarum petenda, §. *1. p. 315. Tit. III. de Procuratoribus.* Moribus Germaniæ permissio experiundi per Procuratorem latius extensa, cum qvandoqve ubi jus Romanum resistit, Procurator hodie admittatur. §. *1. p. 325.* Hodie ex parte accusatoris procurator admittitur. §. *4. p. 327.* Hodie Illustres & sine procuratoribus litigare possunt, ubi vero procuratorem adhibere necesse habent, nulla est differentia inter Illustres & alios. §. *13. p. 334.* Pœnæ pecuniariæ juris Romani ferè omnes hodie exoleverunt. *ibid. p. 335.* In Consistoriis nostris in matrimoniali causa procurator rejicitur. §. *15. p. 335.* Hodie captivus procuratorem dare potest, fœmina absque Curatore non potest, nisi ubi jus civile receptum. §. *16. 17. p. 336.* Hodie inviti cogi possunt ad Procurationis officium §. *21. p. 339.* Jure Romano, morte expirat mandatum, hodie mandata heredum nomine concipienda §. *29. seqq. p. 345. seq.* ubi & alias differentias quoad mandatum Procuratoris ostendit. Hodie moribus Germaniæ Procuratorem non amplius esse litis Dominum

tradit

tradit Grœnwegen & Bachovius §.*38.p.350.* quamvis ea quæ in contrarium adducit Vir Illustris, probent, Jus Romanum in quibusdam Germaniæ judiciis esse receptum. Hodie Procurator ad integram causam datus non tenetur appellationem prosequi. §.*43.p.356. Tit. IV. Quod cujusque Universitatis nomine &c.* Hodie in plerisque Civitatibus Syndici officium publicum est. §.*1.p.360.* Hodie à Procuratore ad Syndicum non valere consequentiam existimat Lauterbach. *p.361.* §.*4.* - Quoad constitutionem Syndicorum multorum locorum consvetudini tribuendum *p.365.* §.*9.* Moribus Germaniæ valet Constitutio Syndici ad futuras causas §.*13. p. 368. Titulus V. de Negotiis Gest.* Nullum dubium, æquitatem naturalem, cui titulus hic nititur, nec in Germania abrogatam. Cæterum tamen dici nequit, quod sit in viridi observantia, quia rari sunt hodie, qvi aliorum negotia sine mandato suscipere solent. §.*1.p.372. Titulus VI. de Calumniatoribus.* Calumnia utique hodie in viridi est observantia. Sed actio de calumniatoribus moribus Germaniæ exolevit, aut potius non est recepta, secundum Grœnwegen, & Dn. Struve, §.*2. p.376.* nec futile est fundamentum eorum, quod hodie omnes actiones in duplum vel qvadruplum cessent, ut fortè ostendemus alibi fusius.

LIBRI IV. Tit. 1. De in integrum Restitutionibus. Multa sunt in materia restitutionis quæ in æquitate naturali nituntur. Unde & illa hodie in Germania observari mirandum non est. Cæterum hodie cuilibet magistratui restitutio competit. §.*6. p.383.* Nec hodie restitutio intra quadriennium finienda est. §.*9. p.385. Tit. II. quod metus causa &c.* Actio quod metus causa in quadruplum hodie in usu non est, secundum sententias Autorum §.*3. p. 391.* recensitorum. Quæ verior est, quia nondum probatum, Jus Romanum hâc parte in Germania, quod omnes actiones in duplum olim ignoravit, esse receptum. *Tit. III. de dolo malo.* Hodie dolus etiam contractus stricti juris reddit ipso Jure nullos ex sententia Schilteri §.*5.p. 401.* citati; quia hodie, ut alibi monstrabimus, differentia omnis inter contractus bonæ fidei & stricti Juris,

ris, unde actio hæc de dolo extraordinaria, rariſſimum habebit uſum. *Tit. IV. de minoribus 25. annis.* Hodie in multis Germaniæ provinciis à minorennitatis termino Juris Romani diceſſum *§. 2. p. 404.* Omnium aularum praxis docet, & infra annos jure civili determinatos veniam ætatis concedi poſſe, nec hodie ſolus Imperator eam indulget. *§. 9. & 10. p. 409. Tit. V. de capite minutis.* Plerique conſentiunt, hodie edicto Prætorio amplius opus non eſſe, cum moribus emancipatio pro capitis diminutione non habeatur, & ſaltem differentia inter emancipatos & ſuos ſit intuitu acquirendarum hæreditatum. *§. 2. & 3. p. 419.* Verum quidem eſt, dari adhuc hodie mediam capitis diminutionem, ſed in Jure privato illa doctrina non magnam habebit utilitatem, quia hodie peregrini etiam nuptias contrahunt, teſtamenta faciunt. *Tit. VI. Ex quibus cauſis majores.* Eſt hujus tituli ſumma æqvitas naturalis, abſentibus & contra abſentes reſtitutionem dari, unde in uſu eſt. *Tit. VII. de alienatione judicii cauſa facta.* Praxis hujus tituli hodie in foro rarior eſt. *§. 3. p. 432. Tit. VIII. de receptis, qui arbitrium receperunt.* Non poterit equidem dici, hunc titulum moribus non eſſe receptum, cum ipſe dictamine rationis rectæ nitatur. Quod tamen Coraſius cenſuit, ex hâc materia uberrimos circa practicam fructus enaſci *§. 1. p. 433.* id in Germania vix procedet, in qua frequentiſſimum arbitrorum uſum in dirimendis litibus qvi videre velit, is neceſſe eſt, ut acutos habeat oculos. *Tit. IX. Nautæ, Caupones & ſtabularii.* Actio ex quaſi contractu, quæ in hoc titulo proponitur, haud dubiè in uſu eſt, cum in genere quaſi contractus nihil aliud ſint, quam concluſiones, ex ſumma æquitate naturali deductæ.

Lib. V. Tit. I. de Judiciis. Hodie non ſaltem priſca Judiciorum Romanorum ſolennitas, ſed & judiciorum forma, quæ Juſtiniani tempore fuit, maximam partem exolevit. *§. 1. p. 443.* Forum originis hodie longe aliter ſe habere in Germania unô ore fatentur Doctores *§. 17. p. 455.* Forum commune, quod olim Romæ erat, hodie male ad civitatem Viennenſem applicatur, *§. 19. p. 457.* Hodie generali conſvetudine receptum, ut remiſſio-

nes delinquentium non amplius sint necessitatis, sed urbanitatis §. 26. p. 465. *Tit. II. de inofficioso testamento.* Non potest equidem dici, hunc titulum in praxi plane exolevisse, frequentes tamen esse inofficiosi querelas, asserere amplius non licet. §. 1. p. 469. *Tit. III. De hæreditatis petitione.* Dari hæredibus actionem, qvâ Jus suum persequantur, Jus naturale dictitat; ergo habebunt etiam eam in Germania. Quod vero Jure Civili Romano quoad hanc actionem in specie receptum, ut possessor titulum suæ possessionis ederet, id hodie non observatur. §. 3. p. 486. Quia videlicet cessant omnes interrogationes in Jure propter sublatas formulas. *Tit. IV. V. & VI.* Traduntur hic species hæreditatis petitionis, de quibus adeò idem esto judicium, quod de ipsa hæreditatis petitione tulimus.

Quæ hactenus diximus, sufficere poterunt, ut arbitror, ad defensionem sententiæ nostræ adversus ea, quæ Antagonista provocando ad Virum Illustrem attulit. Unde jam suâ sponte cadit ejus gloriatio quæ sequitur. *Sed revertimur ait, ad Novatores nostros, qvorum opinionem falsam ac absurdam esse satis, ut opinor, ex dictis hactenus patebit.* Potuisset adeò finem facere cavillationum, cum triumphum istis verbis cecinerit, sed restabant adhuc duo scommata ad firmandam ejus sententiam deficientibus rationibus parum contribuentia, ad qvæ adeò paucis quædam regerenda nobis sunt. *Venia,* inqvit, *profectò errori danda est, cùm homines, qvi non ambiguis causarum fatis dirimendis, sed castigando hactenus Aristoteli vacarunt, ubi ad differendum de Juris nostri usu ventum est, verò rectovè perqvam facilè potuerint deerrare.* Videri posset primâ fronte, quod id velit innuere, quasi ineptus sim ad differendum de Jure, qui saltem

tem

tempus triverim in meditationibus merè Philosophicis. Verùm cum ego ipsi non ita ignotus esse potuerim, & falsissimum adeo hoc scomma foret, videtur potius, aliud quiddam voluisse innuere, & mihi vitio vertere, quod sustineam de usu Juris in praxi judicare, cum tamen theoriæ saltem Juris dederim operam, à praxi maxime alienus. Sed præterquam quod hæc cavillatio ipsum Adversarium meum maximè feriat, qvi vix ad Praxin admissus de usu Juris Romani in praxi sententiam dicit; me equidem istud scomma minimè ferit. Mancipavi me quidem jam per aliquot annos studiosæ juventuti; sed cum mox viderim, theoriam sine praxi vel ideò, quod vix decima pars Pandectarum in usu sit, futilem esse & inanem, initio praxin theoriæ statim junxi, partim ut viderem, quid in usu sit, quid non; partim ut sapientiam Rabulisticam cognoscerem. Et quamvis post paucos annos pedem ex foro reduxerim, puto tamen sufficientes in praxi progressus fecisse, cum præter usum Juris practicum cognoverim & nequitias Advocatorum, & stultitias partium, & injustitiam Judicum, quantum mihi ad cavendum in vita civili opus est, & quantum sufficit ad consilia oppressis & injustitiam patientibus danda, aut quantum necesse est, juvenibus in informatione ut fugiant & abhorreant, inculcare. Sed videtur adhuc aliud quid latere in verbis Antagonistæ mei, dum *diremtionis* meminit *ambiguorum causarum fatorum*. Sane dirimere causas non Advocatorum est, sed Judicum, & quid si ergo noster hoc velit, me nunquam adhuc collegam aut Assessorem judicii egisse, & tamen velle judicare de usu Juris nostri? Impertinens id scomma foret; quasi Advocati, & qui patrocinando Judicibus causas proponunt, non æquè usum practicum cognoscere possint atque Judices, aut qui Judicibus sententias præscribunt. Velim tamen hic obiter hoc observetis, *Auditores*, si iste sensus Antagonistæ est, uti certè videtur esse, non adeo verodissimile videri suspicionem amicorum quorundam, sub larva juvenis nostri veteranum aliquem causarum diremtorem latere, fatali hac phrasi se instar soricis incaute prodentem, & imò artificium suum, cui forte insenuit, non

adeò elegantibus coloribus quamvis vividis depingentem. Nostis forte vulgatum proverbium: *ſententias judiciales ſæpiſſimè eſſe fatales*, aut ut Germanicô idiomate illud efferri ſolet: Die Urtel werden offters gleichſam aus dem Glücks-Topff gegriffen. Et poſſumus adeo gloriationem hanc Autori ſuo, qvisqvis ſit, non invidere, qvod forte per plurimos annos ambiguis cauſarum FATIS dirimendis ſecundum regulas *fatalis* alicujus Jurisprudentiæ & ſecundum antiqvas Juris Romani fabulas, & leges nunqvam in Germania receptas dederit operam.

Sed & notetis precor, *Auditores*, ſummam inconſtantiam Antagoniſtæ mei. Veniam mihi dedit in verbis modo allatis, qvod grata mente agnoſco. At ſtatim eorum qvæ dixerat oblitus, nunc claſſicum adverſus me canere intendit. *Et ſanè, ait, lubentiſſimè nunc linqueremus illos, & qvod ab iis dictum eſt, non amplius attingeremus, niſi qvàm nocivum hoc doctrinæ genus ſit, ut traderemus paucis, neceſſitas efflagitaret: Qvâ eqvidem in re omnes cordatos Doctores Juris rogo, & obteſtor, an qvid pernicioſius cupidæ legum juventuti proferri unqvam potuerit? & annon illa ridiculis talismodi opinionibus à vero Juris ſtudio penitus ſeducatur? Na tumulus hoc modo Jurisprudentiæ conditur, & ea proxime è mundo penitus eliminabitur; Non poteſt enim diutius ſubſiſtere, dum ſaniora ejus principia ſpernuntur, legumq́ cupidi ac capaces juvenes, quibus, neſcio, qvisqviliis à vero Juris ſtudio arcentur.* Non obſervavit iterum Noſter, ſe

parum

parum artificiosè insidias mihi struere. Qvis enim unqvam sibi persvadere posset, *per ridiculas opiniones* & helleboro dignas juventutem arceri posse à sano Jurisprudentiæ studio ? Si sententiæ meæ ridiculæ sunt, damnum inde non in Jurisprudentiam, sed in me redundabit, & adeò tantis iris non erat opus. Si ratione nituntur, dolosè mecum agitur, qvod potentes veræ sapientiæ protectores adversus me provocentur. Nolo verbis meis qvicqvam reponere, videtur tamen Conradi Sinceri locus à præsenti negotio non omnino esse alienus. *Ignoscat*, inqvit p. 60. *Deus qvibusdam illis Academiarum Doctoribus, ferè dixissem corruptoribus, qvi cum ipsi vel seculi infelicitate, aut ingenii etiam sui crassitie certam viam incedere vel non potuerunt, nunc qvoqve ab aliis denuò monstratam inculcatamqve, objectis variis malitiose confictis impedimentis, bonæ non minus qvam incautæ juventuti perdere, difficilem reddere, dissvadere, suosqve Auditores nullâ conscientiæ habitâ ratione ad devios anfractus seducere, & Labirintho inextricabili immittere nondum desinunt, nisi credere malimus, ex status legulistici ratione id fieri, ne illi forte, qvos docent, se fiant doctiores, horumqve tandem auspiciis vulgaris Juris peritia qvid capiat detrimenti.* Et p. 110. *Adeo vero incrementa accepit hic morbus, ut ne qvidem remedia velit admittere. Qvanqvam enim cordatiorum unus atqve alter subinde leges Germanicas, præsertim scholis nostris ostenderit, vix tamen auditus & ferè non irrisus est. Vah, qvantum numerum habemus JureConsultorum, qvi inter personatos aut legulejos se haberi gravissimè ferrent, & tamen ab oscitantia sua nondum potuerunt impetrare, ut crederent omnino præter Romanos dari alias leges, Germanis valituras, multo minus officio suo convenire, ac pretium operæ esse, si easdem curatius indagare sustinerent.* Et qvæ ibi seqvuntur plura ex aliis JCtis magni nominis depromta. Scilicet nunqvam mea intentio fuit, qvod velim Jus Romanum eliminare ex scholis, sed hæc animi sententia est. Qvoniam per verba Recessus Imperii ab Illustri Strykio *Differt. prælimin. §. 28.* adducta, receptæ consvetudines Germanicæ, videlicet qvasi maximam partem in speculo Saxonico & Svevico collectæ, Juri scri-

ſcripto Romano præferuntur, ita ut hoc illis demum deficientibus legis autoritatem in Germania obtineat, ſuâ ſponte ſequitur, regulam bonæ methodi reqvirere, ut in erudienda juventute fundamenta Jurisprudentiæ privatæ in explicandis communibus Germaniæ conſvetudinibus ponantur, eæqve à Profeſſoribus Juris in formam artis redigantur; tùm oſtendatur, in qvibus negotiis Jus Romanum aliqvid immutaverit, aut deficiens Jus Germanicum (v. g. in doctrina de Teſtamentis) ſuppleverit, tum deniqve addantur conſvetudines ſingulorum locorum particulares. Atqve hic obſecro, qvotqvot in Germania ſunt Juris Profeſſores, ut ſi intentio hæc mea vel principiis rectæ rationis, vel fundamentis Jurisprudentiæ civilis adverſa ſit, id mihi placide & cum rationibus oſtendant.


Concludit Antagoniſta noſter: *Sed modum imponamus juſtis qverimoniis, & tandem exponamus cauſam, qva mediante tumultuariæ hoc ſcriptionis genus in publicum protruſum fuerit. Ut feſtinatâ operâ in chartam hæc conjicerem, anſam præbuerunt ſeqventes citra præjudicium ordinis ſorte locati juvenes, gente, virtute, ac doctrina Nobiliſſimi Dn. &c. Conſtituerunt illi ſecum, potiſſimas Inſtitutionum Imperialium controverſias ſecundis curis diſcutere, atqve veritatem eorum, qvæ à Juſtiniano dicta ſunt, ſub meo præſidio publicè indagare, ſuſceptam cum alio diſſertationem docere ſimul ac exercere, probè animo reputantes. Cui honeſto*

nesto instituto, ut, qvi leges amant, impensè ac cumulatè favere velint, omnes ac singulos his tabulis rogare officiose debui P. P. ipso S. S. Angelorum Festo Ao. M. DC. XCII.


Videtis, Auditores, ad me ista non Pertinere, & opto Antagonistæ meo, ut in isto Collegio Disputatorio veritatem decenter & sepositis omnibus præjudiciis atqve affectibus indaget, ne Nobilissimi isti juvenes justam conqverendi occasionem nanciscantur, qvod tempus omnium rerum carissimum perdiderint.

Vos autem, ô Mei, valete, & me qvod facitis, amare pergite.

Dabam Halæ Saxonum die XXVII. Octobris, M. DC. XCII.







F.